Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLVI
E
2
NAPOLI

XLVI.
E
2.

OPERIS
HISTORICI
ET
CHRONOLOGICI
LIBRI DUO;

In quibus Hiſtoria Sacra & Profana compendioſe deducitur ex ipſis fontibus, à creatione Mundi ad CONSTANTINUM MAGNUM, & quæſtiones ac dubia Chronologica, quæ ex utroque Teſtamento moveri ſolent, breviter & perſpicuè explicantur & vindicantur.

Sacræ Theologiæ Studioſis dictati in Academiâ Glaſguenſi
ANNO CIↃ IↃC L. *& aliquot ſequentibus.*

Per D. ROBERTUM BAILLIUM,
SS. Theologiæ ibidem Profeſſorem primarium

Unà cum tribus Diatribis ibidem dictatis, quarum prima eſt de Hæreticorum autocatacriſi; Secunda, An quicquid in Deo eſt, Deus ſit; Tertia de Prædeſtinatione.



AMSTELODAMI,
Apud JOANNEM JANSSONIUM,
ANNO CIↃ IↃC LXIII.

NAPOLI

Sereniſſimo, Potentiſſimo, & Invictiſſimo

PRINCIPI,

FREDERICO GUILIELMO,

DEI GRATIA

MARCHIONI BRANDENBURGICO,

SACRI ROMANI IMPERII ELECTORI ET ARCHICAMERARIO, MAGDEBURGI, BORUSSIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ, MONTIUM, STETINI, POMERANIÆ, CASSUBIORUM, VANDALORUM ET IN SILESIA CROSSIÆ, CARNOVIÆ AC JEGERNDORFII, DUCI, PRINCIPI HALBERSTADII MINDÆQUE, BURGGRAVIO NORIBERGENSI, MARCHIÆ ET RAVENSPERGII COMITI, RAVENSTEINII TOPARCHÆ.

HIſtoriæ maxima laus eſt & utilitas, SERENISSIME PRINCIPUM, cum omnium gentium & imperiorum non ſolum origines, incrementa, converſiones, ſed etiam mores, inſtituta, res geſtas, & quæ cætera ſunt, jucundiſſimâ delectatione ob oculos ponat, & in variam præteritarum rerum cognitionem legentis animum deducat. Ab hac Magiſtrâ prudentiam cognoſcimus Eccleſiaſticam & Civilem, quatuor terrarum orbis imperia, regnorum periodos, urbium fatales everſiones, gentium migrationes, & omnem, quà patet intelligenda, antiquitatem. Verùm ut ea ſuo commodo ſic ſatis æſtimanda eſt, quæ tam uberrimam nobis ſcientiæ meſſem ſuppeditat: ita non minus illa longè dignior eſt & utiliſſima, in quâ ex ipſis

fontibus accuratiſſimâ temporum ſupputatione rerum principia & progreſſus exponuntur. Ut omnino verum ſit, unam ſolùm Chronologiam eſſe lucem & facem omnium veterum narrationum & memoriarum. Quæ cum temporum injuriâ, & ſcribentium defectu quandoque ſeriem & continuationem ſuam interrumpat, & varias hiſtoricorum dinumerationes exhibeat; præclarè & arduè de ejus utilitate illi doctores meriti videntur, qui, quicquid hic vaſtum eſt & interruptum, breviter & perſpicuè digeſſerunt. Ob hanc cauſam, quod antiquitùs uſitatum erat, SERENISSIME PRINCIPUM, ut Regem vel Principem adituri, ſolenne munus aliquod offerre ſoleant, quo ſibi viam præſtruant, & aditum; idem nunc noſtris temporibus exhibeo, & Sereniſſimo Tuo Nomini, levidenſe munuſculum hoc Hiſtorico-Chronologicum inſcribo. Auctor ejus eſt Robertus Baillius, Vir ſeculo ſuo dignus, & eruditiſſimus, in Academia Glasguenſi S. S. Theologiæ & Hiſtoriarum Profeſſor, qui methodo ſcribendi compendioſâ à mundi exordio, ad Conſtantini Magni tempora, omnem ſacræ & profanæ hiſtoriæ ſeriem, juxta accuratiſſimam temporum ſupputationem tam artificioſè & eleganter diſpoſuit, ut omnibus aliis, qui vel olim vel nuper eâ de re tractaverunt, ex æquo palmam præripere videatur. Præter enim eximiam & incomparabilem ejus doctrinam, & orthodoxam religionem, tam altè & perſpicuè S. Scripturæ authoritatem ex Hebræis Codicibus derivatam, contra acerrimos veritatis hoſtes vindicavit & aſſeruit, ut doctiſſimorum Belgii noſtri virorum judicio dignus non ſolum viſus fuerit, qui publico bono prodiret, ſed etiam omnium commodo legeretur.

Accipe igitur, SERENISSIME PRINCEPS ELECTOR, Munus hoc Illuſtriſſimo Tuo Nomini inſcriptum, & admitte porrò in auguſtum Sacrarium

Tuum,

Tuum, quod benignitas Tua Sereniſſima dignum poſteritate faciet. In eo enim jam operis hujus fama conſiſtit & felicitas, ut benevolo hoc vultu & patrocinio ſuſcipias. Gratius forſan erit tantorum hominum judiciis, quorum publico voto & impulſu primùm in lucem prodit. Quod reliquum eſt, PRINCIPUM SERENISSIME, Deus Pacis, Deus Fortitudinis diu Te ſalvum & ſuperſtitem ſervet, & Auguſtiſſimam Tuam Domum Brandenburgicam, & Auriacam, clementiâ ſuâ protegat, & poſthac incolumem præſtet. Amſtelodami XVI. Novembris M. DC. LXII.

Sereniſſimæ Celſitudinis Tuæ

Cultor Humillimus

JOANNES JANSSONIUS.

JUDICIA

Virorum Clariſſimorum

DE AUCTORE

ET EJUS OPERE

HISTORICO-CHRONOLOGICO.

GISBERTUS VOETIUS Theol. in Acad. Ultrajectinâ Profeſſor.

C*Um arduum hoc opus Hiſtorico-Chronologicum M. S. D. Andreæ Bailii Theologi Glaſcuenſis celeberrimi, à viro erudito, ſub cujus poteſtate tunc erat, ad tempus mihi conceſſum, & quantum per occupationes ac temporis contracti circumſcriptionem licebat, perluſtratum, bonam etiam partem perlectum eſſet: nihil prius habui, quam ut maturam ejuſdem editionem, tum apud virum eruditum authori & mihi amicum, tum apud typographum, bono publico, pro virili urgerem. Videbam enim præter brevem, & exactam Hiſtoriæ Chronologicæ deſcriptionem, illuſtres maximè ac difficiles quæſtiones, ſuis quaſque locis intertextas, acri judicio, & indefeſſo labore, omnibus omnium opinionibus in diverſa plerumque abeuntibus, collatis & liberè expenſis, ſubtiliter & perſpicuè explicari; & lucem haud vulgarem tenebris Chronologiæ ſacræ quaſi certatim per nonnullos offuſis, inferri. Ita ut ſperandum ſit, & tyrones in hâc arte, faciliorem ac tutiorem in poſterum habituros manuductionem; & ſacri ſtudii conſectaneos per Hiſtorica Scripturarum latifundia, minori cum tædio, & majori compendio, ſpatiaturos. Ultrajecti Non. Septembr.* 1662.

Eru-

Eruditiſſimo, & Clariſſimo viro,

D. D. GUILIELMO SPANGIO,

Eccleſiæ, apud Medioburgenſes, Scoticanæ Paſtori graviſſimo & fideliſſimo,

S. D.

JOANNES HOORNBEECK,

Theol. Profeſſor.

QUod nuper apud Te quum eſſem in Selandiâ, à me flagitaſti, GRAVISSIME SPANGI, ut, reverſus domum, Opus Chronologicum Reverendi & celeberrimi D. D. Baillii perluſtrarem, & communirē meo qualicunque judicio, id, à Te præſertim rogatus, omittere nolui, quamvis mihi probe conſcius ſatis norim, quam nihil in me ſit judicii ad expendenda & commendanda aliena, præcipuè veteranorum in Theologiâ Anteceſſorum, qualis eſt tuus ille Baillius, mihi quoque ab aliquot annis ex ſcriptis publicis benè notus. Accedit infirma corporis valetudo, quæ vel legere aliquid vix permittit, vel de lectis intendere judicium. Urgente attamen Typographo, opere jam ad finem perducto, & ſtimulante meâ pollicitatione, ſcriptum in manus ſumſi, &, quantum licuit, pervolvi, cenſuique dignum illo Authore, Te patrono. Quæſtiones attingit maximè raras, difficiles, recentes, quarum explicationem quilibet avidiſſimè deſideret, quærat, ambiat. Neque dubito, quin veritatis & pacis amatoribus, Dei non ſui, ſuorumque dictatorum mancipiis, viam monſtraturus ſit, quam pro verâ arripiant, vel quâ ad eam, Scripturâ duce tutò perveniant. Quamobrem dignum opus habeo impreſſione, lectione, encomio, ſi quod ei addi poſſit: Tibique, meo ſaltem nomine, ago gratias, quod curam edendi in te ſuſcipere fuiſti dignatus, atque ita hoc etiam argumento oſtendere, quam in uſum publicum natus ſis ac vivas, & in gentis tuæ, ac Eccleſiæ, tum etiam noſtræ, gloriam, atque ædificationem. Vale. Scripſi Lugduni Batavorum die XI. Septembris, CIƆ IƆC LXII.

L. S.

L. S.

PErlegi, quantum brevitate temporis licuit, Opus hoc Hiſtoricum & Chronologicum, in quo Reverendus author Scripturarum Sacrarum ex Hebræis Codicibus derivatarum authoritatem contra Atheos, Præadamitas, Ægyptios, Chaldæos, Sinenſes, Græcos ac qui eorum errores hodie defendunt, Orthodoxè & erudite aſſeruit. Recte enim obſervat, ubi nullæ unquam variæ lectiones allegatæ ſunt, ibi velle depravatum fontem Hebræum, eſſe ab imis fundamentis authoritatem, nedum authentiam omnium Sacrorum Codicum evertere & homines ad Rom. Pontificem, Pyrrhonis ſcepticam & verum Atheiſmum adducere. Ideo gratiæ Deo agendæ ſunt, quod tot ſuæ veritatis vindices ubique terrarum excitet, qui S. Scripturam Hebraicam, contra graſſantem Præadamitarum opinionem alioſque errores defendunt. Scriptum Lugd. Bat. 21. Aug. 1662.

GEORGIUS HORNIUS.

LIBER

LIBER PRIOR

De

TEMPORIBUS

Ab Orbe condito ad natum Chriſtum, & dubiis

CHRONOLOGICIS

VETERIS TESTAMENTI.

Cap. I.

De rebus geſtis à creatione ad Diluvium.

EJUS SUMMA.

QUantillus homo ad Deum? Quantillum tempus ad æternitatem? Epocha prima, & maxima ob inopiam ſcriptorum eſt fere vacua. Demonſtratur ſumma primæ Epochæ annorum 1656. Creatio ſex diebus abſoluta. Primorum undecim Patriarcharum duratio & mutua converſatio. Patriarchæ primi noſtri erant patres. Introitus peccati. *Cainitarum* mundana felicitas. Voluptas carnalis fons diluvii. Arcæ magnitudo. *Iaphetus* natu major *Shemo*. Patriarcharum duæ columnæ fabuloſæ. Vanitas Ægyptiorum in fingendis Dynaſtiis ante Diluvium, imò ante creationem.

Cap. II.

Continens quæſtiones & dubia ad Caput ſuperius.

QUæſtio prima de ſummâ totali Epochæ univerſalis.

Quæſtio ſecunda quâ anni tempeſtate mundus ſit creatus. Nihil in Zodiaco per ſe ſtatum. Videtur mundus creatus Autumno. Quomodò menſis September fuit Hebræis & primus & ſeptimus. Anni Sabbatici & Jubilæi inceperunt Autumno.

Quæſtio tertia. An *Moſis* anni fuerint noſtris pares. Anni Patriarcharum conſtabant duodecim menſibus triginta dierum.

Quæſtio quarta. An Patres Chriſtiani in Chronologiâ antiquâ ſequendi ſint? Præ ignorantiâ Linguæ Hebraicæ plerique Patres craſſe errârunt in annis ante Diluvium.

Addendum ad Quæſtionem IV.

Vindicatur Chronologia textûs Hebraici contra Græci Interpretis errores in annis Patriarcharum ante fluvium. In Eccleſiâ reformatâ novaturientium factio. De *Waltoni* erratis dolor. *Iſaaci Voſſii* duriora verba quam argumenta. *Iſaaci Voſſii* argumentum à pubertate Patriarcharum deſumptum exploditur à *Waltono*. Similiter ab *Auguſtino*. *Ioſephus Voſſio* non patrocinatur. Rabbini non favent Voſſianæ ſententiæ. Futile *Capelli* ſophiſma de Hebræis exemplaribus deperditis. Tranſlatio LXX. Interpretum hodie eſt corruptiſſima. Reſponſio ad *Waltoni* argumenta pro LXX. interpretibus. Epiſcopaturientium defectio ad Pontificios. Mens Eccleſiæ occidentalis in noſtrâ lite. Item orientalis. *Waltoni* temeritas in Chronologos. Argumenta pro veritate.

Quæſtio quinta. Quamdiu *Noah* remanſerit in arcâ?

Cap. III.

Res geſtas à Diluvio ad Iſraëlitarum ex Egypto exodum complectens.

EJUS SUMMA.

DEmonſtratur à creatione ad exodum fluxiſſe annos 2456. Græcorum antiquiſſimi Hebræis pueruli. Quod tempus ἄδηλον, quod μυθικὸν, quod ἱστορικόν. *Noah* verus *Ianus* multis poſt Diluvium annis à *Canaane* irriſus eſt. Diviſa terra inter *Noæ* filios. Primogenituræ jus ſæpè non obſervatum. Gentium omnium origines. Indiæ, Chinæ, & Americæ incolæ *Shemi* poſteri. Imperii politici fundator *Nimrod*. Imperii Babylonici principium male è *Cteſiâ* & Chaldæis ponitur in anno poſt Diluvium ſexageſimo ſecundo. Poſt *Semiramidem* Aſſyrii Monarchæ omnes, èxceptis duobus *Balais*, erant ſemiviri. Antiquiſſimorum Regum præter nuda nomina nihil ſupereſt. *Annius Viterbienſis* impudentiſſimus impoſtor. Promiſſio *Meſſiæ* ad *Abrahami* familiam primò limitata, deinde *Iſaaci*, *Iacobi*, & *Iudæ* poſteris appropriata eſt. Poſt *Davidem* nulli familiæ promiſſio *Meſſiæ* facta. Patriarcharum multorum mors propinqua fuit promiſſioni de *Meſſiah*, *Abrahamo* factâ. Quis fuerit *Melchiſedek* cognitu eſt impoſſibile. Inter *Iacobi* filios annorum tantùm ſex intervallum fuit. *Iudas* anno ſuo quadrageſimo tertio habebat pronepotes. *Benjamin* anno ſuo vigeſimo tertio habebat decem filios. In familiâ *Ephraimi* mira nuptiarum maturitas. *Iacobi* continuæ tempeſtates in tranquillam ſerenitatem deſierunt. *Iſaaci* ſerena dies in obſcuram noctem finivit. Tempora *Iobi*, *Deucalionis*, *Phaëthontis*, & *Cecropis*.

CAP. IV.

SUMMA.

Quæſtio prima. Num *Cainan* junior ſit ſuppoſititius?
Quæſtio ſecunda. Qui fit ut Græci Patres ad annos poſt Diluvium addant de ſuo ſupra mille?

Addendum I. ad Quæſtionem II.

Reſpondetur ad argumenta tredecim *Iſaaci Voſſii* contra Hebraici codicis poſt fluvium Chronologiam. Defenditur *Scaliger* contra *Petavium*. Vaniſſimus homo *Manethos*, etiam *Eratoſthenes*. Chronologiæ Serum nullius hic ponderis. Malè refutat *Voſſius* Præadamitas. Peſſimè negat diluvium univerſale. Reſpondetur ad quatuor argumenta *Waltoni*. Defenditur *Petavius* contra *Waltonum*.

Addendum II. ad Quæſtionem II.

Malè *Waltonus* ſopitam de *Cainane* juniore litem reſuſcitat. *Iſaaci Voſſii* acerba nimis convicia. *Iſaaci* pro *Cainane* argumenta quatuor refutantur, & totidem etiam *Waltoni*. Ad reſponſiones *Waltoni* replicæ. Iniqua *Waltoni* concluſio.

Quæſtio tertia. Quomodo *Abraham* natus anno *Thara* ſeptuageſimu proficiſcitur anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo quinto Charane in Chananæam poſt mortem patris qui vixit annos ducentos & quinque?

Addendum ad Quæſtionem III.

Quæſtionis difficultas. Partium ſententiæ. Argumenta pro noſtrâ ſententiâ. Argumenta *Tornielli* & *Parei* refutantur.

Quæſtio quarta. Quomodò Iſraëlitæ commorati ſunt in Ægypto annis totis quadringentis triginta, & tamen quatuor tantùm generationibus?

Addendum ad Quæſtionem IV.

Iſraëlitæ in Ægypto non habitârunt annos ultra ducentos quindecim. *Iſaacus Voſſius* ſacræ Chronologiæ everſor. Refutantur ejus argumenta pro morâ Iſraelitarum in Ægypto annos quadringentos triginta. Sententia *Auguſtini*. Objectiones *Voſſii* contra Patres refutantur. Vindicantur noſtra argumenta. Singularia *Voſſii* commenta, & multa temeraria effata.

Quæſtio quinta. Quomodò deſcenderunt in Ægyptum ex *Iacobi* familia animæ & 70. & 75?
Quæſtio ſexta. Quomodò in exitu ex Ægypto multiplicati ſunt Iſraelitæ ad ſexies centena millia?
Quæſtio ſeptima. Qui factum ut in numerum multò majorem non excreverint?

CAP. V.

Complectitur res geſtas in tertiâ Epochâ ab Exodo ad templi Solomonis *conditum.*

EJUS SUMMA.

Termini Epochæ demonſtrantur. Magnæ inter Chronologos diſcrepantiæ fons. Iſraëlitarum oppreſſio Ægyptiaca annis octoginta, ſed plagæ Ægyptiacæ uno tantum anno durârunt. Diarium itineris Iſraelitarum ex Ægypto. Chriſtus in nube populo dux. Primum manna cœlo depluit die Dominico. Duplices aquæ Meribæ. In ſtatione duodecimâ ad montem Sinai totum annum permanſum eſt. Quo die data eſt lex. Varius *Moſis* in montem itus & reditus. Prima *Moſaici* jejunii quadrageſima. Item ſecunda, tertia. *Moſis* pro populo interceſſio non probat tertium jejunium. Primum tabernaculum ſepoſitum eſt. *Nadab* & *Abihu* primo Pontificatûs ſui die ſunt extincti. Triplex populi numeratio. Secundum aucupium coturnicum. De hiſtoriâ triginta ſeptem annorum in deſerto ſilet *Moſes*. Duplex ſtatio in Kadesh: Meriba ſecunda. Quando & ubi dictatum Deuteronomium. *Capelli* & *Henrici* Jeſuitæ perpetui errores. Geneſis habet annos bis mille trecentos & decem. Exodus annos tantùm duos. Leviticus unum menſem, Numeri annos duos, & Deuteronomium duos Menſes. *Moſe* mortuo nubes evanuit. Circumciſio & Paſcha quadraginta annos intermiſſa. Septimus à tranſito Jordane fuit annus κληρουχίας, & quadrageſimus ſeptimus ab exodo, octavus à tranſitu Jordanis fuit primus γεωργίας. Decimusquartus à tranſitu eſt primus Sabbaticorum. Septimus ſabbaticus ſeu quadrageſimus nonus eſt Jubilæus. Anni ſexti proventus ſufficiebat in nonum. Meſſis Judaicæ initium & finis. *Ab* & *Abib* diverſi menſes. Quis primus Jubilæus? Quomodo Jubilæus & quadrageſimus nonus & quinquageſimus annus? Annos quatuor à κληρουχίᾳ abſtinuit populus Cananææ fructibus non frugibus. Incertum quot annos *Ioſhua* imperaverit. Anni Judicum. In *Ehudi* longinquo principatu Danitarum idololatria, & bellum Benjamiticum contigit. An ſacerdos *Micha Moſis* fuerit abnepos? Ætas *Phinea*. Dei miſericordia cum populi peccatis certabat. Reliqua Judicum tempora.

CAP. VI.

SUMMA.

Quæſtio prima. Quomodò Epochæ hujus ſumma probetur?
Quæſtio ſecunda. Quomodò Actor. 13. 20. concilietur cum 1 Reg. 6. 1?

Addendum ad Quæſtionem II.

Defenditur ſacer calculus annorum quadringentorum octoginta ab exodo ad ſtructuram templi contra *Voſſium* & *Capellum*. Refutantur argumenta *Voſſii* pro corruptione Hebraici textus 1 Reg. 6. 1. *Capelli* malum argumentum retunditur. Vindicantur à contumeliis *Capelli* primò 2 Chron. 16. 1. ſecundò 2 Paralip. 26. 9. tertiò 2 Reg. 15. 21. quartò 2 Chron. 12. 15.

Tertia. Quò referendi ſint anni ſervitutum?
Quarta. Quomodò ætates *Rahab Boaz, Obed*, & *Ieſſe* exhauriant annos quadringentos octoginta? Exempla longævorum. Magiſter *Colinus Rimmus* vixit nuperrimè ad annos centum & quindecim.
Quinta. Quomodò ab Exodo ad *Iephtham* anni trecenti? Numerorum inæqualium rotundatio.
Sexta. An *Phineas* vixerit annos trecentos? In libro Judicum neceſſaria eſt hyſterologia.
Septima. Ad quam captivitatem duraverit Idololatria Danitarum?
Octava. Ad quæ tempora referenda ſit *Ruth*?
Nona. Quot annos habeant libri *Ioſhua*, & Judicum?

Decima.

Decima. Ad quæ tempora referendum ſit bellum Trojanum?
Undecima. Quomodo concilietur Iudic. 17. v. 13. cum 15. & 16?
Duodecima. An *Samuel* ex poſteris *Core*? Anglicana Biblia apud Hollandos impreſſa ſunt corruptiſſima.
Decimatertia. Quomodo Levitæ functi ſint ſacerdotio?
Decimaquarta. Quot annos regnaverit *Saul*? Quomodò *Saul* unius anni filius cum regnare cœpit. Anglicani Interpretes novi malè corrigunt veteres.
Decimaquinta. De conciliatione decimiquinti capitis prioris *Samuelis*, cum vigeſimo octavo.
Decimaſexta. Quomodò *David* filius erat *Ieſſe* & ſeptimus & octavus?
Decimaſeptima. Quomodò *David Sauli* & notus & ignotus?
Decimaoctava. Quomodo *Iſhboſeth* regnavit annis & duobus & ſeptem?
Decimanona. Quis fuerit annus quadrageſimus conſpirationis *Abſalom*?
Viceſima. Quomodò *David* emerit *Sionem* quinquaginta ſiclis argenti, & tamen ſexcentia ſiclis auri?
Viceſimaprima. Quam portentoſa auri argentique ſumma in templi ſtructuram inſumpta? Talenti & Sicli valor.

CAP. VII.

Complectens res geſtas Epochæ quartæ à condito ad everſum templum.

EJUS SUMMA.

SOlomon anno ætatis viceſimo de *Ammonitide* ſuſtulit *Rhoboam*. *Chemnis* diebus *Saulis* pyramidum maximam trecentorum millium manibus annis viginti extruxit fruſtra. Libido & ſecuritas *Solomonem* perdiderunt. *Davidis* & *Solomonis* peccata in *Rhoboamo* vindicata. *Solomonis* opes vix annos quinque poſt ſe durârunt. Ingratus in *Davidem* Iſrael in ſuam perniciem. *Ieroboam* ſui ſtudio omnia divina & humana conculcat. Horrenda Iſraelitarum clades. *Ieroboami* extirpatio. Etiam *Baaſha* & *Zimri*. Primus *Zimrus* ſe vivum combuſſit. *Aſa* octo Reges Iſraelis conſpexit. Humo prudens in quingentis octoginta millibus virorum fortium nullam ſpem poſuit. *Aſa* nævi. Summa diverſitas hodiernæ Cananææ ab antiquâ. Inſignia Dei in *Ahabum* beneficia. *Ahabi* extirpatio. Inſignes in *Ioſaphati* domum calamitates. Magna in *Athaliam* Dei patientia. *Ioaſhi* in *Iehojadam* ingratitudinem ulciſcitur Deus. *Amaſias* ſuâ ſe levitate deſtruxit. *Uzias* & *Iotham* reges boni, ſed *Ahaz* praviſſimus. *Iehu* totâ vita proſper nepotem habuit proſperrimum, ſed in abnepote eradicatus eſt. Continua conjurationum ſucceſſio Iſraëlitas perdidit. Iſraelitæ ad finem uſque perverſiſſimi. Regnum *Hezekiæ* & *Manaſſis*. *Amon* peccata patris non reſipiſcentiam amplectitur. *Ioſias* ſuâ ſe temeritate perdit. Babylonica captivitas.

Addenda Capiti Septimo.

UBi montes Ararat? Maxima poſt Diluvium fœcunditas. Poſteritas *Shemi*, *Chami*, & *Iapheti*. *Nimrodi* ad Babylonem imperium. *Ninus* à *Semiramide* cæſus. Hæc in Indiâ à *Staurobate* devicta. *Sardanapali* exitus. Aſſyriaci & Chaldaici imperii finis. Hiſtoriæ antiquæ, profanæ, & fabuloſæ notitia omni docto neceſſaria eſt. *Prometheus*, *Phaeton*, *Atlas*, & *Cadmus*. Expeditio Argonautica. *Pelias Iaſonis* regnum occupat. Argonautici ſodales. *Hypſipyle* regina Lemni exulat. *Hylam* quærens *Hercules* incidit in *Heſionam Laomedontis*. *Phineus* ab *Harpyiis* liberatus. Symplegades, & Cyaneæ petræ. *Medeæ* artibus *Iaſon* aureo vellere potitur. Quomodò Argo navis ab Iſtro in mare tam Adriaticum quàm Ionium tranſvolaverit. *Talaus* Cretæ cuſtos exanimatur. Ad *Orphei* lyram *Sirenes* ſilent. *Medea Peliam* miſerâ morte mulctat. Expeditio Thebana. *Oedipodis* pater *Lajus* tradit necandum. *Lajum* patrem necat *Oedipus*. Matrem *Iocaſtam* ducit in uxorem. *Eteocles* non vult fratrem *Polynicem* ſecum Thebis regnare. *Adraſtus Polynici* & *Tydeo* fert opem. *Amphiaraus* terræ hiatu abſorptus. *Eteocles* & *Polynices* fratres, ſororque *Antigone*, & mater *Iocaſta* ſimul necati. Crudelis *Creon Theſeo* dat pœnas. Bellum Trojanum. *Paris* Veneri dat aureum Nemeſis malum. *Helenam* rapit *Paris*. Græciæ proceres ex fœdere *Menelao* ferunt opem. *Ulyſſes* amentia ſimulata à *Palamede* detegitur. *Achillem Ulyſſes* ex gynæceo educit. *Iphigenia Agamemnonis* ſacratur *Dianæ*. A *Philoctete* revelantur *Herculis* ſagittæ. *Proteſilaus* ab *Hectore* cæſus. *Palamedem Ulyſſes* calumniis obruit. *Hectorem Achilles*, *Paris Achillem* occîdit. *Ulyſſes Achillis* obtinet panopliam. Captâ Trojâ plerique victores miſerè periêrunt. A Trojanis oriundi Romani & Veneti. *Æneas* Latinorum Rex. *Aſcanius* Albam condit. *Rhea Numitoris Marti* parit *Romulum* & *Remum*. Gemellos à lupâ fotos *Fauſtulus* educavit. Fratres *Amulium* tyrannum necant. Conditur Roma. *Romulus* occidit *Remum*. Romam ſceleratis implet aſylum. Rapiuntur Sabinæ. *Tarpeja* proditrix obruitur armillis & clypeis. Sabini ac Romani coëunt in unum. Cæditur *Tatius*, etiam *Romulus*. *Numa Pompilius* paci & falſis religionibus immerſus. Albani necatis ab *Horatiis* tribus fratribus Curiatiis ſe ſubmittunt Romanis. *Tullus Hoſtilius Mettum* cum Albanis & Vejentibus ſubjugat. Corinthius Lucumo fit *Lucius Tarquinius* Romæ poſt Ancum Martium Rex. Augur cotem novaculâ diſſecat. *Servius Tullus* poſt *Tarquinium* regnat. *Tullia* ſororem, virum, patremque necat ut ſuus adulter *Tarquinius* regnaret. *Iunius Brutus* ſub ſtoliditatis velo prudentia. Collatini *Lucretiam* violat *Sextus Tarquinius*. Reges ejiciuntur Roma.

CAP. VIII.

SUMMA.

QUæſtio prima de Summa Epochæ totali. Secunda. Quomodò annorum hujus Epochæ ſumma probetur? Tertia. Quomodò *Solomon* & puer & pater? Quarta. Quomodò *Baaſha* & tertio, & quinto *Aſa* regnare cœpit? Quinta. An *Aſæ* mater fuerit *Abſalomi* filia? Sexta. An *Baaſha* decem annis poſt ſuam mortem invaſerit *Aſam*? Septima. Quomodo *Omri* regnavit annos octo & etiam duodecim? Octava. Quomodo *Ioramus* regnavit annos quatuor, & etiam octo, & quomodo regnare cœpit anno patris decimo ſeptimo & vigeſimo ſecundo, & etiam poſt patris mortem? Nona. Quando ſcripta eſt *Eliæ* epiſtola ad *Ioramum*? Decima. Quomodo *Ahazias* regnare cœpit anno ſuo & viceſimo ſecundo & quadrageſimo ſecundo? Nimis audacter Junius invertit verba textus. Undecima. Utrum *Ioas* à *Salomone* an à *Nathane* deſcenderit? Duodecima. Quando *Ioaſh* regnare incepit? Abſurdè *Abulenſis* ſacrum textum corrigit. Anticipationes in Scripturâ frequentes. Decimatertia. An *Ieroboam* ſecundus regnavit ſimul cum patre annos undecim? *Henrici* Jeſuitæ gratuitæ invectivæ. Incommodum eſt in *Iuda* regno ponere interregna. Decimaquarta. An in Samariâ fuerint interregna? *Iunius* lapſus à Jeſuitis non obſervatus. Decimaquinta. Quomodò componendi ſint anni Regum *Iuda* cum annis Regum Iſraelis? Decimaſexta. An *Iotham* regnavit quatuor annos poſt ſuam mortem? Decimaſeptima. Num *Oſeas* habuerit duo regnandi principia? Decimaoctava. Quomodo *Ahaz* regnavit annis ſedecim, & tamen ſolis quindecim? Decimanona. An *Ahaz* genuerit *Hezekiam* anno ſuo undecimo? Viceſima. Quamdiu duravit regnum decem tribuum? *Nisbets* errores typographici. Viceſimaprima. Quamdiu duravit decem tribuum captivitas? Redibit *Iſraël* cum *Iudâ* in converſione ultimâ. Cavendum à novo veteribus fabulis Judæorum. Vigeſimaſecunda. Quomodò unius anni proventus tribus annis ſuffecerit. Vigeſimatertia de regreſſu Solis diebus *Hezekiæ*.

Malè *Uſſerius* negat horologia & horas diebus *HeZekiæ*. Annotatores Anglicani malè interpretantur decem gradus de horæ quadrantibus. Dies *Ioſuæ* fuit duplex, ſed *HeZekiæ* triplex. Malè *Uſſerius* diei iſtius longitudinem noctis ſequentis brevitate compenſat. Cur majus in regreſſu quàm progreſſu miraculum? Vigeſima quarta. Quomodo *Iſaias* annos ad Samariæ ruinam faciat ſexaginta quinque, qui fuerunt tantùm viginti duo? Vigeſimaquinta. Quomodò captivitas Tyri dicatur perpetua, & tamen ſeptuaginta annorum, & unius tantum Regis? Viceſimaſexta. Quamdiu duravit miniſterium *Iſaiæ*? Traditio de ſeratione *Iſaiæ* vana eſt. Viceſimaſeptima. Quomodo *Iechonias* exorſus eſt regnum anno ſuo & octavo & decimo octavo? *Cajetani* ſolutio mala, etiam *Iunii*. Viceſima octava. Quomodò *Iechonias Ioſiæ* & filius & nepos, & quomodò habuerit & plures fratres, & unum tantum? Vigeſima nona. Quomodò *Iechonias* ſine liberis, & tamen octo liberorum pater? Triceſima. Quomodò *IoahaZ* primus filiorum *Ioſiæ*, & tamen junior *Ioakimo*? Item quomodò *IehoaZ*, *Iohanan*, & *Shallum* ſint unus & idem homo, & tamen *Shallum* ſit geminus? Trigeſima prima. Quomodo Babylonica captivitas inceperit & primo, & octavo, & decimo nono *NebuchadneZaris*? Triceſima ſecunda. An plures fuerint captivitates Babylonicæ? Trigeſima tertia. Qui factum ut excisis Hieroſolymis tam pauci Babylonem abducti ſint? ſcilicet vix quater mille. Trigeſima quarta. Num anni ſeptuaginta captivitatis incipiant annis novemdecim ante excidium templi? Trigeſima quinta. An *Zedekias* bis iverit Babylonem? Trigeſima ſexta. An idem annus fuerit & quintus & triceſimus captivitatis? Trigeſima ſeptima. Qui termini annorum *EZekielis* trecentorum nonaginta & quadraginta? Trigeſimaoctava. Quis ille annus viceſimus tertius qui in quartum *Ioakimi* incidit? Trigeſima nona. An verum quòd revelatio de induendo jugo ſit data *Ieremiæ Ioakimi* primo, ſed executio non niſi poſt annos undecim *Zedekiæ* quarto facta? Quadrageſima. Quomodò regni *Zedekiæ* initium ſit annus quartus? Quadrageſima prima. Quomodo Hieroſolymorum excidium non niſi poſt ſeptemdecim menſes Babylone auditum ſit? Quadrageſima ſecunda. Quomodò *NebuchadneZar* viderit ſtatuam anno ſecundo & etiam quarto? Quadrageſima tertia. Num unus tantùm fuerit *NebuchadneZar* filius *Nabopollaſſaris* non *Nabonaſſaris*? Quadrageſima quarta. Qui termini Prophetæ *Iſaiæ*? Quadrageſima quinta. Quæ tempora *Ieremiæ*, *EZekielis*, & *Danielis*? Quadrageſima ſexta. Num hiſtoria *Suſannæ* ex ſacrâ Chronologiâ refutetur? Quadrageſima ſeptima. Num Chronologia etiam hiſtoriam *Beli* & *Draconis* refutet? Quadrageſima octava. An *Tobiæ* liber Apocryphſeos ex Chronologiâ poſſit convinci? Quadrageſima nona. An hiſtoriæ *Iudithæ* per Chronologiam refutetur? Quinquageſima. Quæ tempora *Hoſeæ*, *Ioelis*, *Amoſi*, & *Obadiæ*? Quinquageſima prima. Quid de temporibus *Ionæ*, *Nahumi*, & excisione *Ninives* ſtatuendum? Quinquageſima ſecunda. Quomodo *Michæ*, *Habakuki*, & *Zephaniæ* tempora diſtribuenda ſint? Quinquageſima tertia. Quid de trium poſtremorum Prophetarum, *Haggæi*, *Zachariæ*, & *Malachiæ* temporibus ſtatuendum?

CAP. IX.

Epocha quinta res geſtas continens ab everſione templi primi ad Alexandri Magni *mortem*.

EJUS SUMMA.

IUdæorum captivitas 70. annorum. Nullum ſacrificium, nullus ſolennis cultus Dei fuit ab exciſo templo ad reſtauratum. Perſeveravit populus uſque ad reditum in rebellione contra Deum. *Iudæi* à Chaldæis immeritò oppreſſi. Severa Dei in *NebuchadneZarem* vindicta, & in totam gentem Chaldæorum. Fundatio Regni Medici & Babylonici. Ninives & Aſſyriaci regni ruina. Regni Babylonici ſupra Medicum incrementa. *Cyaxares* cum *Cyro* nepote *NebuchadneZaris* poſteros eradicavit. Chaldæorum æterna ſervitus. Libertas Judæorum auctore *Cyro*. *Cambyſes* Judæis iniquus. *Cambyſes* Ægyptios facilè debellavit, ſed irritus ejus in Carthaginienſes, & Æthiopas conatus, ergo in Ægyptios furit. Suo gladio interiit. *Magi* benigniſſimum imperium. *Darius* in Judæos bonus, ſed non ob cauſas quas vel *Uſſerius*, vel *Ioſephus* fingit. Craſſum *Ioſephi* ſphalma. *Darii* in Babylonem ſeveritas, infelix contra Scythas bellum. *Uſſerii* ... Græci extra quàm intra Græciam potentiores. In Aſiâ licet liberi Perſis tamen ut ſuis ferè Regibus inſerviêrunt. *Hiſtiæus Darium* ab internecione ſervavit. Perſarum contra Græcos belli origo *Hiſtiæus*. *Mardonius* ex Græciâ fugit. Perſæ à *Miltiade Marathone* fuſi. In tertio contra Græcos apparatu *Darius* moritur. Reges Româ ejecti. *Sybaris* deleta. *Gelo* Pœnorum trecenta millia fugat. *Xerxes* Ægyptios facilè domat. Ad Thermopylas ſequebantur *Xerxem* ſupra quinquagies centena millia, quorum omnium *Xerxes* ipſe pulcherrimus ſed ... *Artemiſia* fortiſſima. *Xerxes* ad Europæ imperium aſpirabat. Solis ſine eclipſi defectus. *Xerxis* in *Pythium* crudelitas.

Hiſtoriæ prioris accuratior enarratio.

SUMMA.

QUibus artibus Aſſyriorum Monarchæ tot ſecula imperium retinuerunt. *Arbaces* & *Beleſus* conſpirantes Aſſyrios ſubjugârunt. Semivir *Sardanapalus* evaſit in fortiſſimum virum. *Herodotus Cteſiâ* fide dignior. Medi pertæſi libertatis cogunt *Dejocem* regnare. *Aſtyagis* ex *Mandane* nepos *Cyrus* in infantiâ ægrè ſervatus à pernicie. *Cyrus* puer innoteſcit avo. *Harpagus* ab *Aſtyage* atroci injuriâ affectus *Cyro* Mediæ Regnum tradit. *Cyri* ambitio. *Candaulis* uxor maritum, ſe, Lydiamque *Gygi* tradit. *Crœſus Gygis* abnepos filium *Atyn* ab *Adraſto* telo non potuit ſervare. *Crœſus* à *Cyro* metuens ab *Apolline* ſalluitur. Capiuntur à *Cyro Sardes* unà cum *Crœſo*. Periculum *Crœſi* muti filii vocem rupit. *Solon* & *Apollo Crœſum* ſervant. *Cyrus* Babylonem capit. Movet in *Maſſagetas*. A *Tomyri* necatur ſecundum *Herodotum*. *Herodotus* errat in ſitu Araxis. Invadit Ægyptum *Cambyſes*. *Pſammeniti* calamitates. Fruſtraneus *Cambyſis* conatus in Pœnos, Hammonios, & Æthiopas. *Smerdis* virtus ſe primùm, poſtea ſororem, denique fratrem *Cambyſem* perdit. *Prexaſpis* filii cor ſagittâ *Cambyſes* trajicit. *Crœſum* ſervatum gaudet, ſed ſervatores necat. In Ægyptiorum Deos furit. Moritur Ecbatanis Syriæ. Narranti vera de rebelli Mago Perſæ non credunt. *Otanes* operâ filiæ de *Magi* fraudibus fit certus. *Magum* in *Gobriæ* brachiis confodit *Darius*. *Darius* equiſonis ſui arte Perſarum imperium adipiſcitur. Babylon rebellat. Mulieres ſuas pleraſque ipſi ſtrangulant. *Zopyri* artibus Babylon capitur. Aſiæ flagellum Scythæ. Scythæ reduces à ſervis ſuis vexantur. *Darii* in *Oebaſum* crudelitas. Boſphorum & Iſtrum pontibus ſternit. Perſarum in Scythiâ ingens periculum. *Hiſtiæi* in *Darium* fides. *Alexandri Macedonis* contra *Darii* legatos audax facinus. Belli Græciæ parva initia. *Hiſtiæus* in ſuam perniciem Ionas contra *Darium* concitat. *Piſiſtratus* Athenis dominatur. *Demaratus* fugit ad *Darium*. *Mardonii* claſſe per tempeſtatem disjectâ Perſæ ex Græciâ fugiunt, redeunt anno ſequenti in Atticam. Deſertos à Lacedæmoniis Athenienſes *Pan* adjuvat. Splendida *Miltiadis* ad *Marathonem* victoria. *Cynægiri* virtus & ſpectrum. Fœda Athenienſium erga *Miltiadem* ingratitudo. Præfert *Darius Xerxem* majori ſuo filio *Artabazani*. *Xerxes* numine impellitur ad bellum Græcum. Deflet ſortem humanam. Secundâ luſtratione plures in ſuis caſtris reperit quàm quivis unquam alius habuit vel milites vel lixas. Nullam Græci volunt imperii partem *Geloni* Syracuſano concedere. Athenienſes urbe deſertâ fugiunt ad naves. Serpens maximus Athenienſium Deus. Ad Thermopylas *Leonidas* cum paucis toto biduo *Xerxem* ſuſtinuit.

ſuſtinuit. Græcorum claſſem ægerrimè valuit *Themiſtocles* à fugâ cohibere. *Apollo* Perſas *Delphis* depulit. *Xerxes* Iconomachus Athenis commoratur. *Themiſtocles* Græcam claſſem cogit ad pugnam. In Helleſponto *Xerxes* prope ſubmerſus navarchum occidit. Contra *Mardonii* triginta Myriadas Græci contrahunt undecim. Spartani declinant cum Perſis pugnam quam Athenienſes ambiunt. Platæenſis victoria inſignis. Ad Mycalen tam terrâ quàm mari ſunduntur Perſæ. Fugit *Xerxes* in Mediam. *Ameſtris* in *Artaunta* matrem crudelitas. Spartani ſuâ invidiâ Athenienſium incrementa promoverunt. *Pauſania* ſuperbia ab *Ariſtidis* æquitate victa. *Pauſanias* ob conſpirationem cum Perſis Spartæ necatur fame. Mira *Themiſtoclis* virtus. Athenis muros & portum invitis Spartanis comparat. Ingratus populus *Themiſtoclem* oſtraciſmo pellit in exilium. Is fugit ad *Xerxem*, ubi ægrè à mulierum Perſicarum vi eripitur. Mavult mori quàm in patriam arma ferre. Confoditur in lecto *Xerxes* ab *Artabano*, & *Artabanus* poſt *Darium* ab *Artaxerxe*. *Rhalegi* error. *Cimonis* virtute florent Athenæ. Spartanorum miſeriæ. Difficile Perſis in Ægypto cum Athenienſibus bellum. *Artaxerxis* cum Græcis pax, & in Judæos benignitas. Peloponneſiacum Bellum ex *Thucydide*: Corinthiorum, Corcyræ, & Epidamni coloniæ. Lacedæmonii terrâ in Atticam, Athenienſes claſſe in Peloponneſum quotannis graſſantur. Mira peſtis. Græci quibuſvis Barbaris feritate non cedunt. Athenarum maximæ vires. Adſpirant Athenæ ad imperium orbis. Ab Athenienſibus munita in Peloponneſo Pylus Spartanos fregit. Feſſi bello pacem amplectuntur. Bellum recrudeſcit. Egeſtanorum fraude pelliciuntur Athenienſes in bellum Syracuſanum. *Alcibiadis* exilium perdit Athenas. Athenienſium ad Syracuſas ſumma clades. *Alcibiades* perditas Athenas reſticuit. Ingratus populus ſecundo *Alcibiadis* exilio funditus ſubruitur. Miſera Athenienſium à triginta tyrannis oppreſſio. Magna Spartanorum crudelitas. Miſerrima *Alcibiadis* mors. *Artaxerxi* ſuccedit *Darius Nothus*. Athenienſes & Spartani multò faciliùs Perſas, quàm alteri alteros ſubjugâſſent. *Paryſatis* filium *Cyrum Dario* cupit ſuccedere. Servat *Paryſatis Cyrum* à præſenti morte. Victor *Cyrus* inopinatâ morte vincitur. *Artaxerxis* ſitis. Inſatiabilis crudelitas *Paryſatidis* in *Cyri* inimicos. *Tiſaphernis* fraude cæſi omnes duces Græcorum. *Xenophon* milites reducit in Græciam. Invadens *Artaxerxes* Ionas attrahit in Aſiam *Ageſilaum*. Condunt Perſæ muros Athenarum. Spartani Thebanos provocant ingratis. Non audet *Ageſilaus* cum *Epaminonda* congredi. Thebanorum ſuperbia, Leuctris *Epaminondas* ſplendidam de Lacedæmoniis victoriam refert. Athenienſes Spartam contra Thebanos tuentur. Thebani potiuntur etiam mari. *Epaminondæ* victoria ad Mantineam Cum *Epaminonda* evanuit Thebana potentia, & coiit Græcorum pax. *Artaxerxes* ſeditiones multas feliciter compeſcit. *Tachos Ageſilaum* in Ægyptum attrahit *Ageſilaus* ab omni proditione ultro provocatus excuſatur. Moritur in Africâ. *Artaxerxes Darium* filium proditionis compertum necat. *Ochus* fratres gladio & patrem nonagenarium dolore occidit. Afflicti ab *Eunucho* Judæi. *Nectanebi* puſillanimitas Ægyptum ſine pugna tradit *Ocho*. *Ochus* aſſum *Apim* comedit. *Bagoas* necatum *Ochum*, & in fruſta conciſum tradit felibus. Sublatis *Ochi* liberis *Dario Codomanno Bagoas* dat thronum. *Bagoam Darius* tollit. *Philomelus* cum Phocenſibus Delphicum templum occupat. Bellum ſacrum Gigantomachia. Athenienſes & Spartani auri fame ſacrilegorum fiunt ſocii. *Thebani* feſſi *Philippum Macedonem* in *Apollinis* patrocinium advocant. *Philippum* Illiricorum Thebis obſes *Epaminondæ* ſodalis fuit. Macedoniæ miſerrimum regnum in florentiſſimam fortunam evexit. Aureo ſæpè ariete invincibiles arces ſubruebat. Bellum ſacrum ſine pugnâ perfecit. *Apollinis* theſaurus Myriadis talentorum auri à ſacrilegis dilapidatur. Perinthum Perſæ, Byzantium Athenienſes *Philippi* faucibus eripuere. *Philippus* in Athenas totum ſuum ex inopinato exercitum convertit. *Demoſthenes* perſuadet Thebanis ſe conjungere Athenienſibus contra *Philippum*. Ad Cheronæam *Philippus* cum *Alexandro* Græcos ſubjugat. Corinthi conſtituitur *Philippus* Græcorum contra Perſas Imperator. *Philippus Pauſaniâ* in medio ſolennis pompæ confoditur. *Alexander* ad acquirendum imperium à naturâ factus. *Alexander* puer domat *Bucephalum*. *Ariſtoteles Alexandrum* contra Perſas movit. Multæ ei occaſiones adipiſcendi imperii ſe obtulerunt. *Alexandri* perpetua comes fortuna. Multa incipienti impedimenta. *Eurydicen* novercam, ejuſque filium ac fratrem *Attalum* ſtatim tollit. Thebanos invitus exſcindit. A Græcis dicitur in Perſas Imperator. *Diogenem* miratur. Cum parvo exercitu & ferè nullâ pecuniâ in Aſiam trajicit. *Anaximenes* ſuâ ſolertiâ Lampſacum ſervat ab excidio. Prima victoria fuit ad Granicum Phrygiæ. Hæc Aſiam totam minorem dedit. Epheſi reficit exercitum. Difficilis cum *Memnone* lucta Hyemavit in Cariâ. Occupat parvo negotio anguſtiſſimas Ciliciæ portas. Cydni ad Tarſum frigore propè enectus à *Philippo Acarnane* paucis diebus reſticuitur. *Darius* ingentem ſuum exercitum in Ciliciæ anguſta conjicit ad *Iſſum*. *Darius* victus fugit, cæſis ex ſuis centum millibus peditum, & decem equitum. Damaſcus, & tota Syria præter Tyrum *Alexandro* ſe tradit. Poſt duram obſidionem Tyrus capta delerur. Crudelis *Alexander* in fortem *Batim*. *Alexandri* in Judæos benignitas. Ægyptus ſine ſanguine ſe tradit. *Hammonis* adulabundum oraculum. Nullas à *Dario* conditiones pacis vult accipere. Parant ad Arbela *Darius* & *Alexander* decernere de rei ſummâ. Solâ virtute certatum in aperto campo. Difficulter vincit *Alexander*. Cæſa Perſarum trecenta millia, Græcorum ferè quingenti. Babylon, Suſa, Perſepolis, & Ecbatana cum infinitâ pecuniâ ſe dedunt. *Darius* à *Beſſo* vinctus & necatus. *Alexander* mortuo *Dario* mutatur in pejus. *Philotas*, paterque *Parmenio* indignè necantur. *Bactriani Beſſum* tradunt. *Curtius* errat de fluvio Tanai. Dura cum *Bactrianis* & *Hircanis* certamina. Ob *Clyti* necem vix tandem admittit *Alexander* à *Calliſthene* ſolamen. Dum in Indiam movet, *Calliſthenem*, & nobiles diſcipulos crudeliter necat. Ultra Indum *Taxiles* & *Abiſares* omnia ad *Hydaſpem* tradunt. *Porus* devictus regiè habetur. Gangem nolunt milites trajicere. Redit *Alexander* per Indiæ Meridionalia. Deſperatum in Mallis periculum. Peritiſſimi Græcorum navarchi Oceanum tum ignorabant. In Gedroſiâ exercitum plerumque perdit ſiti & fame. Nobiliſſimus *Orſines Bagoæ* calumniis periit. *Parmenionis* occiſores occiduntur. *Hephæſtion* intemperantiâ mortuus evadit Deus. Diſſuadent Chaldæi Babylonis introitum. Nova bella parabat *Alexander*. Seipſum poculis occidit. Ambigua de veneno hiſtoria. Suſpectus *Caſſander*. *Alexandri* ultima.

CAP. X.

SUMMA.

QUæſtio prima. Unde conſtet numerus annorum hujus Epochæ. In poſterioribus Epochis particulares numeri annorum non tam clari quàm in prioribus. In motibus ſyderum & Eclipſibus non ſtabilitur firmus temporum character. Quæſtio ſecunda. Quod ſit principium 70. annorum captivitatis Babylonicæ. *Scaligeri* à ſeipſo diſſonantia à *Petavio* prætermiſſa. Annotatores Anglicani ultimi ſibiipſis repugnant. Septuaginta anni captivitatis incipiunt non ab urbis excidio *NebuchadneZaris* decimonono, ſed à primo *NebuchadneZaris*. Solvuntur contraria *Saliani* & *Niſbeti* argumenta. *Petavii* inconſtantia. Captivitatis *Iuda* tres articuli. Quæſtio tertia. Quis ſit verus finis 70. annorum captivitatis Babylonicæ. *Theodoreti* non *Capelli* diſtinctio 70. annorum captivitatis à 70. deſolationis firma ſtat contra *Niſbeti* argumenta. Malè tamen applicatur ad locum *Zachariæ* de anno ſeptuageſimo. Mala interpretatio Latina multos Patres ſeduxit. Malè *Scaliger*, & *Calviſius* Monarchiæ *Cyri* tres tantùm annos aſſignant. Sed pejus eſt quod negant ejus principium vel à ſuo regno vel à Monarchiâ numerandum. Quæſtio quarta. Utrum *Balthaſar* vel *Darius Medus* ultimus fuerit Chaldæorum Rex. Tyrannica nimis *Scaligeri* in literis Dictatura. Argumenta contra *Scaligerum* & *Petavium* pro communi ſententiâ. *Xenophontis* hîc auctoritas defenditur. An à *Tomyri* cæſus *Cyrus*. *Ioſephi* & *Hieronymi* auctoritas defenditur. Quanta ſit *Megaſthenis* auctoritas. Quæſtio quinta. Quis fuerit *Ahaſuerus Eſtheræ* maritus, & ad quæ tempora hiſtoria *Eſtheræ* ſit referenda. Quæſtionis difficultas. *Ahaſuerus* non erat

Aſtyages, nec *Darius Medus*, nec *Cambyſes*, nec *Artaxerxes Mnemon*, nec *Darius Ochus*, nec *Longimanus*, ut vult *Petavius* & *Salianus*, nec *Xerxes*, ut *Scaliger*, ergo fuit *Darius Hyſtaſpis*. Quæſtio ſexta de jejunio *Eſtheræ* & Judæorum. Num totis tribus diebus & tribus noctibus ab omni potu & omni cibo abſtinuerunt. Mala explicatio *Lyrani*. Trium dierum jejunium non eſt ſupernaturale. Hyperbole *Pauli* in quatuordecim dierum jejunio. An *Eſther* die tertio jejunaverit. Mala *Iunii* ſolutio. Quæſtio ſeptima. Quis *Ahaſuerus* & *Artaxerxes* qui templi ædificationem impediverunt? *Aſſuerus* hic non fuit *Xerxes*, ut vult *Scaliger*, *Iunius*, & Alii. *Scaligeri* effugium. *Niſbeti* inventum miſerius. *Cambyſes* & *Aſſuerus* & *Artaxerxes* fuit. Quæſtio octava. Quiſnam ille *Darius* fuerit, cujus anno ſexto templum eſt perfectum. *Scaliger* novæ ſententiæ noſtris auctor. Contra *Scaligerum* probatur *Darium* illum non fuiſſe *Nothum*. De ætate *Nehemiæ*, *Eſdræ*, & *Sanballati*. Reſpondetur ad argumenta *Calviſii*. Quæſtio nona. Quis fuerit *Artaxerxes* à quo *Eſdras* & *Nehemias* Hieroſolymam miſſi ſunt? Quæſtio decima. An Septuaginta hebdomadæ *Danielis* tempus aliquod certum & definitum, an verò incertum & indefinitum importent? Quæſtio de ſeptimanis *Danielis* eſt nobiliſſima, ſimul & difficillima. Silentium, & modeſtia Eccleſiæ inutilis & ingrata. *Reinoldus* hebdomadas ſeptuaginta pro tempore incerto & indefinito accipit. Contra *Reinoldum* argumenta. *Broughtoni* Argumentum contra *Reinoldum* defenditur. *Pemblius* hic idem cum *Reinoldo*. Reſpondetur ad *Reinoldi* argumenta. De terminis hebdomadæ unius contra *Parei*, *Reinoldi*, & *Scaligeri* extravagantias. Medium hic à dimidio non eſt diſtinguendum. Quæſtio undecima. Quod ſit verum principium 70. hebdomadarum? Prima ſententia *Lyrani* de quarto *Zedekiæ* diſplicet. Etiam ſecunda *Parei*, & multorum de primo *Darii Medi*. Imperium Perſarum contra omnium antiquorum fidem non eſt decurtandum. Objectiones decem *Niſbeti* ſolvuntur. Ad argumenta *Niſbeti* pro ſuâ ſententiâ reſpondetur. Etiam ad quinque argumenta *Honor. l'Empereurs* via ſingularis improbatur. Tertia ſententia *Ianſenii* de ſecundo *Darii Hyſtaſpis* rejicitur, ut etiam quarta de *Darii Nothi* ſecundo. Quinta quoque de *Artaxerxis Longimani* viceſimo. Sexta de *Artaxerxis Longimani* ſeptimo eſt veriſimillima. *Petavii* & *Nicolai Abrahami* de duplici *Artaxerxis* principio commentum vanum. Utrum *Themiſtocles* fugerit ad *Xerxem*, an ad *Artaxerxem*? Quæſtio duodecima. Quis ſit finis hebdomadum *Danielis*? Utrum in morte *Chriſti* an Hieroſolymorum excidio deſinant hebdomadæ? Argumenta contra *Scaligerum*, & ſequaces pro urbis excidio. Reſponſio ad quinque argumenta *Scaligeri*. Quæſtio decima tertia. Unde incipiunt, & ubi deſinunt hebdomadæ ſeptem, & quamobrem à reliquis iſtæ ſeptem dividuntur? Malè à *Suareſio* ponuntur hebdomadæ ſeptem in fine ſeptuageſimæ. *Scaligeri* inconſtantia. An in ſeptenario myſterium? *Hieronymi* & *Sanctii* falſa de numeris regula. Chronologici errores Theologis antiquis indulgendi. Error *Calvini*, etiam *Bezæ* & *Chemnitii*, *Rolloci* quoque & *Ianſenii*, *Honat* & *Niſbeti*. Rectè *Gualterus*. Deviatio *Lyrani*. Quæſtio decima quarta. Qui ſunt termini hebdomadarum ſeptuaginta duarum? Magna confuſio, & inconſtantia *Scaligeri* in ordinandis hebdomadis. *Iunii* & *Deodati* error, etiam *Theodoreti*, *Suareſii*, & *Chryſoſtomi*. Quæſtio decima quinta, de hebdomadâ unâ ejuſque dimidio. *Scaliger* omnibus ſe opponit gratis. A ſeipſo diſſidet. Magnum ſuum in medio unius hebdomadæ hiatum non defendit à riſu. *Iunius* & Annotatores Anglicani ſibi contradicentes eam unam ad urbis excidium extendunt. *Deodati* error & *Scaligeri*. *Scaligerum* Proteſtantes deſerunt, ſed Jeſuitæ ſequuntur. Argumenta contra *Scaligerum* & Jeſuitas. *Suareſii* indifferentia improbanda. Argumentum contra dimidium poſterius, & etiam prius. Veritas eſt in medio ejus. Quæſtio decima ſexta. An ſeptuaginta *Danielis* hebdomadæ abunde convincunt Judæorum pertinaciam, & clariſſimè demonſtrant jamdudum Meſſiam veniſſe in mundum? Pro Meſſiæ adventu jam præterito argumenta. Multa Judæorum effugia refutantur. Promiſſio adventus Meſſiæ fuit abſoluta, non hypothetica. Ignorantia revelatorum non eſt modeſtia, ſed pervicax ſtupor. Malè negant Judæi autoritatem Canonicam *Danieli*. Errores *Solomonis Iarchi*. *Cyrus* non fuit *Chriſtus Iſraelis*, nec *Agrippa*, nec *Arca*, nec *Altare*. Non loquitur *Daniel* de annis Jubilæis. Malè diſtinguitur *Meſſias* glorioſus ab humili. Fabula de *Meſſia* leproſo. De tempore *Meſſiæ* teſtimonia tam Judæorum quàm Gentilium. Quæſtio decima ſeptima. Quid de temporibus trium ultimorum Prophetarum *Haggæi*, *Zachariæ*, & *Malachiæ* ſtatuendum? Inſignis *Tertulliani* anachroniſmus. *Iunii*, *Deodati*, & *Annotatorum Anglicanorum* anachroniſmus. Nomina *Annotatorum Anglicanorum*. Unus plagiarius non excuſat cæteros. *Origenis* abſurda ſententia de *Malachiâ*. *Ribera* & *Calvini* ſententia refutatur. *Malachias* ultimus Prophetarum. *Cornelii à Lapide* temeritas. *Epiphanii* de *Malachiâ* fabulæ. Quæſtio decima octava. An ſeptuaginta anni captivitatis diſtinguendi à ſeptuaginta deſolationis. Jeſuitæ ſuperſtitioſi & rebelles. Septuaginta anni *Zachariæ* iidem ſunt cum ſeptuaginta annis *Ieremiæ*. Defenditur *Pererius* contra fratres Jeſuitas. Singularis error *Tornielli*. *Lutherus* & *Melanchton* ab *Annio* ſeducti. *Scaligeri* error, & contra eum argumenta. *Calviſii* error proprius. *Iunii*, *Deodati*, & aliorum error. Sententia vera. Quæſtio decima nona. Quid ſtatuendum de jejuniis quatuor menſium à *Zachariâ* memoratis? *Cyrillus Alexandrinus* jejunia captivitatis rectè exponit, non item *Hieronymus*. *Hugonis Grotii* calumniæ. Aſſerunt Reformati poteſtatem Eccleſiæ inſtituendi jejunia, ſed nolunt cum *Grotio* ſuperſtitionum Romanarum plauſtra amplecti. Quæſtio vigeſima. Quomodo templum fundatur *Darii* ſecundo, & tamen *Cyri* ſecundo? Multa ab Interpretibus dubia videntur diſſimulari. *Bedæ* diſtinctio templi externi ab interno non ſatisfacit. Male *Gruterus* interpretationem communem rejicit. Malè *Salianus* præteritum ponit pro futuro. *Saliani*, *Grotii*. *Annotatorum Anglicanorum* mala interpunctio. Quæſtio vigeſima prima. Quo anno mortuus ſit *Alexander*, & quot annos habeat Epocha præ manibus. Philippica periodus malè à *Scaligero* expoſita. Magnus inter auctores conſenſus de anno mortis *Alexandri*. *Hieronymus* cum cæteris conciliatur. De ærâ mundi magna diſcrepantia. Connexio ærarum magnum operæpretium. Æra *Cyri* dubia & non dubia.

Addendum ad Lib. I. cap. 10. Quæſtionem XXI.

De literis hodiernis Hebraicis num à Patriarchis & Prophetis ſint uſurpatæ, an ab *Ezra* inventæ? Quæſtionis ſtatus. *Scaligeri* temeritas. Argumenta *Waltoni* refutantur. Parum eſt fidei in effoſſis nummis. Duplex Judæis olim fuit literarum character. Reſpondetur ad teſtimonia *Euſebii* & *Hieronymi*, etiam ad *Rabbinos*, *Rabbi Chaſdam*, & *Rabbi Iojen*. Confirmantur *Buxtorfii* argumenta contra *Waltoni* exceptiones. *Tau* Samaritanum non repræſentat crucem. Samaritani non habent *Mem* clauſum. An *Mem* & *Samech* ſteterint miraculosè in tabulis legis. Judæi temerè à *Capello* accuſantur immanis negligentiæ & ſuperſtitionis. An duplex Judæis fuerit literarum character. Rabbini in aliquibus utiles. Nulla myſteria legebantur ſactis characteribus. Quid ſignificet vox *Aſureth*.

CAP. XI.

Res geſtas complectens Epocha ſexta ab Alexandri Magni *morte ad* Ariſtobuli *in Iudaâ Regnum.*

Hiſtoria profana illuſtrat Prophetias ſacras. Hiſtoriæ exoticæ fontes. Mors *Alexandri* Macedonas confundit. Illuſtris Dei in Macedonas vindicta. *Perdiccam* deprimit *Meleager*. *Aridæus* ſuccedit *Alexandro*. *Perdiccas* perdit *Meleagrum*. Diſtribuit ad ſuum arbitrium provincias. *Roxane Statyram* crudeliter necat. Invito *Pythone* emeriti Græci à Macedonibus perfidè necantur. *Perdiccæ* crudelitas in Cappadocas & Piſidas. Bellum Lamiacum. *Leoſthenes* victum *Antipatrum* obſidet Lamiæ. Cadit *Leoſthenes* & *Leonatus*. *Antipater Crateri* ope Græcos debellat. *Demoſthenis* αὐτοφονία. *Ariſtotelis* & *Diogenis* mors.

Per-

Perdiccas necat *Cynam*. Occupare parat tyrannidem. *Alexandri* ſepultura. *Eumenes Neoptolemum* & *Craterum* occidit. *Perdiccam* necat *Python*. *Pythonem* vexat *Eurydice*, & *Euridicen Antipater*. *Antigonus* frangit *Eumenem*. Moriens *Antipater Polyſperchonti* tradit imperium. *Olympias* omnia perturbat. *Eumenes* obſidione liberatus Aſiæ præficitur. *Antigonum* diu vexat. *Argyraſpides Eumenem* tradunt. *Antigonus* perdit *Eum nem*. *Argyraſpidas*, *Peuceſten*, & *Pythonem*. *Polyſperchon* in Græciæ Optimates crudelis. *Phocion* clarorum Athenienſium ultimus Megalopolitanâ obſidione *Polyſperchon* frangitur. *Olympias Arideum* & *Eurydicen* necat, & *Olympiadem Caſſander*. Etiam *Roxanen* cum filio. Conſpiraot cæteri contra *Antigonum Ptolemai* in Judæos acta. *Demetru* cum *Ptolemæo* bella. *Seleucus* Babylonem & ſuperas provincias occupat. Simulata pax deſinit in ferale bellum. *Polyſperchon Barſinen* cum filio necat. *Polyſperchon* eradicatur. *Cleopatram* necat *Antigonus*. *Demetrius* ab Athenienſibus adoratur. *Seleucus* victum *Antigonum* necat. *Demetrius* ingratas Athenas caſtigat. *Caſſander* cum ſuis omnibus perit. *Demetrium* debellat *Pyrrhus*. *Demetrius* moritur captivus. *Ptolemaus* moritur filii ſatelles. *Lyſimachus* extirpatur. *Seleucum* necat *Ceraunus*. *Pyrrhus* à Tarentinis vocatur in Italiam. Omnes viri principes eum ad iter inſtruunt. *Antiochus Soter* homo ſocors. *Ptolemaus Ceraunus Pyrrhum* lubentiſſimè ablegat. *Ceraunus* ſororem *Arſinoen*, & duos *Lyſimachi* liberos nefariè perdit. *Ceraunus* & fratres à Gallis necantur. *Brennus*, & Galli perduntur ab *Apolline*. Macedonia in *Gonata* manus cadit. *Pyrrhus* peoè obrutus mari. Elephantorum ope Romanos profligat. Romani victi nolunt cum *Pyrrho* pacem. *Pyrrhus* Carthaginenſes pellit ex Sicilia. *Livii* vanitas à *Ralego* majore vanitate refutatur. Macedoniâ potitus *Pyrrhus* totius Græciæ & Aſiæ imperia ſpirat. Eom tamen ſenes & mulieres Spartâ depelluot. Argis miſerè perit. *Gonata* proſperites. *Philadelphi* in fratres odium, & ſororem libido. Literatorum adulatorum amicus. *Demetrius Phalereus* Bibliothecæ Magiſter. Bibliorum verſio Græca à ſeptuaginta Interpretibus. De eà verſione multæ fabulæ. De *Philadelphi* opibus & potentiâ nimis magnificè *Theocritus*. Ut cum *Antiocho Theo* pacem haberet, ei filiam *Berenicen Phernophoron* dedit. *Laodice* necat *Berenicen*. *Ptolemaus Euergetes* necat *Laodicen*, & Aſiam ſpoliat. *Euergeta* cum *Callinico* pax. *Hierax* à fratre *Callinico* debellatur. *Callinicus* a Parthis captus perit. Ejus filius *Seleucus* obtruncatur à ſuis. *Achæus Antiochum* puerum accerſit ad ſolium. *Ptolemaus Philopator* tollit patrem. *Molo* rebellat contra *Antiochum Zinotam* debellat. *Molonis* exercitus transfugit ad *Antiochum*. Excoriatus *Molo* crucifigitur. *Antiochus Hermiam* perdit. *Theodotus* tradit *Antiocho* Syriam. Audax facinus *Theodoti*. *Antiochum* vincit *Ptolemaus* *Matthia* & *Vſſerii* fabulæ. Mortui *Philopatoris* Gnathones Alexandrini excarnificant. *Achæum* à Cretenſi proditum *Antiochus* occidit. *Antiochus* Syriam eripit *Scopa* Romani jubent *Antiochum* abſtinere Ægypto. Poſterorum *Pyrrhi* exitus. *Antigonus Doſon Philippi* tutor. Græcorum infirmitas merita. *Agis* & *Cleomenes* perditam Spartæ virtutem reſtituere conati. *Arati* ambitio *Macedoni* Peloponneſum tradit. Miſerè *Cleomenes* perit. Magna *Doſontis* fortuoa. Romani contra Illyrios movent. Regina *Teuta* à *Demetrio Phario* proditur. Ætoli Achæos vexant. *Philippus* à *Phario* contra Romanos incitatur. Ætoli & Athenienſes vocant Romanos contra *Philippum*. *Philippus* in Rhodios injurius. *Flaminius* victo *Philippo* aſtutè benignus. Ætoli *Antiochum* concitant contra Romanos. Romani injurii Spartæ. *Philopæmenis* virtus. *Antiochus* Romanos in ſe attrahit. *Hannibal* ſugit ad *Antiochum*. *Antiochus Hannibalem* imprudenter contemnit. Romani *Antiochum* Græciâ facilè pellunt. *L. Scipio Antiochum* debellat. *Hannibalis* mors Populus Romanus in utrumque *Scipionem* ingratiſſimus. *Philopæmenis* indigna mors. *Antiochi Magni* mors. Romanorum hypocriſis. *Philippus* iterum parat in Romanos arma. *Demetrium* filium necat Romani *Perſeum* adigunt ad bellum. *Perſeus* ſuâ ſe perdit avaritiâ. Regum Macedoniæ extirpatio Crudelis Romanorum vindicta in *Pyrrhum*. Etiam in Achæos Rhodioſque innocentes. *Seleucus Heliodorum* mittit ad ſpoliandum templum Hieroſolymitanum. *Seleucus* ab *Heliodoro* necatur. *Antiochus Epiphanes* Aſiæ regnom occupat, & inhiat Ægypto. *Ptolemaus* cur dictus *Philometor*. Judæi ſuis ſceleribus *Antiochi* perſecutionem attrahunt. Horribilis Sacerdotum & populi apoſtaſia. *Iaſon* ut depulit *Oniam*, ſic ipſe depellitur à *Menelao*. *Salsamus Ioſepho* iniquus. *Oniæ* cædem vindicat *Antiochus*. *Iaſonis* crudelitas in ſuos. *Antiochum Epiphanem* cōgunt Romani Ægypto abſtinere. Is in Hieroſolymam iras evomit. Judæorum lamentabilis afflictio. *Matthatias* arma corripit. *Iuda Maccabai* victoriæ. *Epiphanes* miſerrimè perit. *Iuda* pax cum *Eupatore*. *Menelaus* & *Iaſon* malè pereunt. *Onias* in Ægypto templum extruit. *Demetrius Seleuci* extirpat *Epiphanem*. *Iuda* contra *Demetrium* victoriæ. *Iudas* inito cum Romanis fœdere cadit; *Ionathan* cogit exercitum difficulter. *Alexander Bala Demetrium* oecat, & à ſocero *Philometore* perditur. *Demetrius Demetrii* oecupat Aſiam, & *Phyſcon* Ægyptum. *Demetrius* à Judæis Antiochiæ egregiè defenditur. *Tryphon Antiochum Bala* contra *Demetrium* ſuſcitat. *Ionathas* cum Romaois fœderatus à *Tryphone* necatur. *Demetrius* in Parthiâ captivus. *Tryphon* necato pupillo regnat. Sub *Simone* ſumma Judæorum pax. *Antiochus Sidetes* necat *Tryphonem*. *Simon* à ſuo genero necatur. *Sidetes* in Parthiâ perit. *Demetrius* reverſus domum movet contra *Phyſconem*. *Phyſcon* ei opponit in Syria *Alexandrum Zebinam*. *Demetrius* à *Zebina* debellatus ab uxore necatur. *Seleucus Demetrii* à matre cæſus. *Antiochus Gryphus* tollit *Zebinam*, ſuam item matrem. A fratre *Cyziceno* vincitur. *Ptolemaus Lathyrus* à matre *Cleopatrâ* Ægypto pellitur. Principatus *Ioannis Hircani* io Judæâ floret. *Ioannis* filius *Ariſtobulus* ſe Regem dicit. Fratrem oecat, ipſe animi angore perit. Mundus tunc aptus ut à Romanis deſtrueretur.

CAP. XII.

SUMMA.

QUæſtio prima de tempore tibiarum & pedum ſtatuæ *Nebuchadnezaris* Daniel. 2. 33. Quatuor *Danielis* Monarchias impugnavit primus *Ioannes Bodinus*. Multi *Bodinum* ſequuti. Talmudiſtarum quinta Monarchia. Quinto Monarchici Angli. *Grotii* abſurda. Argumenta *Thomæ Goodvvini* pro quintâ Monarchiâ refutantur. Quòd per Regnum quartum intelligatur Romanum argumenta undecim. Contra *Polani* argumenta etiam undecim ſolvuntur. Et tria *Bodini*. Singularia *L'empereuri*, *Parkeri*, & *Howtti* Quæſtio ſecunda de tempore beſtiæ quartæ Daniel. 7. 7. Omnes ad *Bodinum* beſtiam quartam de Romanis interpretati ſunt. *Grotii* abſurda. Singularia *L'empereuri* & *Parkeri*. Paradoxa *Howtti* *Calvini* hic paradoxa. Argumenta pro veritate. Objecta *Polani* refutantur. Et Anglorum Quæſtio tertia de tempore, temporibus, & dimidio temporis. Quæſtionis difficultas. Quis *Poloni Almoni* Inter partem & dimidium differentia eſt minuta. Sententia Rabbinorum, & quorundam Anglorum refutatur. Sententia etiam Pontificiorum. *Auguſtinus* ab *Hieronymo* ſeductus. *Grotii* & *Hamundi* ſententia abſurda. Eorum commentarii in Apocal. 11. falſitas demonſtratur. Non minus abſurda eorum commenta in cap. 12. & 13. oſtenduntur. *Foxi*, *Brightmanni*. & *Medi* ſententia refutatur. *Iunii* & ſequacium ſententia improbatur. Et *Naperi*. *Bulingeri* ſententia vera confirmatur. *Forbeſii* temeritas. Quæſtio quarta. Quid de diebus bis mille trecentis Dan 8.4. ſentiendum. Communis ſententia vera. Defeoditur *Calvinus*. Improbatur *Iunius*. *Annotatoris Anglicani* notantur. *Pererii* temeritas. *L'empereuri* [illegible]. *Parkeri* argumenta refutantur. *Parkeri* abſurdæ novitates. Quæſtio quinta. Qui ſunt termini dierum mille ducentorum nonaginta, & mille trecentorum triginta quinque, de quibus Daniel 12. 11. 12. Quæſtionis difficultas. Contra ſententiam Rabbinorum argumenta. Cur *Calvino* hic ſententia diſpliceat. In *Bulingeri* ſententiâ duo deſidero. In Pontificiorum ſententiâ quatuor diſplicent. *Brightmannus*. *Medus*. *Parkerus*, quomodò inter ſe conveniant & differant. Contra *Brightmannum* & *Medum* argumenta. Contra principium ipſorum Epochæ argumenta. Sexta ſententia *Iunii* in quibuſdam corrigenda. *Iunius* defenditur contra *Brightmanni* exceptiones. Refutantur exceptiones *Howtti*. Argumenta contra *Medi* & *Petavii*

Petavii inſolentiam. Jocularis *Petavii* & *Medi* error. Quæſtio ſexta. De quibus temporibus loquatur Daniel cap. 11. à v. 36. ad finem? Quinto-Monarchici. In Judæorum ſententiâ notanda. Contra *Calvini* ſententiam argumenta. Contra Pontificios. Sententiæ veræ fundamenta. Refutantur objectiones. Quæſtio ſeptima. Quibus temporibus aſſignanda ſint quæ de *Gog* & *Magog* habet Ezeck. Cap. 38. & 39? Quæſtionis difficultas. *Theodoretus* ſententia à Jeſuitis non intellecta. Utcunque in optimo ſenſu eſt error. *Theodoreti* argumenta refutantur. *Lactantii* & *Chiliaſtarum* error. *Hieronymi*, *Auguſtini*, & aliorum ſententia improbanda. *Euſebii* etiam & *Ambroſii*. Contra communem Proteſtantium ſententiam perpendenda offeruntur. Et contra communem Pontificiorum argumenta. Conſideratur ſententia *Parei*, *Brightmanni*, *Medi*, *Piſcatoris*, *Alſtedii*, & *Independentium*. Pro noſtrâ mente proponimus perpendenda. Quæſtio octava. Ad quæ tempora templi fabrica, & partitio terræ, aliaque Ezekiels 40. ac ſequentibus referenda ſint. Quæſtionis difficultas. *Hieronymi* modeſtia. Jeſuitæ *Sancti* blaſphemia. Contra *Theodoreti* ſententiam argumenta. Malè *Junius* menſuras ſacras facit communium duplas. *Vilalpandi* error. *Junius* corrumpit ſacrum textum. *Vilalpandi* error alter. Etiam tertius & quartus. Notantur *Annotatores Anglicani*. *Sancti* error. Novæ Hieruſalem altitudo prodigioſa. Contra Judæorum ſententiam argumenta. *Joſephi* fabulæ. In communi ſententiâ deſideramus varia. *Hieronymi* & *Gregorii* vana myſteria. Jeſuitæ *Alcaſaris* ridicula myſteria. Quarta ſententia non probatur, neque quinta, ſexta ex aliis conflata eſt probabiliſſima. Quæſtio nona. An ad hanc Epocham maximarum urbium *Ninives* & *Babylonis* excidium ſpectet? Num *Ninive* fuerit major *Babylone*? *Ninive* ab *Arbace* primo deſtructa eſt. Secundò à *Cyaxare*. Nulla tertia fuit *Ninives* deſtructio. *Philoſtratus* eſt auctor plenus mendaciorum. *Bocharti* error. Prima *Babylonis* calamitas. Item ſecunda & tertia. Quarta fuit ab ortu *Seleuciæ*. Turcarum *Bagdat* non eſt antiqua *Babylon*. *Babylonis* ruinæ hodie non extant.

CAP. XIII.

De rebus geſtis Epocha nobis ſeptima ab Ariſtobuli *in Judaâ regno ad natum* Chriſtum.

EJUS SUMMA.

SEculum ante *Chriſtum* fuit miſerrimum. *Alexander Hircanus* multas Syriæ civitates Regno Judæorum adjungit. *Alexander* Phariſæorum perſecutor. *Alexandra* Phariſæis adulari cogitur. *Seleucidæ* bellis inteſtinis ſe perdunt. *Tigranes* occupat Syriam. *Ptolemæi Lagidæ* ſe invicem perdunt. *Ariſtobulus* contra matrem & Phariſæos rebellat. *Antipater Hircanum* contra *Ariſtobulum* inſtigat. *Pompejus Ariſtobulum* in vinculis Romam mittit. Romani horrendâ crudelitate orbem vexârunt. Græciam totam abſque causâ ſub jugum miſerunt. *Cato Major* Carthaginem injuſtiſſimè procurat delendam. Deus Romanorum manus in ſeipſos convertit. Numantiæ caſus horribilis. *Gracchorum* ſeditiones. Jugurthini belli origo. *Metellus Jugurtham* frangit. *Bocchus* tradit *Jugurtham Syllæ*. *Marius* Cimbros profligat. *Marii* fraude *Metellus* exulat. Bellum ſociale difficile. *Marius* ægrè mortem evadit. Bellum Mithridaticum. *Syllæ* in Athenienſes crudelitas. *Marii* & *Cinnæ* in *Syllanos* furor. *Fimbria* perdit *Ilium*. *Mithridatem* & *Fimbriam Sylla* compeſcit. *Sylla Marianos* debellat. *Pompeji* juvenis crudelitas. *Sylla* ſecurè ſe abdicat Dictaturâ. Bellum Sertorianum & Spartaci. *Mithridatem* & *Tigranem Lucullus* frangit. *Pompejus Lucullo* gloriam præcipit. *Pompejus* capit Hieroſolymam. *Mithridates* à filio proditur *Pompeji* inſignis triumphus. *Pompejus* profligatiſſimo *Clodio* adulatur. *Ciceronem Clodius* opprimit. *Cato Junior* Cypri Regem injuſtiſſimè regno & vitâ ſpoliat. *Pompeji*, *Cæſaris*, & *Craſſi* triumviratus. *Craſſus* à Parthis meritò necatur. *Cæſarem* Senatus adigit ad civile bellum. Pugna Pharſalica. *Pompeji* miſera mors. *Cæſaris* pugnæ difficiles Alexandriæ. *Pharnacem Cæſar* perdit. *Catonem* & *Pompejanos* in Africâ ſubigit. Tumultuantem ſuum in Italiâ militem dimittit. *Pompeji* filios in Hiſpaniâ ægrè vincit. *Cæſaris* affectatio regni conjurationem *Bruti* & *Senatorum* attrahit. Reipub. *Cæſaris* opera in pace utilis. Miſera *Cæſaris* mors. *Octavius* Senatui ſervit contra *Antonium* & *Lepidum*. *Octavius* cum *Antonio* & *Lepido* ſe jungit in crudeliſſimo triumviratu. *Dolobellam Caſſius* opprimit. In atrociſſimâ Philippis pugnâ vincuntur *Caſſius* & *Brutus*. Triumviri inter ſe dividunt orbem. *Antonius Cleopatræ* retibus capitur. *Antonius* Parthos fruſtra invadit. *Fulvia Antonii* bellum inter maritum & *Octavium* movet. Redeunt illi in gratiam iſtâ mortuâ. Uterque cogitur pacem *Sexto Pompejo* dare. *Ventidius* Parthos *Antonio* invidente frangit. *Octavius Pompejum* & *Lepidum* debellat. *Pompejum* necat *Antonius*. *Octavius Antonium* pugnâ Actiacâ vincit. *Antonii* & *Cleopatræ* autophoniæ. *Auguſtus* vult ſe cogi ad ſuſcipiendum Imperium. *Octavii* proſapia. *Juliæ* flagitia. *Cajus* & *Lucius Liviæ* artibus pereunt. Etiam *Agrippa Poſthumus*. *Auguſtum Livia* necat. *Tyberio* difficulter Senatus perſuadet imperare. Res Judæorum à ſolo *Joſepho* deſcribuntur. *Antipater* ſuo Romanorum cultu impetrat in Judæos imperium. *Herodes* Cœloſyriæ præfectus. *Malichus Antipatrum* necat, & *Malichum Herodes*. *Herodes* Rex Judæorum Romæ conſtituitur. *Herodes* ducit *Mariamnen* invitam. Pontificem *Ariſtobulum Herodes* curat ſubmergi. *Mariamnen Salomes* calumniæ perdunt. *Antipater* necatis fratribus *Alexandro* & *Ariſtobulo* patri inſidiatur. *Herodis* miſerrima mors.

OPUSCULI CHRONOLOGICI

LIBER SECUNDUS.

CAP. I.

Epocha prima à nativitate Chriſti *ad* Conſtantinum Magnum.

V*Sheri* conatus ad anni ſingulos quadrantes hiſtoriam referre eſt impoſſibilis. *Archelaus Herodi* ſucceſſit ſed non in Regnum. Seditionem *Archelaus* crudeliter compeſcit. *Auguſti* in *Herodis* liberos benignitas. *Archelai* ruina. Procuratores à Judæis expetiti. *Herodibus* pejores. Galilæorum ſectæ crudelis hypocriſis. *Jeſu Chriſti* vita ad ultimum triennium quietiſſima. *Livia Auguſta* filio *Tiberio* per ſcelera paravit imperium. *Agrippa Poſthumus* malè perditus. Virtutes *Germanici*. *Livia* cum *Tiberio* in *Germanicum* conſpirat. *Piſo Tiberii* fraude confoditur. *Tiberii* crudelitas. *Sejanus* aulicorum maximus *Sejanus* totam *Cæſaris* domum exſcindere parat. *Agrippinam* cum filiis perdit. Matris morte *Tiberius* fit deterior. *Tiberii* artibus perditur *Sejanus*. *Caligula* principia ſpecioſa, ſed mox ille evaſit in horridiſſimum monſtrum. Inſani ejus ſumptus & libidines. Avaritia ſumma. Maximè meticuloſus. A Prætorianis confoditur. *Claudius* è mortis faucibus tractus ad thronum *Pilati* miſerrima mors. Cajaphæ ruina. Magna Judæorum Alexandriæ laniena. *Aſinæus* veneno, *Amlæus* gladio perit. Magna Judæorum in Babyloniâ cædes. *Vitellium* ſua ſervat adulatio. *Herodes Agrippa* Rex à *Cajo* creatus. *Herodiadis* ambitio & invidis ſe maritumque *Antipam* perdit. Rex *Agrippa* magnificentiſſimus ſuâ vanitate perit. *Claudii* ſtupiditate *Meſſalina* immaniter abutitur. *Agrippina Meſſalinam* ſceleribus ſuperat. *Agrippina Claudium* necat ut filium ſuum *Neronem* in throno locaret. *Neronis* bona principia. Mox tamen fratrem *Britannicum* tollit. *Seneca* indulgentia *Neronem* corrumpit. Praviſſimis artibus *Agrippina* filii amicitiam retinere fruſtra conatur. *Poppæa Sabina Neroni* ad flagitia incentrix. *Nero* matrem tollit. Etiam uxorem *Octaviam*. Deſerit aulam *Seneca*. In flagitiis *Nero* pergit. *Poppæam* necat. Incendit urbem. *Piſonis* conjuratio revelatur. *Seneca* αὐτοφονία. *Corbulonem Nero* indignè perdit. Rebellat Vindex, ſed opprimitur ab invito *Rufo*. *Neronis* mors miſerrima. *Galba* poſſeſſum Imperium ſua imprudentia unà cum vitâ amiſit. *Otho* Prætorianos corrumpit. *Othoni* Senatus adulatur. Contra *Othonem Vitellius* ex Germania movet. *Othonem* imprudentia perdit. *Vitellius* homo diſſolutiſſimus neſcivit regnare. *Veſpaſianus* à Legionibus Judaicis dicitur Imperator. *Antonius* primus ſuâ unius virtute *Vitellianos* ubique fregit. Mira *Antonii* ad Cremonam fortitudo. *Antonius* ſinit *Sabinum* Romæ perire. *Vitellii* miſera mors. *Mucianus* urbis Romæ miſerias minuit. *Veſpaſiani* cautum Romam verſus iter. Bellum Judaicum. *Agrippa* minor partem paterni regni à Romanis adipiſcitur. *Cumanus* Judææ procurator malus. *Felix* pejor, ſed *Florus* peſſimus. *Florus* adigit Hieroſolymitanos ad arma Cruentæ Judæorum ubique ſtrages. *Nero* bellum Judaicum committit. Ad Aſcalonem Judæi malè mulctati *Veſpaſianus* Galilæam ſubigit. Jotopatæ dura obſidio. Joppæ gemina ruina. Gamala ob *Veſpaſiani* vulnera exſcinditur. Judaicæ calamitatis cauſæ. Hieroſolyma nefariis & factioſis hypocritis plena. *Ioannes* & *Idumæi Ananum* & populi partem meliorem opprimunt Acceſſit populus *Simonem* cum ſicariis contra *Ioannem* & *Zelotas*. Difficillima *Tito* ſuit Hieroſolymorum obſeſſio. *Zelotarum* & *Sicariorum* maxima fortitudo. Diriſſima fames. Tandem capitur urbs, Templum invito *Tito* incenditur. Eo bello periêre Judæorum ſupra quaterdecies centena millia. Capiuntur *Ioannes* & *Simon*. Reliquum Judææ ſubigitur. Dei ira in *Veſpaſiani* familiam. *Veſpaſianus* bonus Imperator. *Titus* ſupra omnium ſpem optimus Imperator. Vindicta Hieroſolymorum. *Domitianus* ex hypocritâ manifeſtus evaſit tyrannidus. Occiditur à conjuratis, Mathematicorum prædictiones aliquando non vanæ. *Nervam* ſua iracundia necavit. *Trajanus* Chriſtianos perſequitur. Subjugat Dacos. Debellat Parthos. Latiſſimè extendit imperium. Antiochiæ penè obrutus. Seditio Judæorum crudeliſſima. *Hadrianus* vitia ac virtutes. Durum contra Judæos bellum. Magni in ſenectute *Hadriani* cruciatus. *Antoninus Pius* vir & Imperator optimus. *Marcus Aurelius* bonus & ſtrenuus Imperator, ſed *Lucius* pravus, & infelix. Legio Chriſtianorum fulminatrix Peſſima *Aurelii* uxor & filius praviſſimus. *Commodi* lætiſſima auſpicia in exitus infauſtos deſierunt *Pertinaci* incogitanti obtruditur imperium. A Prætorianis necatur *Pertinax*. *Iulianus* à Prætorianis mercatus imperium ab iis occiditur. *Severus* Prætorianos exauctoravit. *Albinum* feſellit. Evadit crudeliſſimus tyrannus. *Plautianum* collegam necat. In Scotia malè mulctatur. Filiorum mutuum odium irreconciliabile. *Getam* necat *Baſſianus*, *Baſſianum Macrinus*, & *Macrinum Heliogabalus*, ac *Heliogabalum* Prætoriani. *Alexander* optimus Imperator à *Maximino* necatur. *Maximinus* horribilis tyrannus. Rebellans in Africâ *Gordianus* à *Capelliano* cæditur. *Maximinum* ſui milites necant. *Pupianum* & *Balbinum* Prætoriani necant. *Gordianus* puer feliciter imperat. *Gordianum Philippus Arabs* Chriſtianus necat. *Philippum* ſui milites. *Decius Galli* fraude perit. *Gallus* ab *Æmiliano* debellatur. *Æmilianus* à ſuis confoditur. *Valerianus* à *Sapore* Perſâ cruciatur. *Gallieni* infelix imperium. *Zenobia* Imperatrix fortiſſima. *Claudium* Imperatorem fortiſſimum morbus extinguit. *Quintilius* ſibi venam ſolvit. *Aurelianus* ingens bellator. A conjuratis occiditur. *Tacitum* febris necat. *Florianus* necat ſeipſum. *Probus* miræ fortitudinis Imperator à ſuis cæditur. *Carum* extinguit fulmen. *Numerianum* necat *Aper*. *Diocleſianus Aprum*. *Maximianus Auguſtus*. *Galerius* & *Conſtantius* Cæſares. Dira Chriſtianorum perſequutio *Conſtantinus* Cæſar *Maximianum* jure necat. Miſera *Galerii* mors. *Diocleſianus* veneno ſeipſum extinguit. *Conſtantinus* ope Chriſti *Maxentium* debellat. *Licinius* à *Conſtantino* perdomatur. Cur uxorem & filium *Conſtantinus* occiderit.

CAP. II.

Ad primam Novi Teſtamenti Epocham quæſtiones & dubia.

QUæſtio prima de anno natali *Servatoris*. Quæſtionis momentum. Patres ante *Carolum Magnum* annos *Chriſti* neglexerunt. *Spanhemius* malè jungit cum Jeſuitis in quæſtionis difficultate. Status quæſtionis in ſe ſimplex. Quid Cyclus Solis, Cyclus Lunæ, Cyclus indictionum. In nexu Natalis cum ærâ mundi magnus error Pontificiorum, quem *Baronius* defendit rationibus vanis. Septuaginta Interpretum latiſſimus error *Petavii* reſponſio falſa. Mala Romanorum Pontificum conſcientia. Præciſi Natalis numeri indeterminabiles. Sententiæ diſſidentium reconciliabiles. Sententiæ partium. *Scaligeri*, *Lansbergii*,

Baronii, Saliani, Tornielli, Philippi, Petavii, Ubbonis Emmii. Chronologia poteſt magis perfici. Compotus à creatione ad *Chriſtum* probatur per partes. Extravagantia *Tornelli* & *Uſſerii.* Pars extraſcriptuταtia ſatis probabilis eſt. Partium unio. Quæſtio ſecunda an à nato *Chriſto* rectè hodie numeremus 1060. Chronologia Novi Teſtamenti eſt facilior quàm Veteris. Eccleſiæ Romanæ confeſſus error. Græcorum in *Chriſti* ærâ error. Middelburgenſis ſomnium. *Baronii* in anno natali error. Contra vulgarem æram *Calviſii* argumenta. *Petavii* & *Spanhemii* reſponſiones refutantur. *Baronii* ignorantia Chronologiæ. *Spanhemii* reſponſiones incommodæ. Argumentum *Calviſii* à *Cyrenii* deſcriptionibus non eſt ſolidum. *Ladenſium* perverſitas. Defenditur *BeZa* & *Calvinus* contra *Montacutium.* Æra vulgaris apertè falſa. Aſtrologorum vanitas. Cum *Scaligero* aſſenſus & diſſenſus. Quæſtio tertia de natalitio menſe & die. Error Pontificiorum in menſe & die natalitio. Reſpondetur ad *Baronii* teſtes. Refutantur *Baronii* rationes. *Anaſtaſius* teſtis levis. Contra Pontificios ſtant *Clemens Alexandrinus* & *Epiphanius.* *Scaligeri* pulchra ſed nimis ſubtilis ab ephemeridis demonſtratio natalis. Ad *Petavii* reſponſiones reſpondetur. Etiam ad *Spanhemii.* *Niſbeti* ſententia, & argumenta refutantur. Quæſtio quarta. Quando moribundi *Iacob* Prophetia de receſſu ſceptri à *Iuda* & adventu *Shilo* impleta ſit. Prima ſententia *Iuliani* Apoſtatæ refutatus. Etiam ſecunda Judæorum. *Nebuchadne Zar* non fuit *Shilo.* Sceptrum *Iuda* non eſt crux. Nullum Judæis Babylone ſceptrum fuit. Communis ſententia eſt vera. Nullum ſceptrum in *Iudâ* ante *Davidem.* Retinuit *Iuda* ſceptrum poſt *Zedekiam.* Malè *Baronius* Maccabæos ponit in tribu *Iuda.* An principatus Maccabæorum fuerit legitimus. Refutatur ſententia *Scaligeri* quòd ſceptrum manſerat in *Iudâ* uſque ad urbis excidium. An *Herodes* fuerit ἀλλόφυλος. Refutatur *Cunaei.* Quæſtio quinta. Cur Matthæi 1. 8. in genealogia *Chriſti* inter *Ioram* & *OZiam* tres Reges omittantur? In *Chriſti* genealogiâ multiplex difficultas. In genealogiis Scripturæ nulla vanitas. Genealogia *Chriſti* hominis non eſt inenarrabilis. Proavi generant quoſcunque poſteros. Prætermiſſio trium Regum quibuſdam facilis, quibuſdam difficilis videtur. Jeſuitæ *SancheZ* mala ſolutio. Etiam *Buceri.* Futilia *Toſtati* & *Salmeronis* myſteria. Solutio communis eſt recta. Maledictio divina in *Achabi* quartam generationem. *Bucerum, Gualterum, Calvinum* decepit *Annius.* *Maldonati* ridiculæ criſes. Malè taxatur à *Gomaro Calvinus.* Quæſtio ſexta de tribus *Matthæi* teſſera decadibus. Quomodo ſupplendus in tertiâ teſſaradecade defectus. *Annotatores Anglicani* malè ſequuntur *Salmeronem.* *Hamondi* & *Grotii* errores. Mala *Thyſii* ſolutio. *Iechonias* erat geminus. Ratio teſſeradecadum. Num *Salathiel* fuerit filius *Pedaja* an frater? *Iunii* temeritas. Errat interpres Syrus & Arabs. Etiam Græcus. *Gomari* & *Spanhemii* minùs ſolida argumentatio. *Annii* nugas amplectitur *Salmeron.* *Grotius* *Annium* in vanis inventis ſuperat. Tres *Zorobabelis* lineæ. Malè *Spanhemius* poſt alios duos ſtatuit *Zorobabeles.* Reſpondetur ad *Spanhemii* argumenta. Argumenta pro *Zorobabelis* unitate. Quæſtio octava. Quomodò *Ioſephus* duos habuerit patres, *Iacobum* ſecundum Matthæum, & *Eli* ſecundum Lucam. Reſponſio generalis eſt plana & ſatisfactoria. Particulares omnes ſententiæ ſunt tantùm conjecturales. Explicatur ſententia *Africani.* Scholaſticorum ignorantia in Jeſuitis pravitate cumulatur. *Maldonati* temeraria maledicentia. Defenditur *Africanus* contra *Spanhemium.* *Grotii* & *Cordeſii* audax error. Rejicitur prior *Spanhemii* ſententia. Etiam poſterior variis argumentis. Reſpondetur ad argumenta *Spanhemii.* Quæſtio nona cur ad *Ioſephum* potiùs quàm ad *Mariam Chriſti* ſtemma referatur? Judæi in virorum genealogiis mulieres non numerabant. Eadem fuit *Ioſephi* quæ *Mariæ* tribus. Alia ratio virginum ἐπικλήρων, alia ἀνεπικλήρων. *Maria* virgo fuit ἀνεπικληρονόμος. *Maria* non fuit de tribu Leviticâ. Error quorundam Patrum malè defenditur à *Baronio*, neque meliùs à *Suareſio.* Rectè taxat *Ambroſium Baronius*, ipſe tamen rectiùs taxandus. *Spalatenſis* periculoſus error refellitur. *Damaſceni* audax novatio. Contra *Damaſcenum* & *Grotium* argumenta. Jeſuitarum conciliatio non eſt magis proba. Contra miram *Grotii* impudentiam argumenta octo. Quæſtio decima. De tempore quo adorârunt *Chriſtum* infantem Magi. Quæſtionis explicatio. *Epiphanii* & aliorum ſententia improbatur. Malè tamen *Maldonatus Epiphanium* taxat. *Maldonati* in Proteſtantes virulentia immerita. Magi non erant Reges. *Montacutius* & *Ladenſes* Jeſuitis virulentiores. Impugnatur ſententia Pontificia. Fabula *Remigii.* *Oroſii* & *Mapphæi* fabulæ plures. Magorum iter non fuit biennale, majus tamen quàm quod diebus ſeptem vel dromadibus perficere potuerunt. *Eſtii* ſententia improbatur. Communis Proteſtantium ſententia defenditur. Quæſtio undecima. Quomodo Joan. 2. 20. templum ædificari dicatur annis quadraginta? Dubium hoc non videtur contemnendum. *Auguſtini* allegoriæ hîc non poſſunt concoqui. *Origenis* ſenſus literalis refutatur. *Chryſoſtomi* error malè excuſatur à *Toleto.* Malè *Piſcator Theophylactum* ſequitur. *Rolloci* error inexcuſabilis. Refutatur ſententia *Calvini.* *BeZa* prudentia. Contra communem ſententiam argumenta duo. Sententia *Gualteri* confirmatur. *Baronii* inconſtantia. Rejicitur nova ſententia Jeſuitarum. Quæſtio duodecima. Quid ſit σάββατον δευτερόπρωτον ſecundo-primum Lucæ 6. v. 1. Impudentia eſt negare ſabbatum δευτερόπρωτον. Valdè magna eſt in quæſtione difficultas. Sabbatum hoc non eſt myſticum, ut vult *Ambroſius*, nec Novilunium, ut *Lutherus*; nec hebdomadale ſabbatum ſequens aliud feſtum, ut *Theophylactus.* Judæis adſcripta regula ficta per *Burgenſem.* Nec eſt hebdomadale cui aliud feſtum incidebat, ut *Chryſoſtomus.* Neque primus dies Azymorum, ut *Peluſiota.* Paroramata *Baronii* à *Cauſabono* non animadverſa. Confeſſi à *Baronio* errores non debuerunt à *Cauſabono* premi. Oblationem manipuli ſequutum eſt ſabbatum δευτερόπρωτον. Quod non fuit Pentecoſte. *Calvinus* hic obſcurus. Meſſis hordeacea alia à triticeâ. Temerarium *Grotii* effatum. *Maldonati* ineptia. Nihilo ſolidior eſt *Cornelius.* Sententia *Epiphanii* hic eſt vera. *Petavii* incogitantia. *Scaligerum* ſequuntur adverſarii. Notatur *BeZa*, *Cornelius*, & *Maldonatus.* Argumentorum *Grotii* levitas. Etiam *Ludovici de Dieu.* Ultima verſio Anglicana eſt improbanda. Relinquuntur annotatores Belgici. *Capelli* & aliorum nova ſententia refellitur. Quæſtio decima tertia: An & quare *Chriſtus* ultimum ſuum Paſcha unâ nocte maturiùs celebraverit quam cæteri Judæi. Malè recentiores Græci volunt *Chriſtum* anticipâſſe legitimum Paſchatis diem. Explicatur quæſtio Azymitica. Argumenta Græcorum refutantur. Argumenta contra Græcos. Quid ſit inter duas veſperas. Malè *Bellarminus* divertit à Græcis ad Proteſtantes. Sententia ſecunda vult *Chriſtum* & Judæos eodem die celebrâſſe Paſcha. Quid ſint feriæ. Argumenta *Baronii* pro hac ſententia refutantur. *Scaligeri* ἐπιτηδευσία. *Maldonati* etiam argumenta refutantur. Argumenta pro tertiâ ſententiâ communi. Nova Cardinalium diſtinctio caret fundamento. *Spalatenſis* commentum refutatur. *Grotii* etiam & *Hamondi* abſurda exploduntur. Quid ſit ſabbatum magnum. Quæſtio decima quarta de horâ paſſionis *Chriſti.* Explicatio dubii. Solutiones *Auguſtini* refutantur. Sententia ſecunda *Hieronymi* & *BeZa* refutatur. *Theophylacti* argumenta laxa. In tertiâ *Piſcatoris* ſententiâ culpantur varia. *Eſtii* inconſiderantia. Sententia quarta *Heinſii* rejicitur. Quinta *Calvini* ſententia confirmatur. Collatio dierum & horarum Judaicarum cum Romanis. Diſtinctio quadrantum tam in diebus quàm noctibus. Reſpondetur ad objectiones. *Areopagita* de tenebris tempore crucis fabulæ. Quæſtio decimaquinta. De numero Paſchatum à Baptiſmo ad mortem *Chriſti.* Quæſtionis momentum. Prima ſententia *Irenæi* rejicitur. Solvuntur *Irenæi* argumenta. *Irenæum Baronius* fruſtra excuſat. *Feuardentius Petavio* inſolentior. Sententia ſecunda *Tertulliani* unum tantum Paſcha *Chriſto* aſcribens poſt Baptiſmum repudiatur. Tertia *Epiphanii* de tribus Paſchatibus etiam rejicitur. Quarta de quatuor Paſchatibus non ſatisfacit. Notatur *Grotius.* Etiam *Cartwrightus* & *Cajetanus.* Quinta ſententia de quinque Paſchatibus videtur probabiliſſima. Pontificii compelluntur ad quintum Paſcha. Reſpondetur ad argumenta *Niſbeti* contra quintum Paſcha. *Annas* & *Cajaphas* non erant Pontifices per vices. *Calvinus* rectiùs ſequitur *Ioſephum* quàm *BeZa Euſebium.* In errorem *BeZa Petavius* incidit. Quæſtio decimaſexta. Ad quæ tempora verſus decimus ſextus ſeptimi Actorum referendus ſit? Quæſtionis propoſitio & difficultas. An *Shechem* fuerit *Emmoris* & pater & filius? An ager *Sichema* emptus ſit pecuniâ an agnis. Quomodò *Abraham* emerit monumentum ab *Emmor.* Durum eſt corrigere textum originalem. *Hamondi* protervus innovandi pruritus. Etiam *Capelli.*

DIATRIBA PRIMA

PROOEMIALIS

De

AUTOCATACRISI.

Omne ſeculum ſibi propria poſſidet tam bona quam mala. Remonſtrantes Apologiſtæ peſſimis omnium artibus veritatem oppugnant. Status controverſia cum Apologiſtis de natura hæreſeos. Quatuor loci Scripturæ pro veritate. Et pro eadem quatuor rationes. Teſtimonia etiam Patrum. Et confeſſio adverſariorum. Reſpondetur ad eorum objectiones. Qui ſint αὐτοκατάκριτοι. Peroratio.

DIATRIBA ALTERA

De Dei ſimplicitate, *Num quicquid in Deo eſt, Deus ſit.*

Princeps præſentis ſeculi malum eſt ſpiritus erroris. Socinianiſmus *Vorſtii* inter Anglicanas ſectas dominatur. Præſentis opellæ ſcopus & occaſio. Hæreſis & blaſphemia jure merito *Vorſtio* imputantur. De cauſa *Vorſtii* narratio hiſtorica. *Iacobi* Regis de *Vorſtio* teſtimonium. De eodem teſtimonium Synodi Dordracenæ. *Vorſtius* hypocriſeos convincitur. *Vorſtius* Anthropomorphitis periculoſior. *Vorſtius* crudus Manichæus. Tritheitas ſupergreditur. Hæreticorum de eſſentiâ divinâ errores pauci. Modeſtia cum zelo bellè conſiſtit. Primus *Vorſtius* divinam ſimplicitatem impugnavit poſt Pſeudo-Juſtinum. Opponens abſurdior *Vorſtio*. Opponentis ſophiſma retunditur. Quæſtionis de divinâ ſimplicitate momentum. Argumenti primi Vorſtiani difficultas. Decreta Dei ſunt actiones tendentes ad extra, ſed non extrinſecæ. Dei decreta & eſſentia ſunt unum, licet quædam dicantur de decretis quæ non ſunt vera de eſſentia. Decreta Dei ſunt in ſe unum, licet noſtro concipiendi modo & reſpectu objectorum aut effectorum ſint multa & contraria. Actus intellectûs & voluntatis divinæ ſunt in ſe unum & neceſſarium, prout etiam eſſentia ſecundum *Vorſtium*. Divinæ voluntatis actus circa Deum & creaturas in ſe ſunt unum. Deus eſt ſupra & extra omnes Categorias. *Vorſtius* ponit in Deo propriiſſima accidentia. Accidentia quæ propriè de Deo dicuntur prædicantur ſubſtantialiter. Argumenta contra accidentium inhærentiam in Deo. Deus eſt quod eſt. Quicquid de Deo dicitur affirmatur in recto & in quid. Etiam quæ videntur accidentia liberrima. In actu puro non eſt potentia paſſiva. Compoſitum eſt poſterius ſuis componentibus, & in ea reſolubile. Vorſtiana compoſitio eſt craſſiſſima. Accidentia æterna non ſunt creaturæ. Inhærentia accidentium Dei eſſentiam faceret mutabilem. Secundi argumenti Vorſtiani difficultas major. Silentes hic non ſunt victi nec tradunt manus. Argumenti vis retunditur per abſurdas conſequentias. Ponit in Deo quatuor, imò mille, imò infinitas diverſas eſſentias. Negat Patrem Filio ὁμοούσιον. Imò patrem facit ἑτερούσιον à ſeipſo, & perſonas trinitatis facit accidentia. Divinæ perſonæ diſtinguuntur realiter à ſe invicem, ab eſſentiâ tamen non differunt realiter, imò nec formaliter, ſed modaliter tantùm. *Vorſtii* argumenta vel ſunt nudæ aſſertiones, vel antiquata ſophiſmata. Argumenta quòd perſonæ non differant realiter à naturâ. Mens hic *Auguſtini*. Recentiores omnes pro Patribus contra *Vorſtium*. Sententia *Vorſtii* infert πολυθεότητα & ἀθεότητα. Metaphyſica Vorſtianorum praviſſima. Tertium opponentis argumentum eſt facile; & quartum abſurdiſſimum. Abſtractum & concretum non differunt in divinis. Arminianiſmus ad Vorſtianiſmum neceſſariò aſcendit. Sententia *Thomæ*. Mens *Ambroſii*. *Auguſtinus Ambroſium* ſequitur, & utrumque *Gregorius*.

DIATRIBÆ TERTIÆ

De Prædeſtinatione *ſumma.*

Ladenſes audaci impudentiâ ad multos teterrimos errores amplectendos ruebant. Omnia Opponentis argumenta ex *Spalatenſi* & *Gerardo Voſſio* deſumpta ſunt. *Spalatenſis* definitiones Electionis & Reprobationis non ſunt probæ. *Spalatenſis* rectè ſtatuit quæſtionem. Vana eſt *Spalatenſis* jactantia de omnibus Patribus pro *Pelagio* contra *Auguſtinum* in doctrinâ Electionis. Lutherani in doctrinâ Electionis ab Arminianis differunt. Jeſuitarum principes in doctrinâ Electionis contrarii ſunt Arminianis. Ipſe *Molina* contradicit Arminianis. Arminiani diu rejecerunt Electionem ex operibus. Arminiana fides tam Lutheranis quàm Pontificiis diſplicet. Pro Electione ex operibus prima *Spalatenſis* Scriptura eſt ex Epiſt. ad Rom. 3. v. 29. Arminiani loco hoc quo abutitur *Pelagius*, non nituntur. Præſcientia intelligentiæ alia eſt à præſcientiâ viſionis. Fides non eſt objectum præſcientiæ viſionis. Secundus *Spalatenſis* locus eſt ex Epiſt. ad Rom. 11. v. 12. qui non concludit ejus theſin. Neque etiam tertius ex prioris Petri 1. v. 2. locus. Ejus quartus ex Jacobi 2. v. 5. non facit ad rem. Neque etiam quintus ex poſterioris ad Timoth. 2. v. 21. Ultimus ex Geneſ. 25 v. 19. nihil facit ad cauſam. Primum *Spalatenſis* ex *Origene* teſtimonium eſt abſurdum evertens totum Chriſtianiſmum. Secundum ex *Ambroſio* eſt corruptum. Tertium non eſt *Hieronymi* ſed *Pelagii*. Quarto *Chryſoſtomi Voſſius* ſatisfacit. Quintum ex *Auguſtino* malè à *Voſſio* applicatum. Theologi Proteſtantes non deſerunt Patres in cauſâ electionis. Rationes à *Spalatenſi* adductæ ſunt Pelagianorum ab *Hilario* & *Proſpero* rejectæ. *Auguſtini* reſponſio ad *Spalatenſis* primam rationem Pelagianam. Electus ſalvari non poteſt ſi faciat quicquid libuerit. *Auguſtini* reſponſio ad ſecundam *Spalatenſis* rationem à fatali neceſſitate. Ad tertiam de *Chriſti* morte pro omnibus *Auguſtini* reſponſio. Quarta *Spalatenſis* ratio includit Pelagianum meritum & liberum arbitrium. *Spalatenſis* quintam, ſextam, & ſeptimam ſuam rationem ab *Arminio* mutuatur. Quomodò neceſſitas bellè conſiſtat cum libertate arbitrii. Pro abſoluta electione

locus

locus Scripturæ primus ex Epiſt. ad Epheſ. 1. v. 4. Secondos ex Epiſt. ad Rom. 11. v. 5. Tertius ex Epiſt. ad Rom. 8. v. 28. Quartus ex eâdem 9. 11. Quintus ex Actor. 13. v. 48. Sextus ex Joan. 6. v. 39. Septimus ex prioris ad Corinthins 4. v. 7. Pro hac concluſione rationes ſeptem. Omnes orthodoxi Patres poſt *Pelagium* ſtant pro electione independente. Iſti non contradicunt Patres ante *Pelagium*. *Voſſius* nimis favet Semipelagianis. Sententia *Caſſiani*, *Arriba*, & *Voſſii*. Opponens ſibi ipſi & aliis amicis videtur contradicere. Quæſtio præſens Arminianis cauſa fuit ſeparandi à fratribus. Arminianorum & Jeſuitarum ſubmiſſio Eccleſiæ eſt fraudulenta. Anglicana & Scoticana confeſſio in materiâ electionis eſt clara. Nunquam ſuaſit *Auguſtinus* tollerare Pelagianos. *Voſſii* error. *Proſper* & *Fulgentius* reſiſtebant tolerationi Semipelagianorum. Arminiani inimici ſunt gratiæ Dei. Qui hodie auctores ſchiſmatum.

LIBER

LIBER PRIMUS
DE
TEMPORIBUS
Ab Orbe condito ad natum Chriſtum, & dubiis
CHRONOLOGICIS
Veteris Teſtamenti.

Caput I.

De rebus geſtis à Creatione ad Diluvium.

Quantillus homo ad Deum.

REgius Pſaltes Pſalmo octavo verſu quarto, reputans animo naturam Cœlorum exclamat, *Quid eſt homo quod memor es ejus, aut filius hominis quod viſites eum.* Totus orbis terrarum ad cœlum ſtelliferum, non jam ptimum mobile aut Empyræum compoſitus; tam minutæ molis eſt, ut vix puncti rationem habeat: & tamen cœlum ipſum Cœlorum, capaciſſima beatorum ſedes, excedens aſtrorum Sphæram menſuris propemodum infinitis, comparatum ad immenſitatem numinis, à minutiſſimo Mathematicorum puncto longiſſimè diſtat. Quod de gentibus ad Deum collatis Iſ.46.17. legimus, id de totâ mundi machinâ, de creaturis omnibus in unum collectis veriſſimum eſt. *Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram Deo, & quaſi nihilum ac inane reputata ſunt ei.* Quid ergo de homine fiat, cujus ad ipſam terram nedum cœlum, tantula eſt proportio? Si ad Deum componas, quàm immenſa diſtantia, infra punctum, infra nihilum ſubſidat neceſſe eſt?

Quantillum tempus ad æternitatem.

Hominis cæterarumque Creaturarum duratio & tempus earum magnitudini & moli ſimillima ſunt. Ipſo Moyſis ſeculo, ut nonageſimus Pſalmus habet, ordinarii humanæ vitæ vivaciſſimæ cancelli, perpaucis annorum decadibus continebantur. Verſu decimo, *Dies annorum noſtrorum ſeptuaginta anni, ſi autem in robore, anni octoginta.*

Totius mundi ad hunc uſque diem duratio quinquies mille ſexcentos annos nondum attigit; hoc eſt, unius anni Platonici vix octavam partem. Quemadmodum decima Sphæra diem, orbem quo Lunæ menſem, ac Solis annum ordinarium ſuis motibus efficiunt; ita nona Sphæra, cujus motu abſoluto redire dicuntur omnes cœlorum orbes ac ſtellæ ad ea ipſiſſima puncta, eoſdemque præcisè ſitus, in quibus primo creationis ſuæ momento extiterunt, completâ ſemel ſuâ revolutione magnum Platonis annum conficit, qui quadraginta octo millia annorum vulgarium complectitur. Hunc verò annorum maximum, licet multiplices ad numerum ſtellatum Cœli aut arenarum maris, vel ſi vis cum Mathematicorum curioſiſſimo, ad numerum tot arenularum quot Cœli concavum ad terræ uſque ſuperficiem complerent; hæc (inquam) durationum, quæ ſupponi facilè poſſunt, maxima, ad æternam Dei permanentiam compoſita, in unius momenti cenſum non venit. Nam quod de mille annis Moyſes, de temporis quantumlibet magni ad æternitatem proportione locum habet Pſalm. 90. verſ. 4. *Mille anni ante oculos tuos, tanquam dies heſterna quæ præterit, & cuſtodia in nocte, quæ pro nihilo habentur.*

Epocha prima & maxima ob inopiam ſcriptorum ferè vacua.

Iſta initio annotare viſum eſt, ut animos adderem ingreſſuris magnum temporis mare. Quantumvis ingens & vaſtum appareat temporum, quæ ab exordio mundi in hunc diem fluxere, ſpatium; cùm tamen unius anni Philoſophici octavam, & divinæ durationis minimam partem omninò non aſſequatur, neminem cordatum ab alacri ſui peragratione deterrere debet: eóque minùs, quod prima hæc præ manibus Epocha à mundi condito ad everſionem priorem, annis mille ſexcentis quinquaginta ſex præter propter conſtans, portione majori quàm à nato Domino numeramus, & tanta, quæ fere tertiam habeat totius ſummæ, quinquies mille ſexcentorum annorum, quos integrum omnium temporum corpus nondum adæquavit: Hæc (inquam) Epocha tam pauca memoranda contineat, eaque non alia quam quæ prioribus Geneſeos aliquot capitibus traduntur, in tam alto ſecularium omnium ſcriptorum ſilentio, ut à multis nuncupetur ina-

ne quaſi vacuum, & rerum, quæ in ea narrari poſſunt, propemodum inops. Profectò primas iſtas ſedecim, & quod excurrit annorum, centurias, unâ aut alterâ pagellâ perſtringere neceſſe eſt.

Demonſtratur prima Epocha ſumma annorum 1656.

Epochæ hujus ſumma, anni nimirum mille ſexcenti quinquaginta ſex ex Geneſeos 5. & 7. ſic colligitur: *Adamus* genuit *Sethum* anno ætatis ſuæ centeſimo triceſimo, *Sethus Enoſchum* anno ætatis ſuæ centeſimo quinto, *Enoſch Kainanem* anno ætatis ſuæ nonageſimo, *Kainan Mahalaleelem* anno ſeptnageſimo, *Mahalaleel Iaredum* ſexageſimoquinto, *Iaredus Enochum* centeſimo ſexageſimo ſecundo, *Enochus Methuſalemum* ſexageſimo quinto, *Methuſalemus Lamechum* centeſimo octogeſimo ſeptimo, *Lamechus Noachum* centeſimo octogeſimo ſecundo, *Noachi* autem ſexcenteſimo factum eſt diluvium. Jam autem ſummas iſtas particulares conjunge, & totalis evadet in annos mille ſexcentos quinquaginta ſex.

In hac Epochâ tantum de tribus pauca memorabimus. De rerum creatione. De vitis Patriarcharum. De inſignibus aliquot à Moyſe notatis rebus geſtis iis ſeculis. De primo capite ſic habetote.

Creatio ſex diebus abſoluta.

Omnipotente Deo triuni Patri, Filio, & Spiritui Sancto, cùm ab æterno abſque ullius coëxiſtentiâ creaturæ, in perfectiſſimâ beatitudine, fruitione ſcilicet ſui ipſius, vixiſſet; viſum in tempore mundum omneſque mundi partes, ſpatio ſex dierum, ex nihilo creare. Die primo creata ſunt *Chaos*, Abyſſus illa magna, corporeorum quæ deinceps facta ſunt materia prima: item lux, cujus qualiſcunque occaſus diei primo finem impoſuit. Secundum multos præter Chaos & Lucem, tertium Cœlum, beatorum ſedes, ejuſque primi incolæ Angeli, omnes tunc boni, creata ſunt.

Secundi diei opus fuit Cœlum, non primum tantùm, expanſum illud aëris diſtinguens aquas nubium ſuperiores ab inferioribus aquis Terræ & Maris, ſed ſecundum quoque; regiones elementares ſupra nubes & aquas ſupremas complectens, totámque compagem orbium, in quibus & per quos ſtellæ ſeu planetæ ſeu fixæ ſuos motus peragunt. Quod ad tertium Cœlum primi diei opus vulgò habetur, ut dictum.

Tertius dies dedit Terram & Mare; ſed Mare vacuum adhuc poſterioribus ſuis colonis, fœcundiſſimis piſcium gregibus; Terram verò dies ille vidit onuſtam omnis generis herbarum, frugum, fruticum, arborum & fructuum maturrimorum uberrimo proventu, abſque tamen ullius vel veris vel æſtatis vel autumni operâ, vel ſolis ſyderumve, tempeſtates iſtas anni nunc cauſantium, concurſu.

Dies quartus lucem in Solis, Lunæ, cæterarumque ſtellarum lucernis, cœlorum fornici affixis, collocavit.

Quintus mare piſcibus & aërem volucribus replevit.

Denique ſextus dedit terræ quadrupedum reptiliumque varias ſpecies, & poſt omnia cæterorum dominum hominem, ad Dei imaginem conditum *Adamum*, cui ante diei iſtius finem addita eſt in auxilium conjux *Eva*.

Die ſeptimo ab ulteriore creatione requievit Deus, iſtumque ſuæ quietis diem ad ſanctam in poſterum hominibus quietem applicatum, & à cæteris omnibus diebus diſtinctum ac ſeparatum, ſuo cultui conſecravit.

Quod ad caput ſecundum, Patriarcharum vitas; earum terminos ex Geneſ. 5. diſcimus. Patriarcharum ſeries ante fluvium undecim conſtat perſonis in recta linea, poſteriore ſemper à priore prognatâ.

Primorum undecim Patriarcharum duratio.

Primus *Adam* vixit annis nongentis triginta. Secundus *Seth* nongentis duodecim. Tertius *Enos* nongentis quinque. Quartus *Caiman* nongentis duodecim. Quintus *Mahalaleel* octingentis nonaginta quinque. Sextus *Iared* nongentis ſexaginta duobus. Septimus *Enoch* poſt trecentos ſexaginta quinque annos tranſlatus eſt vivus non viſâ morte in cœleſtem beatitudinem. Octavus *Methuſelah* annos nongentos ſexaginta novem tranſegit. Nonus *Lamech* ultra ſeptingenteſimum ſeptnageſimum ſeptimum non pervenit. At decimus *Noah* vidit nongentos quinquaginta, ſexcentos ante diluvium, & trecentos quinquaginta poſt. Undecimus *Shem* tantùm ſexentos attigit, nonaginta octo ante, & duos ſupra quingentos poſt diluvium, ut ex Gen. 11. v. 10. & 11. patet.

Mutua Patriarcharum converſatio.

Patriarchæ iſti omnes quatuor, nongentos annos ſuperârunt, & ex quatuor *Enoch* ante mortem in cœlum ſuſceptus eſt, & *Mahalaleels*, de nongentis quinque tantùm defuere. *Methuſalem* tranſgreſſus eſt *Adamum* undetriginta, *Noachum* novemdecim, *Iaredum* tantùm quinque annis. Novem Patriarchæ priores omnes ſibi invicem familiariter fuere noti: nam eorum ultimus *Lamech Noachi* pater cum *Enocho* ante tranſlationem vixit annos centum & tredecim, & cum *Adamo* ante mortem ſexaginta ſex: *Methuſalem* verò qui ad ipſum diluvii annum pervenit, quintum poſt filii *Lamechi* mortem, cum nepote *Noacho* vixit annos ſexcentos, cum pronepote *Shemo* nonaginta octo: cum patre verò *Enocho* trecentos, cum avo *Iaredo* ſeptingentos triginta quinque, cum *Adamo* ducentos quadraginta tres. *Enochus* cum *Adamo* tranſactis annis trecentis & octo. poſt ejus mortem annis quinquaginta ſeptem tranſlatus eſt. *Noachus* tres Patriarchas non vidit

Adamum,

Adamum, Sethum, Enochum; natus enim eſt poſt mortem *Sethi* annos quatuor, & poſt tranſlationem *Enochi* ſeptuaginta, & poſt *Adami* mortem centum viginti ſex. Sed quicquid inde damni ferre potuit, abunde reſarcitum eſt ex familiari cum cæteris ſex majoribus ſuis convictu, quibus omnibus tres iſti non tantùm de facie ſed integris moribus, & totâ vivendi ratione intime cogniti fuerant: quâ ratione proclive *Noacho* fuit quicquid ab orbe condito ad diluvium uſque accidit, certâ & infallibili notitiâ aſſequi, & Patriarchis poſt diluvium poſteris ſuis tradenda committere: nam ad *Abrahami* quinquageſimum octavum ejus vitæ dies ſe extenderunt.

Quanquam aliâ etiam commodiori ratione doctrinam omnem neceſſariam ad poſteros tranſmiſſam ſic demonſtramus. *Schemus* nonagintaocto annos tranſegit cum proavo *Methuſalemo*, qui cum *Adamo* ducentis quadraginta tribus, & cum cæteris omnibus multò pluribus annis converſatus eſt: quicquid *Schemus* ab hoc didicit non tantum *Abrahamum* & *Iſaacum*, ſed ipſum etiam *Iacobum* quàm voluit prolixe docere potuit, nam ad *Iacobi* quinquageſimum primum vitam produxit.

Patriarchæ noſtri patres. Mementote ex lumbis decem primorum Patriarcharum, in quibus præcipuè Eccleſia Dei ante diluvium conſtitit, nos cæteroſque omnes qui hodie in terra ſpirant, & quotquot poſt diluvium uſquam gentium ſpiravêre, prognatos eſſe; uſque adeo ut omnes & ſingulos, tanquam veriſſimos noſtros parentes inſpectare nobis liceat. Poſt Diluvium quidem, & paulò etiam ante humani generis truncus in tres primùm ramos, & mox in ramuſculos innumerabiles diverſum ivit: ad confirmandam tamen inter omnes qui nunc ſunt mortales amicitiam, ſocietatem & unionem, divinâ providentia factum eſt, ut totius humani generis quod nunc eſt, vel à Diluvio fuit, vel ad conflagrationem futurum eſt, arbor ab una radice in unum truncum, per annos mille quingentos ſuccreverit.

Introitus peccati. De tertio capite perpauca tradi poſſunt, hæc tamen habeto. Eventorum primæ Epochæ longè primarium poſt Angelorum quamplurimorum caſum, fuit *Adami* & *Evæ* in Paradiſo lapſus, & quæ eum ſequuta eſt humani generis miſerrima ruina: quam tamen Dei miſericordia gratioſiſſimo venturi ſeminis promiſſo, & novâ fecundi fœderis œconomia in ipſo Paradiſo reſarcire incepit. Sed tam multa hac de re Theologi omnes, ad quos quidem propriè ſpectat, ut nobis in opere Chronologico ſecurè tranſire liceat.

Adamus Paradiſo ejectus, ad educendum pro vitæ fulcimento panem ex terræ jam maledictæ dorſo, per duros agriculturæ labores divino mandato adactus eſt. Dum in hoc opere ſudat, ecce in primogenito *Caino* peccati virus in deterrimum fratricidii ulcus erupit. *Abelem* hic uterinum fratrem probiſſimum & piiſſimum, virum, ob unam ipſius pietatem & probitatem invidiâ exæſtuans, contra expreſſum Dei interdictum, immaniter trucidavit: hinc novæ maledictioni ſubjectus ipſe & omnis poſteritas in quævis ſcelera corruebant.

Nihilominus in rebus ſeculi non minore felicitate, quàm alii quicunque ex piiſſimis floruere: ingenii dotibus inveotiſque ad humanæ vitæ commoda & ornamenta, optimos quoſque ſuperabant. *Cainus* ipſe ſi non Architecturæ, certè ædificandarum urbium primus auctor fuit; ex ipſius prognatis *Iubal* tentoriorum & mapalium, fraterque *Iabal* citharæ, organi, muſicorumque inſtrumentorum: alterque frater *Tubal-Cain* verus Vulcanus, artium ferri fabrilium, eorumque trium patet *Lamechus* Poëticæ & Canticorum inventores celebrantur. *Cainitarum mundana felicitas.*

Dum iu inventis ad vitæ præſentis decora & voluptatea *Caini* ſoboles tota eſt, piam *Sethi* progeniem aliæ curæ ſollicitabant. Poſt natum *Enoſchum Setho*, publicè magis nomen Dei invocari cœptum eſt, quotquot ex Adami piâ prole à Cainitarum impietate abhorrebant, in eccleſiaſticis cœtibus ſe conjungebant, ut pietatem & divini numinis cultum apertè & in mundi oculis profiterentur & præ ſe ferrent. Ad horum fidem confirmandam, ex ipſorum numero *Enochus*, paulò poſt *Adami* mortem in cœlum vivus ſublatus eſt; ne ex piis quiſquam mundana pericula & mortem nimis contremiſceret, certus hoc exemplo, perfruiturum aliquando ſe in ipſa carne, virtute reſurrectionis venturi *Meſſiæ*, ſempiternâ poſt mortem in cœlis felicitate.

Publici hi ad divinum cultum cœtus & eccleſiæ, optima adverſus profanorum hominum ſcandala & tentationes munimenta fuere; ejuſmodi tamen quæ Satanæ via & aſtus tandem perrupit: nam ut ſemel voluptatis carnalis illecebris, Dei & piorum filii ad contrahenda cum impiis connubia pellecti ſunt, hinc in ipſa eccleſia latiſſima pietatis, honeſtatis, & omnis virtutis ſtrages incumbere: mortales omnes promiſcuè in vitiorum omnium cœno volutari, & vir unus *Noah* à communi ſcelerum contagiô immunis reperiri. Inde juſtiſſimum de perdendo per aquarum Cataclyſmum humano genere, perpaucis exceptis, decretum: quò tamen in iræ juſtæque vindictæ medio divina miſericor- *Voluptas carnalis fons Diluvii.*

dia eluceſceret, anni centum viginti mortalibus ad reſipiſcendum conceſſi ſunt.

Arcæ magnitudo.

In his *Noah* aſſiduum juſtitiæ præconem egit, & quò major verbis auctoritas accederet, Deo mandante, ſtupendæ molis opus, in omnium oculis aggreſſus eſt, extructionem arcæ, vaſorum in terra aut aquis mobilium, quæ unquam fuerunt, multò maximi, *Solomonis* templo altitudine par, ſed latitudine ſupra duplum major, & longitudine ſupra quintuplum arca fuit, trecentis ſcilicet cubitis longa, quinquaginta lata & triginta alta, magnitudine verò mirandâ (in primis ſi cubitos intelligas, ut in Scripturis ſæpe, ſacros, qui vulgaribus duplo, ſecundum multos, majores ſunt) templum autem ſexaginta cubitos longitudine, viginti latitudine & triginta altitudine non excedebat.

In tribus hujuſce maximæ navis contignationibus puſilla *Noa* familia, & ex animantibus terreſtribus & aëriis (piſcibus enim ab aquis nihil fuit periculi) impurorum bina mas & fœmina, purorum ſeptena, id eſt, quatuordecim, ſeptem mares & totidem fœminæ, vel tantùm ſeptem, tres mares & tres fœminæ, ſeptimumque ad ſacrificium, quod poſt Diluvium *Noachus* obtulit. Tantus animantium numerus commodo ſatis cum annuo ad potum & cibum commeatu, in tam amplo vaſe diſtribui potuerunt, ſed quo pacto vel lux vel aër, feneſtrâ clauſâ, immitti, aut excrementa per totum annum emitti potuerint, & aqua omnis excludi, nos profectò neſcimus, etſi varia conjectare & hariolari liceat.

Iaphetus natu major Schemo.

Obſervandum *Noam* annis viginti poſtquam prædicere & prædicare cœpiſſet mundi propter peccata deſtructionem, liberis operam dediſſe; & anno quingenteſimo vitæ ſuæ *Schemum, Chamum & Iaphetum* genuiſſe: non quòd iſtos tres ſimul produxerit, ſed quòd eos tum primùm, nec eorum ullum anteà genuiſſet, *Iaphetum* etjam primò & ante alios, licet ultimò nominatum, ob puſillum poſterorum ejus cum populo Dei diebus Moyſis commercium. Certò *Chamus* filius *Noachi* minor expreſſe dicitur, Gen. 9. 19. & *Schemus* dum gigneret *Arphaxad* duobus annis poſt Diluvium dicitur annorum centum, ita ut anno centeſimo ante Diluvium, quo aliquos genuiſſe filios *Noam* disertè narrat *Moſes*, oportuerit edi *Iaphetum* ante *Chamum* minorem & totis duobus annis ante *Schemum*, qui poſt iſtum centeſimum inchoatum duobus annis natus eſt.

Contraria Interpretum ſententia de Gen. 10. v. 21.

Geneſ. 10. v. 21. habetur diſertis verbis *Iaphetum* fuiſſe majorem *Schemo*, licet de hujus loci vero ſenſu nobiliſſimi interpretes tam veteres quàm recentes diverſa loquantur. Latina vetus verſio, quæ dicitur Hieronymi, quam Pontificii omnes ut authenticam venerantur, legit *Schemum fratrem Iapheti majorem*, & in hac interpretatione Chaldæum Paraphraſten anteceſſorem habere dicitur, quam ſic vertit Latina tranſlatio *Montani* in Regiis Bibliis *frater Iapheti major*, licet ipſa Chaldaica (*achuchi de Iephet Rabba*) rectiùs reddantur *frater Iapheti majoris*. Sic quidem LXX. Interpretes ἀδελφῷ Ἰαφὲθ τοῦ μείζονος, i. e. *fratri Iapheti majoris*. Inter recentiores Anglicana noſtra vetus ſequitur Latinam his verbis (*Schem the elder brother of Iaphet*) ſed recentiſſima corrigit veterem ſic (*Schem the brother of Iaphet the elder.*) Eodem modo recentiſſima Belgica & Italica ſequentes hic *Tremellium*, *Schemo fratri Iapheti natu maximi*.

Inter variantes Interpretes callens Hebraicæ & Chronologiam ſedebit arbiter.

In tanta Interpretum diverſitate quid faciet imperitus Hebraicè? In incertitudine langueat oportet: ſed Hebraicè callens videt iſta verba *Achiiephet baggadol* neceſſariò verti debere *frater Iapheti majoris* non *major*, præterquam enim quod adjectivum conſtruendum ſit cum ſubſtantivo immediatè præcedenti (quod hic eſt *Iaphet* non *frater*) in hoc loco adjectivum habet ſibi præfixum pronomen, *he* demonſtrativum, quod fortius illud colligat cum ſubſtantivo immediatè præcedenti. Quod ſi verò in ipſis Hebræis aliqua ambiguitas remaneret, eam Chronologiæ ſtudium facillimè & certiſſimè diſtingueret & demonſtraret; nam ex præcedenti ratiocinio apparet *Iaphetum* duobus annis *Schemo* majorem natu fuiſſe. In hoc exemplo obiter demonſtrare volui quam neceſſarium Theologo & omni tractanti Sacram Scripturam, ſit ſtudium tùm linguæ Hebraicæ tum Chronologiæ.

Patriarcharum duæ columnæ fabuloſæ.

Ad primæ Epochæ res geſtas plura non addam cùm duo monuero: Primum, videri fabulam quæ *Ioſephus* memorat de duabus columnis *Lapideâ & Lateritiâ*, quibus Patriarchæ quæ poſteris tranſmitti voluerunt, inſcripsêre: lapides adhibentes contra vim aquarum, quibus terram aliquando obrutum iri audiebant, & lateres adverſus flammarum impetum, quo etiam aliquando perituram terram præmonebantur: nullam enim literarum vel ſcriptionem vel ſculptionem legimus, antequam digitus Dei legem ſuam in tabulis lapideis exarâſſet: ſaltem non ante tempora Moſis.

Vanitas Ægyptiorum inſingendis Dynaſtiis ante Diluvium, imo ante Creationem.

Secundum, quæ ſcripſit *Manetho* de Dynaſtiarum Ægypriacarum antiquitate, veriſſimè ficta & falſa eſſe oportet: præterquam enim quòd earum Dynaſtiarum caput creationem ipſam mundi longè anteverrat, nullum ante Diluvium Imperium legimus, præterquam paternum aut herile:

imò

imò verò Ægyptiacæ gentis origo longè poſt Diluvium incepit. Non negamus ante Diluvium, imò paulò poſt mundi creationem, Ægyptum terraſque quæ multò longius à Paradiſo diſtabant, populis oppletas fuiſſe, cum diebus *Abrahami*, trecentis tantum annis à Diluvio, ex unius *Noachi* progenie Ægyptus plurimæque regiones tàm in *Africa* & *Europa* quàm *Aſia*, à populoſiſſimis gentibus longè latéque colerentur. Aſſerimus tamen Ægyptiorum Dynaſtiis non ferre ætatem quæ gentis originem ſuperet, à qua Ægyptus nomen & primos poſt Diluvium colonos accepit: Jsm verò iſtius gentis origo Gen. 10. ponitur in *Mizraim* filio *Chami*, nepote *Noachi*, qui aliquandiu poſt Diluvium cum omnibus ſuis fratribus natus eſt.

CAPUT II.

Continens quæſtiones & dubia ad caput ſuperius.

Quæſtio prima de ſummâ totali Epocha univerſalis.

QUæritur primò, quomodo demonſtretur à mundi Creatione ad natum Chriſtum fluxiſſe annos ter mille nongentos quinquaginta, ſecundum *Scaligerum*, non plures nec pauciores. Reſpondetur. Licet hoc ipſo loco reſpondere Chronologi ſoleant ad prædictam quæſtionem, remittenda tamen tam quæſtio quàm reſponſio videntur à principio ad finem primæ Epochæ univerſalis: tranſcurſis enim omnibus partibus iſtius temporis facilè demonſtrabitur quomodo conſtet totalis ſumma: ſed difficultates, quæ tangunt omnes hujus temporis partes, tam medias & ultimas quàm primas, in ipſo ſtatim initio diſcutere velle, eſſet impertinentia & amethodia maniſeſtiſſima: sd ſnos ergò quæque locos & ſedes relegantor.

QUÆSTIO II.

Quâ anni tempeſtate mundus ſit creatus.

SEcundò Quæritur, quo anni tempore mundus creatus ſit? Reſpondeo, eſt in confeſſo Solem & Lunam creata in ſtata aliqua & fixa parte Zodiaci, hoc eſt, vel in uno æquinoctiorum ſeu Verno ſeu Autumnali, vel in uno Solſtitiorum ſeu hyberno ſeu æſtivo: quanquam in circulo & motibus Planetarum circularibus nullum verè ſit principium nec finis, nec medium, nec quidquam ſtatum & fixum, ſed quod unà ratione concipitur principium, alterâ medium, alterâ finis dici poteſt: tamen relatione ad certas terræ partes & incolas, prædictæ quatuor Zodiaci partes rectè notantur ad varios uſus in humana vita ut ſtatæ & fixæ.

Nihil in Zodiaco per ſe ſtatum.

Pro creatione ſolis in Solſtitiis vel æſtivo vel hyberno pauci ſunt auctores, & pauciora argumenta: ſed tota natio Chronologorum, tùm principes tùm vulgus ſtant pro æquinoctiis, ſi non pro punctis, ſaltem pro tempeſtatibus; multi pro Vere, plures & potiores pro Autumno, quos nos ſequimur his argumentis nixi.

Videtur mundus creatus Autumno.

Primò, Tempus quo arbores onerantur fructibus eſt Autumnus: at tempore quo creabatur Mundus, arbores onerabantur fructibus, ut ex hiſtoria lapſûs in paradiſo ſtatim à creatione patet.

Secundò, in eo tempore quo Iſraëlitæ ante exitum ex Ægypto annum ſuum incipiebant, mundus creatus & primus mundi annus inchoatus eſt; nam Iſraëlitæ in Ægypto eam temporum rationem ſequuti ſunt, quam à Patribus ſuis *Iacobo*, *Iſaaco*, & *Abrahamo* didicerunt, & hi à ſuis magiſtris & majoribus *Schemo*, *Noacho*, aliiſque Patriarchis uſque ad *Adamum* edocti ſunt; ita ut quo tempore *Abrahamus* & ejus poſteri annum inchoaverunt, valdè veroſimile ſit eodem tempore *Adamum* à prima ſui creatione annum incepiſſe. Quòd autem Iſraëlitæ ante exitum ex Ægypto annum inchoaverint non à Vere ſed Autumno patet Exod. 23. v. 26. ubi feſtum collectionis omnium frugum ex agris dicitur celebrari in anni exitu. Et c. 34. v. 22. ubi feſtum illud Collectionis ſeu Septimanarum ſeu tabernaculorum vocatur ſolennitas *quando redeunte anni tempore omnia conduntur.* Alibi feſtum hoc celebrari dicitur die decimoquinto menſis ſeptimi Hebræorum *Tiſri*, cujus primi dies cadunt in Romanorum Septembrem, & poſteriores in Octobrem, totuſque in Autumnum, qui dictis locis dicitur annum claudere & aperire. Menſis hic ſeptimus initio Hebræis fuit primus; *Niſan* verò, cujus priores partes Romanorum Martio, & poſteriores Aprili reſpondebant, tum ſeptimus fuit: ſed ſeptimus hic *Niſan* cùm in eo Judæi ex Ægypto diſcederent divino mandato omnium menſium in computo ſacro factus eſt primus, & *Tiſri* qui anteà primus fuit converſus eſt in ſeptimum, ſic tamen ut *Tiſri* remaneret primus & anni initium in omni computo civili, ſicut *Niſan* poſt exitum in computis ſacris primus evaſit. Iſta Adverſariorum hic principes *Petavius* & *Henricus Philippi* Jeſuitæ non negant.

Quomodo Menſis Tiſri ſeu September fuit Hebræis & primus & ſeptimus.

Tertium arg. Eâ anni tempeſtate mundus creatus eſt, primuſque annus Adami incepit, quo anni Judæorum Sabbatici & Jubilæa inceperunt. Septimus quiſque annus Judæis dictus Sabbaticus, & quinquageſimus poſt ſepties ſeptenos, hoc eſt, quadraginta novem annos fuit Jubilæum: iſtorum Deus principium conſtituit in autumno

Anni Sabbatici & Iubilæorum inceperunt Autumno.

 tumno

tumuo poſt collectas fruges anno quoque ſexto, ſtatim poſteà incepit in menſe ſacrorum ſeptimo *Tisri* ceſſatio ab omni agriculturâ: & clangor tubæ Jubilæi, inſtitutus eſt diſertis verbis die decimo menſis ſeptimi Levit. 25. 9. Si quæ hîc mutatio à priſco Hebræorum more, quem à primis Patribus ab ultima antiquitate acceperunt, accidiſſet, notata fuiſſet procul dubio à Moſe cum ſuis cauſis, & factum videmus, cum in ſacro computo Deus priorem conſuetudinem mutâſſet, transferendo *Niſan* de priſcâ ſuâ menſis ſeptimi ſede, ad locum primum & anni principium, ut honor haberetur populi exodo, quam in eum temporis articulum Dominus conjecerat.

Omnes Orientales annum incipiunt ab Autumno.

Arg. 4. A multis jam ſeculis poſuerunt Judæi extra controverſiam in rerum primordio annum incepiſſe ab Autumno; hinc in Lectionario priſcæ Synagogæ, prima, quam vocant, Paraſcha, quæ continet caput primum Geneſeos, tribuebatur ultimo Sabbato menſis ſeptimi; tùm quòd eo tempore ipſis annus inciperet, tùm quòd ipſi crederent mundum eâ tempeſtate creatum. Chaldæus Paraphraſtes in 3 Reg. 8. v. 2. (in rebus ejuſmodi magnæ auctoritatis ſcriptor) affirmat menſem Autumnalem initio primum fuiſſe: Ægyptii, Perſæ, & alii Orientales etiam hodie annum ab Autumno inchoant, Hetruſci quoque Italorum antiquiſſimi clavum ſuum annalem Idibus Septembris quotidie figebant. Ad iſta omnia tam frigida eſt adverſariorum reſponſio, ut replicare faſtidiam.

QUÆSTIO III.

An Moſis anni fuerint noſtris pares?

TErtiò quæritur, quomodo demonſtretur annos à Moſe Patriarcharum vitis aſſignatos noſtris ſimiles, & non longè minores fuiſſe. Reſpondeo. Sunt quidam, qui Patriarcharum annos de menſibus aut trimeſtribus interpretantur, ne inſolitam noſtro ſeculo Patriarchis longævitatem largiri cogantur, ſed iſtorum calculi omnes Chronologiæ rationes omninò evertunt. Nondum diſputabimus de omnimodâ paritate noſtrorum annorum cum iſtis quos Moſes memorat; nec hîc inquiremus lunareſne fuerint anni hi ſacri, qui ſolaribus diebus undecim erant minores, (qui tamen commodâ aliquâ intercalatione certo annorum numero ſolebant addi, ut Lunarium à Solaribus poſt intercalationem differentia parvi pendenda ſit) tantùm neceſſe eſt eorum hîc temeritatem retundere, qui annos Sacræ Scripturæ in Menſea transmutantes, omnia Chronologiæ fundamenta eruunt.

Anni Patriarcharum conſtabant duodecim menſibus triginta dierum.

Sic ergò contra iſtos argumentamur. Primò. Anni Moſaici conſtabant menſibus duodecim, quorum ſinguli habebant dies tricenos, ſaltem ſupra vicenos: Ergò non fuerunt menſtrui, nec bimeſtres nec trimeſtres, ſed noſtris annis ſimiles, & vel omninò vel propemodum vel proximè æquales. Antec. patet ex variis Scripturæ locis; Jer. 52. 31. legimus vigeſimum quintum diem menſis duodecimi; Ergò annus Judaicus habebat duodecim menſes, & unuſquiſque menſis dies ſupra vicenos: Gen. 8. v. 14. habemus diem viceſimum ſeptimum menſis. Imò ſi conjungamus verſ. 11. & 24. capitis 7. Gen. cum verſu 4. cap. 8. videbimus à decimoſeptimo ſecundi menſis ad decimumſeptimum ſeptimi menſis, ſeu ſpatio quinque menſium fluxiſſe dies centum quinquaginta, adeò ut ſingulos iſtorum quinque menſium neceſſe ſit conſtitiſſe diebus nec pluribus nec paucioribus quàm triginta. Clariſſima demonſtratio credentibus Sacroſanctæ Scripturæ veritatem.

Secundò. Si annos Patriarcharum menſtruos aut trimeſtres intelligamus, eorum vitæ longiſſimæ non attigerunt plurimorum noſtro ſeculo ætatem, *Adami* & *Methuſalemi* dies longè intra centeſimum annum compingentur, cùm tamen noſtrâ & Patrum memoriâ multi reperiantur qui centeſimum exceſſerint.

Tertiò. Omnes anni Moſaici ejuſdem menſuræ cenſendi ſunt, quis enim audebit diſtinguere ubi auctor nullam diſtinctionis umbram innuit? Jam verò poſteriorum Patriarcharum annos à Moſe recitatos de menſibus aut trimeſtribus intelligere eſſet ridiculum. Abrahamus anno centeſimo genuit Iſaacum: decrepitus hic ſenecio, ſecundum hos interpretes, decennis, imò novennis puer nondum fuit. Plerique Jacobi filii ante viceſimum, & Joſephus qui tardiſſimè, paulò poſt triceſimum liberos genuerunt: Ergò, ſecundum iſtorum calculum, Patriarchas trimulos, imò bimulos habebimus patres. Jacobus cum annorum centum triginta profundiſſimam ſuam ſenectam Pharaoni deprædicat, ſi iſtis bellis homuncionibus credimus, annos tredecim noſtri temporis nondum exegerat. Sed nolumus in iſtis ineptiis diutius immorari.

QUÆSTIO IV.

An Patres in Chronologia antiqua ſequendi?

Præ ignorantiâ linguæ Hebraicæ plerique Patres craſsè

QUæritur quartò, quî fiat ut tam multi doctiſſimorum Eccleſiæ tùm Græcæ tùm Latinæ Patrum, in ſuo de annis mundi ante Diluvium calculo tantopere aberrent, ut annos plerique ſupra bis mille iſti tem-

pori

errârunt in annis ante Diluvium.

pori aſſignent. *Reſp.* Hunc alioſq; multos errores viris optimis & maximis contigiſſe ex profunda Hebraicarum literarum ignorantiâ. LXX. Interpretes, ultra quos Patrum doctiſſimi, præter Origenem, Hieronymum, & alios paucos, non aſcenderunt, librariorum & ſcribarum, ut videtur, incuriâ; ab Hebræo fonte longiſſimè diſcedebant: imò longiùs quàm illud quod nos hodie terimus Græcorum Bibliorum exemplar.

LXX. Interpretum exemplar antiquum hodierno pejus.

Hoc enim, etſi ad Patriarcharum omnium annos ante liberorum procreationem totos centum addat, *Adamo* non centumtriginta ſed ducentos triginta attribuens ante natum *Sethum*, & *Setho* ducentos quinquaginta cum gigneret *Enoſum*; tamen omnium annis poſt liberorum procreationem annos centum detrahit; ita ut totius ſummæ ipſorum vitæ ex hac additione & detractione nihil vel accedat vel decedat, bellaque ſatis in toto numero cum Hebræo textu concordia ſit: ſed quod in Patrum manibus exemplar fuit, ad ſummam totalem aliquot centenos addit; imò tritiſſima Conſtantinopoli copia non pauciores mille quingentis quinquaginta ſex Hebraicæ veritati ſuperaddit. Hinc tam craſſa Patrum in Chronologia ſphalmata à nemine hodie negata, cùm ex limpidiſſimis Hebræorum fontibus etiam pueri jam bibant.

Addenda ad Quæſtionem IV.

Vindicatur Chronologia textus Hebraici contra Græci Interpretis errores in annis Patriarcharum ante fluvium.

Novaturientes in Eccleſia reformata.

EXiſtimabam veterem illum in Chronologia errorem Patrum omnino ſepultum, donec nuper in manus venerunt *Ludovici Capelli, Ioannis Morini, Iſaaci Voßii, Briani VValtoni*, & aliorum recentia ſcripta, in quibus video etiam in reformata Eccleſia exortam doctiſſimorum virorum potentem factionem, quæ omnes ingenii nervos contendit, ut præter alios varios errores, Hebraicorum, quæ nunc extant, Bibliorum puritatem, & αὐθεντίαν everſum eant, millia aliquot errorum iis impingendo. Certè *Iſaacus Voßius* doctiſſimi patris perdoctus filius, integro tractatu Chronologiæ patris anno ſuperiori ſubjecto, ſatis ſtomachosè, & cum ſupercilio Hebraicam veritatem in quæſtione præ manibus oppugnare ſe profitetur: & *Brianus VValtonus* Prolegomenorum ſuorum nono in fine,

De Waltoni erratis dolor.

etſi multò modeſtiùs, acriter tamen ſatis, & quàm poteſt ſeriò, eâdem oberrat chordâ, quod mihi permoleſtum accidit. Nam *VValtono*, ob inſignem & laudatiſſimam ſuam operam in nobiliſſimorum polyglottorum Bibliorum Londini editionem, valdè faveo, doleoque ſeriò virum tanti in omnes Eccleſias meriti, iſtius Novaturientium ſectæ laqueis ullatenus irretitum.

Scripſerunt contra infeliciſſimum *Capelli & Morini* conatum varii, tam ex Proteſtantibus quàm Pontificiis, in primis, & ſupra omnes *Ioannes Buxtorfius* filius, procul omni dubio literarum Hebraicarum quibuſcunque mortalibus, ſeu ex Judæis, ſeu gentibus callentior, ſed de quæſtione præ manibus nullum habet verbum, eò quòd neque *Capellus*, neque *Morinus*, hanc Hebraico textui literam auſi ſint affingere; ſed ipſorum ſatis multis & audacibus inventis hoc addiderunt *Voßius* filius, & *VValtonus*; quibus in hoc argumento nemo adhuc quiſquam, quantum intelligo, quicquam reſpondit: quò magis pro noſtro, qui valdè minutus eſt, modulo, ipſis occurrere neceſſarium putavi.

Iſaaci Voßii duriora verba quàm argumenta.

Voßii duriora multò & altera videntur verba quàm argumenta *pag.* 7. Benè (inquit) ſi quiſquam, de divinis Scripturis meritus eſt *Ludovicus Capellus* in præclaro
opere de Criticâ Sacrâ, quâ oſtendit næ- »
vos, & lacunas Hebraici textus pluri- »
mas. Legant *Capellum* eonſque, donec »
diſcuſſâ ingenii nube, lumini aſſueſiant, »
ac agnoſcant ſe in ſole cæcutiiſſe, *pag.* 5. »
Longè nobis ſanctior eſſe debebat Sama- »
riticus codex, atque Hebraicus, *ibid.* Si »
quo veritatis ſtudio tenentur, efficiam ut »
ipſi errorem ſuum agnoſcant, & ſive ar- »
gumentis, ſive teſtium numero ſit pugnan- »
dum, vincam illos argumentis, vincam »
teſtimoniis. Quamvis obſtinatò admo- »
dum codicis Hebraici ſinceritatem per- »
tendant, nullas tamen neque rationes, ne- »
que auctoritates afferunt, quibus vel ſuam »
adſtruant, vel aliorum labefactent ſenten- »
tiam.

Iſaaci Voßii argumentum à pubertate Patriarcharum deſumptum à Waltono exploditur.

Quis non expectaret in tanta viri docti grandiloquentia argumenta multa, dura, & convincentia, auctoritateſque ſimiles? Verum enimverò pro argumentis unum ſolum affert, & pro auctoritatibus tantùm duas, quæ quanti ponderis ſint, cujuslibet eſto judicium. Argumentum habetur *pag.* 9. tritum illud ex Auguſt. de Civitat. Dei lib. 15. cap. 12. de annis pubertatis, quaſi iſti ſequerentur neceſſariò proportionem quadruplam, aut quintuplam totius vitæ, ſicut igitur poſterioribus ſeculis cùm ordinaria hominum vita eſt annorum ſeptuaginta, pubertas eſt annorum quindecim, ita in prioribus, ubi ordinaria hominum vita erat annorum octingentorum, aut nongentorum, pubertatem incidere oportuit in annum ducenteſimum, ergo codices Hebræos qui pubertatem & pædagogian primorum Patriarcharum ponunt

nunt circum circa centeſimum , oportet eſſe ſalſatos ; Græcos autem , qui ponebant præter propter in ducenteſimo , in boc annorum numero oportet eſſe ſinceros & integros.

Reſp. Conſequens hoe multò graviſſimum niti debuit antecedenti perquàm gravi: ne grave pondus impoſitum levi & ficulneo tibicini ſtatim ruat , & confringatur : quàm autem leve & ſalſum ſit antecedens præ manibus, quis poteſt eſſe magis idoneus judex , quàm *Brianus VValtonus?* Hic autem Proleg. pag. 68. de boc unico *Voſſii* argumento ſic pronunciat. Conjecturæ illæ (inquit) vanæ ſunt , & quæ in hominis ſani mentem venire vix poterant. *Similiter ab Auguſtino.* Certè *Auguſtinus* ubi ſuprà , commentum boc aſcribit hominibus abſurdiſſimis, quos egregie refutat ; hi , quòd Patriarcharum longævitatem putarent impoſſibilem, commenti ſunt *Moſen* de talibus annis loquutum , quorum decem unum tantùm ex noſtris ſolaribus conficerent : ne autem per hunc calculum Patriarcharum pædagonia incideret in annum ætatis quintum , ſextum, aut ſeptimum , annis *Moſaicis* addiderunt centum , quorum adminiculo pubertatem , & pædagoniam Patriarcharum ad annum decimumſeptimum, aut decimumſextum extenderent. Abſurda bæc explodit Auguſt. ipſe verò annos pædagonias nequaquàm ad pubertatem refert. Quid enim hoc monſtri eſſet contra naturam in primis ſeculis, cum maximè vigerent corpora humana , pubertatem ad annum ducenteſimum differri ? Demonſtrat. Auguſt. *Adamum* ſtatim à creatione ſatis ad pædagoniam aptum , multoque ante natum *Sethum* generâſſe *Cainum & Abelem* , tantùm autem abeſt ut generationes à *Moſe* memoratas referat ad annos pubertatis, ut non putet neceſſarium Patriarchas nominatos pattum ſuorum fuiſſe ptimogenitos. c. 15. *Non hic* (inquit) *primogeniti filii commemorati ſunt , ſed quos ſucceſſionis ordo poſcebat , ut perveniretur ad* Noë , *à quo rurſus ad* Abrahamum *videmus eſſe perventum.* Certè in pædagoniis à *Moſe* recitatis obſervatam non eſſe ptoportionem pubertatis ad vitam , apparet ex earum magnâ inter ſe inæqualitate. *Noachus* enim genuit ſexcenteſimo, *Mahalaleel* ſexageſimo quinto, *Lamech* centeſimo ſecundo , *Cainan* ſeptuageſimo, *Enoch* ſexageſimo quinto , *Methuſalem* centeſimo octogeſimo ſeptimo ; quin & Patriarchæ poſt Diluvium , qui prædiluvianorum vitam non æquabant ad dimidium , imò ſæpe quintam eorum vitæ partem non attingebant : tamen ipſorum pædagoniæ , ſecundum codicem Græcum , cum prioribus penè pares , & æquales appatent , pleroruinque enim pædagoniæ ad annum centeſimum triceſimum referuntur.

Joſephus Voſſio non patrocinatur. Accedamus ad *Iſaaci* auctoritates. Prior eſt Joſephi , qui in genealogiis Patriarcharum ante Diluvium , annos Græcorum ſequitur non Hebræorum , ex quo concludit *Iſaacus Joſephi* temporibus Hebræos codices chronologiam ſequutos , non modernorum Hebræorum, ſed Græcorum.

Reſp. 1. Si *Joſephi* vult *Iſaacus* ſtare ſententiæ , ipſo confitente , cadet cauſâ, ſaltem in magna litis parte ; non enim negat à Diluvio ad *Abrahamum* , *Joſephum* ſequi calculum Hebræorum , non Græcorum. Ergò ſi ipſe *Joſephum* rejicit in calculo poſtdiluviano , non debet alios *Joſephi* auctoritate premere in calculo antediluviano.

2. Joſephi hîc parva videtur authoritas: rectè *Baronius* , qui in quæſtione præ manibus *Iſaaco* & *Briano* eſt anteſignanus , in apparatûs ad annales num. 113. uncialibus in margine literis ſcribit Joſephum malum Chronologum , id ipſum quod de *Baronio Caſaubonus* ſæpe pronunciat.

3. Hoc ipſo loco Joſephus ſibi non conſonat , ſi *Petavio* credimus , qui lib. 9. cap. 2. affirmat Joſephum à creatione ad Diluvium numerare annos bis mille ſexcentos quinquaginta ſex , particulares tamen ejus genealogias patrum ſimul junctas non aſcendere ſupra mille ſexcentos ſexaginta, anachroniſmo non minori quàm annorum mille , dempris quatuor. Vult *Iſaacus* corruptum hîc Joſephi textum , & pro *χιλίων* , *διχιλίων* ſcribendum ; ſed ipſe viderit quomodo cum Petavio ſibi ſuiſque Chronologorum principe hîc conveniat. Certè licet & largiremur hanc correctionem textus Joſephi , nimirum legendum non *χιλίων* ſed *διχιλίων* , nondum *Joſephus Iſaaco* commodus erit teſtis , niſi ſecundam etjam in ejus textu cotrectionem admittamus , eamque annorum quadringentorum , mutando *ἑξακοσίων* in *διακοσίων* , quod editioni noviſſimæ & accuratiſſimæ Genevenſi , ſecundum manuſcripta Bibliothecæ Palatinæ, contradiceret.

4. Nolim , quod viri docti de *Philone* aſſerunt , de Joſepho affirmare ; ignarum eum , ſaltem non valdè verſatum in codicibus Hebraicis : puto tamen probari poſſe pleraque quæ citat de ſacris literis affetri non de ſonte , ſed de rivulo LXX. Interpretum , qui tum temporis Gentibus , quibus Joſephus ſeribebat Græcè , textu Hebraico multò erant familiariores. Certè quod Joſephi diebus textus Hebræus generationes Moſaicas legit , non ut jam tranſlatio Græca , apparet ex Chaldaicis paraphraſibus Joſephi diebus ſcriptis, quæ omnes abſque ullâ varietate ad hunc diem

ætatum

ætatum numeros Hebraicos ſequuntur, nuſquam ulla Græcos.

Rabbini non ſaventi Voſſianæ ſententia.

Altera *Iſaaci* authoritas eſt ex Rabbino authore libri *Bereſchith Rabba*, ubi traditur *Adamum* poſt mortem *Abelis* non cognoviſſe *Evam* annis totis rentum triginta, inde concludit *Iſaacus* generari non potuiſſe *Sethum* anno *Adami* centeſimo triceſimo.

Reſp. 1. Nihil hoc facere pro calculo in qnæſtione annorum ducentorum triginta.

2. Fatetur *Iſaacus* librum iſtum eſſe plenum fabulis, quin & ipſnm, quod adducit inde, teſtimonium, eſſe narrationem ineptiſſimam, & Rabbinorum in ea fabellas tam eſſe portentoſas, ut ne ægtorum quidem ſomniis ullâ ex parte cedant: nulla ergò hinc ſolida argumentatio, vel ipſo judice, deduci poteſt. Nihil aliud *Iſaacus* pro enormi ſuâ ſententiâ ſtabiliendâ profert, certè iſta omnia tantæ jactantiæ materiam nullo jure ſuppeditant.

Futile Capelli ſophiſma de Hebrais exemplaribus deperditis.

Videamus quid ipſi *VValtonus* ſuperaddat. Hic pro primo argumento affert ipſam quæſtionem, Hebræum ſcilicet textum hîc eſſe rorruptum, non verò Græcum, & hoc variis rationibus conatur aſtruere, quibus omnibus præſtruit boc effatum, non ſe aſſerere correctionem textuum otiginalium, nec rivulos ullarum tranſlationum conferte cnm fonte Hebræo, tantùm comparare textum illum Hebræum, ex quo LXX. Interpretes ſuam tranſlationem deſumpſernnt, cum eo textu Hebræo qui hodie exiat, illumque huic præſerre, ac tranſlationes ex illa deductas tranſlationibus quæ ex hoc factæ ſunt. Reſp. πρῶτον hoc eſt ψεῦδος, & primarium à *Ludovico Capello* inventum ſophiſma, nulli rectæ rationi conſonum, textus Hebraicos à LXX. Interpretibus uſurpatos ab hodiernis diſtinctos non apparere, non extare, non nnnc eſſe in rerum naturâ. Num bominum ſobriorum eſt de iis contendere quæ confeſſo non enti ſuperſtruuntnr? Deinde non poſſunt probare illud LXX. Interpretnm exemplar Hebræum unqnam extitiſſe, boc principium petunt ſibi dari, ex his ſuppoſitis. 1. fieri non potuiſſe ut LXX. Interpretes in tranſlatione ſuâ non ſint accuratiſſimè ſecuti exemplar illud Hebræum, quod tum in manibus babebant. 2. certiſſimum eſſe textum Græcum, qui hodie uſurpatur, ipſiſſimum eſſe cum eo quem LXX. Interpretes primò exarârunt, & iu *Ptolemæi* Bibliotbecâ depoſuerunr.

Tranſlatio LXX. Interpretum hodierna eſt corruptiſſima.

Reſp. Itane verò tam ingentia ſuppoſita largienda ſunt ſine ullo argumento? Cur non iſta pariter ſupponunt de textu Hebræo, cui multò rectiùs conveniunt. Non vult *VValtonus* LXX. Interpretes fuiſſe Prophetas, ita inſpiratos, ut eorum verſio unquam fuerit authentica (etſi Pariſienſis Monachus *Morinus*, cum quo in hac cauſâ peſſimâ nimis conſpirat *VValtonus*, boc diſertè affirmet) utcunque, pauci ſunt qni verſionem LXX. Interpretum, ut ab iis profecta eſt, ſincerè, & ſine vitio ad nos perveniſſe exiſtimant, certè tot vitiis ſcatet, ut multi eam negent unquam à LXX. Interpretibus compoſitam, ſed ab Helleniſtâ quodam potiùs obſcuro, qui eam edidit, & in *Cleopatra*, non *Ptolemæi Energetæ* Bibliotbecâ collocavit. Hæc doctiſſimi *Uſſeri* mens in ultimo ſuo ſcripto, Syntagmate ſcilicet de LXX. Interpretnm verſione. Viri huic ſummo, & in literaturâ, quæ Criticam ſacram ſpectat, ac collationem verſionum cnm originalibus omnium quos ad hunc diem Britannia dedit ſine controverſia primo, non debuit *VValtonus* Prolegom. 9. num. 57. objeciſſe *calumniandi pruritum, & cenſuram iniquiſſimam, ac à veritate maximè alienam*, niſi prius ipſius argumenti reſpondiſſe conatus fuiſſet.

Bellarminus de verbo Dei lib. 2. cap. 6. etſi putet hodie ſupereſſe LXX. Interpretum verſionem, diſertè tamen profitetur adeò corruptam & vitiatam, ut omninò alia eſſe videatur, idque non ut *VValtonus* innuit, nt verſionis Latinæ hîc Hebræo textui conſonæ, ac Græco diſſonæ αὐθεντίας ſecnndum Concilium Tridentinum tueatur, ſed ex multis argumentis internis, locis nimirum manifeſtè corruptis, quibus *Chamierus* noſter addit plures de Canone Scripturæ lib. 13. cap. 8. His neqne *VValtonus*, neque *Morinus*, neque *Capellus*, quicqnam ad hunc diem, quantum intelligo, reſponderunt.

Reſponſio ad primum Waltoni argumentum pro LXX. Interpretibus.

VValtonus Græcum hîc textnm non eſſe corruptum probat, qnia neque caſu, neque conſilio diſceſſerunt ejus authores ab Originali. Non caſu; nam multoties hoc eſt factum, non conſilio, nam cui bono id fecerint dici non poteſt, & rationes, à quibuſdam allatæ, cur deditâ operâ voluerint ab Hebræis diſcedere, ſunt vaniſſimæ conjecturæ. Reſpondeo. Rectè iſta omnia de textu Hebræo, cui cæteris patibus, non ſolet prærogativa denegari. Judæi (ut rectè *Auguſtinus*) noſtri capſarii libros hîc ſuos non vitiârunt, neque caſu, neque conſilio &c. Scribas Græcos de induſtriâ locum vitiâſſe apertè profitetnr *Auguſt.* rationeſque eorum conſilii affert, quas *VValtonus* producit, ac pòſt *Auguſtinum* vanitatis coarguit. Sed fruſtraneus hic eſt *VValtoni* labor, nam iſtius de induſtriâ corruptionis rationes neceſſariò ſuut vanæ; ſi enim rectæ ac ſolidæ fuiſſent (prout earum quaſdam *Iſaacus Voſſius* profitetur) tum in opere nulla corruptio, nullum vitium ſuiſſet: ob

hoc unum reprehenduntur, quod ab Hebræis diſceſſerint abſque ſolidâ ratione.

Ad ſecundum. Secundò *VValtonus* probat non potuiſſe corrumpi Græcum textum, eo quod impudens fuiſſet ſcelus in ſacros codices immiſiſſe manus, cum iſta fraus facillimè ex autographo *Ptolemai*, & Hebræis textibus, qui fuerunt multi, à Judæorum ſacerdotibus, & principibus potuerit coargui. Replica. Sua hîc vineta cædit vir doctus, iſta multò veriora ſunt de Hebræo quam Græco textu, nunquam hic fuit ſacratior illo, nec Judæis patentior: major multò illius quàm iſtius Pontificibus Principibus Judæorum cura, gratis hæc de Græcis affirmantur in Hebræorum præjudicium.

Ad tertium. Tertiò refutat *VValtonus* quem à quibuſdam afferri dicit prætextum, cur in Ægypto Interpretes locum præ manibus corruperint, ut ſcilicet Ægyptiis in ratione temporum gratificarentur, nam Ægyptiorum antiquitatibus Hebræi textus multò magis adverſantur quam Græci; ratio hæc *VValtono* nulla eſt, eo quòd Ægyptiorum Dynaſtiæ non tantum numeros Hebræos, ſed Græcos etiam ultra creationem mundi longè tranſcendant. Replica. Nihil ad nos hujuſce rationis valor, qui concedimus nullam rationem probam Interpretibus Græcis ſuppetere potuiſſe, ob quam Hebræorum textum relinquerent, non tamen de nihilo eſt prætextus allatus, certè eum magni facit *Iſaacus Voßius*, & ex hoc ipſo Græcos textus Hebraicis præfert, quòd iſti quam hi Ægyptiorum antiquitatibus magis conſonent: per iſtorum enim annorum mille ſexcentorum & ſuprà additionem Ægyptiorum Dynaſtiæ facilè intra creationis terminos coërcentur, imò ex *Scaligero* & *Gerardo Voßio* modi affetuntur quibus intra Diluvii terminos poſſunt reſtringi, ſi Græcorum ad Hebræos additamenta admittantur.

Ad quartum. Quartò *VValtonus* affert pro ſuo ſuppoſito lapſum in omiſſione procliviorem quàm in additione, & verò numeros ab Hebræis olim expreſſos per notas, vel ſingulares literas in charactere minimo ſecundum *Hieronymum*, quos ſcribæ etiam fidi facillimè potuerunt omittere. Replica. Omiſſio multarum vocum in multis verſibus, in fidum & diligentem exſcriptorem faciliùs cadit, quàm earum vocum additio. 2. Uſus notarum aut literarum ſingularium in deſignandis numeris nunquam fuit frequentior apud Hebræos quàm Græcos. 3. In locis omnibus jam in controverſiâ Hebræos & Chaldæos textus habere integras voces, nullas verò ſingulares literas pro notis numerorum, ut inſpicienti codices patebit. 4. Literæ Hebraicæ, inprimis Samaritanæ majores ſunt quàm Græcæ etiam unciales. 5. Quicquid dici potuit de uno codice parvo manuali iſtius Rabbini, cujus aliquandiu Hieronymus fuit diſcipulus, non negabit tamen *VValtonus*, utrumque, tam *Hieronymum*, quàm *Auguſtinum* in cauſa præſenti ſibi adverſarios, dum uterque aſſerit LXX. Interpretum verſionem corruptam, & ex Hebraicâ veritate corrigendam.

Ad quintum. Quintò *VValtonus* pro ſui ſuppoſiti firmamento perpendendum offert, Judæos ſecundum *Buxtorfium* ante *Antiochum Epiphanem* in conſervandis ſacris textibus negligentiores fuiſſe, & tum varias lectiones irrepſiſſe, poſt *Antiochi* verò tempora ſuperſtitioſos evaſiſſe in cortice legis ſcrupuloſiſſimè obſervandâ, ex ejus verò temporis codicibus exemplaria deducta quæ in hodiernum diem durant, Phariſæos, qui ſtatim poſt *Antiochum* exorti ſunt, iis ſacri codicis lectionibus adhæſiſſe, quæ LXX. Interpretum verſioni quam odio habebant, maxime adverſabantur. Reſp. 1. Niſi erga *VValtonum* ob egregium ſuum opus reverentiâ præoccuparetur mens mea, valdè indignarer tam laxis conjecturis Hebraici textus ſinceritatem oppugnari. quid enim? an *Buxtorfius* ullibi affirmat Judæos, quibus commiſſa ſunt eloquia Dei, in iis ſervandis eò unquam evaſiſſe negligentiæ donec manerent Eccleſia Dei, ut in eorum manibus tam miſerè adulterati ſint divini codices, ut corruptiores evaſerint verſione LXX. Interpretum aut aliâ quâlibet? Ubi iſta *Buxtorfius*, vel pater vel filius? In citationibus ſuis *VValtonus* pleronque eſt laxiſſimus, auctorem nominat, ſed quo loco, quo libro, capite vel paginâ ſolet ſilere. 2. Accipimus quod hîc largitur *VValtonus*, & optamus ipſi in ſuis donis conſtantiam, Judæos ſcilicet poſt perſecutionem *Antiochi* tam ſcrupuloſos obſervatores fuiſſe ſacrorum codicum, ut poſteà ſemper in textibus tum uſurpatis mordicùs inhæſerint. A diebus quidem Prophetarum, *Ezra*, & *Nehemiæ*, ad *Antiochum Epiphanem* tam parvum fuit temporis intervallum, ut in eo ſacri textus corruptio magna non potuerit fieri, inprimis à diebus *Ptolemai Euergetæ*, qui integrum & incorruptum ab *Eleazaro* Pontifice exemplar Hebraicum impetraverat. 3. Si quos hodie habemus codices Hebræos, iidem ſunt cum iſtis quos Judæi poſſederunt tempore *Epiphanis*, neceſſe eſt ut ſint iidem quos Chriſtus & Apoſtoli triverunt, abſque ullâ à Phariſæis aut Scribis corruptelæ reprehenſione, noſtros ergò codices Hebræos quos Chriſtus & Apoſtoli non reprehenderunt, alii mortales non debent reprehendere, niſi probent primò diverſos ab iis, quos Eccleſia diebus Chriſti, & multò antè uſurpavit, hoc autem, ſecundum

dum *VValtonum*, probatu eſt impoſſibile. 4. Phariſæos odio habuiſſe verſionem LXX. Interpretum debuit probâſſe *VValtonus*, non affirmâſſe. 5. In locis præ manibus ullam unquam fuiſſe variam lectionem, ut earum unam eligerent Phariſæi, ac omnes Scribæ, quæ maximè adverſaretur LXX. Interpretum verſioni, valdè contradicit nimio, certè ſatis magno partis nobis adverſæ labori: nam volve & revolve varias omnes lectiones, quas vel *VValtonus* in ſexto ſuo Bibliorum tomo, vel *Capellus* in ſuâ Criticâ, vel *Morinus* in ſuis exercitationibus corradere potuerunt, nulla ullius varietatis umbra apparebit in ullo noſtrorum locorum.

Ad ſextum.

Quæ *VValtonus* numero ſuo 60. affert ex *Ioſepho*, ad ea ſuprà reſpondi, dum eadem *Iſaacus Voßius* urgeret; quæ verò habet numero 61. ex Græcis ſcriptoribus qui poſt LXX. Interpretes, & antè *Ioſephum* vixerunt, nullius ſunt momenti; nam eorum nemo Hebræum ullum textum unquam conſpexit: nedum legit aut intellexit: quæcunque iſti de rebus Judaicis, inprimis de Judæorum Chronologiâ noverant, omnia ex codice Græco deſumpſerunt: ipſorum igitur numerationes nihil Græcorum calculo quem ſequuti ſunt, addere poſſunt auctoritatis, in præjudicium calculi Hebraici, de quo nihil quicquam unquam inaudiverunt.

Ad ſeptimum.

Ultimum *VValtoni* argumentum univerſalis Eccleſiæ. Eccleſia (inquit) Orientalis, & Occidentalis, omneſque Patres Græci & Latini, præter duos, ſequuntur calculum Græcum deſerto Hebræo. Reſp. Pontificiorum hoc eſt telum contra Reformatos, quod à *Baronio* mutuari ſe *VValtonus* profitetur, & ultra *Baronium* ſe premere, contra primarium Reformatorum dogma, nimirum textus Hebraici ſinceritatem & αὐθεντίαν, novit jamdudum mundus quouſque traditiones Eccleſiæ factio novaturientium urgeat. Ex hoc fonte omnes Hierarchiæ gradus, Epiſcopos, Archiepiſcopos, Primates, Patriarchas, Papam Romanum cum antiquis ſuis privilegiis revocari volunt: dogmata Arminiana in articulis omnibus contra *Auguſtinum* tuentur, crucifixos, ac ſanctorum imagines in templis ac altaribus collocant: venerationem, adorationem, genuflexionem iis decernunt: preces pro mortuis, invocationem ſanctorum, & pleroſque Romanæ Eccleſiæ rejectos ritus poſtliminio reducunt. Noſtra *Laudenſium αὐτοκατάκρισις*, etiam *Grotii*, *Hamondi*, *Percii*, *Forbeſii*, & aliorum ex fortuna recentia ſcripta patefaciunt, quò tendat ipſorum Eccleſiæ auctoritas contra ipſas in ſuis fontibus Scripturas. Certè ſi expreſſis ſcripturis Eccleſia præferatur, actum eſt

Epiſcopaturientium defectio ad Pontificios.

de causâ Reformatorum contra Pontificios.

Secundò. Quod de univerſalis Eccleſiæ conſenſu crepat hìc *VValtonus*, procul abeſt à vero. Duos ipſe dat Patres contradicentes, ſed quantos & quales? *Hieronymus*, & *Auguſtinus* ſententias ſuas ex Scripturis confirmantes, imò Scripturæ textum contra vulgatum errorem defendentes, toti orbi abſque rubore opponi poſſunt. Sed non opus eſt eò devenire, nam non negat *VValtonus* Biblia Latina calculum hìc noſtrum Hebraicum ab antiquo ſequi; num Eccleſiæ occidentalis mens rectiùs colligitur ex particularium aliquot Doctorum ſententiis, quàm ex Bibliis Sacris, in auribus omnium Eccleſiarum perpetuò lectis, audientibus & legentibus Doctoribus, abſque ullâ lectionis iſtius taxatione.

Mens Eccleſiæ occidentalis in noſtra lite.

Neque etiam negatur *Origenem* Eccleſiæ orientali in ſuis *Hexaplis* textum Hebræum hodiernum tradidiſſe, quin & LXX. Interpretes in *Hexaplis* iſtis poſiti, prout *Hieronymus* ocularis teſtis profitetur, ad amuſſim cum Hebræis iiſdem cum noſtris hodiernis quadrabant, nemine ob id in Eccleſiâ Orientali litem movente. Quod ad exemplar LXX. Interpretum commune in Eccleſiis maximè uſurpatum, id ſummâ ubique varietate lectionum deformatum erat, & hinc nata videtur magna computi varietas, quam *Petavius* lib. 9. de doctr. temp. cap. 2. in Græcis Patribus obſervat, & cuilibet apparet *Clementem Alexandrinum*, *Euſebium*, & alios cum *Ioſepho* comparanti.

Item Orientalis.

Tertiò. Quicunque ex *Patribus* vel Græcis, vel Latinis in ſuis computis *κοινὴν* illam LXX. Interpretum verſionem ſequuti ſunt, neglecto cùm Hebræo textu, tum LXX. Interpretum verſione genuinâ Hebræis conſonâ, id fecerunt ex merâ incogitantiâ; neminem enim puto produci poſſe qui Hebræum textum inſpexerit, ac cum eo Græcum comparaverit, qui affirmet Hebraicam veritatem cuicunque verſioni diſſonæ ac deviæ poſtponendam.

Quartò. Quod in Martyrologio, & inde in Breviario Romano computus textûs Hebraici ac Latini negligatur, inſignis eſt error, quem *Baronius* quidem tuetur, ut alibi oſtendimus, ſed plerique doctiſſimorum Pontificiorum agnoſcunt, & emendatum cupiunt. Non debuit *VValtonus* in errore tam manifeſto exoleſcente Pontificios confirmare, certò non nova eſt Reformatorum querela contra Novaturientium inter ſe factionem, quod Pontificiis magno ſint ſcandalo, magnumque obicem ponant, quo permulti de diſceſſu ab Eccleſiâ Romana cogitantes abſterriti ſunt, & ad manendum ubi erant impulſi, ſuffocato omni ad Reformatos accedendi conſilio.

Waltoni temeritas in Chronologos.

Plura non affert *VValtonus* argumenta, tantùm in diſputationis ſuæ tam principio quàm medio, & fine Chronologos ſuperciliosiùs taxat, quod ipſius profeſſionem modeſtiæ vix decere videtur, certè ex Jeſuitâ Spondano cenſuram acerbiſſimam in omnes Chronologos producit, quaſi inutili labore ſeipſos torquentes in perpetuis diſſidiis. Dolendum equidem nimis quam frequentes Chronologorum eſſe differentias; ſed exaggerandæ hæ non ſunt vel in artis, vel in artificum doctiſſimorum contumeliam, inprimis in materia præſenti, ubi magnus Chronologorum omnium conſenſus eſt in rejiciendo, idque ex S. Scripturæ certiſſimâ ſententiâ *VValtoni* & ſociorum calculo, qui Chronologiam omnem ſacram, imò omnem funditus evertit.

Multò atrocior eſt quem quaſi ex Jeſuita *Petavio* contra vulgus Chronologorum ſtringit ſtimulus, quaſi nihil ipſis eſſet curæ quàm ſalſa & quàm abſurda aſſererent, quod ipſis nil intra eſt oleam, nil extra eſt in nuce duri. Non debuit dicterium hoc impingi in Chronologos, qui ſecundum S. Scripturam à Diluvio ad *Abrahamum* annos tantùm ducentos nonaginta duos numerant, nam ex hoc ordine ſunt multi viri graviſſimi, & eâ eruditione, quæ ipſos ſupra omnem contemptus aleam collocavit.

Quod verò diſputationis initio num. 57. *VValtonus* quæſtiones Chronologicas ad fidem & mores adeò parum pertinere exiſtimat, ut quomodocunque determinatæ textus *αὐθεντίαν* non tollant, vix videtur conſonum iis quæ ipſe mox adfert, ubi textus Hebraici à Græco annorum mille ſexcentorum differentiam ſatis magni facit, certè ea Scriptura non poteſt eſſe à Deo veritatis, quæ manifeſtum continet errorem, eumque immanem, ſedecim ſcilicet ſeculorum ad verum computum additionem.

Pro veritate argumentum primum.

Perpenſis jam *Iſaaci Voſſii* & *Briani VValtoni* contra veritatem argumentis, ſupereſt ut pro veritate aliqua paucis afferamus. 1. Loci Bibliorum Hebræorum, quibus nullus unquam variæ lectionis litem movit, non debent controverti. *Capellus* & *VValtonus* per varias lectiones ſinceritatem locorum nimis quàm multorum vocarunt in dubium, ut ego quidem arbitror, valdè immeritò, ſed ubi nullæ unquam variæ lectiones allegatæ ſunt, ibi velle depravatum fontem Hebræum, eſt ab imis fundamentis auctoritatem, nedum authentiam omnium ſacrorum codicum evertere. Confitentur quibuſcum agimus, neque LXX. Interpretum verſionem, neque Latinam, neque Arabicam, nec ullam aliam ſeu antiquam, ſeu novam eſſe authenticam ſcripturam, ſi ergò *αὐθεντία* & ſinceritas fontium Hebræorum etiam in iis locis, ubi nullæ unquam variæ lectiones apparuerunt, vocetur in dubium, nihil in ullis Bibliis manebit certum. Proteſtantibus cum Pontificiis magna fuit controverſia utrum textus Hebræi an Latini eſſent authentici, ſed hic multò altiùs aſcendit lis: demitur certitudo fidei Bibliis omnibus, Græcis, Latinis, & omnibus verſionibus, quatenus ab Hebræo diſcrepant Proteſtantes omnes, conſentiente etiam *VValtono* & ſociis fidem adimunt, ſi *VValtonus*, & ſui Bibliis etiam Hebræis errorem impingant, inprimis in illis locis, ubi à principio ad hunc diem nulla lectionis differentia allegata eſt, quæ tandem ſupereſt Scriptura divina, pura abſque errore? & quæ in terris relinquetur veritatis norma, ad quam ſecurè in omnibus liceat provocare? Hoc principium multos deducet ad Romanum Pontificem, ut controverſiarum omnium Religionis ſummum judicem, ſed plures ad Pyrrhonis ſcepticam, & verum atheiſmum. Pontificiam authoritatem dudum exploſam plerique jam rident, corruptas Bibliorum verſiones non morantur, ſi quod reliquum erat, Bibliorum originalium auctoritas enervetur, nihil erit cui fides certò innitatur, & quod unicè vellet Satan, ſinguli in rebus omnibus ſacris, & veritate quacunque, ſuarum mentium ductui relinquentur.

Quod ad argumenti minorem, loci præ manibus nulla unquam lectionis varietate ſollicitati ſunt, percurrant quibus otium, nimis quam largum à *VValtono* collectum variarum lectionum Biblicarum ſyllabum in locis noſtris Gen. 5. ne vel unam varietatem invenient.

Secundò argumentor. Veritas illorum locorum in Bibliis Hebraicis non debet ſollicitari, quos verſiones omnes antiquæ præter unam LXX. Interpretes ſequuntur, non enim ea eſt auctoritas iſtius verſionis, quæ cùm textui originali, tum omnibus quæ extant verſionibus præponderet, jam verò in ipſis *VValtoni* Bibliis, omnibus legentibus apparet verſionem Chaldaicam, Samaritanam, Syriacam, Arabicam, Latinam, verſioni Græcæ Gen. 5. contradicere, & Hebraicam veritatem ſequi, idemque eſt in recentioribus omnibus verſionibus conſenſus, ut in Gallicâ, Anglicâ, Belgicâ, Hiſpanicâ, Italicâ, & aliis apparet. *Secundum.*

Tertiò. Verſionis Græcæ in locis præ manibus patens & palpabilis eſt error, præterquam enim quòd eam alibi ſequentes *Iosephus*, *Euſebius*, *Clemens Alexandrinus*, *Africanus*, & alii multò diverſum hic calculum habeant (quod ſecundum adverſariorum ratiocinia oriri oportuit ex diverſitate exemplarium Græcorum, quibus iſti Patres *Tertium.*

ſunt

ſunt uſi) præter hoc inquam, textus Græcus hodie & olim maximè approbatus in cap. 5. Gen. manifeſtiſſimo errore corrumpitur; *Methuſala* enim vitam extendit ultra Diluvium annis minimùm quatuordecim, ſi non viginti, nec eum tamen in arca vult ab aqua ſalvatum. Nemo dubitat, ſi *Methuſalem* genuerit filium *Lamech* anno vitæ ſuæ centeſimo ſexageſimo quinto, prout legunt Biblia Græca optimæ notæ, quin omninò neceſſarium ſit vixiſſe *Methuſalem* tot annos poſt Diluvium.

Argumentum hoc *VValtono* movet bilem, quaſi *Auguſtinus* olim ei ſatisfeciſſet: ſed meminiſſe debebat vir doctus everſam à ſe *Auguſtini* reſponſionem; fatetur poſt *Hieronymum Auguſtinus*, dubio præ manibus, quod multos ſuo ſeculo vexabat, nullo alio modo ſatisfieri poſſe, quam reducendo verſionem Græcam ad fontem Hebraicum, & confitendo textum Græcum corruptum. Profitetur quidem vidiſſe ſe codices tres Græcos, & unum Latinum, qui ſecundum Hebraicam veritatem legerent *Methuſalem* genuiſſe *Lamech* anno vitæ ſuæ centeſimò octogeſimo ſeptimo, non centeſimo ſexageſimo ſeptimo, ſed nunquid liber *VValtono Auguſtini* vadere via? an vult *VValtonus* Græca hic ex Hebræis debere corrigi, vel potius Hebræa ex Græcis? An ullum ex tribus iſtis exemplaribus Græcis Hebraico textui conſonis exiſtimat hodie extare? Annon editio, quam ipſe ut veriſſimam LXX. Interpretum verſionem in Bibliis ſuis collocat, disertè legit ſine ullâ varietate *Methuſalem* genuiſſe *Lamech* anno ſuo centeſimo ſexageſimo quinto; licet autem tria aut quatuor olim exemplaria aliter legerint; cùm tamen multa millia ab Eccleſiis & Patribus uſurpata exemplaria, ſecundum ipſius *VValtoni* textum, aliter legant, pauca pluribus non præjudicant.

Quartum. Quartò. Si calculus Græcorum textuum præferatur calculo Bibliorum Hebræorum, tum Chronologia tota ſacra funditus evertetur, additio enim annorum mille quingentorum, omnes rationes omnium recentium Chronologorum conturbabit; eorum diſſenſus de diebus, menſibus, aut annis, extendetur ad integra quindecim, & plura ſecula, quicquid ex eclipſibus, aut motibus aſtrorum lucis ad temporum characteres figendos viri docti vel olim, vel nuper attulerunt, totum evaneſcet hac eorum additione tot ſeculorum. Everſio hæc Chronologiæ ſacræ permultis doctorum non erit levis jactura.

Quintum. Quintò. Vel amicorum reverentiâ abſtinere debuerunt cùm *Iſaacus*, tum *Brianus* ab hac lite: ille, quia pater *Ioannes Gerardus* in Iſagoge ſua Chronologica, quam ipſe *Iſaacus* nuper edidit unà cum ſua diſſertatione pag. 34. & 35. abſurdum hîc eſſe Græcorum calculum affirmat, & inextricabilem, niſi ad codices Hebræos reformetur: hic, quòd ſingularis ejus amicus, cujus ſacram Chronologiam toties à ſe commendatam ipſi operi Biblico inſeruit *Ludovicus Capellus*. Quotviſcunque alios Hebraici textûs locos ſollicitet, non auſus tamen fuit cenſoriam ſuam virgulam locis præ manibus Gen. 5. applicare, cur non ergò etiam *VValtonus Capelli* exemplo intactos reliquit?

QUÆSTIO V.

Quamdiu Noah remanſerit in Arca?

QUintò quæritur, quamdiu *Noah* cum ſuo comitatu in Arca remanſerit? Reſp. integrum annum ſolarem, quod ſic demonſtratur. Geneſ. 7. cap. v. 11, 13. in articulo diei quo rupti ſunt fontes Abyſſi magnæ ingreſſus eſt arcam *Noa*, ille autem dies disertè dicitur decimus ſeptimus menſis ſecundi anni ſexcenteſimi vitæ *Noa*, ſeu anni mundi milleſimi ſexcenteſimi quinquageſimi ſexti; & cap. 8. v. 16. egredi juſſus eſt *Noa* viceſimo ſeptimo die ejuſdem menſis ſecundi anni ſequentis, ſexcenteſimi primi *Noa*, & milleſimi ſexcenteſimi quinquageſimi ſeptimi mundi. *Remanſit Noah in Arca anno Solari uno & ſupra Lunarem diebus undecim.*

Idem etiam demonſtrari poteſt per partes: Gen. 7. 12. ſtatim poſt ingreſſum *Noa* in arcam, facta eſt per quadraginta dies & quadraginta noctes pluvia continua, quâ ceſſante prævaluerunt aquæ (creverintne an non poſt illos dies non dicitur) ad diem uſque centeſimum quinquageſimum, hoc eſt, ad diem decimumſeptimum menſis ſeptimi: centum quinquaginta dies faciunt quinque menſes tricenorum ſingulos dierum, his adde triginta dies primi menſis & ſedecim ſecundi qui fluxerunt eo anno ante Diluvii initium, pervenitur ad decimum ſeptimum quinti menſis Diluvii, ſed ſeptimi menſis anni currentis mundi & vitæ *Noachi*.

Subſtitit arca in verticibus montium *Armeniæ* ante aquarum decretionem, nam decreſcere inceperunt aquæ ipſo die decimoſeptimo quo quieſcebat arca: excedebant eo die aquæ ſummorum montium vertices tantùm cubitos quindecim, ita ut arca triginta cubitos alta, cubitos quindecim aquis eminuerit. Nulla hic neceſſitas incubuit Interpreti Latino addendi numero Hebraico dies integros decem, quaſi aquæ decreſcere quidem inciperent die decimoſeptimo menſis ſeptimi, ſed arca non niſi poſt decem dierum decrementum quieverit: tam enim facile fuit arcæ quieſcere die primo decrementi aquarum quàm die quovis poſteriori: nam ventorum vi applicatâ *Subſtitit Arca ante decretionem aquarum.*

ad ſummi montis verticem, cùm maximè prævalerent aquæ, magni iſtius navigii pondus efficiebat, ut tanta ejus pars aquis deprimeretur quæ quindecim cubitos facilè ſuperaret, videmus enim quotidie onuſtas naves ſupra medium aquis immergi.

Sed pergimus. A decimoſeptimo menſis ſeptimi, ad decimumſeptimum decimi aquæ diminuebantur euſque, ut montium plerorumque vertices conſpicerentur: poſt dies quadraginta, hoc eſt, decimo die menſis undecimi aperuit primùm *Noa* feneſtram arcæ, & corvum rediturum quidem, ſed non reintraturum arcam, ad ſpeculandam terram emiſit. Cum Corvi nuncia multos dies expectâſſet fruſtra, columbam emiſit menſe duodecimo, cùm hic quoque nuncius in tertia ablegatione emanſorem egiſſet, die primo novi anni magnum arcæ operculum auſus eſt *Noah* removere, ſed neququam terram pede tangere, donec divino mandato die viceſimo ſeptimo menſis ſecundi ex diuturno carcere evocaretur. Iſtas dierum & menſium ſummas ſi in unum contraxeris ab ingreſſu ad exitum, annum integrum invenies & undecim præterea dies, quos quidam addunt ad annum lunarem, quem Judæis tum in uſu volunt, cum Solari perfectè exæquandum', nam annus Lunaris Solari diebus undecim plerumque minor eſt. Etſi Solaris annus ex duodecim menſibus æqualibus dierum triginta conſtans noſtro Solari in quibus ſeptem ſunt menſes dierum triginta unius, & unus viginti octo quinque minimùm diebus ſit minor.

CAPUT III.

Res geſtas à Diluvio ad Iſraelitarum ex Ægypto exodum complectens.

Demonſtratur à Creatione ad exodum fluxiſſe annos 2456.

SEcunda quæ nunc eſt præ manibus Epocha à Diluvio ad exodum, annis ſeptingentis nonaginta ſeptem conſtat, qui ſic conficiuntur. *Arphaxad* duobus poſt Diluvium annis à *Schemo* genitus, anno ætatis ſuæ triceſimo quinto genuit *Salam*, & *Sala* anno ætatis ſuæ triceſimo genuit *Heberum*, qui ſuo triceſimo ſecundo genuit *Rhegum*; qui ſuo triceſimo *Nachorem*, qui ſuo viceſimo nono *Terachum*, qui ſuo ſeptuageſimo *Abrahamum*, qui ſuo ſeptuageſimoquinto evocatus eſt divino oraculo *Charrane Meſopotamiæ* in *Chananaam*: iſti numeri conjunguntur, dabunt ter centum ſexaginta ſeptem, hi additi ad Epocham Diluvii annorum mille ſexcentorum quinquaginta ſex, dabunt bis mille viginti tres. Anno ergò mundi bis milleſimo viceſimo tertio migravit *Abraham Charrane* in *Chananaam*, factaque tum ei promiſſio eſt de benedicto ſemine: poſt quod tempus ad ſuæ poſteritatis ex Ægypto liberationem fluxêre quadringenti triginta anni, ut habet Apoſtolus ad Galatas 3.17. ex ipſo *Moſe* Exod. 12.40.

Poſterior hic numerus inveniri propemodum poteſt per partes non minùs quam prior, nam ab Abrahami ſeptuageſimo quinto quo profectus eſt in *Chananaam*, ad nativitatem *Iſaaci* (*Abrahami* tum centeſimum Gen. 21. v. 5.) ſunt viginti quinque; hinc ad nativitatem *Iacobi* numerantur ſexaginta Gen. 25.26. Inde ad *Iacobi* deſcenſum in Ægyptum centum triginta Gen. 47. v. 9. hi juncti in unam ſummam dant ducentos & quindecim perfectum quæſitæ ſummæ medium. Alterius dimidii partes omnes non exprimuntur in Scriptura, nec opus eſt, cum de toto conſtet; quantum tamen exprimit Scriptura, obſervatu dignum. Poſt mortem *Iacobi* ad mortem *Ioſephi* anni ſunt ſeptuaginta unus, nam vixit *Iacobus* annos centum quadraginta ſeptem, *Ioſephus* centum & decem: *Iacobus* cùm venit in Ægyptum, habebat centum triginta, erat tum *Ioſephus* annorum triginta novem, ad iſtos triginta novem adde ſeptemdecim quos in Ægypto *Iacobus* tranſegit cum *Ioſepho*: reliquum quo *Iacobo Ioſephus* ſupervixit faciet ſeptuaginta & unum, poſt quos natus eſt *Moſes* qui in exodo annorum erat octoginta, hi additi ad ſummam proximam faciunt centum quinquaginta unum. Reſtant ergò de quæſito ſexaginta quatuor inter *Ioſephi* mortem & *Moſis* ortum, qui licet in hac quota particulari non exprimantur in Scriptura, benè tamen è notis progenitorum *Moſis* ætatibus ſupponi poſſunt. Nam *Levi Moſis* proavus, paucis annis *Ioſepho* ſenior, vixit ad annum centeſimum triceſimumquartum, annis minimùm quindecim ultra *Ioſephum*, *Coath Moſis* avus ad centeſimum trigeſimum tertium, & *Amram* Moſis pater ad centeſimum triceſimum ſeptimum vitam produxêre. Quis hic dubitabit à morte *Levi Moſis* proavi ad pronepotis ortum quæſitum tempus ſexaginta quatuor annorum fluxiſſe? Utcunque, præſentis Epochæ terminos habemus abſque ullo ſcrupulo, à Diluvio ad *Abrahami* migrationem Cananiticam ſunt trecenti ſexaginta ſeptem, & hinc ad exodum quadringenti triginta, hi juncti dant ſeptingentos nonaginta ſeptem, qui additi ad Diluvii annum milleſimum ſexcenteſimum quinquageſimum ſextum, faciunt bis mille quadringentos quinquaginta tres; ita ut annus exodi coincidat cum anno mundi bis milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo ſexto.

Græcorum antiquiſſimi Hebræis pueruli.

In tota hac Epocha pauca memoranda occurrunt præter ea quæ ex *Moſe* dudum calluiſtis: vix enim cum hac etiam Ærâ expiravit

pitavit *Varronis*, *Cenſorini* & aliorum tempus *ἄδηλον*. Ex *Rabbinorum* antiquiſſimorum traditionibus circumfertur vetuſtiſſimum effatum. Sex mille annos durabit mundus & deinde conflagratio, duo millia inane, duo millia lex, & duo millia dies *Meſſia*. De reliquis nil attinet hic dicere, quod enim de prima tertia pronunciavit domus *Elia* nimis quàm verum eſt: Nam aliquot etiam centenis poſt primum bis mille adeo pauca dicenda inveniunt viri inter gentes literatiſſimi, ut quod Hebræi *Tohou* & *Inane*, id illi tempus multo meliori jure *obſcurum* & *ἄδηλον* dixerint. imò verò multa poſteriora ſecula tempus *μυθικὸν* appellaverint, in quo quæ poſteris majores ſcripta reliquêre, meras fabulas invenerunt; nec tempus hiſtoricum antè inchoaverunt quàm poſt fere omnium Dei populi Prophetarum mortem. Adeò verum eſt quod Ægyptii olim peregrinantibus apud ſe Græcorum Philoſophis deprædicare ſolebant, ſi cum Dei populo Judæis comparatio inſtituatur, Græcorum, Latinorum, gentiumque omnium vetuſtiſſimos ſcriptores puerulos tantùm, & ſerorum ſeculorum infantes haberi debere.

Quòd tempus ἄδηλον, quod μυθικὸν, quod Hiſtoricum.

Noah verus Ianus multis poſt diluvium annis à Canane irriſus eſt.

Poſt *Noa* ex Arca egreſſum, ſacrificiumque Deo, ob mirabilem ſui ſuorumque ex mortis faucibus ereptionem, fœderiſque Dei naturalis cum hominibus cæteriſque animantibus reiterationem, ejuſque per Iridem obſignationem, primum *Noa* facinus fuit magnum ſphalma. Dum de novo & fortaſſe ad eum diem vel incognito vel inexperto vitis fructu incautus largiuſculè bibit, ab eo ſerpente ictus ſternitur, humique volutatur venerandus vir indecorè, uſque ad ſuæ ptolis ludibrium. En cordis humani pravitatem, en optimo tum vitorum Deo pro maximis meritis *χαριστήρια*! Licet ſtatim à Diluvio hic *Noa* lapſus recolatur, non ſtatim tamen à Diluvio res geſta eſt: nam *Chamo* cui nulla in Arca proles, tum temporis quartus filius *Canaan* non tantum prognatus, ſed in id ætatis adultus erat, ut impium parentem in illudendo avo, & ex ejus manibus extorquendo, ac in ſuum caput diram maledictionem devolvendo, comitari potuerit.

Noachus poſterorum fabulatorum *Ianus* fuit, cui à *Iain* vino nomen, utpote primo vineæ cultori: gemina huic revera frons quâ & priorem & poſteriorem mundum diutiſſimè conſpexit.

Diviſa Terra inter Noa filios.

Paulò poſt Diluvium mirum in modum creſcere & augeri cœpit genus humanum, parvula *Noa* domus tot hominum examinibus repleri, ut coloniis plurimis longiſſimè deducendis ſufficeret. A primo domicilio, arcæ ſede, montibus Armeniæ, tribus *Noa* filiis, ſeu Dei oraculo, ſeu patris conſilio, ſeu ſorte, ſeu ſpontaneá electione tres terræ partes diſtributæ ſunt: *Schemo* principes Aſiæ portiones, *Chamo* Africæ, *Iapheto* Europæ obvenerunt; de Americâ, licet cæteræ toti terræ non magnitudine tantùm, ſed omnis generis divitiis & incolarum multitudine dudum facilè æquali, altum ſemper in Sacris literis ſilentium.

In veteri orbe, Europa & Africa egregiis ſuis privilegiis utraque gaudet, utrique tamen Aſia tam Cœli quàm ſoli dotibus ſupereminet. Hæc *Schemo* ceſſit in ſortem filiorum *Noa* optimo quidem, non tamen maximo.

Primogenitura jus ſape non obſervatum.

Secundum Dei tam legem quàm ordinarium morem, primogeniti ſupra omnes fratres ampla eſt prærogativa; ut tamen liberrima Dei in omnibus donis tam naturæ quàm ſupra naturam gratia appareat, in familiis multò ſpectatiſſimis primogenituræ jus neglectum videmus. In *Adami* familia primùm *Abel* & poſteà *Seth* benedictione gaviſus eſt; idem in *Noa* domo contigit, etiam in *Schemi* filiis, *Arphaxad* tertius cæteris in primariis bonis prælatus eſt. Volunt aliqui *Abrahamum* trium *Terachi* filiorum natu minimum; certum eſt *Iſaacum*, *Iacobum*, *Iudam*, *Ioſephum* primogenitos non fuiſſe; & in *Ioſephi* ſimul & *Iuda* filiis poſteriores prioribus prælati fuerunt: *Moſes* quoque *Aarone* minor, & *David* natorum *Ieſſe* minimus fuit, ut *Solomon* natorum *Davidis*.

Gentium omnium origines.

In *Noa* nepotibus ac pronepotibus, veras plerarumque quæ ſunt aut fuerunt gentium origines, legimus Gen. 10. *Iaphetus* Septentrionalium & Occidentalium in *Aſia* & *Europa* populorum pater ſeptem habuit filios, *Gomerum* primum à cujus filio *Aſcenaz Germani*, *Galli*, *Britanni* feruntur orti: ut à fratribus *Riphat* & *Togarma Tartari* & *Muſcovita*: *Iapheti* ſecundo *Magog* Septentrionales *Syri* imò & *Scytha*, *Tartarorum* & *Muſcovitarum* pars: Tertio *Madai* vicini *Perſarum Medi*: Quarto *Iavan Graci* tam Inſulares quam mediterranei: Quinto *Tubal Hiſpani* & *Itali*: Sexto *Meſech Cappadoces*, &, ſecundum aliquos, primi *Turca*: Septimo *Tyras Thraces* oriundi.

Chami primogenitus *Chus* Babyloniam ſeu *Aſſyriam* occidentalem & totam *Arabiam Æthiopiamque* occupavit: Secundus *Mizraim Ægyptum*, & ex ejus poſteris *Peliſtim Paleſtinam*: Tertius *Phut Libyam* & *Mauritaniam*: Quartus *Chanaan* notas habuit ſedes, donec ab *Iſraële* maledictum illud ſemen extirpatum fuit.

India, China & America incola Schemi poſter.

A *Schemi* primogenito *Elame Perſa*: à ſecundo *Aſſure Aſſyrii* Orientales ortum ducunt: Tertio *Arphaxad* nepos fuit *Heber*, cujus filio *Ioktani* tredecim liberi; ex quibus

bus *Havilah* in *India* & *Ophir* & in oppoſitis *Moluccarum* & *Philippinarum* inſulis domicilia fixêre. Inde non tantùm in ultimum Orientem propagatæ gentes, ſed in proximas etiam *Japponia* inſulas & *America* Septentrionalia littora, in quæ ab *Aſia* Septentrionali & Orientali tractu etiam hodie trajectus propinquus eſt.

Patriarcharum numeroſiſſimæ familiæ vel primùm vel maximè in Colonias emitti cœperunt, cùm nato *Phalego*, ad turrim Babel hominum ſermo, qui hactenus unus in linguas multas diviſus eſt; num præciſè ſeptuaginta duas, eaſque omnes maternas aſſerere, quanquam cum multis, non audeo.

Imperii politici fundator Nimrod.

Certum eſt in aliquam diſſipatæ hujus turbæ partem, imperium politicum ad id tempus inauditum (nam antea paterna tantùm auctoritas obtinuit) *Nimrodum* occupâſſe, & primæ Monarchiæ fundamenta Babylone jeciſſe. Filius hic *Chuſi* nepos *Chami*, *Moſi* etiam *Aſſur* Ninives conditor, profanis ſcriptoribus *Belus* & Aſſyriorum *Iupiter*. Illius initio parva mox crevit euſque potentia, donec in filio *Nino* nuruque *Nini* uxore *Semiramide*, totam *Aſiam* pervaſiſſet.

Imperii Babylonici principium malè à Cteſia & Chaldæis ponitur in anno poſt Diluvium 62.

Imperii hujus principium ad annum mundi milleſimum ſeptingentiſimum decimum octavum, id eſt, ſexageſimum ſecundum à Diluvio referendum eſſet, ſi priſcorum quibuſdam, micantibus in magnis tenebris, fidendum foret. *Diodorus Siculus* ex *Cteſia* Aſſyriorum Monarchiam, moriente *Sardanapalo*, ſtetiſſe narrat annis mille trecentis ſexaginta; hinc ad *Cyri* regnum numerat trecentos, & tredecim, qui prioribus juncti dant mille ſexcentos ſeptuaginta tres. Initium autem regni *Cyri* celebratur anno mundi ter milleſimo trecenteſimo nonageſimo primo, ſi hinc antecedentes annos mille ſexcentos ſeptuaginta tres ſubducas, remanebit ſupra dictus mundi annus milleſimus ſeptingenteſimus decimus octavus. Habemus etiam ex *Simplicio*, *Ariſtoteli* ſcripſiſſe *Calliſthenem*, facto diligenti ſcrutinio, didiciſſe ſe Babylone à *Chaldæorum* doctiſſimis, ſtetiſſe tum temporis Babylonem annis mille nongentis & tribus. Is autem annus quo ſcribebat *Calliſthenes* & capiebatur ab *Alexandro* Babylon, fuit mundi ter milleſimus ſexcenteſimus decimus nonus, à quibus ſi *Calliſthenis* mille nongentos tres ſubducas, remanebit prior mundi annus milleſimus ſeptingenteſimus decimus octavus, vel illi valde propinquus, milleſimus ſeptingenteſimus decimus ſextus, Aſſyriorum Imperii & æræ Babylonicæ caput.

Ducentis minimum annis ſe-

Concoctu hoc ſatis eſt durum; nam *Nimrodi* prima auctoritas non niſi poſt disjectos Babylonicæ turris ſtructores & diviſum in varias linguas & provincias genus humanum, conſtituenda videtur: iſta autem poſt *Phalegi* ortum, cui nomen à gentium diviſione pater *Heberus* impoſuit, acciderunt. Jam verò natus eſt *Phalegus* anno à Diluvio centeſimo primo, ante hunc annum Babylonici Imperii æra perperam inchoabitur; imò verò à conſideratiſſimis Chronologis ad centeſimum nonageſimum (ut minimùm) Diluvii annum hæc æra remittitur: fac enim etiam tam ſerò *Nimrodum* regnare cœpiſſe, filiumque *Ninum* demortuo patri poſt quinquaginta quinque annorum regnum ſucceſſiſſe, & in Imperio annis quinquaginta duobus durâſſe, hoc eſt, ad annum *Abrahami* nonum, Diluvii trecenteſimum ſecundum, Mundi milleſimum nongenteſimum quinquageſimum ſeptimum: Vix tamen credibile eſt maturè adeò poſt Diluvium in tantam multitudinem excreviſſe *Noa* poſteros, ut tot tantiſque exercitibus, qui à pleriſque ſcriptoribus diebus *Nini* memorantur, ſufficere potuerint. Nam ut infinitas quaſi *Semiramidis* contra *Staurobatem* Indum, & Arabas alioſque vicinos copias omittamus, unde colligenda putabimus ſepties decies centena millia peditum & ducenties mille equitum, & ſexagies mille falcatorum curruum, quæ in *Zoroaſtrem* Bactrianum eduxiſſe *Ninum* prodit apud *Diodorum Cteſias* & ex eo totus populus ſcriptorum; Sed de iſtorum Veritate poſtea in Addendis.

rius Babylonica æra eſt ſtatuenda.

Poſt Semiramidem Aſſyrii Monarchæ omnes, exceptis duobus Balæis, erant ſemiviri.

De tribus primis Monarchis Aſſyriorum, *Belo*, *Nino*, & *Semiramide*, tam multa & magna memorârunt vel fabulati ſunt hiſtorici, ut de poſterioribus prope nihil dicendum reliquerint, certè in mulieris unius incredibili fortitudine, induſtriâ, & ſucceſſu per multa ſecula virorum virtus & fama tantum non ſepulta jacuêre. *Semiramidis* filius *Ninias*, & Imperatores poſt eum triginta tres uſque ad *Sardanapali* exitum, vix ſemiviri in Gynæceis totam vitam delituêre; de hoſtibus & populis ſubactis, quos olim fregerunt *Semiramidis* arma, ſecuri; ſi duos tantùm excipias, utrumque *Balaum*; in quibus aliquæ virtutis virilis ſcintillæ emicuiſſe dicuntur. *Niniam* hunc volunt quidam Regem *Sinar*, ex quatuor principibus primarium, quos *Abrahamus* vernarum ſuorum & vicinorum manibus debellavit.

Antiquiſſimorum Regum præter nuda nomina nihil ſupereſt.

In ἀδήλῳ hac & inani temporum portione; ſi incerta & fabuloſa tranſiliamus, vix alia quàm quæ una Dei veritas habet, memoranda ſupererunt. Congeſſit *Euſebius* in ſuum Chronicum ex Hiſtoricorum & Chronologorum vetuſtiſſimis, ſuâ ætate trecentis poſt Chriſtum annis extantibus,

bus, catalogos Regum non tantum Aſſyriæ ſed etiam Ægypti & Sicyoniorum ac Argivorum amborum in Peloponneſo; ſed præter mera nomina propè nihil ex iſtis *Euſebii* citationibus hodie remanet, cætera blattæ & tineæ, *Gothi Vandalique*, rerumque edaciſſimum tempus abſumpſerunt. In ejuſmodi Regnorum Catalogis & prorſus inutili nomenclaturâ, bonarum horarum jacturam facere nos non amamus. Sunt, fateor, qui ſuas hic paginas bellulis fabellis, etiam ab ultimâ antiquitate faciunt.

Annius Viterbienſis impudentiſſimus impoſtor.

Prodiit patrum ævo cum magno primùm multorum applauſu; ex *Annii Viterbienſis* Monachi Bibliothecâ *Beroſus* Chaldæus; qui ante omnes Græcos in patriæ rebus geſtis ſcribendis egregiam operam navavit: unde *Funccius* & alii Chronologi multa tanquam veriſſima transſcripſerunt: ſed poſt propiuquiorem oculatiorum inſpectionem ſtatim theſaurus carbones. Quicquid enim præter antiqua fragmenta *Beroſo* additum erat, id totum ipſius *Annii* putidiſſima & Monaſtica impoſtura comperta, & ut hominis nequam impudens fraus ab omnibus doctis multis ſibilis exploſa eſt.

Quod enim diu in Italiâ Sophiſtici quidam pictores & ſtatuarii mangonium exercuerunt, in tabulis noviter pictis & ſignis recens effictis, quaſi ex multorum ſeculorum latebris magno aliquo caſu productis, aut ex ultimæ antiquitatis profundiſſimis ruderibus multo ſudore effoſſis, id veterinarius impoſtor *Annius* tentavit in procudendo novoveteri ſuo *Beroſo*. Hoc etiam poſteà multoties in Clauſtris otioſi fratres inprimis Jeſuitæ moliti ſunt, qui ſuppoſitios cerebrorum ſuorum partus, pro antiquiſſimorum auctorum genuinis fœtibus orbi nimis quam ſæpè obtulerunt, ſed ridiculo fere ſemper eventu: nam tam oculatas ars Critica manus obſtetricantibus librorum partui dudum dedit, ut ſummorum artificum curioſiſſima ſedulitas iſtos *Argos* non ſoleat fallere. Sed pergimus.

Promiſſio Meſſiæ ad Abrahami familiam primò limitata, deinde Iſaaci, Iacobi, & Iudæ poſteris eſt appropriata.

Patriarcharum poſt *Diluvium* plerique de vitâ migrârunt, præterpropter eos dies quibus feliciſſima de venturo Meſſiâ promiſſio *Abrahæ* facta eſt. Quanquam ab *Adamo* ad *Abrahamum*, in unâ unius familiæ rectâ lineâ *Patriarcharum* viginti dictorum, Eccleſia & gratiæ fœdus deſcenderit; tamen ante *Abrahamum* & *Abrahami* de *Meſopotamia* in *Chananaam* migrationem, nullo cujuſquam promiſſi fœdere, ad certum quodcunque ſtemma iſta fuerunt alligata. Sed poſt ea tempora *Abrahamo* ſuiſque poſteris benedicti ſeminis pollicitationem Deus applicavit, quod *Iſaaci* deinde factum eſt peculium & denique *Iacobi*: in ejus proſapiâ duodecim tribnum populo illimitatum remanens (niſi quod moribundus *Iacob* de *Shilo* & ſceptro Leonis *Iuda* prophetaverat) uſque ad dies Davidis, quando venturus Meſſias ad ejus lumbos reſtrictus eſt; de cætero libera nullique vel familiæ vel perſonæ reſtricta promiſſio ad ipſum momentum divinæ conceptionis beatæ virginis.

Poſt Davidem nulli familiæ promiſſio Meſſiæ facta.

Patriarcharum multorum exitus propinqui fuêre promiſſioni de Meſſiâ Abrahamo factæ.

Quod autem de poſteriorum Patriarcharum exceſſu referebam, circum circa *Abrahami* ſeptuageſimum quintum, quando illimitata priùs de Meſſiâ & Eccleſiâ promiſſio, ipſi poſteriſque reſtringi cœpta eſt, ſic demonſtro. *Phalegus Noahi* trinepos *Abrahami* atavus majorum ſuorum omnium ὀλιγοχρονιώτατος & poſteriorum μακροβιώτατος, exactis ducentis triginta novem annis, expiravit anno mundi milleſimo nongenteſimo nonageſimo ſecundo, *Noachi* nongenteſimo quadrageſimo ſecundo, *Abrahami* quadrageſimo octavo: *Nahor* autem *Abrahami* avus ætatis ſuæ anno centeſimo quadrageſimo octavo biennio poſt *Phalegum* proavum fato functus eſt: ipſi *Noachus* vix ſeptennium ſupervixit, ætatis nongenteſimo quinquageſimo, mundi bis milleſimo quinto, *Abrahami* quinquageſimo ſeptimo expirans. *Abrahami* pater *Thare* annos ducentos quinque natus ipſo promiſſionis anno *Abrahami* ſeptuageſimo quinto deceſſit, ſicut triennio poſt *Regu Phalegi* filius ætatis ſuæ ducenteſimo triceſimo nono, nec diu pòſt *Serug* ætatis ducenteſimo triceſimo, *Abrahami* pronepotis centeſimo primo; etiam *Arphaxad* ſuæ ætatis quadringenteſimo triceſimo octavo, *Abrahami* centeſimo quadrageſimo octavo.

Abrahamo tres majorum ſupervixêre *Shem*, *Sala*, & *Heber*; nam *Abrahamus* vixit ad annum centeſimum ſeptuageſimum quintum, Mundi bis milleſimum centeſimum viceſimum tertium, ſed *Shem* ad annum ſexcenteſimum, & mundi bis milleſimum centeſimum quinquageſimum octavum; *Iſaaci* centeſimum undecimum, *Iacobi* quinquageſimum primum, poſt mortem *Abrahami* annis viginti quinque. *Sala* verò anno ſequenti poſt *Abrahamum* exceſſit è vivis ætatis ſuæ quadringenteſimo triceſimo tertio; ſed *Heber Salæ* filius ad *Iacobi* ſeptuageſimum nonum, *Iſaaci* centeſimum triceſimum nonum, Mundi bis milleſimum centeſimum octogeſimum ſeptimum, Diluvii quadringenteſimum ſexageſimum quartum: omnes intra *Abrahami* quadrageſimum octavum & *Iſaaci* centeſimum triceſimum nonum, hoc eſt, mundi milleſimum nongenteſimum ſextum, & bis milleſimum centeſimum nonageſimum primum. Hos ſequutus eſt duodecimus *Iſaacus* poſt-

poſt annos triginta ſeptem, ætatis ſuæ centeſimo octogeſimo, *Iacobi* centeſimo viceſimo, *Ioſephi* viceſimo nono, Mundi bis milleſimo ducenteſimo viceſimo octavo.

Patriarcharum poſt Diluvium ſuavis convictus.

In maximis alias hujus vitæ miſeriis magno *Patriarchis* poſt diluvium ſolamini fuit, quòd omnes ſuâ invicem ſuaviſſimâ & ſanctiſſimâ ſocietate fructi ſint, & in propinquiorem ſpem devenerint properantis jam in mundum Meſſiæ, communis ipſorum fiduciæ & vitaliſſimæ in mediâ morte vitæ, veri ſontis, quem ſummo cum gaudio ex *Abrahami* adeoque ex ſuis ipſorum lumbis ad gentium benedictionem proventurum divino oraculo omnes didicerunt.

In ſuprà dictis computationibus ſequimur maximè *Calviſium*, à quo *Capellus* & alii, prætergnam in morte *Thara*, non longè diſcedunt: inter omnes tamen aliquantulum invenio diſcordiæ, quod ad calculum impræſentiarum revocare non eſt operæ pretium.

Quis fuerit Melchiſedec cognitu eſt impoſſibile.

In iſtis diebus vixit *Melchiſedec* regnans in *Salem* juxta Jordanem, non *Solymis* ad *Sionem*. Quis demum mortalium hic fuerit, fruſtraneus eſt curioſiſſimorum labor inquirere, cum in typum ineffabilis generationis Meſſiæ ejus Genealogiam Spiritus Sanctus μυςηειώδως occultaverit. *Noa* quidem paulò antè in mortales omnes ſuos ſcilicet filios maximum, licet paternum imperium & ſanctum & ſacerdotale quoddam regnum obtinebat, ſed ante *Abrahami* de Regibus victoriam hic fato functus fuit: diu quidem poſt *Schem* fuit in vivis, & inter Orientales ſanctitate, juſtitiâ, auctoritate ſupra omnes reges eminebat, etiam *Heber* & ex *Patriarchis* alii, ſed omnium iſtorum vita & mors majores & poſteri patentes efficiunt, ne *Melchiſedecs* nomen ipſorum cuiquam conveniat. Neceſſe eſt deſinant homines in lucem velle protrahere, quod Deus decrevit in tenebris occultandum.

Sodomorum cum vicinis urbibus per ignem Sulphureum tunc everſio, amœniſſimæque ac fertiliſſimæ iſtius Regionis in lacum *Aſphaltitem* converſio, divinæ in libidinem vindictæ ad omnem poſteritatem inſigne fuit exemplum.

Inter Iacobi filios quorum tantum ſex intervallum.

Iacobus anno ætatis ſeptuageſimo ſeptimo, *Iſaaci* centeſimo triceſimo ſeptimo, poſt mortem *Abrahami* ſexageſimo ſecundo, domo paternâ profugus, *Bethele* ſcalam Cœli in ſomnio vidit, & in *Meſopotamia* avari avunculi *Labanis* domum intravit, ubi annis viginti duram ſatis ſervivit ſervitutem: in quorum paucis *Patriarcharum* undecim procreavit, nam inter *Reubenem* primogenitum, qui anno paternæ ſervitutis octavo natus eſt, & *Ioſephum* non ſextum, ut vult *Calviſius*, ſed undecimum & penultimum filiorum *Iacobi*, qui anno decimo quarto ſervitutis natus eſt, plures quam ſex anni intercedere non potuerunt. Nato *Ioſepho* denique, adeoque omnibus præter *Benjaminem* ſuis liberis, remanſit *Iacobus* in *Meſopotamiâ* annis tantum ſex, ergò in reditu ad patrem & congreſſu cum *Eſavo Ioſephus* puer erat tantum ſexennis, & *Reuben* duodecimum, ac *Iudas* decimum ætatis annum vix ſuperabant.

Dum in Egyptum deſcendit *Iacobus* habuit ipſe annos centum triginta, *Ioſephus* triginta novem, *Iudas* quadraginta tres, nam *Reubene* tribus annis minor & *Ioſepho* totidem major fuit. Non tam miramur *Iudæ* in eâ ætate duos fuiſſe nepotes, imò quaſi pronepotes, nam eorum pater *Pharez Tamaræ Iudæ* ouus filius, adeoque *Iudæ* loco nepotis erat, non tam (inquam) *Iudæ* in quadrageſimo tertio pronepotes miramur, quàm *Benjamini* anno viceſimo tertio ætatis ſuæ decem filios: nam *Benjamin* moriente *Rachele* matre in ipſius partu, biennio ante venditionem *Ioſephi*, hoc eſt, viceſimo quarto ante *Ioſephi* triceſimum nonum ipſum annum deſcenſus *Iacobi*, cum omnibus ſuis in Ægyptum, *Benjamin* (inquam) tum temporis licet decem filiorum pàter celebretur, plures tamen viginti quatuor annis habere non potuit: quod accidiſſe videtur potius πολυγαμίᾳ, quàm præmaturo connubio, quod tamen in Iſraëlitarum multis infrequens non fuit. In familiâ *Ioſephi* illuſtre hoc ſit exemplum.

Iudas in anno 43. habebat pronepotes.

Benjamin anno ſuo 23. habebat decem filios.

In familiâ Ephraimi mira nuptiarum maturitas.

A deſcenſu *Iacobi* ad exodum, ut dictum eſt, ſunt anni ducenti quindecim: ante deſcenſum *Iacobi* habuit *Ephraim* annos quinque, certè non ſupra ſeptem: novem enim tantum annis antè deſcenſum *Ioſephus* connubio junctus eſt: *Ioſua* quinquageſimo tertio ante exodum natus eſt, nam procul dubio plures viginti habuit cum in exitu unà cum cæteris numeraretur, nec ante centeſimum decimum mortuus eſt, quorum quadraginta in deſerto & ſeptem in terrâ *Canaan* exigens, reliqui quinquaginta tres Ægypto conceduntur; ergò inter *Ephraimi* & *Ioſuæ* ortum plures eſſe non potuerunt quàm centum ſexaginta novem anni; *Ioſua* verò fuit ab *Ephraimo* decimus, ut habemus 1 Chron.7.v.27. Nam *Shutelacho* cum fratribus à *Gathæis* cæſo, *Ephraimus* genuit *Beriam* & *Berias Rephacum*, & *Rhephacus Telachum*, *Telachus Tachonem*, *Tachon Ladanum*, *Ladanus Ammihudam*, *Ammihudas Eliſamam*, *Eliſamas Nunnum*, *Nunnus Ioſuam*, decem hæ generationes in annis centum ſexaginta novem peragi non potuere, niſi ſingulos decimoſeptimo ad ſummum genuiſſe ſupponamus, quòd ſi *Schutelachum* faciamus geminum, ut Chronici textus præferre videtur, poſterior *Schutelachus* octavus erit ab *E-*

phrai-

phraimo, ſic enim ibi narratur *Ioſephi* progenies. *Ephraimus* genuit *Scutelachum*, *Schutelachus Berrhedum*, *Berrhedus Tachacum*, *Tachacus Eladam*, *Eladas Tachacum* ſecundum, *Tachacus* ſecundus *Labadam*, *Labadas Schutelachum* ſecundum & fratres quos occidêre *Gathæi*, cum ipſorum ex Palæſtinâ boves raperent. Hos cum luxiſſet *Ephraim* poſteà genuit *Beriam* in extremâ, ut videtur, ſenectute, nam ſuppone ſingulas iſtarum octo generationum factas quàm fieri potuit maturè, gigni tamen *Berias* non potuit poſt *Schutelachum* ſecundum, ante *Ephraimi* annum nonageſimum, ita ut novem à *Beriâ* ad *Ioſuam* generationibus relinquantur vix octoginta anni, qui quavis connubiorum maturitate & præcipitantiâ vix ac ne vix quidem ſalvari poſſunt. Sic ergo neceſſariò legendus eſt Chronici textus, ut *Schutelachus* tantum ſit unus, iſque non octavus ſed primus ab *Ephraimo*, ut qui poſt natum filium *Beredum* cæſus ſit & mortuo etiam, ut videtur, avo *Ioſepho*, nam in conſolatione *Ephraimi* fratrum tantùm fit mentio, non patris; qui ſi in vivis fuiſſet, nequaquam chariſſimo filio in hoc officio defuturus videbatur. Utcunque *Beriâ* ortus poſt *Schutelachi* cujuſcunque cædem, & natum *Beredum Ephraimi* proculdubio nepotem, demonſtrat maturè ſatis ſuperque in *Ioſephi* familiâ multorum matrimonio celebrata.

Iacobi continua tempeſtates in tranquillam ſerenitatem deſiêrunt. Divina rerum *Iacobi* & *Iſaaci* adminiſtratio admodum diverſa fuit: *Iacobus* totâ vitâ huc illuc jactatus novis continuò curis crucibuſque vexabatur: *Iſaacus* pleramque vitam in magnâ pace proſperrimè tranſegit: *Iacobus* ex *Eſavi* fratris invidiâ domo paternâ fugiens, in *Meſopotamiâ* viginti annorum duriſſimo labore exercitus fuit; in reditu *Laban* avunculus & ſocer infeſtus armis proſequitur, à quibus vixdum liberum frater *Eſavus* infeſtioribus excipit, his expeditum ob *Dinæ* injuriam *Simeonis* & *Levi* crudelis in *Sichemitas* vindicta, & hinc ab omnibus vicinis præſentis ſui ſuorumque omnium exterminii periculum premit: ab hoc exitio ereptum chariſſimæ *Rachelis* inexpectata in puerperio mors, *Reubenis* primogeniti inceſtus, *Ioſephi* filiorum dilectiſſimi veriſſimè creditus laniatus, in *Iudâ* ſummæ ſuæ reliquæ ſpei decoliatio, primogenitorum ejus *Eri* & *Onanis* infauſtiſſimæ mortes, ipſius cum nuru *Tamare* ſcortatio, hinc publica fames & privata in *Benjamini* abreptione calamitas tantum non opprimunt: hujuſmodi æſtuum reciprocatione diu & multùm vexatus, tandem in Ægypti portum devectus, ibi ſeptemdecim ultimis annis à ſuperioris vitæ procellis abunde recreatus, in Joſephi ſinu expiravit.

Verùm *Iſaacus* defunctus in pueritiâ maledici fratris ſcommatibus, & quod in juventute à patris cultro imminebat periculo, ad quadrageſimum apud patrem in ſummis opibus floruit: tunc abſque omni ſuo labore *Rebecca* nobiliſſima, formoſiſſima & optima conjunx ei adducta, cum quâ in ſummâ concordiâ ad extremam ſenectam vixit: In ſexageſimo nati ſunt ipſi gemelli *Iacobus* & *Eſavus*, quæ deinde ſolicitum habuerunt curæ erant inprimis à filiorum malis. Vidit *Iſmaëlem* anno centeſimo triceſimo vitæ placidè mori, relictis poſt ſe duodecim filiis, in ſuo ſingulis Arabico Principatu abſque à quoquam moleſtiâ firmatis; cùm ſeipſum impii *Eſavi* profanæ nuptiæ & cum *Iacobo* diſcordiæ malè haberent, ut etiam omnia *Iacobi* poſteriora mala. *Eſavum* quidem in ampliſſimis ſuis territoriis regiè imperitantem, & ejus filios omnes in Ducali quaſi & propemodum Regiâ dignitate conſtitutos conſpexit. *Iacobi* etiam progeniem tandem aliquando numero & opibus juxta ſe floreſcentem. Sed nequaquam ex omni parte beatum permiſêre, præter dictas in *Iacobi* domo tragœdias, ſuus multorum annorum à cæcitate quodammodo carcer: nam ante centeſimum triceſimum ſeptimum eâ oculorum fuit caligine, ut ipſos filios ante pedes poſitos ne quidem diſtingueret, quæ tenebræ uſque ad centeſimum octogeſimum, annis totis quadraginta tribus circumſuderunt: tunc ſpiritum Deo reddidit decennio ante *Iacobi* & undecimo poſt *Ioſephi* deſcenſum in Ægyptum. *Iſaaci ſerena dies in obſcuram noctem ſinivit.*

Circumcirca haſce dies vixiſſe videtur *Iobus*. Quod habet *Philo Iudæus* de *Iobi* cum *Dinâ Iacobi* filiâ connubio gratis ſine commodo teſte aſſerit, quod autem *Iobi* hiſtoria in hanc *Epocham* ante exitum conjicienda ſit, commune eſt nec improbabile Theologorum judicium. *Tempora Iobi.*

Poſt *Iacobi* diſceſſum in Ægyptum utrumque Græcorum diluvium tam *Ogygis* in Atticâ quàm *Deucalionis* in Theſſaliâ accidit, ut & *Phaëtontis* in Æthiopia ab ardore ſolis ſiccitas, & ſegetum herbarumque quaſi incendium ab hoc Aſtrologo prædictum. *Cecrops* Athenienſium Moſi contemporaneus habetur, & tamen ille inter primos Reges αὐτοχθόνων primorum *Atticæ* Incolarum. *Deucalionis, Phaëtontis, & Cecropis tempora.*

De rebus geſtis non plura, utpote vel ſatis notis ex Hiſtoriâ Sacrâ, vel fictis & fabuloſis ex profanâ.

CAPUT IV.

Quæſtiones & dubia ad caput ſuperius.

QUÆSTIO I.

Num Cainan *junior ſit ſuppoſititius?*

Num quiſquam fuerit Cainan junior?

QUæritur Primò quid ſtatuendum ſit de *Cainane* juniore, quem *Lucas* Euangeliſta Genealogiæ Chriſti inſerit cap. 3. v. 36 Inter *Arphaxad* & *Salem*, de quo tamen ſilet Moſes. Reſp illud τῦ καινὰν apud *Lucam* videri mendum cujuſdam librarii, quod olim textui irrepſit, à quo *Theodorus Beza* antiquiſſimum ſuum manuſcriptum teſtatur immune, cujus auctoritate fretus confidenter duas illas voculas ut mendum irreptitium ex ſuo Teſtamento expungit. Fatemur ſtare adhuc hoc additamentum in pleriſque Græcis tam impreſſis quàm manuſcriptis codicibus, & jam in verſionibus ferè omnibus Syriacâ, Latinâ, Anglicâ utraque, novâ quoque Belgicâ, ſed Italicâ Deodati, & Latina *Cartvvrights* in ſuâ harmoniâ, *Beza* correctionem ſequuntur. Præterquam enim quod *Moſes* diſertis verbis Geneſ. 10. v. 24. & 11, 12. ter aſſerat *Arphaxad* genuiſſe *Salam*, autor etiam παραλειπομένων idem affirmat lib. 1. cap. 1. v. 18. nullâ *Cainanis* mentione ſubindicatâ. In hoc Chaldæus ubique Paraphraſtes, & Latina *Hieronymi*, cæteræque omnes Veteris Teſtamenti verſiones Hebræum textum ſequuntur, præter unam Septuaginta Interpretum: cujus hîc nulla debet eſſe apud quenquam auctoritas, cùm craſſum & apud omnes confeſſum ſphalma admittat, eodem ſpiritu & commate quo commentitium *Cainam* procudit: ait enim *Arphaxad* genuiſſe *Cainanem* anno ætatis ſuæ centeſimo triceſimo, & *Cainanem* etiam anno ætatis ſuæ centeſimo triceſimo genuiſſe *Salam*. Qui pro *Cainane* ſtant ſat multi autores addunt ad verum Scripturæ calculum annos triginta: ſed deſerere omnes coguntur auctores ſuos Septuaginta Interpretes, dum addunt illi Hebraicæ veritati non tantùm annos triginta ſed integros inſuper ducentos. Qui tam putidum in Chronologiâ errorem Septuaginta Interpretum hoc ipſo in loco agnoſcunt, eos non decet ab iſtorum auctoritate labem in hiſtoriâ & triginta inſuper annorum ἀναχρονισμὸν defendere: licet quicunque hic error ſit ab ipſis Septuaginta Interpretibus ad eorum deſcriptores ſoleat derivari. Qui totam hanc quæſtionem ſolidè & luculenter tractatam videre deſiderat, adeat doctiſſimi *Spanhemii* dubium Euangelicum de *Cainan*. De hac etiam celeberrima Quæſtione nos in Addendis fusè.

QUÆSTIO II.

An poſt Diluvium Græcorum Patrum calculus rectus ſit?

Qui fit ut Græci Patres ad annos poſt Diluvium addant de ſuo ſupra mille.

SEcundò quæritur, cum à Diluvio ad nativitatem *Abrahæ* numerentur hodie vulgò anni tantùm ducenti nonaginta duo, quî fit ut Patrum doctiſſimi *Auguſtinus* ſupra mille, & *Euſebius* ad mille ſeptingentos viginti numerent? Reſp. Septuaginta Interpretum, qui in profundâ Orientalium Linguarum ignorantiâ à Patribus cum ſummâ veneratione terebantur, vel primigenius error, vel matura nimis alicunde depravatio, Patrum pleroſque in craſſiſſimos & hodie ab omnibus confeſſos de temporibus errores induxit: idque non tantùm in ſeculis ante Diluvium, ſed etiam in poſterioribus uſque ad *Abrahamum*. Addunt enim Septuaginta Interpretes ad *Patriarcharum* ſingulorum vitas, qui à Diluvio ad *Abrahamum* vixerunt, annos minimùm centum, qui ἀναχρονισμὸς & in temporibus ſphalma, intra trium ſeculorum terminos ante *Abrahami* natales, longè ſupra mille annos aſcendit. Quod à tam tetris erroribus hodie liberemur effecit Domini benignitas, curâ laboribuſque doctorum noſtrâ ætate virorum, qui literarum Hebraicarum, artiſque Chronologicæ ſtudia plurimum ſuprà priorum aliquot ſeculorum menſuram, provexerunt.

Addenda ad Quæſtionem II.

Iſaaci Voſſii & Briani VValtoni in annis Patriarcharum poſt Diluvium Hebraici textûs prava correctio.

Reſpondetur ad argumenta Iſaaci Voſſii contra Hebraici codicis poſt fluvium Chronologiam.

COntra iſta viri doctiſſimi *Iſaacus Voſſius*, & *Brianus VValtonus* multa objiciunt, ſatis alto cum ſupercilio: ille Diſſertationis ſuæ de ætate Mundi *pag.* 16. regerit Hebræum calculum nimis brevem ſtatuere pueritiam Patriarcharum poſt Diluvium, cum tempus pubertatis, ut plurimum, ſit tertia aut quarta pars vitæ humanæ. Reſp.

Ad 1.

Argumentum hoc, ut ſuprà dictum, ipſe *VValtonus* vaniſſimum pronunciavit, dum in Patriarchis ante fluvium adduceretur, in Patriarchis autem poſt fluvium multò eſt vanius; nam horum vita decurtata fuit ad dimidium, imò plerique ad quartam partem vitæ priorum non aſcenderunt, *Phaleg*, *Regu*, *Serug*, *Nahor*, & *Thare* paulò ducenteſimum ſuperârunt, eorum ergò pueritia, & pubertas habere debuit quartam tantùm partem pueritiæ *Cainanis*, *Mahaleelis*, *Iaredis*, *Methuſalem*, & aliorum, qui nongenteſimum tranſgreſſi ſunt, quorum παιδοποιία, etiam ſecundum calculum Græcum, celebratur multò intra ducenteſimum, ergò iſtorum non

non debuit qninqnageſimum attingere, quod malum eſt argumentum ad probandum calculum Græcum annorum centum triginta.

Ad 2. Secundò argumentatur *Iſaacus*. Si *Arphaxad, Heber*, & alii tam maturè genuerint quàm vult codex Hebræus, tum potuerunt vidiſſe generationem à ſe decimamquintam, aut viceſimam. Atqui hoc eſt abſurdum. Reſp. De potentiâ nunquam deductâ in actum quid attinet quærere? Patet eorum nullum generationem decimam vidiſſe, idque ex ratione manifeſtâ, ſupponit enim argumentum poſterorum ſingulos genuiſſe anno triceſimo, atqui *Moſes* diſertè narrat *Tharam* non genuiſſe ante ſeptuageſimum, & (ſi *Iſaaco* credimus) centeſimum triceſimum, *Abrahamus* etiam genuit *Iſaacum* centeſimo, & *Iſaacus Iacobum* ſexageſimo, *Iacobus Reubenem* poſt octogeſimum.

Ad 3. Tertium ejus argumentum. Patriarchæ poſt fluvium non genuerunt anno circiter trigeſimo, cum diebus *Iſaaci*, quando vita hominum altero tanto erat brevior, quadrageſimus annus habitus ſit pro juvenili ætate. Reſp. Intelligit vir doctus juventutem *Iſaaci* de anno ejus nuptiali, quid huic argumento ineſt virium? Annus *Iacobi* nuptialis erat ſupra octogeſimum, *Iudam* tamen & *Benjaminum* oportuit duxiſſe uxores ante triceſimum, nam *Benjamin* in Ægyptum deſcendens ante ſuum viceſimum tertium pater erat filiorum legitimorum, non pauciorum quàm decem, & *Iuda* in ſuo quadrageſimo tertio duo erant pronepotes. Quid iſta ad rem præſentem?

Ad 4. Quartum viri docti argumentum. Abſurdum eſt (inquit) prorſus, & infelicis eſt judicii, qui exiſtimat contigiſſe, quod tamen Hebræus calculus ponit, *Noachum* vixiſſe ad *Abrahami* quinquageſimum octavum, & *Shemum* vidiſſe *Iacobum* à ſe decimum tertium. Reſp. Vix decuit virum doctum oppugnare expreſſam Scripturam meris aſſertionibus & conviciis; quid hic tandem abſurdi? quid in noſtra fide infelicitaris eſt judicii, ſi credamus generationem decimam à *Noacho*, & decimam tertiam à *Shemo* conſpectam? Annon ante fluvium *Adamus* vixit cum *Lamecho Noachi* patre annis ſexaginta ſex, & cum *Methuſala* ducentis quinquaginta tribus, & tamen *Methuſalem* ab *Adamo* fuit octavus, & *Lamech* nonus. Quid quod *Ephraim Iacobi* nepos, ut mox apparebit, diu poſt generationem ſuam decimam videatur continuâſſe dies.

Ad 5. Argumentum quintum. Varia ante *Abrahamum* regna erant conſtituta, & Dynaſtiæ Ægyptiacæ ab auctoribus ante illa tempora memorantur multæ, nulli tamen ex Gentilibus meminerunt *Noachi*. Præterea, ſi uſque ad *Abrahamum* vixiſſet *Noachus*, hoc *Moſes* non prætermiſiſſet. Reſp. Secula *Noachi* ſunt intra terminos temporis ἀδήλου de quo ſcriptores gentiles ſilent, tempus μυθικὸν poſt Diluvium cœpit, de quo nihil niſi fabulas habent ſcriptores *Ethnici*; & verò iſtæ fabulæ ſatis plenæ ſunt hiſtoriarum de *Iano*, qui geminâ ſuâ facie utrumque mundum conſpexit, qui edoctus à *Saturno* primus terram colere docuit & vites plantare, qui verus fuit *Prometheus Iapeti* pater potiùs quàm filius, qui primus hominibus luteis ignem de cœlo ſurreptum, ſcilicet prudentiam, inſinnavit, & Aſtronomiam docuit. Quod ad *Moſen*, is expreſſe ſatis *Noachum Abrahami* diebus vixiſſe declarat volentibus ſecundum textûs ſacri calculum diſertiſſimum, utriuſque annos inter ſe componere.

Sextum. Calculus Hebraicus facit, ut turris Babylonicæ extructio, diſperſióque gentium acciderint vix uno ſeculo poſt Diluvium, quando forſan tertius *Noachi* hæres nondum erat natus. Ut hanc difficultatem ſolvant quidam, mira comminiſcuntur, ſcilicet à Diluvio Patres anno duodecimo & priùs liberis gignendis operam dediſſe. Reſp. *Phaleg* quintus minimùm fuit à *Noacho*, & ſi opponenti credemus, ſextus; nec quiſquam, puto, affirmavit unquam Patriarchas poſt Diluvium dediſſe operam gignendis liberis anno duodecimo, nedum priùs; cùm eorum παιδοποιΐαν expreſſe ponat *Moſes* in anno ſupra viceſimum octavum, neque etiam, puto, quiſquam extructionem turris Babylonicæ unquam poſuit ante exactum annum à Diluvio centeſimum in ortu *Phalegi*, certè doctiſſimus *Iſaaci* pater *Ioannes Gerardus* in hoc ipſo libro, quem nobis dedit nihilo doctior filius *pag.* 53. probat diviſionem linguarum & gentium factam, non in ortu *Phalegi*, ſed mediâ ejus ætate centeſimo viceſimo octavo poſt Diluvium. *Ad 6.*

Septimum. Quotquot Judaicum ſequuntur codicem aſſignant regna *Semiramidis* & *Nini* anno quinquageſimo octavo poſt Diluvium, hoc autem abſurdum, ſtultum, & impoſſibile eſt. Reſp. Debuiſſet vir doctus ex illis omnibus aliquos nominâſſe, certè qui calculum Hebræum ſequuntur, *Nimrodi* regnum, qui procul dubio *Ninum* & *Semiramidem* anteceſſit, non inchoant ante centeſimum à Diluvio, &, ſi ſuo patri credat, ante ducenteſimum decimum octavum. Quæ de Dynaſtiis Ægyptiorum, & annalibus *Serum* tangit, proprio loco perpendemus. *Ad 7.*

Octavum. Secundum calculum Hebræum omittendus eſt *Cainan* junior, atqui *Ad 8.*

qui in hoc prorſus abſurdi ſunt viri docti, improbè ſentiunt, cùm dicunt LXX. Interpretes *Cainanem* addidiſſe, & multò improbiùs, cum *Lucam* Evangeliſtam horum fraude ſeductum erraſſe affirmant. Reſp. Parciùs iſta viris; de *Cainane* juniore mox ſuo loco, intereà vir doctus reverentiâ vel patris, vel ſui ipſius cohiberi debuit à tam atrocibus conviciis. *Voſsius* pater ab *Iſaaco* hic editus *pag.* 49. *Cainanem* juniorem negat unquam extitiſſe, textus Samaritanus, & *Ioſephus*, quos pro ſe ſtatim teſtes *Iſaacus* allegabit, *Cainanem* juniorem expungunt.

Ad 9. Nonum argumentum eſt veneranda auctoritas codicis Samaritani, qui planè hic cum Græco calculo convenit. Reſp. De *Cainane* nihil hic addam, ſed an verſio Samaritana ullius prorſus apud *Iſaacum* auctoritatis eſſe poteſt, cùm ejus calculum in Patriarchis omnibus ante fluvium omnino rejiciat? Cur majoris debent eſſe pretii in poſtfluvianis? Prætereà, an tam citò oblviſci potuit vir doctus, quæ ipſemet patris ſui nomine in hoc ipſo opere excudit *pag.* 50. *& ſeq.* Samaritanum codicem omnino diſcrepare tam à Græcis quàm Latinis in omnium poſt fluvium Patriarcharum vitis: certè res clara eſt in ſeptem, *Sala, Heber, Phaleg, Regu, Serug, Nachor*, & *Thare*, idque non in paucis annis, ſed in variis centenis, ſi de patris fide dubitet filius, facilis jam eſt inſpectio *Polyglottorum VValtoni* ſui in hac cauſa, etſi non in hoc argumento, ſocii.

Ad 10. Decimum eſt *Ioſephi* hiſtorici auctoritas, tempora ille poſt Diluvium ad *Abrahamum* numerat ſecundum Græcum, non Hebraicum hodiernum calculum, quod non feciſſet, niſi Hebraici olim codices incorrupti cum hodiernis Græcis concordâſſent. Ergò hodierni codices Hebraici corrigendi ſunt ad verſionem Græcam. Reſp. 1. Duræ admodum eſt digeſtionis Hebraicum textum ad *Ioſephi* hiſtoriam eſſe corrigendum, ac non potius hanc ad illum. 2. Quantillæ *Ioſephus*, ſaltem hodierni ejus codices vel manuſcripti, vel impreſſi in Chronologicis auctoritatis ſint, ſuprà dictum eſt. 3. Si *Ioſephi* hic auctoritati ſtandum eſſet, *Iſaaci* caderet cauſâ, diſertè enim tam in Græco quàm Latino codice loco citato Antiq. lib. 1. c. 6. affirmat à Diluvio ad *Abrahami* natalem fluxiſſe annos ducentos nonaginta duos; qui eſt ipſiſſimus calculus Hebræorum. *Iſaacus* ſuis oculis credens hoc non diffitetur, ſed, inquit, anni quos aſſignat ſingularibus Patriarchis à Diluvio ad *Abrahamum* aſcendunt ad 933. Reſp. Hoc eſt *Ioſephum* cum *Ioſepho* committere eâdem paginâ: quidni ergo dicendum in calculo particularium vitarum corruptum eſſe à Librariis textum, addendo ſingulis centenarium, qui in *Ioſephi* autographo nunquam extitit, certè interpres Latinus centenarium illum, ut vitium manifeſtum id non tantùm contra Hebraicam veritatem, ſed etiam contra ipſum *Ioſephum*, audacter expungit 4 Dato ſummas particulares *Ioſephi* eſſe veras ac integras, non hæ probant *Iſaaci* cauſam, nam contendit ille pro numero Græcorum codicum ait aſcendere ad milleſimum trigeſimum ſecundum, hic verò *Ioſephi* numerus non ultra nongenteſimum trigeſimum tertium vadit, qui à priore differt annis totis centum quadraginta novem. 5. Fatetur *Iſaacus Ioſephi* codices in annis à Diluvio ad *Abrahamum* valde à ſe ipſis diſcrepare, cum aliquando habeant ducentos nonaginta duos, aliquando trecentos quadraginta tres, aliquando trecentos octoginta tres. Num ex his aliquid certi, imò an quicquam veri poteſt elici, niſi ad Hebraicam veritatem componantur? 6. Affirmat hic *Iſaacus* diebus *Ioſephi* incorruptos fuiſſe codices Hebræos, ex qua autem verſione rectiùs colligi poteſt vera lectio textûs Hebraici diebus *Ioſephi*, quàm ex Chaldaica paraphraſi ipſiſſimo eo aut præter propter tempore conſcriptâ, hæc autem abſque ullâ variâ lectione in hunc diem calculum hodiernum Hebraicum in Patrum poſtfluvianorum vitis omnibus, ſequitur ad amuſſim. Denique cur alios *Iſaacus* premit auctoritate *Ioſephi*, cùm ibidem ipſe *Ioſephum* in tam multis deſerat? præter enim dicta, vult errare *Ioſephum* omittendo *Cainanem* juniorem & cum eo annos centum triginta, vult errare in natali *Abrahami* anno patris ſeptuageſimo, cùm non ante centeſimum triceſimum natus ſit, & in natali *Thare*, quem *Ioſephus* vult genitum *Nahori* centeſimo vigeſimo, cùm tamen codices tam Hebræi quàm Græci habeant ſeptuageſimum nonum.

Undecimum *Iſaaci* argumentum eſt ab antiquitate regni *Chaldæorum*, quæ cum Hebraico calculo ſtare non poteſt, *Calliſthenes* (ut refert Simplicius in 2. Ariſtotelis de Cœlo) ad *Ariſtotelem* Babylone ſcripſit eo anno quo *Alexander* urbem cepit, nullos Chaldæos obſervationes Aſtronomicas produxiſſe ultra annos mille nongentos & tres, hic numerus incidit ſecundum calculum Hebræum, in annum poſt Diluvium ſexageſimum primum, fieri autem non potuit ut tam maturè Chaldaicum regnum conſtitueretur: imò verò vulgaris calculus ab *Alexandro* ad primum *Beli*, ut videre eſt in *Voſsii* patris *Iſagoge. pag.* 54. eſt annorum mille nongentorum ſeptuaginta octo, qui *Calliſthenem* ſuperant annis *Ad* 11.

annis ſeptuaginta tribus, adeoque Diluvium annis decem. Quin & *Africanus*, ut habet *Scaliger* in fragmentis Chronici *Euſebiani* duas memorat Dynaſtias Regum Chaldaicorum, qui ante *Belum* regnàrunt annis quadringentis quadraginta, quos omnes ante Diluvium fluxiſſe oportuit, ſi Hebraico textui ſtandum. Reſp. Non debuit doctiſſimus vir talibus argumentis ſacrorum textuum veritatem oppugnare: quæ de Chaldæorum antiquitatibus extra Scripturas narrantur, putæ putæ ſunt fabulæ, & deliria. Ex libris ſacris Chaldæorum *Magi* proferebant res geſtas non modò ante Diluvium, ſed ante creationem pluſquam quadringentis millibus annorum, ut refert *Cicero* de Divinatione lib. 1. pag. 88. & ex eo *Lactantius* lib. 7. cap. 14. Quicunque Chaldæorum libri Dynaſtias *Africani* probant, iidem enormem illum *Ciceronis* numerum annorum quadraginta ſeptem millium teſtantur, hos autem *Cicero* vult deridendos, contemnendos, condemnandos ſtultitiæ, vanitatis, & imprudentiæ, imò judicandos mentiri, &, ut habet *Lactantius*, delirare.

Secundò. Quod de *Calliſthene* refertur, unius *Porphyrii* teſtimonio nititur, de quo ſua ſumpſit *Simplicius*: Apoſtatæ autem hujus nudum verbum Sacris literis nihil præjudicat.

Tertiò. *Porphyrii* de *Calliſthene* teſtimonium, ut illud refert *Simplicius*, nihil habet vel de regno, vel æra, vel urbe Babylonicâ, ſed tantùm de obſervationibus Aſtronomicis, quarum copiam à prima ſua origine gens illa Patriarchis familiariſſima habere potuit, diu ante ullum vel regnum, vel urbem apud ſe conditam.

Quartò. Dynaſtias illas ante *Belum* adducit *Africanus* nequaquam ex ſua ſententiâ ſed Chaldæorum, ſutiliter cum Ægyptiis de antiquitate contendentium, omnes enim tam Hebræi quam Græci ſcriptores, Chaldaici imperii fundatorem *Belum* ſeu *Nimrodum Nini* patrem conſtituunt, qui diu poſt illas Dynaſtias vixit.

Defenditur Scaliger contra Petavium. Quintò. Miſeret hîc Petavianæ protervię de doctr. temp. lib. 9. cap. 11. qui cùm rectè Chaldaicarum ac Ægyptiacarum antiquitatum vanitatem refutâſſet, involat, ut ſolet, in *Scaligerum*, ut falſum, ut abſurdiſſimum, ut Scripturæ contrarium, quòd Dynaſtias Chaldaicas & Ægyptiacas in periodo ſuâ Juliana ponat ex *Africano*, ac *Euſebium* taxet, quòd ab *Africano* in illis Dynaſtiis diſcedat, quæ regna Chaldaica & Ægyptiaca ante Diluvium collocant. Certè Jeſuiticus in maximum *Scaligerum* livor omninò gratis ſæpiùs effunditur: fruſtrà objicitur Dynaſtias illas Diluvium tranſcendere, hoc enim *Scaliger* diſertè fatetur, imò verò earum multas mundi creationem ſuperare docet, ſed calumnioſè inde infert *Petavius*, vel *Scaligerum*, vel *Africanum* ex ipſorum ſententia ullum Regem, vel ante creationem, vel ante Diluvium ponere: nulla, præter Jeſuiticam, impudentia, tam impiam, & atheiſticam abſurditatem viris præſtantiſſimis potuit affinxiſſe. Nequaquam enim *Africanus* ex ſua ſententia Dynaſtias proponit, ſed ut eas invenerat in *Manethone*, *Cteſia*, ac aliorum Paganorum libris, abſque ullâ variatione citavit, in multiplicem pro Religione Chriſtiana contra Paganiſmum uſum. Idem *Euſebii* & *Scaligeri* conſilium, quod temerè nimis, *Petavius* taxat. Certè ridiculum eſt argumentum; *Scaligerum*, quæcunque poſt tempus ſuum proleptícum in periodo *Iuliana* ponit, ea omnia ex ſua ſententia ponere: nam maniſeſtè lib. 3. Canonum Iſagogicorum ponit in periodo ſua *Iuliana* poſtularitiâ ante veram totas ſex Dynaſtias Ægyptiacas, continentes annos mille quadringentos ſeptuaginta novem: in verâ autem, non poſtulatitiâ periodo habet quinque Dynaſtias annorum ſupra ſeptingentos, epochas autem ſuas hiſtoricas non prolepticas incipit à creatione mundi, inde ad diluvium numerat epochas quæ continent Dynaſtias Ægyptiacas ab undecima ad decimamſeptimam, an unquam vel *Africano*, vel *Euſebio*, vel *Scaligero* quiſquam ſanus impoſuit, quòd quæcunque in ſuis temporum periodis ponebant, ipſi iſta amplexi ſint ut vera, licet ſacris literis, & omni rationi maniſeſtè contraria? Quantopere calumniatores iſtiuſmodi aberrant ab ipſo limine ſcopi doctorum illorum virorum, qui ſingulas periodorum ſuarum paginas in varias columnas dividebant, in quarum unâ memorata in Sacris literis, ſuis temporibus aſſignabant, in aliis aliarum gentium res geſtas, Aſſyriorum ſcilicet, Ægyptiorum, Græcorum, Romanorum, Afrorum, & aliorum, ſecundum iſtarum gentium domeſticos ſcriptores, quorum fidem nequaquam illi præſtabant, nedum ut ipſi omnia ab iſtis tradita certa perſuaſione amplecterentur: qui hoc aſſerat, putidiſſimam & infrunitam calumniam ſtruxerit. Quòd prætereà in *Scaligero* correctionem *Euſebii* taxat *Petavius*, id etiam ſactum injuriâ, quod demonſtratu ſatis eſſet facile, ſi his immorari putaremus operæ pretium.

Duodecimum *Iſaaci* argumentum eſt ab antiquitatibus Ægyptiacis. Quos hi, inquit, numerant anni, non poſſunt ſalvari per calculum Hebraicum. *Ad 12.*

Reſp. 1. Neque calculus Græcus ſalvare poteſt antiquitates Ægyptiacas, excurrunt

runt enim ad bis mille minimùm annos ultra creationem Ægyptiorum Rex *Menes*, qui poſt multorum ſeculorum heroas imperavit, ſervato etiam Græcorum calculo, ſi ipſi *Iſaaco* credimus, *Adamo* in ſuæ creationis initio, fuit æqualis.

Vaniſſimus homo Manethos.

2. Antiquitatum iſtarum auctor primarius eſt *Manethos*, à quo *Africanus* & *Euſebius* ſuas Dynaſtias Ægyptiacas deſumpſiſſe ſe profitentur, hunc *Iſaacus* mendaciſſimum hominem fateri cogitur, malè tamen in *Scaligerum* involat poſt *Petavium*, quòd ſummus vir *Africani* & *Euſebii* exemplo *Manethonis* fabuloſiſſimas Dynaſtias in ſua periodo *Iuliana* collocet, neque veros annos hiſtoricos ſacrarum literarum cum illis falſis componat, periodum ſtatuerit multorum ſeculorum poſtulatitiam & prolepticam ante mundi creationem.

3. Nihil lucratur *Iſaacus*, quòd rejecto *Manethone* ad *Eratoſthenem* confugit, præterquam enim quod *Eratoſthenis* fides ſolis Ægyptiacorum ſacerdotum narrationibus nitatur, quas multò accuratiùs *Eratoſthene* aut quovis alienigenâ cognovit *Manethos* ſacerdotum Ægyptiacorum princeps ac quaſi Pontifex, ad ipſum *Ptolemæum* Ægypti Regem ex archivis hieroglyphicis eas antiquitates deſcribens.

Etiam Eratoſthenes.

4. Ipſius *Eratoſthenis* Dynaſtiæ longè excedunt Græcum calculum, nam quæ *Eratoſtheni* vult *Iſaacus Africanum* & *Euſebium* aſcribere, ea nituntur *Diodori* Siculi teſtimonio: certè *Iſaacus Eratoſthenis* & *Diodori* calculum facit unum & eundem, jam verò ſecundum *Diodori* numeros, à *Mene* primo Ægyptiorum Rege mortali ad *Buſiridem* fluxerunt anni ſupra mille quadringentos, & à *Buſiride* ad *Phaaronem* tot millia, ut *Eratoſthenis* ac *Diodori* calculus non minùs intra Diluvium, vel etiam intra creationem contineri poſſit, quàm ipſius *Manethonis*.

5. Planè *Diodorus* in libro ſuo primo affirmat in rebus Ægyptiacis nullam ſe firmitatem fide dignam, ὐδὲν παράπηγμα πιςευόμενον repetire ante tempora Trojana, accepiſſe quidem ſe dicit à Sacerdotibus Ægyptiacis heroas à Sole regnâſſe annos octies decies mille, & poſt eos homines mortales ante ſuum in Ægyptum iter regnante *Ptolemæo Dionyſio* juniore annos quindecies mille. An ad hanc Chronologiam, cui ipſe *Diodorus* nullam adhibet fidem, Sacræ Scripturæ calculus corrigendus eſt?

Denique iſto concludit argumentum ſuum *Iſaacus* epiphonemate, nemo quiſquam, ut opinor, de argumentorum noſtrorum firmitate dubitabit, niſi qui aut hæc non intelligat, aut veritatem oderit. Reſp. Procul hæc abſunt à patris modeſtiâ: durum eſt veritatis odium cuiquam ingenuo impingere, ſed multorum ſors eſſe poteſt, quòd multa in ratiociniis *Iſaaci* non valeant capere, ego quidem inter alios profiteor (ſi rectè intelligo argumenti hujus *Iſaaciani* proſecutionem) pleraque in ea niti videntur leviſſimis conjecturis, quæ nullius cordati ſerium examen valent ſuſtinere.

Ultimum viri doctiſſimi argumentum, quod ipſe invictum vocat, ſumitur ex Chronologia certiſſima *Serum* ſeu *Chinenſium*: Illi (inquit) hiſtoriam habent continuam Regum ab annis quater mille quingentis, qui ſecundum calculum Hebraicum prævertent Diluvium multis annis.

Invictum Iſaaci argumentum refutatur.

Reſp. Quis fidem faciet certitudinis Chronologiæ Sericæ? Sit genus illud hominum omnium quotquot unquam fuerunt doctiſſimum (quod tamen, ut arbitror, nulli ſano vir doctus unquam perſuaſerit) quid tamen vetat illorum Chronologiam æquè fabuloſam eſſe, ac Chaldæorum, Ægyptiorum, Græcorum, & Latinorum in literatura Chinenſibus nihilo inferiorum?

Chronologia Serum nullius hîc ponderis.

2. Quis præſtabit Auguſtinianos monachos (nam ipſorum ſolâ fide nituntur Chinarum Dynaſtiæ lib. 2. canonum *Iſagogicorum* à *Scaligero* deſcriptæ) certò cognoviſſe in archivis Chinenſium cuſtodita ſcripta diebus *Moſis* antiquiora? Non negat *Iſaacus Ludovicum* Vivem virum graviſſimum, & literatiſſimum hiſtorias illas Monachorum de Chinenſium antiquitatibus pronunciare fabuloſas nugas.

3. Ingenuitatem ipſius *Iſaaci* teſtamur, an æquum exiſtimet ut Hebraicus textus reformetur ad nugaces Chinenſium Dynaſtias, quæ ſecundum *Schaligerum*, totis annis quingentis aſcendunt ſupra Diluvium, an verò ut illæ per ſacrum *Moſis* textum corrigantur?

Malè refutat Voſſius Præadamitas.

Ex ultimo ſuo hoc argumento adducit vir doctus duo corollaria. Prius eſt ex hac ſua aſſertione magis corruere ſcriptoris Præadamitæ conatus, quàm omnibus adverſariorum argumentis. Reſp. è contrario videri aſſertionem *Iſaaci* animam dare morienti Præadamitarum ſectæ, ejus auctor (non, ut vult vir doctus, multis ac magnis propoſitis præmiis ac pœnis, ſed confutationum evidentiâ convictus) ſententiam mutavit; *Iſaacus* verò gentium antiquitatem, multis annorum centuriis ante *Adami* creationem aſſerens, apertè profitetur, ſi non ante *Adamum*, tamen ante illud tempus, quo Chriſtiani penè omnes Proteſtantes ac Pontificii, ſecundum Hebraica Biblia *Adamum* & orbem creatum credunt, aliquot annorum millia fluxiſſe, & verè etiam fatetur nimiam

gentium

gentium antiquitatem à quibuſdam aſſertam, non tantùm Præadamitis, ſed antiquis Philoſophis, multiſque hodie, ut ante, viris doctis ac gravibus occaſionem præbuiſſe mundi contra Scripturas æternitatem ſtatuendi, ac conſequenter Dei ex mundo, ac ipſa rerum natura exterminandi, in hunc tandem nervum hominum cerebroſorum magis quàm doctorum veſania erumpit.

Peſſimè negat Diluvium univerſale. Alterum corollarium eſt errare Præadamitam, dum negat Diluvium *Noa* fuiſſe univerſale. Reſp. Quid igitur *Iſaaco* venit in mentem, ut iſtum etiam tam craſſum errorem ab ipſo Præadamitâ jam revocatum multifariæ ſuæ eruditionis tutelâ velit dignari? nihil attinet Diluvium verbis univerſale vocare, quod variis argumentis pro viribus conaris probare valdè anguſtum & particulare, inundationem ſcilicet, ut loquitur, vix centeſimæ partis terrarum contra expreſſiſſimas Scripturas Geneſ. 8. v. 9. *Aquæ erant ſuper univerſam terram.* Et 7. verſ. 19. *Operti ſunt omnes montes excelſi ſub univerſo cœlo.* Quæ in contrarium affert vir doctus argumenta talia ſunt, ut, quam ipſe *Scaligero* ac *Petavio* pag. 21. cenſuram impoſuit, jure mereatur, frigida ſcilicet eſſe, nec confutatione digna.

Waltoni argumenta refutantur. Accedamus jam ad *Briani VValtoni* ſuppetias. Prolegomeno 9. num. 63. calculus, inquit, Hebraicus Aſſyriaci imperii initium ſtatuit anno poſt Diluvium centeſimo quinquageſimo, hoc autem non eſt credibile. *Primum.* Reſp. Initium regni Aſſyriaci valde eſt apud doctos incertum; ſed eſto inceperit in *Nimrodo* ſeu *Belo* anno dicto, cur non eſt credibile? Omnino nihil *VValtonus* affert contra iſtam communem doctiſſimorum inter Proteſtantes, & etiam Pontificios fidem; certum eſt æquiorem eſſe *VValtonum*, quàm ut arbitretur mundum doctorum fidem ſuam ſacris literis innixam nudâ ipſius contradictione nullo argumento ſuffulta poſſe deponere.

Secundum. Secundò. Calculus Hebraicus (inquit) efficit, ut *Noach* ac *Shem* vixerint diebus *Abrahami*, & etiam *Iſaaci* ac *Iacobi*, hoc autem non eſt credibile: quia neque Sacræ literæ, nec profanæ tum temporis eorum meminerunt, quaſi in longinquas inſulas procul ab *Abrahami* conſortio deportati fuiſſent, & verò iis diebus magna erant in terris bella, inter *Noa* poſteros, quos communis pater, ſi tunc vixiſſet, facilè compreſſiſſet. Reſp. Superiùs dictis ad idem *Voſſii* argumentum addimus, auctores profanos geſtorum in ſeculis illis ἀδήλοις pauciſſimorum meminiſſe; *Moſen* verò in hiſtoriâ poſterorum non ſolere majorum ullam mentionem facere, *Adami* hiſtoriam ante *Sethum* claudit, & *Sethi* ante *Henochum*, an *Methuſala* centuriis aliquot annorum cum *Noa* non vixerit, eo quòd in hiſtoriâ *Noa*, nulla *Methuſalæ* fiat mentio?

Deinde. Quid Patrum auctoritas objicitur, quaſi *Adamus* ſcelera poſterorum per mille annos cohibere valuiſſet, certè *Shem*, *Arphaxad*, & alii Patres non valuerunt *Nimrodum*, & ſocios à rebellione in Deum in ædificatione turris Babylonicæ cohibere, nonne ſeculorum iſtorum, & omnium erat & eſt infelicitas, quòd optimi parentes pravos poſteros à bellis, cædibus, adulteriis, & quocunque ſcelere non poſſint, nec unquam potuerint avertere.

Tertiò. Diebus (inquit) *Abrahami* multa erant ampliſſima regna, *Ninus* & *Semiramis* exercitus propè innumerabiles eduxerunt, annis præter propter trecentis poſt Diluvium, ſi calculus Hebræus ſtet; impoſſibile autem eſt eouſque multiplicatum genus humanum, tam parvo temporis ſpatio. *Tertium.* Reſp. Regna diebus *Abrahami* fuerunt quidem multa; nam unaquæque tum civitas ſuum habebat Regem, ſed de multitudine populi nihil certò conſtat. Quæ de numero exercituum *Nini*, *Semiramidis*, & *Staurobathi* memorantur à *Diodoro*, & aliis rectè à *Petavio* habentur pro falſiſſimis fabulis, &, ſi iſta credimus, cur non eadem fides habenda eſt *Diodoro*, *Herodoto*, & *Iuſtino* in hiſtoriâ *Seſoſtris*? Quidni ergò credimus *Seſoſtrin* cum multò majore exercitu totam *Aſiam*, & magnam *Europæ*, ac *Africæ* partem, plus quàm octingentis ante Diluvium annis in duodecimâ ſcilicet Ægyptiorum Dynaſtiâ ſubjugâſſe.

Deinde in temporibus humanæ fœcunditatis ſingulariſſimæ ex divinâ benedictione & conſilio terram replendi hominibus variis rationibus oſtenditur facillimè in annis ducentis filiorum *Noa* multiplicatio propè infinita. De modo *Capelli*, & alio *Calviſii* mox, hoc loco *Petavius* etiam proponit ſuum, contra quem *VValtoni* objectiones non videntur ponderoſæ. Supponit *Petavius* (inquit) multa quæ non probat, nimirum 1. Omnes poſt Diluvium vixiſſe annis trecentis. *Defenditur Petavius contra Waltonum.* Reſp. Nihil tale ſupponit *Petavius*, præterea non eſſe durum poſtulatum ſupponere ordinariam hominum vitam à Diluvio ad initium regni Aſſyriaci à Patriarcharum iſto tempore viventium diebus non valde diſtâſſe, jam verò omnes Patriarchæ ad *Phalegum*, qui diebus *Nimrodi* vixit, ſuperârunt non tantùm trecentos, ſed etjam quadringentos annos.

Secundò objicit *VValtonus*, quod ſupponat *Petavius* omnes tum temporis generaſſe anno vitæ decimoſexto. Reſp. Si ſuppoſuiſſet iis diebus homines generâſſe perfectâ pubertate, multò maturiùs anno decimo ſexto, nihil in eâ ſuppoſitione fuiſſet

abſurdi, ſed eam ſuppoſitionem *Petavius* expreſſè rejicit, nec ante decimumſeptimum quenquam vult generâſſe, imò ſi vigeſimoquarto anno genuerint, ſatis facit ad *Petavii* inſtitutum.

Tertiò objicit *VValtonus* ſupponere *Petavium* neminem iſtis annis trecentis fuiſſe mortuum, cùm tamen frequentibus, quæ tunc fuerunt, bellis, multos occubuiſſe neceſſe ſit. Reſp. Nequaquam hoc ſupponit *Petavius*, tantùm poſtulat viris ſingulis octo liberos mares dari ab anno decimo ſeptimo ad vigeſimum quartum, extentio illorum parum detrahit *Petavii* inſtituto, imò ſi decies centies mille pro mortuis ex ejus calculo ſubducas, remanebunt ex tribus *Noa* filiis ſat magna multitudo ad innumerabiles exercitus comparandos.

Quartum.

Quartum *VValtoni* argumentum. Hebraicus calculus (inquit) ſupponit *Abrahami* & *Saræ* diebus vixiſſe ipſorum abavos, & tritavos, nihil ergo erat quod miraretur *Sara Abrahamum* anno ejus centeſimo genuiſſe, aut ſe ſuo nonageſimo concepiſſe: nam generationes iſtiuſmodi in ſuis majoribus ſecum viventibus erant frequentes. Reſp. Diebus *Abrahami* decurtatam fuiſſe vitam humanam longè ultra dimidium ſuorum majorum, præterea ſupponit calculus Hebraicus vixiſſe quidem poſt *Abrahæ* nativitatem multos ejus majores, ſed quòd eorum quiſquam liberos tunc genuerit, nequaquam ſupponit, nedum ut ulla mulier diebus *Abrahami* ordinariè concipere potuerit anno ſuo nonageſimo.

Plura non video *VValtonum* addidiſſe *Iſaaco* argumenta, quæ ipſius *VValtoni* ingenuitas poſt reviſionem judicet, num tanti roboris ſint, ut fundamentum dent duriſſimo ſuo in contraria ſentientes ſarcaſmo, vulgus hi omnes ſint oportet Chronologorum, quibus nihil eſt curæ ſe ex ἀπορίαις, & abſurditatibus expedire; quibus nil intra eſt oleam, nil extra eſt in nuce duri: in vulgo hoc Chronologorum ſtant, ipſo *Briano* & *Iſaaco* lubenter fatentibus, magni, ſi non maximi viri, *Joſephus Scaliger*, *Petavius*, *Gerardus Voſſius*, *Ludovicus Capellus*, & alii magno numero, ſed nobis ante omnes eſt Dei Spiritus in authenticis Scripturis, quas vellemus non oppugnatas à doctiſſimis viris, ut nobis quidem videtur, argumentis valde indignis ipſorum nomine.

Dio poſt hæc dictata incidit in manus meas doctiſſimi viri Profeſſoris Hiſtoriarum Leidæ contra *Iſaaci Voſſii* diſſertationem Diatriba: gaviſus ſum in re ipſâ totâ doctiſſimi viri mecum conſenſum, variis argumentis à me prætermiſſis ſuffultum.

Ad Quæſt. 2. Epocha ſecunda.
De Iuniore Cainan.

Malè Waltonus ſopitam de Cainano juniore litem reſuſcitat.

GRavis hæc valdè de *Cainane* juniore lis magnis multorum virorum doctiſſimorum laboribus ſopita & propemodum ſepulta fuit (ut pauci admodum dubitârint de inſititii *Cainanis* figmento) donec novis nuper conatibus *Iſaacus Voſſius*, & *Brianus VValtonus* homines doctiſſimi eam denuò in lucem protraxerunt, idque eo expreſſim fine, ut divinâ *Lucæ* auctoritate tanquam argumento irrefragabili Hebraicorum codicum authentiam everſum irent, eorumque corruptionem demonſtrarent, quandoquidem in Chriſti genealogiâ *Lucas* Cap. 3. L X X. Interpretes ſequutus, Hebraicos codices deſerat. Ex Davidis, adeoque Chriſti genealogiâ Biblia Hebraica Gen. 10. v. 4. & 11. 13. ſ. etiam Paral. 1. verſ. 18. *Cainanem* juniorem expungunt, Græci autem interpretes addunt, *Lucas* hos ſequendo illorum vitium, horum integritatem hac ſaltem ex parte demonſtrat. Pleroſque ex ipſis Jeſuitis tetri hujus argumenti, & concluſionis multò teterrimæ jamdudum ita puduit, ut nobiſcum apertè ſociarent arma ad futilitates has contundendas: fortia valdè oportuerat fuiſſe & multò validiora tela *Voſſii* & *VValtoni*, quàm *Salmeronis*, *Tornielli*, & *Saliani*, quæ ipſorum ſocii *Cornelius à Lapide*, *Petavius*, *Poſſinus*, & alii dudum confregerunt, utcunque, tentemus quâ hi fiduciâ nixi bellum hoc in noſtris Eccleſiis redintegrent.

Iſaaci Voſſii acerbiſſimus convicia.

Iſaacus ubi ſuprà *pag.* 20. incipit ab atroci convicio: In *Cainane* (inquit) expungendo prorſus abſurdi ſunt viri eruditi plus tribuentes Judæis librariis, quàm Evangelicæ veritati. Reſp. Jeſuiticam hanc maledicentiam comprimere debuiſſet in *Iſaaco* reverentia ſaltem erga duos, quos hoc ipſo in opere eximiè commendavit, intelligo *Ludovicum Capellum*, & ipſius toto orbe notum doctiſſimum parentem *Joannem Gerardum*, hic Iſagoges ab *Iſaaco* editæ *pag.* 50. ille Chronologiæ ſuæ ſacræ à *VValtono* typis datæ *pag.* 7. *Cainanem* inſititium expungunt iis argumentis, quibus neque *Iſaacus*, neque *Brianus* conantur reſpondere.

Pergit *Iſaacus* in conviciis & acerbiſſimis calumniis: Improbè (inquit) ſentiunt cùm dicunt L X X. ſeniores viros ſanctos propriâ libidine *Cainanem* iſtum addidiſſe, multò verò improbiùs, cùm dicunt Evangeliſtam *Lucam* eorum fraude ſeductum erraſſe. Reſp. Curſione ullo merito, ſuo patri vir doctiſſimus tam immanem improbitatem impingit? Ecquis unquam in Eccleſiâ reformatâ ſcriptorem ullum θεόπνευστον damnavit erroris, aut cujuſquam fraude ſeductum

ctum affirmavit? Sed non mirandum patres & fratres valdè immeritis convicus & calumniis conculcare, qui ibidem involat in authenticos S. Scripturæ textus, eos (quod horreorepetens) blaſphemando, ut librarios Judæos oppoſitos Euangelicæ veritati. Ignorare non potuit vir doctus communem Proteſtantium ſententiam, prout eam defendunt *Spanhemius*, *Usherus Boshartus*, & alii multi, eximere Sacros Scriptores, tam *Moſen* quàm *Lucam*, imo ipſos L X X. Interpretes ab omni hîc errore, & quicquid eſt in inſitione *Cainanis* culpæ totum adſcribere ſolis librariis, ſeu ex incuriâ, ſeu de induſtriâ, parum ad rem & factum, quæ ſola controvertuntur.

Iſaaci pro Cainane argumenta refutantur. Primum.

In argumentis *Iſaacus* eſt Laconicus valdè quatuor profert his verbis. Primum. Fidendum (inquit) exemplaribus. Reſp. Hoc eſt quod noſtri inculcant, fidendum exemplaribus *Moſis* & auctoris Paralipomenon, in quibus *Cainan* junior nuſquam apparet; non autem fidendum exemplaribus Interpretum Græcorum, qui homines fuerunt lapſibus obnoxii, quorum exemplaria in ipſo cap. 11. Gen. jam præ manibus multis erroribus ſcatent.

Secundum.

Secundum *Iſaaci* argumentum. Credendum auctoritati beati Lucæ. Reſp. abſit ut nos eam vocemus in dubium, licet irreptitium incuriâ tranſcribentium errorem ex multis manuſcriptis antiquis emendemus.

Tertium.

Tertium argumentum. Fidendum totius veteris Eccleſiæ cenſui. Reſp.. Jactantiam hanc valdè vanam mox retundemus, cùm à *VValtono* repetetur.

Quartum.

Quartum. *Cainanem* agnovit *Beroſus* Chaldæus, cum *Abrahamum* ſcribat decimum eorum Patriarcharum qui poſt Diluvium nati ſunt, ut habet *Ioſephus* Antiq.lib.1.cap. 7. Reſp. Magna hîc *Iſaacum* cepiſſe videtur incogitantia: nam, ſi quid vel in *Ioſepho*, vel in *Beroſo*, aut *Eupolemone* citatis à *Ioſepho* ſit auctoritatis, *Iſaacus* totâ cadet causâ, numerando enim *Cainanem* juniorem, *Abrahamus* non erit decimus, ſed undecimus à Diluvio.

Refutantur argumenta Waltoni.

Iſta *Iſaacus*. Audiamus jam *Brianum* Proleg. 3. num. 64. pronunciat hîc decretoriè Euangeliſtam Lucam Græcum computum Hebræo præferre, & pro L X X. Interpretibus in hac causâ ſententiam ferre, ita ut vix negari poſſit lectionem L X X. veriorem eſſe. Reſp. Novit doctiſſimus vir quot à variis eruditis reſpondeantur pro ſervando calculo Hebræo, licet tam in L X X. quàm Lucâ *Cainanis* nomen continuaretur; illa non debuerunt hic contemni, non enim vel in perſonis afferentibus, vel rebus allatis tam leve momentum, ut hi negent vel in L X X. Interpretibus, vel in Lucâ initio *Cainanem* extitiſſe, & poſtea incuriâ librariorum irrepſiſſe affirment illud nomen (ſeu in L X X. ac ex iis in Lucam, ſeu primò in Lucam, ac exinde in iſtos parum refert) iſta *Brianus* non valdè digno vocabulo vocat ſubterfugia, ſed cum hoc eſt à *Briano* probandum, habemus pro argumentis mera dictata.

Primum. In omnibus *Codicibus* etiam antiquiſſimis nomen *Cainanis* legitur tum apud L X X. Interpretes, tum apud Lucam. Reſp. Quàm temerarium eſt hoc effatum, cùm *Spanhemius*, *Uſſerius*, *Grotius*, & *Boshartus* in ipſis locis hîc à *Briano* citatis contrarium demonſtrant argumentis, ad quorum pleraque omninò nihil reſpondet, & ad pauca quæ affert, nihil reſpondet ſolidi, ut mox videbimus. *Primum.*

Secundò, inquit, inter veteres Eccleſiæ Scriptores, nemo eſt qui aliter legerit. Reſp. Cùm impudentiſſimus Monachus *Antonius Contius* tale quid aſſeverâſſet, *Uſſerius* conſcio *VValtono* de *Cainane* pag. 179. producit ſupra duodecim Scriptores antiquos, qui *Cainanem*, & omnes ejus annos ex Chronologiâ ſacrâ expunxerunt. *Secundum.*

Tertiò. Apud omnes (inquit) Eccleſias, ubique terrarum, ad hunc uſque diem conſtanter retinetur *Cainan*. Reſp. Donec latum hoc ſuum aſſertum aliquo tibicine ſtatuminet, ei oppono, in nullâ Eccleſia neque Græcâ, neque Latinâ conſtanter retentus eſt *Cainan* hoc argumento. Qui omnes *Cainanis* annos omiſêre, ipſum *Cainanem* omiſerunt, certè omittere debuerunt. Majorem hanc ipſe *Brianus* mox admittet: Atqui omnes Eccleſiæ *Cainanis* annos omiſerunt. Vide *Baronium* ad Martyrologium Romanum Decembris 25. ubi Chronologiam ab initio Mundi ad Chriſti natalem, ab Eccleſiâ tam Græcâ quàm Latinâ, uſurpatam ex tabulis Eccleſiaſticis recitat, prout eas *Euſebius* Cæſarienſis olim concinnavit, ſatis quidem in multis malè, ita tamen ut manifeſtò *Cainanis* junioris omnes anni expungerentur. *Tertium.*

Quartò. Ab ipſis (inquit) Apoſtolorum temporibus nemo quiſquam auſus eſt, excepto uno *Bezâ*, vel ex L X X. Interpretibus, vel ex Euangeliſtâ Lucâ *Cainanem* expungere. Reſp. 1. non longinquiori quàm proximo poſt paucos verſus paragrapho *VValtonus* hoc revocat. 2. Præter *Bezam* *Cartvvrightus* in ſuâ Euangeliorum Harmoniâ, & *Deodatus* in ſuis Bibliis Italicis ac Gallicis ex Lucæ textu *Cainanem* expunxerunt, an *VValtono* *Cartvvrightus* & *Deodatus* ut meræ umbræ *Theodori Bezæ* homines nulli ſunt? 3. *Scaliger* initio Proleg. ad Chronicon *Euſebii* teſtatur antiquiſſima Lucæ exemplaria *Cainanem* omittere. 4. *Irenæus* & ejus ſeculo Eccleſiæ videntur in audacia expungendi *Cainanis* tam ex Veteri *Quartum.*

quàm Novo Teſtamento præiviſſe, cùm *Irenæus* lib. contra hæreſes 3. cap. 33. circa initium profiteatur, ab *Adamo* ad Chriſtum legiſſe ſe generationes tantùm ſeptuaginta duas; quod ſi *Cainan* admittatur, erunt ſeptuaginta tres. 5. *Epiphanius* hæreſi 55. *Melchiſedecianorum*, dum particulariter recitat ſingulos Patriarchas cum ſuis annis, *Cainanem* juniorem & ejus annos omninò præterit. 6. *Iulius Africanus* ſummus Patrum omnium Chronologus, etſi ſeculi ſui vitio in quibuſdam lapſus ſit, *Cainanem* juniorem expunxit. 7. *Euſebius* Cæſarienſis, & alii *Africanum* in hoc ſequuntur. 8. Fatetur *VValtonus* in multò antiquiſſimo manuſcripto ante mille ducentos annos literis capitalibus exarato in *Irenei* Monaſterio Lugduni reperto; quod *Beza* Cantabrigienſi Academiæ dono miſit, *Cainanem* apud Lucam omiſſum: ſed nullius auctoritatis hoc manuſcriptum *VValtonus* vult, eo quòd multa aliter legat quàm libri communes, & in illo ipſo capite tertio Lucæ magnam ex Matthæo laciniam mutuetur. Reſp. Si *VValtonus* antiquiſſimis manuſcriptis auctoritatem omnem detraher, eo quòd aliter legant in locis quibuſdam, quàm pleraque alia manuſcripta recentiora; latam pandet portam ad varia optimæ notæ manuſcripta prorſus enervanda. Manuſcriptum *Vaticanum*, & etiam *Alexandrinum* in ipſo capite Gen. 11. præter additionem *Cainanis* multas in numeris lectiones continent, quas ſpurias, & rejectitias non diffitebitur, puto, *VValtonus*, certè fatentur *Salianus*, *Torniellus*, *Henricus Philippi*, & alii multi doctorum qui pro *Cainane* ſtant, an propterea tamen duo illa manuſcripta præſtantiſſima omnem in aliis auctoritatem perdent?

Refutantur Waltoni reſponſiones.

Reliquus hic *VValtoni* labor eſt, non ſtabilire ſua, ſed evertere aliena, optaſſem etiam in hoc majorem ipſorum operam inſumpſiſſe, nam omnino tranſilit *Spanhemium*, *Bochartum*, *Petavium*, *Cornelium*, & alios multos, qui ſeriò & fusè quæſtionem hanc tractant, ſolique *Grotio* & *Uſſerio* reſpondet; in argumentis *Grotii* varia omittit intacta, utcunque quæ profert, perpendamus.

Objicit (inquit) *Grotius*, quòd *Africanus*, *Theophilus Antiochenus*, *Euſebius* in Chronicis, *Epiphanius* nomen *Cainanis* omittant, & *Ioſephus*, & antè eum *Beroſus* ac *Eupolemon Abrahamum* à *Noah* decimum agnoſcant, qui erit undecimus, ſi inſeratur *Cainan*. Replica. Cur omittit *Irenæum*, *Origenem*, *Procopium Gazæum*, & ipſos LXX. Interpretes optimæ notæ, quos *Africanus*, & *Euſebius* acceperunt ab *Origine*? Cur omittit Paraphraſin, Chaldaicam, & textus Samaritanos à *Grotio* citatos? Ad ea quæ producit, reſpondet tria; quantopere ad rem quivis judicet.

Primò. Antiquiſſima (inquit) exemplaria Græca etiam ante Chriſti tempora habuerunt nomen *Cainanis*, ut probat *Uſſerium* ex Chronico *Demetrii*. Replica 1. Nihil omninò hoc eſt ad controverſiam præ manibus. Exiſtimat *Grotius*, ante quartum à Chriſto ſeculum, neque in LXX. Interpretes, neque in textum *Lucæ* irrepſiſſe nomen *Cainanis*, ſed tum demum à quibuſdam librariis corrupta quædam *Lucæ* exemplaria, ac poſteà LXX. Interpretes eſſe corruptos. *Uſſerius* contra exiſtimat LXX. Interpretum verſionem communem diu ante Euangelii tempora fuiſſe corruptam, & ab eâ in *Lucæ* textum irrepſiſſe errorem. Novit *VValtonus* nequaquàm à *Grotio* diſſentire *Uſſerium* in re: arbitratur enim cum *Grotio Cainanis* nomen verè ſuppoſititium irrepſiſſe, tam in LXX. quàm in *Lucam*, utrum autem priùs in LXX. & poſterius in *Lucam*, ſeu an error fluxerit, à corrupto *Lucæ* exemplari in LXX. an verò potiùs ex corrupto LXX. Interpretum exemplari in *Lucam*, nihil omnino facit ad rem noſtram. Hic tantùm noto, probare *VValtonum Uſſeriani* argumenti ex *Demetrio* firmitatem, quòd à *Cainanis* annis ad *Cainanem* valeat conſequentia; ita ut *Demetrius*, licet nullam *Cainanis* mentionem faciat, exiſtimandus tamen ſit pro *Cainane* ſtare, eo quòd cum annorum calculum à Diluvio ad *Abrahamum* numeret qui παρὰ γονὴν *Cainanis* anno ejus centeſimo triceſimo ſupponit.

Secunda *VValtoni* reſponſio eſt, certum eſſe *Euſebium* & *Epiphanium*, licet *Cainanis* nomen alicubi omittant, tamen alibi exprimere, nunquam negare. Replica reſponſionem hanc non ſatisfacere. Nam 1. multos Patres adduxerat *Grotius* qui *Cainanem* omiſerunt, quibus *VValtonus* nihil omnino reſpondet. Quid ad *Origenem* qui in hac re omnium mortalium erat exercitatiſſimus 15 tractatu in *Ioann.* 2. *Abrahamum* affirmat viceſimum ab *Adamo* & decimum à *Noa*? Vera hæc non ſunt, niſi *Cainan* junior expungatur. Quid ad *Procopium Gazæum* in Gen. 11. qui teſtatur vidiſſe ſe in manuſcripto Græco *Cainanis* nomini & annis *Origenis* obelum præfixum? Quid ad *Irenæum*? Qui contra hæreſes lib. 3. cap. 33. affirmat ab *Adamo* ad Chriſtum generationes eſſe ſeptuaginta duas, niſi autem expungatur *Cainan* junior, erunt, ut ſupra dictum, ſeptuaginta tres. Quid ad *Iulium Africanum*, qui in calculo à Diluvio ad *Abrahamum*, *Cainanem* cum ſuis annis expungit? Quid *ad Theophilum Antiochenum*, cujus idem eſt calculus? Fateor editione tertia Bibliothecæ Patrum *Theophilum Cainanem* nominare, ſed in editionibus

nibus magis correctis, quibus *Grotius* & *Uſſerius* uſi ſunt, *Cainan* à *Theophilo* fuit expunctus. Quid ad *Hieronymum*, qui in quæſtionibus ad Geneſin, ubi omnes inter Hebræum textum & LXX. Interpretes differentias accuratè ſe obſervare profitetur, nullum de *Cainane* verbum facit, ſic apertè ſignificans, non magis ſuis quàm *Africani* aut *Theophili* diebus in LXX. Interpretum exemplaribus melioris notæ *Cainanem* juniorem uſquam comparuiſſe. Ad horum nullum quicquam *VValtonus* reſpondet.

Secundò. Quod de *Euſebio* aſſerit certum, videtur falſum: nam ubi locorum meminit *Euſebius Cainanis*? Quod *Salianus* citat de primo ejus libro Chronicorum cap. 2. rectè monet *Uſſerius* librum iſtum *Euſebii* eſſe corruptiſſimum, & tot in eo aſſumenta ex variis auctoribus contineri, ut inde *Euſebii* mens non debeat quæri. Certè non opus fuit *Euſebio* expreſſius negare *Cainanem* quàm fecit in genuino ſuo ſcripto, canone ſcilicet Chronico Græco, ubi paulò poſt initium ter delet *Cainanis* tam nomen quàm annos, numerans decem Patriarchas & eorum annos 1. ſecundum LXX. Interpretes puros ex *Origenis* Hexaplis, tum ſecundum *Africanum*, & 3. ſecundum ſuum calculum, ubique omne *Cainanis* veſtigium deletur.

Quod ad *Epiphanium* hæreſi *Melchiſedecianorum* 52. ubi Patriarchas & eorum annos accuratè numerare neceſſe habet, ad evertenda hæreticorum fundamenta, nullum de *Cainanis* vel nomine vel annis eſt verbum. Si in Panario, aut alibi, ubi obiter & in tranſcurſu ex editione communi, non illâ integrâ *Origenis* meminerat *Cainanis*, non debet hoc genuino ejus teſtimonio præjudicare.

3. Tertia *VValtoni* reſponſio eſt, poſſibile eſſe codices Græcos *Euſebii* tempore nonnihil variâſſe, & in quibuſdam *Cainanis* nomen inſertum eſſe, in quibuſdam non: Replica 1. Hæc eſt, *VValtoni* revocatio duræ nuper in *Bezam* cenſuræ; quaſi is primus & ſolus auſus fuiſſet expungere *Cainanem*. En jam agnoſcit ipſius *Euſebii* diebus varia exemplaria Græca multò ante natum *Bezam Cainane* caruiſſe; quidni etiam confeſſionem hanc interpretemur conceſſionem totius quæſtionis? nunquam negavimus quædam, & fortaſſe multa exemplaria Græca tam *Lucæ* quàm LXX. Interpretum corrupta *Cainanem* expreſſiſſe, tantùm affirmavimus alia exemplaria melioris notæ, *Origenis* ſcilicet, *Africani*, *Irenæi*, *Theophili*, *Euſebii*, & ſimilium doctiſſimorum Patrum ab hac corruptione libera, *Cainanem* omiſiſſe. Hæc ſi *Briani* mens ſit, ut ejus hîc verba præ ſe ferunt, facile coibit hac ex parte pax.

Quartò reſpondet, diebus *Ioſephi* variâſſe in numeris codices Hebraicos, non mirum ergò eſt *Ioſephum*, *Beroſum*, & *Eupolemonem* à LXX. diſcrepâſſe, cùm à codicibus Hebræis, qui nunc ſunt in uſu, idem *Ioſephus* diſcrepet. Replica 1. Ea mei ingenii hebetudo eſt, ut *VValtoni* hoc argumentum non capiam, varient quantum libet Hebræi codices diebus *Ioſephi*, quid hoc ad *Eupolemonem* & *Beroſum*, qui Hebræos codices nunquam viderunt, ſed Græcos multò ante *Ioſephum* natum in manibus habuerunt, in quibus nulla *Cainanis* umbra tum apparebat, ſi ipſis adhibeatur fides. 2. Falſum eſt Hebræos codices in numeris præ manibus unquam variâſſe, nedum diebus *Ioſephi*, quando Chaldaicæ Paraphraſes tam *Ionathanis*, quàm *Onkeloſi*, videntur conſcriptæ, omnes exactè conveniunt in iſtis numeris cum textu Hebraico hodierno: neque facile in numeris cadere potuit Hebraicus textus in varias lectiones, nam numeri in eo non ſcribuntur per ſingulas literas aut notas numerorum, ut apud Græcos & Latinos, ſed integris vocabulis, certè in Bibliis Græcis, quæ numeros omnes meris literis exprimunt, ut alibi, ita in uno noſtro capite Gen. 11. paucis verſibus tanta eſt in numeris varietas, diſcrepantia, & contrarietas, prout vidit procul dubio *VValtonus* in *Ludovici Capelli* Chronologiâ *pag.* 7. ut nullâ arte vel diſſimulari, vel reconciliari poſſit. 3. Non hîc diſcrepat *Ioſephus* ab hodierno textu Hebraico in quæſtione præ manibus, nam juniorem *Cainanem* clariſſimè expungit, quod unum in præſentia quæritur. 4.

Quod contra *Beza* vetuſtiſſimum manuſcriptum hic affert, de eo nihil addam prioribus, quòd negat aliud manuſcriptum à Grotio memoratum extare in Anglia, parum eſt ad rem, cùm nuper faſſus ſit, quod in ſe luce clarius eſt, varia etiam *Euſebii* diebus fuiſſe manuſcripta, in quibus nulla de *Cainane* juniore vel vola erat, vel veſtigium.

Iſta reſpondit *Grotio*, *Uſſerio* autem, quem vocat virum magni nominis, cujus poſthumum de hoc argumento tractatum habebat in manibus, nihil aliud opponit quàm reſponſionem, ad unum ejus, ut vocat, effugium, Euangeliſtam ſcilicet *Lucam* in genealogia *Chriſti* ponere *Cainanem* non ex ſua, ſed vulgi ſententiâ, non ſecundum rei ipſius veritatem, ſed quia Chriſtiani Helleniſtæ ita apud LXX. Interpretes legebant, ſententiam hanc utiatam omnibus erroribus feneſtram, multis verbis explodit, & tandem *Barbarti* verbis confodit. Replica. Appello hîc *Briani* ingenuitatem, an eum *Uſſerio* amico ſuo ſingulari & viro ſummo agat quo decuit candore. *Uſſerius*

pag. 193. & ſeq. reſpondens ad ſyllogiſmum hypotheticum, ſi *Lucas* Evangeliſta in *Chriſti* genealogia poſuit *Cainanem* Juniorem, tum de eo nullus dubitandi locus eſt, at poſuit. Ergò. Primò diſtinguit majorem ex ſententia multorum magnorum virorum, ut loquitur *Spanhemius*, & pro ea diſtinctione varia affert argumenta. Deinde minorem, quam totâ ſuâ diſſertatione negabat, novis argumentis evertit. *Brianus* neglectâ totâ diſſertatione, quæ plurimis argumentis minorem illam everterat, arripit tantùm diſtinctionem majoris, quam ex aliorum potius quàm ſuâ ſententiâ adduxit *Uſſerius*, & in hac ſolâ immoratur, ita tamen ut præcipua quæ pro ea afferuntur argumenta, nequaquam tangat. Quod ad *Boshartum*, non fuit quòd ejus verba contra hanc ex *Cajetano*, *Genebrardo*, *Petavio*, *Iunio*, & aliis diſtinctionem *VValtonus* afferret, quandoquidem ante eum *Spanhemius*, *Genebrardus*, *Voßius*, & alii multi ex noſtris ſatis eam dudum profligâſſent, imo ipſe *Uſſerius* per totum ſuum tractatum egregiè refutavit. Optandum ut *VValtono* per otium licuiſſet reſpondere ad *Bosharti* ſaltem ſuccinctam & nervoſam ſententiæ ſuæ refutationem eodem loco, ubi ejus verba pro ſe produxit.

Iniqua Waltoni concluſio.

Plura non obſervo in *VValtono* argumenta, certè quæ attulit non ſunt ejus valoris, ut propterea Græca verſio, eo in primis loco, ubi in paucis verſibus præter controverſum pluſquam ſeptem habet manifeſtarios & confeſſos errores, præferatur veritati Hebrææ, quam in ipſius *VValtoni* Bibliis exactè ſequuntur verſiones aliæ omnes tam Samaritana, Chaldaica, Syriaca, quàm Latina, & Arabica, & licet propè innumeræ afferantur in Hebræo fonte è dictis omnibus rivulis lectionum varietates, nulla tamen etiam per extremam *VValtoni* diligentiam corradi potuit varietatis umbra, quæ *Cainanis* additioni vel leviſſimam ſpeciem præberet.

QUÆSTIO III.

De Conciliatione Geneſeos undecimi 26. cum Act. ſeptimi quarto.

Dubium ἄλυτον quomodo Abraham natus anno Tharæ 70. proficiſcitur anno ætatis 75. Charrane in Canaanam poſt mortem patris qui vixit annos 205.

TErtiò quæritur qui *Abrahamus* ſeptuageſimo *Tharæ* patris natus proficiſci potuerit *Charrane* in Chananæam anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo quinto, idque poſt mortem patris qui ad ducenteſimum quintum vixit? Reſp. Nodus hic omnium qui hactenus obvenerunt, difficillimus *Eliam* vindicem requirit, nos explicationem dubii non λύσιν ἀπορίας in præſentia pollicemur, cùm ipſe *Ioſephus Scaliger* animadverſ. in *Euſebium* fol. 17. apertè in luto hæreat manuſque det, nec quicquam reſpondere conetur, aliique omnes quos videre contigit, dum ſolutiones promittunt, implicatiores multò dimittunt lectores quàm admiſerint. In hoc eſt ligatura nodi quòd *Moſes* Gen. 11. v. 26. velit *Abrahamum* natum *Thara* ſeptuageſimo, *Stephanuſque* Act 7. v. 4. diſertè aſſerat *Abrahamum* tranſlatum *Charrane* in Chananæam poſtquam mortuus eſt *Thare*; jam verò certum eſt & à nemine controverſum profectum *Abrahamum Charrane* ſuæ ætatis ſeptuageſimo quinto, vixiſſeque patrem ad ducenteſimum quintum. Si ergò anno *Thara* ſeptuageſimo natus ſit *Abraham* & ſeptuageſimo quinto ætatis *Charrane* evocatus ſit, annus itineris iſtius in *Thara* centeſimum triceſimum non poſt mortem *Tharæ*, ſed annis ſexaginta ante mortem accidere oportuit. Hoc quidem admittunt quos nos maximè ſolemus ſequi, *Ioſephus Scaliger*, *Sethus Calviſius*, *Ubbo Emmius*, *Funccius*, *Bucholcerus*, imò ex Pontificiis *Toſtatus Abulenſis*, *Petavius*, *Suarezius*, *Pererius* & alii. Sed *Henricus Philippi* poſt *Tornellum* & *Salianum*, imò verò ex noſtris *Capellus*, *Paræus*, *Iunius* & *Deodatus* iter *Abrahami* Cananiticum in ſuum ſeptuageſimum quintum, & patris ultimum vix ducenteſimum quintum conjicientes, *Abrahamum* natum volunt *Thara* non ſeptuageſimo ſed centeſimo triceſimo totis ſexaginta ſeriùs quàm priores. Durum nobis videtur cum *Moſes Tharam* genuiſſe dicat *Abrahamum* anno 70. id contra *Moſis* morem in cæterorum omnium Patriarcharum genealogiis exponere de annis ſexaginta poſt ſeptuageſimum: præterquam etiam quòd hic calculus ſacram Chronologiam in annis præcipue Sabbaticis & Jubilæis valdè conturbet. Nec minùs durum videtur, quem *Stephanus* poſt mortem patris in Chananæam tranſlatum affirmat, eum annis ſexaginta ante mortem patris illuc transferre, aſſerere *Stephanum* ſecundum vulgarem populi computum loqui, qui tum Septuaginta Interpretes & Rabbinorum *Cabbalam* in rationibus temporum ſequebantur, vel *Abrahamum* ſeptuageſimo quinto anno profectum *Charrane* in Chananæam, ſed nondum tranſlatum μετοικιζόμενον cum totâ ſuâ domo & totâ re familiari ante patris mortem. Iſta & alia ejuſmodi non placent, igitur in præſentiâ ἀπορῶ, & dubii ſolutionem poſteriori curæ remittimus.

Addenda ad Quæſtionem III.

De anno nativitatis Abrahami.

Quæſtionis difficultas.

DUbium hoc non poſuit doctiſſimus *Voetius* in ſua diſputatione de alytis: varia tamen in alytorum illic albo ſtant quæ

quæ ſolutu multò ſunt faciliora quàm hoc præ manibus, certe *Hieronymus* in quæſtionibus Hebraicis, & *Auguſtinus* in 15. de Civitate Dei cap. 16. profitentur expreſſe dubium hoc indiſſolubile. In ſententiam hanc *Ioſephus Scaliger*, ut dictum, pedibus ivit, iſtarum ego menti lubentiſſimè acquieviſſem, ſed quia monitus ſum à quibuſdam quos revereor, incommodum eſſe ut hujuſmodi dubia indeterminata relinquantur, & videam ab hac quæſtione prorſus pendêre totorum ſexaginta annorum ex Chronologiæ ſacræ tabulis vel meritam expunctionem, vel neceſſariam in eas inſertionem, licet ægrè valdè, addoctus tamen ſum, ut relictâ hæſitatione, in alteram partem inclinem.

Partium ſententia. Duæ ſunt hîc ſententiæ, utraque multis & magnis tam auctoritatibus quam rationibus nixa; nos quando aleam jacere neceſſe ſit, priorem amplectemur ſcil. *Abrahamum* natum patris *Thare* ſeptuageſimo, relictâ poſteriori de centeſimo triceſimo.

Pro priori noſtrâ ſtant ſecundum *Scaligerum* omnes antiqui, etiam omnes Proteſtantes ante *Beroaldum* Genevæ Profeſſorem, qui in contrariam ſententiam poſt ſe traxit, non quidem *Bezam* ſed ſummum *Calvinum*, cujus ductum ſequuti ſunt *Martyr. Muſculus, Iunius, Parans, Deodatus, Rivetus, Uſſerius, Capelli* tres, aliique; viri omnes præſtantiſſimi: Ex Pontificiis in eadem mente ſunt, *Lyranus, Cajetanus, Salianus*, & alii, inprimis *Torniellus* qui fuſiſſimè & ſummâ cum induſtria has partes tuetur. Pro noſtra ſententia ſtant Patres Chriſtiani, Latini, Græci, & Judæi omnes, qui Geneſeos undecimi vigeſimum ſextum de *Abrahami* nativitate accipiunt, & inter recentiores *Lutherus, Ioſephus Scaliger*, aliique ſuprà citati, ac ex Pontificiis *Abulenſis*, qui fusè & accuratè rem hanc tractat, ac ex eo *Pererius, Petavius*, etiam *Cornelius*, & *Lorinus*. Sed ſepoſitis auctoritatibus perpendamus utrinque rationes.

Pro noſtra ſententia primum argumentum. Hoc noſtrum primum eſt argumentum: *Moſes* expreſsè docet Gen. 11. v. 26. *Tharam* anno vitæ ſuæ ſeptuageſimo genuiſſe *Abrahamum*, clarum ergo hoc eſt ex divinis Scripturis fidei fundamentum. Reſpondet *Torniellus*, id quod ab eo alii mutuantur, *Auguſtinum* quæſt. in Geneſin 26. ita locum exponere ut iſtum Geneſ. 5. v. 32. *Noam* anno quingenteſimo genuiſſe *Shem, Cham*, & *Iaphet*, ubi non intelligitur *Shem*, etſi loco primo ponatur maximum natu fuiſſe filiorum *Noa*, aut eo præciſe anno generatum, ſed *Noam* eo anno generare cœpiſſe tres ſuos filios, quorum digniſſimus fuit *Shem*, licet anno uno aut duobus poſt *Iaphètum* majorem genitus, ita *Tharam* anno ſeptuageſimo generare cœpiſſe tres ſuos filios, quorum *Abraham* digniſſimus, ideoque primo loco poſitus, non tamen primò genitus, nam *Haran Saræ* pater neceſſariò fuit eo ſenior, cum *Sara* ejus filia *Abrahamo* decem tantùm annis eſſet junior, ſi *Harane* ſenior fuiſſet *Abrahami*, oportuit *Haranem* genuiſſe *Saram* ſeu *Iiſcam* anno ſuo octavo ad ſummum nono, quod abſurdius eſt quàm ut à quoquam admittatur. Replicat. malè *Torniellum* & ſequaces *Auguſtini* ſententiam referre, nunquam enim is affirmavit *Abrahamum* natum anno patris centeſimo triceſimo, ſed ſæpius ſeptuageſimo, tum loco citato, tum lib. de Civitate Dei 26. à capite 12. ad 17. ubi fuſiùs eam quæſtionem tractat, tum alibi. Habet quidem varias ſolutiones aliorum præſentis dubii, & hæc à *Torniello* allata eſt earum una, ſed non magis ea eſt *Auguſtini* ſententia quàm ſolutio præcedens ſecunda Judæorum & *Hieronymi*. Certè nuſquam *Auguſtinus* eam amplexus eſt, licet non contemnendam afferat, ipſius verò reſponſio in qua acquieſcit, à qua incipit, & in qua deſinit, loco citato eſt recapitulatio, per quam defendit duas *Abrahami* profectiones in Cananæam, priorem anno vitæ ſuæ ſeptuageſimo quinto ante mortem patris, poſteriorem anno vitæ ſuæ centeſimo triceſimo quinto poſt patris mortem.

Secundò. Si Geneſeos undecimi vigeſimus ſextus parallelus ſit quinti trigeſimo ſecundo, confecta pro nobis res eſt, nam *Torniellus* anno ſuo milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo nono expreſsè declarat poſt *Cajetanum* & alios, *Auguſtini*, ſuamque mentem eſſe *Shemum Noa* primogenitum fuiſſe, adeoque & *Abrahamum* primogenitum eſſe oportet ſecundum iſtum paralleliſmum.

Tertiò. Quod *Abrahamum* natu minorem *Haranis* volunt, eo quòd *Haranis* filia *Ieſca* fuerit *Abrahami* uxor *Sara*, ipſo decem tantùm annis minor, caret fundamento, nam ut oſtendit Jeſuita *Coquæus* ad *Auguſt.* caput 19. lib. 16. de Civitate Dei, multi tam veteres quàm recentiores in alia ſunt ſententia & utcunque varient hîc docti, Scriptura tamen eſt clara Geneſ. 20. v. 12. *Saram* fuiſſe filiam non fratris *Haranis*, ſed patris *Thara*, & ne cui pateret elabendi rima exponendo filiam de propinquâ, vel nepte, addita eſt clauſula (*non matris meæ*) ad expoſitionem omnem hujuſmodi elidendam. Quòd objiciunt Pontificii de licitis nuptiis cum filiabus fratris, non cum filiabus patris aut cum ſororibus, hoc ſciunt ad excuſandas Papæ diſpenſationes de inceſtis nuptiis Principum, tempore quidem *Abrahami* lex de conditionibus nuptiarum non erat lata, ſed poſt *Moſen* nuptiæ tam cum neptibus quàm ſororibus

vetitæ

vetitæ ſunt: & verò Pontifices non minùs de hiaquàm illia diſpenſant, nam ut auctoritate Papali ob merum incommodum curia Romanæ celebratæ ſunt nuper nuptiæ Regis Hiſpanorum cum ſororis ſuæ filiâ, ita & Reginæ Poloniæ cum duobus fratribus uterinis. Sic homo ille ἄνομος in luce meridianâ jura omnia divina & humana audet conculcare.

Quartò. Magna eſt inter Geneſeos quinti triceſimum ſecundum, & undecimi vigeſimum ſextum diſſimilitudo, nam *Noah* filios ſuoa trea intra biennium, qui hìc adverſarii ſunt, generâſſe volunt, ſed inter filiorum *Thara* nativitates ſexaginta minimùm annos interceſſiſſe docent: immanis eſt hæc diſcrepantia.

Quintò. Dato *Abrahamum* filiorum *Thara* natu fuiſſe minimum. nihil hoc facit ad nativitatem ejus excludendam ab anno patria ſeptuageſimo, nam nihil vetat hoc etiam ſuppoſito *Abrahamum* anno patris ſeptuageſimo, & fratres majores multò ante fuiſſe prognatos.

Secundum. Argumentor ſecundò. Niſi *Abrahamus* natua anno patris ſeptuageſimo ſecundum *Moſis* verba intelligatur, nativitas *Abraha* relinquetur incerta. *Nahor* vel *Haran* ſeptuageſimo *Thara* nati dicentut, quando autem *Abraham* natus ſit *Moſes* non dixerit: Chronologia ſacra in *Abrahamo* abrumpetur, & additione ſexaginta annorum ad *Moſen* corrumpetur. Reſpondet *Torniellus*, ad quem *Paraus*, *Rivetus*, aut alii, nihil vel parum addunt, calculo Chronologico nihil addi, ſed ſexaginta annoa malè expunctoa rectè recuperari; de anno nativitatis *Abrahami* non ſilere *Moſen*, licet loco præ manibus de eo non loquatur, alibi tamen ſatis indicare, per claras conſequentias. Replica. 1. Confeſſam ſexaginta annorum ad vulgatum computum additionem magnam efficere in Chronologiâ mutationem, certè quæ de Eclipſibus, & antiquis cœleſtium φαινομένων obſetvationibus, aut Jubilæorum computo doctiſſimi multi viri ad Chronologiæ ſacræ quà confirmationem, quà illuſtrationem adduxerunt, hac ratione funditùs evertuntut, nec ea additio admittenda eſt, niſi majore neceſſitate compellamur, quàm argumenta adhuc adducta præ ſe ferunt.

Secundò. Exactæ *Moſis* Genealogiæ ab *Adamo* ad *Abrahamum* & aliquandiu pòſt, fiunt per tempora nativitatis Patriarchiarum in rectâ Chriſti lineâ conſtitutorum, ſi autem annus *Thara* ſeptuageſimus non referatur ad generationem *Abrahami*, ſed vel *Nahoris* vel *Haranis* mutabitur tota ratio Chronologiæ *Moſaica* in ipſâ perſonâ *Abraha*, cujus generationem & annos plus quàm alius cujuſcunque Patriarchæ *Moſi* ſcopus & inſtitutum eſt manifeſtate, ut clarè fluat curſus temporum ac Chriſti linea, nihil ad Chriſtum, nihil ad Eccleſiam quo anno *Thara* genitus ſit, vel *Haran* pater *Moabitarum*, vel *Nahor* patet familiæ Aſſyriacæ.

Tertiò. Nativitas omnium aliorum Patriarcharum eſt enarrata à *Moſe* verbia planis & diſertis, non relicta ut indagaretur per varias ambages conſequentiarum; *Abrahami* propinqua & eminens ad ſœdus gratiæ ac populum Dei & Chriſtum relatio non eum patitur ſuâ hìc prærogativâ ſpoliari.

Quod de *Shemo* ad nauſeam regerunt, ut nuper dictum, non ſolvit argumentum. Nam 1. Si, ut volunt multi, *Shemus* fuerit *Noa* ptimogenitus, tollitur omnia quæſtio. 2. Licet fuerit *Iapheto* junior biennio, inter duos annos *Shemi*, & *Abrahami* ſexaginta vaſta eſt differentia. 3. Qui volunt *Shemum Iapheto* minorem, id ſe facere profitentur per expreſſaa Scripturas, non per conſequentias. 4. Conſequentiæ probantes *Abrahamum* natum anno *Thara* centeſimo trigeſimo longinquæ ſunt, &, ut fatetur *Torniellus*, obſcuræ, ſed, ut affirmat *Pererius*, ſalſæ, quæ nihil probant.

Argumenta Tornielli & Parei refutantur. Argumenta *Tornielli* pro alterâ ſententiâ ſunt varia. 1. Vixit *Terah* annoa ducentos quinque & mortuus eſt *Charrane*, *Abraham* autem mortuo patre profectus eſt *Charrane* in *Chananaam* anno vitæ ſuæ ſeptuageſimo quinto, annus ergò *Abrahami* ſeptuageſimua quintus reſpondebat anno patria ultimo ducenteſimo quinto, natus ergò fuit *Abraham* anno patria centeſimo trigeſimo, ſeptuaginta quinque ſcilicet ante ejua ducenteſimum quintum in quo mortuus eſt. 1. Reſp. *Torniellus*, & ſequaces triumphant in hoc argumento ut demonſtratione invictâ, *Pererius* tamen, & omnes qui ſequuntur *Auguſtinum*, ſatis facilè reſpondent. Omnis argumenti via in eo ſtat, quod *Abrahamus* non ſit profectua in *Chananaam* ante Patria mortem: narrat quidem *Moſes Thara* mortem in fine capitia 11. Gen. & *Abrahami* profectionem initiu 12. ſed hinc non ſequitur *Abrahami* profectionem fuiſſe poſteriorem morte patris, ſatis enim eſt frequens in hiſtoriâ ſacrâ ut quæ poſteriùs geſta ſunt, priùa narrentur, quod ex ipſis locis præ manibus patet, nam initio capitis 11. narratur ſtructura turris *Babel*, quæ diebus *Peleg* ſacta eſt, multò ante prognatam *Ioctanis Pelegi* fratris ſecundam progeniem, quæ cap. 10. deſcribitur, imò verò poſt *Thara* mortem initio capitis 12. mandatum Dei *Abrahamo* imperans, ut relinqueret patriam *Ur Chaldæorum*, ac domum paternam, ut in *Chananaam* proficiſceretur, licet cap. 12. exponitur, exceſſum tamen ex

Chal-

Chaldæâ quæ cap. 11. habetur, diu anteceſſit.

Sed id quod urgent præ hiſtoriâ *Moſis* ſunt diſetta verbs *Stephani* Act. 7. v. 4. *Poſt mortem patris tranſtulit eum Deus in Chananaam.* Nemo Chriſtianus unquam tam impius fnit, ut *Stephani* hæc verba controverteret; ſed *Auguſtinus*, & multi optimi Theologi tam nunc quàm olim negâtunt unam ſolam fuiſſe *Abrahami* profectionem *Charrane* in *Chananaam*, faciendo verò plures, ſibi videntur totam, quæ aliàs maxima hîc eſſet, difficultatem tollere. Volunt, ſecundum *Moſen*, *Abrahamum* profectum *Charrane* in *Chananaam* anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo quinto, ante mortem patris annis ſexaginta, rediiſſe autem aliquoties ut patrem inviſeret, donec patre mortuo relinqueret Charranem, non iterum viſurus, & in Chananæam profectus eſt in eâ manſurus, nec iterum unquam tranſiturus fluvium in Meſopotamiam. Reſpondent adverſantes ſomnia hæc eſſe nullo Scripturæ fundamento nixa. Replica. Non negant, modò vera eſſent, ſatis ſolvere difficultatem, nec quicquam afferunt quò minùs vera eſſe poſſint, an verò actu fuerint vera, pendet à ſuperiore hypotheſi; ſuppoſito enim *Abrahamum* natum *Thara* ſeptuageſimo, & vixiſſe *Tharam* ducentos quinque, ac profectum *Abrahamum* in *Chananaam* anno ſuo ſeptuageſimo quinto, neceſſe eſt ut illuc iverit annis totis ſexaginta ante mortem patris, & cùm à *Stephano* dicatur eò profectus poſt mortem patris; neceſſe etiam eſt ſtatuere, rediiſſe *Charranem* ſaltem ſemel ad patrem inviſendum, ut inde poſt mortem patris *Chananaam* repeteret, nulla eſt abſurditas in hac totâ re, imò in eâ eſt neceſſitas ad probam *Stephani* cum *Moſe* reconciliationem.

Quod autem *Moſes* nullam faciat iſtorum *Abrahami* itinerum expreſſam mentionem, eſt ſecundum ſuum morem ac conſuetudinem; nam licet Patriarchæ *Noach*, *Shem*, & omnes alii poſt fluvium, cum *Abrahamo* multis annis vixerint, & ut videtur certiſſimum, multas aliquando viſitationes mutuò exercuerint, earum tamen nullius *Moſes* meminit, quin & *Iſaac* poſt ſuas nuptias ſimul cum *Abrahamo* vixit in diverſis regionibus annis ſupra triginta, & *Iſraël* annis multo pluribus, nuſquam tamen *Moſes* meminit vel *Abrahamum* inviſiſſe ſuos filios, aut filios ſuum patrem, antequam ad ejus ſepulturam *Hebronem* acceſſiſſent; eadem eſt *Iacobi* & *Eſavi* ratio, vixerunt illi aliquot annos ante mortem *Abrahami*, & plures ante mortem *Iſaaci*, an nunquam acceſſerunt vel ad patris vel avi domos, nec unquam vel avus, vel pater ad eorum domicilia? certè nullius ejuſmodi itineris *Moſes* meminit, ſi unam *Iacobi* profectionem excipias ad inviſendum *Iſaacum* paulò ante ejus mortem.

Alterum *Tornielli* argumentum eſt, mortuum *Teram* ante ſeptuageſimum quintum *Abrahami*, quia Gen. 22. poſt *Abrahami* reditum à conatu immolandi *Iſaaci* anno ſuo centeſimo vigeſimo quinto, quinquaginta annis à primo diſceſſu *Charrane* occurreret ei nuncius ſignificans, ut inaudita nova octo filios natos *Nachori*, non ergò per eos quinquaginta annos reviſit *Abrahamus* Charranem, quod in pio filio impoſſibile erat, ſi tum temporis vixiſſet Charrane *Terah* pater. Reſp. in paucis annis magna ſolet eſſe familiarum mutatio: *Nachori* octo filii octo annis potuerunt naſci, certè *Iacobo* in eodem loco annis ferè ſex undecim prognati ſunt: in annis illis quinquaginta ſæpiùs reviſere potuit patrem *Abrahamus*, antequam octo illi nati eſſent *Nahori*. De infrequentiâ viſitationum inter Patriarchas, quæ modò in Sacris literis memorantur, jam dictum *Tornielli* adverſariis unum *Abrahami* iter ex Chananæâ Charranem ſufficit ad ipſorum hypotheſin ſalvandam. Magis nos ſtringeremur, ſi addidiſſet *Tornellus*, quod tamen non fecit, anno *Iſaaci* trigeſimo quinto, ſecundum *Pererium*, oportuiſſe *Abrahamum* fuiſſe *Charrane* ad ſepeliendum patrem: ibi tunc *Nahor* & filii res domeſticas *Abrahami* ab ipſo ſatis didicerunt, quid ergò poſt quinque tantùm annos *Eleazari*, *Abrahami* ſervo, opus fuit tam anxiè *Bethuelem* ac *Labanem* de *Abrahami* divitiis & filio *Iſaaco*, ut rebus ignotis, docere? Ad hoc tamen reſponde, qui fuerint *Abrahami* ſermones cum *Nahore*, quando ultimò venit *Charranem* ad ſepeliendum patrem, quis novit? Et quæcunque tandem nota erant de *Abrahami* ſtatu ſuis *Charrane* conſanguineis, dum uxorem inde *Iſaaco* peteret *Eleazar*, commodum ei fuit, ad adducendam *Rebeccæ* mentem in tàm longinquum iter, *Abrahami* ac *Iſaaci* opes prolixiùs enarrare, de quibus ſatis ignarus eſſe potuit *Bethuel* octavus & minimus natu ſuorum *Nahor*, quicquid tandem ipſe *Nahor*, & filii majores de ipſis cognoviſſent.

Tertium *Tornielli* argumentum eſt teſtimonium *Chryſoſtomi* & *Theodoreti*. Ad quæ reſponde 1. Si teſtimoniis vel Græcorum vel Latinorum Patrum vellet ſtare *Torniellus*, proculdubio caderet cauſâ: duo hi nimis pauci ſunt ut totam turbam ſuſtineant eorum, qui *Abrahamum* anno ſui patris ſeptuageſimo natum affirmant. 2. *Theodoretus* in genuinis ſuis ſcriptis nullum hac de re verbum habet, cùm tamen moveat multas minùs graves quæſtiones in Geneſin, textum præ manibus tam antecedentes

quàm conſequentes. Verum eſt in Latinâ Græcorum Patrum catenâ Coloniæ 1572. editâ ſub nomine *Theod.* ſolvitur quæſtio de anno ſeptuageſimo *Thara*, ſic ut *Abrahamus* non fuerit primò ſed ultimò genitus *Thara*, quàm parum hoc faciat ad quæſtionem ſuprà dictum. Sed in præſentia reſpondeo, illum *Theod.* nequaquam eſſe *Theodoretum*, ſed *Theodorum*; qui qualis fuerit, quantæque auctoritatis, aut quando vixerit neſcio. Ibidem ſubjicitur in Catenâ longè alia ſolutio cujuſdam *Diodori*, qui *Abrahami* profectionem in Chananæam anno ſuo 75. longè facit antecedere mortem *Thara*, quicunque illi ſunt viri *Theod.* & *Diod.* in Catenâ, nihil ego eorum teſtimoniis deferendum puto.

Quod ad *Chryſoſtomum*, adeò negligit noſtram quæſtionem, ut in Homiliis ſuis in Geneſin omnino omittat ipſum textum, totum ſcilicet 26. verſum capitis 11. & licet ſcribat verſum 4. 7. Act. ne verbo tamen rem hanc ibi attingit. Fateor in verſum ultimum undecimi Geneſeos quæſtionem movere, & ſic ſolvere, ut non priùs in Chananæam venerit *Abraham*, quàm pater mortuus ſit. Hoc quidem [non priùs] addit ad verba *Stephani*, qui nihil tale loquitur, ſi dixerim *Chryſoſtomum* hoc facere negligenter & ἀμελῶς, ſuo ipſius verbo ibidem uterer, licet in diverſo ab eo ſenſu, certè ibi habet *Chryſoſtomus* ea quibus adverſarii hic, non lubenter, ut puto, ſubſcriberent, *Tharam* ſcilicet veniſſe *Charranem* cum *Abrahamo*, nulla motum fide in promiſſiones divinas (nam ἄπιςον vocat) ſed ſolo paterni amoris erga filium philtro. Dura nimis hæc eſt in *Tharam* cenſura.

4. Quartum *Tornelli* argumentum. Niſi *Abrahami* nativitas ſeptuageſimo *Thara* ſexaginta totis annis poſterior ſit, & à Diluvio longius removeatur, quàm intervallo quadringentorum nonaginta duorum annorum, impoſſibile eſt, ut tum temporis regnante *Nino* excreverit genus humanum in tantam multitudinem, quæ exercitibus, quos hiſtorici narrant eo ſeculo ductos, in militiam ſufficerent. Reſp. de hoc argumento ſupra ſatis ſuperque.

5. Quintum *Tornelli* argumentum. Non eſt credibile *Abrahamum* vel ob affectum paternum, vel quâvis aliâ de causâ redire voluiſſe ad habitandum in eâ regione, à quâ Dominus eum evocaverat. Reſp. Nemo aſſerit rediiſſe *Abrahamum* ut in Meſopotamiâ habitaret, ſed ut occaſione negotiorum eò, quoties lubitum eſſet, rediret; Dei vocatio in Chananæam nihil impediebat.

6. Sextum. Si quavis de causâ *Abrahamus* aliquando proficiſceretur de Chananæâ in Meſopotamiam, perniciosum præbuiſſet exemplum ſuis poſteris, removendi ſua domicilia de Chananæâ terrâ promiſſionis in Meſopotamiam, unde divino mandato avocati erant. Reſp. Iter negotiorum causâ non eſt tranſlatio domicilii: *Iacobus*, cui Chananæa non minùs quàm *Abrahamo* fuit terra promiſſionis, nihil dubitavit bonâ cum patris *Iſaaci* gratiâ negotiorum causâ in Meſopotamiam proficiſci, ibique multis annis permanere.

Septimum. Si redire unquam in Meſopotamiam voluiſſet *Abrahamus*, id feciſſet tempore famis, quando in Ægyptum deſcendit cum magno ſuo ac *Sara* uxoris periculo. Reſp. Temporibus famis Ægyptus ſemper fuit ordinarium vicinis omnibus frumenti granarium, nequaquam verò Chaldæa hoc privilegio gaudebat. Sed piget ineptiarum *Tornelli*, in quibus nihil apparet ſolidæ rationis. 7.

QUÆSTIO IV.

Quomodo Iſraëlitæ commorati ſint in Ægypto totis annis 430. & tamen quatuor tantum generationibus?

Quomodo peregrinati ſunt in Ægypto poſteri Abrahami annis & 400. & 430. & 4. generationibus.

QUartò quæritur, quomodo Gen. 17. v. 12. peregrinatio *Abraha* & ſeminis illius prædicetur futura annorum quadringentorum, cùm alibi dici ſoleat annorum quadringentorum triginta; ibidemque reditus ex Ægypto promittatur generatione quartâ, cùm tamen ſupra octo aut decem generationes in *Ioſephi* familiâ intra hox temporis cancellos numeraverimus? Reſp. ad prius, pro diverſitate terminorum variari quorumcunque calculos: dum quadringenti triginta anni ſtatuuntur peregrinationis Hebræorum, eorum initium collocatur in primâ *Abrahami* profectione de *Ure Chaldæorum*, ſaltem de *Charrane Meſopotamiæ* in *Chananæam*: ſed *Abrahami* profundus ſomnus & eſtaſis Gen. 15. poſt iſtud iter contigit. Præterea non rarò Sacroſancta Scriptura in numero rotundo aliquorum annorum, nedum menſium, aliquando exceſſum, aliquando defectum comprehendit, ita ut rotundus quadringentorum annorum computus triginta, aut plus minuſve quod excedat aut deficiat, non excludat.

Ad poſterius Reſp. Generationem ſeu *Seculum* vulgò centum annorum ſpatio definiri, ita quod poſt annos quadringentos accidit, id rectè quartâ generatione dici contigiſſe. Præterea licet eo temporis ſpatio in quibuſdam familiis octo & plures gradus numerentur; in aliis tamen non minùs illuſtribus vix ultra quatuor apparent, ſaltem ab introitu ad exitum: *Eſrom* filius *Pharezi* nepos *Iuda* genuit in Ægypto *Ram* & *Ram Aminadab*, hic verò *Naaſſon*, & is *Salmon* maritum *Rachab*, *Davidis* abavum.

Levi

Levi quoque genuit paulò ante introitum *Coath*, qui *Amram*, qui *Moſen*. Hîc ab εἰσόδῳ ad ἔξοδον duas tantum habes generationes, ſolus enim *Amram* & *Moſes* in Ægypto nati ſunt, imò verò ſi excludas terminos & generationes numeres excluſivè ab ipſo *Iſaaco* ad *Moſem*, invenies tantùm quatuor nomina, ſcilicet *Iacob*, *Levi*, *Coath* & *Amram*.

Addenda ad Quæſtionem IV.

Iſraëlitæ in Ægypto non habitârunt ultra ducentos quindecim annos contra Voſſium.

Iſaacus Voſſius ſacræ Chronologiæ everſor.

NIhil hîc addidiſſem, niſi nuper *Iſaacus Voſſius* ad cætera ſua in ſacram Chronologiam facinora, hoc etiam adjeciſſet, ut ſub magni patris nomine, ducentos totos hîc annos ad communem calculum prolixâ valdè & ſatis acri diſputatione, addendos contendiſſet; nam non contentus contra patris expreſſam mentem corrupiſſe Sacroſanctum *Moſis* calculum tam ante quàm poſt Diluvium apertè, & ex profeſſo ante *Abrahami* nativitatem ad vulgarem æram adjiciens annos non pauciores, quàm mille quadringentos & quadraginta, pergit per patria poſthumam *Iſagogen* à ſe editam, aliquot adhuc centenorum additione ſacratiſſimos Chronologiæ Biblicæ terminos violare, infercit pro inſititio *Cainane* annos centum triginta, translatione nativitatis *Abrahæ* à patris ſeptuageſimo ad centeſimum trigeſimum, lucrari ſibi videtur annos ſexaginta. nondum tamen additionum ſatur à deſcenſu *Iacobi* in Ægyptum ad exodum contra omnium veterum Judæorum & Chriſtianorum, omnium etiam Proteſtantium, imò omnium ferè quoque Pontificiorum Chronologorum, & Scripturæ interpretum mentem, annos non pauciores quàm quadringentos triginta numerat, verùm tranſgrediens limitem annis minimùm ſupra ducentos, quin & in ſequenti *Epocha* contra expreſſam Scripturam 1 Reg. 6. v. 1. quam propterea corrigit, ut corruptam, contra omnium codicum fidem, audaciâ viventis *Voſſii* modeſtiæ minimè conſentaneâ; ab exodo ad conditum templi quingentos octoginta pronunciat fluxiſſe. Quatuor prima paradoxa jam expendimus, de texto mox, quintum in præſentiâ ſumimus in manus. Examinemus primò quæ pro novâ ſuâ ſententiâ profert argumenta, deinde reſponſiones ad fundamenta antiquæ & communis quam oppugnat. Nihil aliud eſt in prolixâ illâ diſſertatione multis verbis dilatatâ quod facit ad cauſam.

Refutantur Voſſii argumenta primum.

Argumentum ejus primum eſt ex Gen. 15. v. 13. Exod. 12. v. 40. Act. 7. v. 6, & 13. v. 16. Teſtimonia (inquit) hîc tam apertè loquuntur de ſolâ habitatione in Ægypto, non verò in Chananæâ, ut ab aliquo eludi fortaſſe, at non elidi poſſint. Reſp. Durum eſt efficere omnes veteres & novos interpretes horum locorum eluſores ſacrarum literarum, ut ſtet nova *Voſſii* expoſitio, quam à *Genebrardo* homine magis docto quam vel ſolido, vel probo mutuatus eſt, in quâ ſola ad hunc diem apparuerunt contra communem ſententiam, *Steuchus*, *Eugubinus*, & alius neſcio quis *Thaddæus Dunus*, cæteris omnibus doctis *Auguſtini* expoſitio placuit. Is lib. 16 de civitate Dei cap. 16. & iterum fuſiùs c. 24. & 3. quæſt. 47. in Exodum ita locos interpretatur, ut peregrinatio referatur tam ad terram *Chanaan* quàm Ægyptum, ſed ſervitus & afflictio ad ſolam Ægyptum; numerus autem annorum ad omnes tres caſus, ita ut à peregrinatione inceperint, & in afflictione deſierint: velle autem eorum principium reſtringere ad caſum ultimum, nimirum afflictionem, vel ſecundum, nimirum ſervitutem excluſo primo termino peregrinationis, eſſet verba torquere, & in falſum ſenſum obliquare. Non eſt dubium inter peregrinationem & ſervitutem, atque inter afflictionem & ſervitutem aliquod annorum intervallum interceſſiſſe, quadringentoſque & triginta annos tam medio & ultimo, quàm primo termino aſſignare, non ſtat cum rerum ipſarum veritate.

Iſraëlitarum in Ægypto anni 430. Primum.

Sententia Auguſtini.

Audiamus ipſum *Auguſtinum* de Civitate Dei lib. 16. cap. 24. *Quod verò dictum eſt ad* Abraham *ſciendo ſcies, quòd peregrinum erit ſemen tuum in terrâ non propriâ, & in ſervitutem redigent eos, & affligent eos quadringentis annis, de populo Iſraële qui fuerat in Ægypto ſerviturus apertiſſimè prophetatum eſt, non quod in eâ ſervitute ſub Ægyptiis affligentibus quadringentos annos ille populus fuerit peracturus, ſed in ipſis quadringentis annis prænunciatum eſt hoc futurum, quemadmodum enim ſcriptum eſt de* Tharâ *patre* Abrahæ, *& fuerunt dies ejus* Charrane *quinque & ducenti anni, non quia omnes ibi acti ſint, ſed quia ibi completi ſint, ita & hîc, propterea interpoſitum eſt, & in ſervitutem redigent eos, & affligent eos quadringentis annis, quoniam iſte numerus in eâdem afflictione impletus eſt, non quia ibi in verſus peractus eſt, computantur ab anno ſeptuageſimo* Abrahæ, *quando ad eum facta eſt prima promiſſio uſque ad exitum Iſraël ex Ægypto quadringenti triginta anni, quorum Apoſtolus ita meminit. Hoc autem dico* (inquit) *teſtamentum confirmatum à Deo, quæ poſt quadringentos & triginta annos facta eſt lex non infirmat, ad evacuandam promiſſionem.*

Exponit hîc *Auguſtinus* Scripturam per alias Scripturas tam Veteris quàm N. Teſtamenti, hoc ſe didiciſſe profitetur cap. 16. ab *Euſebio Cæſarienſi*. Certè *Hieronymus* in Epiſtolam ad Gal. 3. eâdem vadit viâ, imò

verò ipſe *Voſſius* fatetur pag. 95. Patres tam Græcos quàm Latinos ingenti agmine hanc ſententiam ſequi: dixiſſe potuit cum *Georgio Syncello* apud *Scaligerum* in notis *Euſebianis* pag. 17. κατὰ πάντας τοὺς ἑρμηνεύσαντας, καὶ ἱστορικούς, ſecundum omnes interpretes & Chronologos ſeu Hiſtoricos.

Hujus Patrum concordiæ cauſam malè *Voſſius* adſcribit ipſorum erga L X X. Interpretes reverentiæ: illi quidem locum Geneſeos rectâ & clarâ Paraphraſi illuſtrant, ἡ δὲ παροίκησις τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ ἣν κατῴκησαν αὐτοὶ, καὶ οἱ πατέρες αὐτῶν ἐν γῇ Αἰγύπτῳ καὶ ἐν γῇ Χαναὰν, αὐτοὶ καὶ οἱ πατέρες αὐτῶν τετρακόσια τριάκοντα ἔτη i. e. *habitatio filiorum Iſraël quam habitarunt ipſi & patres in terra Ægypti, & in terrâ Chanaan, ipſi & patres eorum quadringenti & triginta anni.* Hac quidem auctoritate Patres in verâ ſententiâ confirmati ſunt, ſed eorum ſententiæ fundamentum, ut in *Auguſtino* vidimus, poſuerunt in ſolis authenticis Scripturis.

Refutantur objectiones Voſſii contra ſententiam Patrum. Prima.

Contra hanc omnium, ſaltem communem Patrum expoſitionem objicit *Voſſius*, peregrinationem à *Moſe* memoratam fuiſſe in ſolâ Ægypto, non verò in *Chananæâ*, eo quòd dicatur futura in terrâ non ſuâ ſed alienâ, *Chananæa* autem fuit patria terra, natalis, & propria ſeminis *Abrahami*. Reſp. Inconſideratè valdè hæc dicuntur contra expreſſas Scripturas, nam *Abrahæ* & poſteris ante κληρουχίαν diebus *Ioſuæ* terra *Chanaan* fuit magis peregrina quàm Ægyptus. De *Chanaan* hæc Apoſtolus Paulus Act. 7. v. 5. *Et non dedit illi hæreditatem in eâ, nec paſſum pedis, & repromiſit dare illi eum in poſſeſſionem, & ſemini ejus poſt ipſum, cùm non haberet filium.* Hebr. 11. *Fide demoratus in terrâ repromiſſionis tanquam in alienâ in caſulis habitando cum* Iſaac & Jacob. Et verſ. 13. *Confitentes quia peregrini & hoſpites eſſent ſupra terram.* Quòd ad Ægyptum, etſi nunquam intenderet Deus populum ut in hæreditate ſuâ ibi collocare, optimum tamen ipſis jus in terram *Goſhen* procuravit. Donatio Regis ſimplex fundat jus bonum ad terras donatas, inprimis ſi inſignibus meritis donatio ſuperſtructa fuerit: hæc autem Iſraëlitarum fuerat conditio; *Pharao* obſervatam à ruinâ Ægyptum *Ioſephi* extraordinariâ prudentiâ, ipſi ac ſuis terram *Goſhen* in poſſeſſionem dedit Gen. 47. v. 11. *Ioſephus* patri, & fratribus ſuis poſſeſſionem dedit in Ægypto in optimo terræ loco, ut præceperat *Pharao*. Hic quievit *Iacob* in ſummâ pace uſque ad mortem profeſſus omnes priores ſuos dies in *Chananæâ* vel ubicunque fuiſſe meram peregrinationem, eamque valdè moleſtam verſ. 10. *Dies peregrinationis vitæ meæ centum triginta annorum ſunt, parvi & mali, & pervenerunt ad dies patrem meorum quibus peregrinati ſunt.*

Secunda.

Secunda *Voſſii* objectio contra Patrum explicationem hæc eſt. Eorum commentarius de annis quadringentis triginta peregrinationis includit ipſius *Abrahami* peregrinationem: atqui verba *Moſis* loquuntur de ſeminis *Abrahami* peregrinatione excludendo ipſum. Reſp. 1. Quæ vera ſunt de *Abrahami* ſemine rectè attribuuntur ipſi *Abrahamo*, repromiſit Deus dare illi terram *Chanaan* in poſſeſſionem, & ſemini ejus poſt illum, non autem dedit, neque promiſit dare *Abrahamo* terram *Chanaan* in poſſeſſionem, niſi in perſonis poſteriorum, idque poſt quatuor ſecula. 2. Expoſitio Patrum rectè diſtinguit peregrinationem *Abrahami* à peregrinatione poſteriorum, cùm eos locos, ubi habentur anni quadringenti, exponunt de ſolis poſteris, *Iſaaco* ſcilicet ſemine promiſſionis & ſequentibus: eos autem locos qui habent quadringentos triginta de ipſius *Abrahami* peregrinatione ab *Ur Chaldæorum* intelligunt, quæ annis triginta *Iſaaci* nativitatem anteceſſit. 3. *Voſſii* expoſitio excludit ab annis 430. non ſolùm *Abrahamum*, ſed ipſum *Iſaacum* per totam vitam & *Iacobi* etiam peregrinationem ad annum ſuum centeſimum triceſimum; à ſervitute autem excludit omnes *Iacobi* poſteros ad mortem uſque *Levi*, quæ pluſquam nonaginta annis accidit poſt introitum in Ægyptum.

Tertiò objicit *Voſſius* expoſitionem illam Patrum repugnare expreſſis verbis Exodi cap. 12. verſ. 40. *Habitatio filiorum Iſraël qui manſerunt in Ægypto, erat annis quadringentis triginta.* Reſp. Sacroſancta Scriptura non debet captioſis manibus tractari, an verba hæc expreſſiora ſunt de habitatione in Ægypto, quàm verba Act. 7. v. 6. & malè tractabunt eos annis quadringentis: iſta *Voſſius* ipſe interpretari cogitur Synecdochicè, non de toto iſto tempore, ſed quâdam ejus parte pag. 79. & reprehendere eos qui omnes iſtos annos de ſervitute accipientes, habitationem extendunt ultra annos quingentos.

Voſſii ſecundum argumentum.

Secundum argumentum quod pro ſuâ ſententiâ affert *Voſſius*, eſt ex cap. 5. Libri *Iudithæ*, ubi affirmat *Achior* Iſraëlitas habitâſſe in Ægypto per annos quadringentos. Reſp. Argumenti hujus levitatem fatetur *Voſſius* contra *Genebrardum*, non tantum quia liber eſt Apocryphus, & loquutor *Ammonita Achior* qui res Judæorum ignoravit, & cujus falſa narratio de rebus Judaicis nihil præjudicat divinæ veritati, ſed inprimis quod in codice originali Græco, nihil habeatur de tempore, ſed additio illa annorum quadringentorum ſit ex ſolâ verſione Latinâ. 3. Si omnia iſta prætermitterentur, neceſſaria tamen eſſet hoc loco commoda expoſitio, nam verba loquuntur

de

de habitatione filiorum *Iſraëlis*, ſi diſtinguas *Iſraëlem* à ſuis filiis, & ejus habitationem in Ægypto quæ fuit annorum ſeptemdecim, excludas ab habitatione filiorum, verba rigidè, prout ſtant, vera non ſunt, deerunt enim ex quadringentis ſeptemdecim.

Tertium. Tertium *Voſſii* argumentum eſt à multiplicatione filiorum *Iſraël* dum in Ægypto manerent, hi in ſexcenta virorum millia excreſcere non potuerunt, niſi annis minimum quadringentis ibi permanſiſſent. Reſp. *Genebrardi* hoc argumentum agnoſcit *Voſſius* nullius eſſe ponderis, & rejicit.

Quartum. Quartum eſt teſtimonium *Ioſephi* Antiq. lib. 2. cap. 9. ubi Iſraëlitas annis quadringentis in Ægypto vexatos affirmat. Reſp. *Voſſius* agnoſcit *Genebrardum* hîc fruſtra laborare, nam hoc loco, ut aliàs ſæpè, corruptus eſt ex librariorum incuriâ *Ioſephi* numerus, ut ex cap. 13. patet, ubi quadringentos triginta annos habet à peregrinatione *Abrahami* ad exodum, à deſcenſu verò *Iacobi* in Ægyptum numerat tantùm ducentos & quindecim, quod ad alios auctores Judæos, neque *Genebrardus*, neque *Voſſius*, ex plurima ſua *Rabbinorum* lectione vel unum producere poſſunt pro ſe, nobis autem multos largiuntur.

Pro noſtrâ ſententiâ.

Vindicantur argumenta noſtra. 1. Argumentamur 1. ex epiſt. ad Galat. 3. v. 16, 17. *Abrahæ dicta ſunt promiſſiones & ſemini ejus, teſtamentum autem confirmatum à Deo quæ poſt quadringentos & triginta annos facta eſt lex, non irritum facit.* Principium annorum quod Apoſtolus ponit in primis promiſſionibus factis *Abrahæ* de *Chriſto* ſemine benedicto non poteſt collocari in Iſraëlitarum deſcenſu in Ægyptum; nam prima promiſſio facta *Abrahæ* de ſemine benedicto multis annis anteceſſit Iſraëlitarum deſcenſum in Ægyptum. Primæ promiſſiones Gen. 12. *Abrahamo* dictæ ſunt, cum de *Ur* Chaldæorum annos natus ſeptuaginta exiret in Charran Meſopotamiæ, ubi quinque annos habitavit, inde diſceſſit anno vitæ ſeptuageſimo quinto, ex quo ad natum *Iſaacum* anno ſuo centeſimo Gen. 21. v. 5. ſunt anni 25. hinc ad natum *Iacobum Iſaaci* ſexageſimo ſunt ſexaginta, inde ad deſcenſum *Iacobi* in Ægyptum cum ſtetit ante *Pharaonem* centum triginta Gen. 47. v. 9. hi juncti faciunt ducentos viginti, qui ſubtracti ex quadringentis nonaginta relinquunt ducentos & decem, quibus in Ægypto commorati ſunt *Iacobus*, & filii.

De Majore nihil jure moveri poteſt dubii, niſi de quinque annis primis, certè cùm *Auguſtinus* textum Gen. 12. v. 1. per hiſteron proteron interpretetur, de primis promiſſionibus factis *Abrahæ* antequam veniret *Charran*, videtur neceſſarium ut factæ fuerint *Abrahæ* ſuo ſeptuageſimo, nimirum quinque annis antequam *Charrane* diſcederet, utcunque cum viris magnis nolim contendere de minutiis, præſens quæſtio eſt de annis ducentis & ſupra, in his lites de annis quinque facile abſorbentur.

In Minore, quod Apoſtolus principium annorum quadringentorum triginta poſuerit in tempore primarum promiſſionum factarum *Abrahæ*, minùs debet eſſe controverſiæ, nam Apoſtoli verba hoc expreſſe ferunt.

Reſpondet *Voſſius* negando minorem. Nam (inquit) promiſſiones ab Apoſtolo memoratæ non ſunt intelligendæ de primis Gen. 12. deſcriptis, ſed ultimis factis *Iacobo* Beerſhebæ, in itinere ſuo Ægyptum verſus Geneſ. 46. v. 30. à quibus ad exodum numerari vult quadringentos triginta. Replicar. Hoc ſolius *Voſſii* commentum eſt contra omnes mortales, certè contra omnes Patres & ſcriptores Proteſtantes ipſo non diffitente, puto etiam contra omnes Pontificios, nam varia hîc ex ſuo cerebro *Voſſius* procudit, de quibus *Genebrardus*, & alii valdè pauci ex Pontificiis ejus duces nunquam videntur ſomniâſſe. *Voſſii ſingularia commenta.* 2. Commentum hoc *Voſſii* apertè contradicit Apoſtolo, qui loquitur expreſsè de promiſſionibus dictis *Abrahæ*, *Voſſius* verò negat poſſe ejus verba intelligi de diebus vel *Abrahæ*, vel *Iſaaci*, vel *Iacobi*, ante iter ſuum ultimum in Ægyptum vitæ centeſimo trigeſimo. 3. Loquitur Apoſtolus expreſsè de promiſſionibus novi fœderis, quas non potuit lex evacuare, & de ſemine uno quod fuit *Chriſtus*, atqui promiſſiones factæ *Iacobo* Beerſhebæ non fuerunt tales; nullum iſtæ de fœdere aut *Chriſto* verbum, tantùm erant particulares *Iacobo* conſolationes de divinâ cum eo præſentiâ in Ægypto, de *Ioſephi* curâ ſepulturæ ejus, & de reditu poſterorum ejus ex Ægypto in terram Chanaan. 4. Ipſe *Voſſius* concedit à promiſſionibus *Iacobo* factis *Beerſhebæ* non fluxiſſe annos quadringentos triginta, ſed ſolum 407. quare cogitur ad aliud principium confugere, quod profitetur ſuum eſſe inventum à nullo ante tactum, ſcilicet caput annorum quadringentorum triginta à *Moſe* & *Apoſtolo* memoratorum arceſſendum eſſe, non à *Iacobi* deſcenſu in Ægyptum, ſed à *Ioſephi* qui viginti tribus annis illum anteceſſit; cum ſeracibus & fluidis ingeniis ſemel panditur inventionum porta, nullus finis eſt novorum commentorum.

Quartò. Recentiſſimum hoc *Voſſii* in-

ventum non ſtat neque cum Scripturis, neque cum rectâ ratione. Nam 1. Promiſſiones factæ *Abrahamo*, quas quadringentorum triginta annorum caput facit Apoſtolus Galat. 3. v. 17. erant confirmatæ in *Chriſto*, & ſactæ ſemini beoedicto: promiſſiones autem ſactæ *Iacobo* Betbele Gen. 35. v. 9. nullum habeut de *Chriſto* verbum. 2. Supponit *Voßius*, venditionem *Ioſephi* in Ægyptum contigiſſe eodem anoo, quo *Iacobus* habitationem ſuam tranſtulit *Schibeme Betblebemum*, boc ipſi fuit probaodum, non aſſerendum. 3. Deſcenſus in Ægyptum de quo loquitur Apoſtolus, oon fuit unius ſolùm Iſraëlitæ, *Ioſephus* autem unus tantùm fuit Iſtaëlita. Deuique uon poteſt *Ioſephi* deſcenſus eſſe caput anuorum quadringentorum triginta, oam ab eo ad exodum, fateote *Voſsio*, oon fluxerunr ulrra quadringentos viginti tres. Quod autem hìc affert de numeris rotundis & exactis, eſt intempeſtivum; nam ſecundum ipſius regulam, numerus mioor additus majori intelligeodus eſt de juſto & exacto, ita licet ſumma annorum quadringenrotum exponi poſſet de quadringentis trigiura, vel de aliquot pluribus aut paucioribus, quàm in ipſo rotundo exprimuntur, tamen cum triginta adduutur quadtingentis, aut quilibet numetus minot majori, tum ſumma totalis non debet totundati, ſed de juſto & exacto intelligi, itaque cùm nullo conatu *Voßius* valeat quadringeutos triginta annos de juſtis & exactis exponere, videtur ſatis cettum ejus calculum rectum eſſe non poſſe.

Secundum. Secundum quod pro noſtra ſeuteotiâ argumentum profert *Voßius* boc eſt. Generatiooes à *Moſe* io vatiis familiis memoratæ, ab introitu Iſraëlitarum io Ægyptum ad exitum, tam paucæ ſunt, ut annos qoadringentos triginta non poſſint exhaurire. In familia Levitarum duæ tantùm fuerunt generationes in Ægypto prognatæ *Cabad*, qui in Chanaoæâ natus io Ægypto gennit *Amram*, & *Amram Moſen*: in tribu *Reuben Phallu* in Chananæa natus génuit in Ægypto *Eliab*, & bic *Dathan* ac *Abiram* Num. 26. v. 8. In familia *Iehuda Ezron* filius *Pharez* in Chananæa natus genuit in Ægypto *Iephunne*, & *Iephunne Caleb*, qui anno ſuo quadrageſimo exivit Ægypto: eo autem ſeculo nullæ duæ aut etiam tres generationes attingere potuerunt annos quadringentos triginta. Reſpondet *Voßius* tria ſatis, ut nihil deterius dicam, paradoxa 1. *Cabad* genuiſſe *Amram* multò poſt centeſimum, & *Amram* paritet *Moſen* multò poſt ſuum centeſimum; nam dato *Cabad* ingteſſum in Ægyptum anuo ſuæ ætatis primo, & genuiſſe *Amram* centeſimo, ac *Amram* ſuo centeſimo genuiſſe *Moſen*, cujus octogeſimo contigit exodus: anni hi omoes juncti non apptopioquant quadringentis trigiota, imò non ſuperant docentos octoginta, quio & largiamur *Cabad* genuiſſe *Amram* anno vitæ ſuæ ultimo, ſcilicet centeſimo trigeſimo tertio, & *Amram* genuiſſe *Moſen* anno ſuo etiam extremo centeſimo trigeſimo ſeptimo: omnes hi, oimirum centum trigiota tres, centum triginta ſeptem, & octoginta conjuncti non excedunt trecentos quinqoaginta, qui de ſummâ quæſitâ quadringentorum trigiuta carent totis ſeptuaginta, & tamen in *Voßii* poſtulatis, ac ooſtris largitionibus quædam ſunt ſatis gratuita, ſi oon abſurda, nam non modò *Cabad*, ſed etiam *Amram* genuiſſe annis ſuis extremis iiſque centeſimis triceſimis ac ſupra, cùm inſtar miraculi fuerit, quòd multò antè *Abrahamus* anno ſuo centeſimo genuerit, noo eſt credibile; quodque teſpondet *Voßius* miraculum fuiſſe non in ætate *Abrahami*, ſed in ætate ac ſterilitate *Sara*, eſt diſertè contra Apoſtolum Rom. 4. v. 19. Nec conſideravit corpus ſuum emortuum, eum eſſet fere centum anoorum, fortitudinem fidei & ſpem *Abraha* cootra ſpem ponit Apoſtolus, quod à Deo qui excitat mottuos, & vocat ea quæ nou ſunt, tanquam ea quæ ſunt, expectârit filium de ſuo emortuo corpore.

Reſponſio ſecunda *Voßii* ptiori nibilo eſt meliot, *Moſen* io genealogiis ſuis multas generationes omittere, ita licet *Levi* dicatur geouiſſe *Cabad*, & *Cabad Amram*, & *Amram Moſen*, nihil vetat quin geoerationes aliquot ſint iotermiſſæ. Idem affirmat de lineâ *Iuda*, *Reubenis*, & aliis. Replica, temerarium nimis eſt hoc effatum, Scripturas, & Chronologiam omnem ſacram valdè enervans. Quid enim certi ex quacunqoe ſcripturâ elici poteſt de quacunque geuealogiâ, ſi liceat aſſerere in primariis genealogiis etiam ipſius *Chriſti* in tribu *Iuda* gradus varios omiſſos.

Quod de *Matthai* omiſſionibus affert, nihil facit ad rem, nam iſtæ ex aliis Scripturis abundè ſupplentur, ſed omitti varios gradus in primariis genealogiis qui in nullis Scripturis ſupplentor, eſt duriſſimum dictu: in primis cùm effugium hoc fingatur ad ſalvandam falſam hypotheſin de commoratione Iſraëlitatum in Ægypto annis 430. amplectamur verum Scripturæ calculum, babitaſſe Iſraëlitas in Ægypto annis tantum ducentis & decem, omnia iſtiuſmodi incommoda & abſurda vitabuntur.

Quod tertiò reſpondet *Voßius* adhuc eſt abſurdius, nimitum varios, qui cum *Iacobo* deſcendiſſe dicuntur in Ægyptum, noudum fuiſſe natos, ſed multò poſteà genitos in Ægypto, ita *Manaſſe* & *Ephraim* uon tantùm *Temeraria multa Voßii effata.*

tùm natos fuiſſe in Ægypto, ſed etiam ibi natos poſt deſcenſum *Iacobi*, espreſsè contra *Moſen* Gen.41. v.50. idem de filiis *Pharez*, *Ezron*, & *Hanul* narrat, qui etſi cum *Iacobo* deſcendiſſe dicantur à *Moſe* in Ægyptum, affirmat tamen *Voßius* diu pòſt natos in Ægypto: non dubitat idem affirmare de decem filiis *Benjamini*, quos omnes nominatim cum *Iacobo* deſcendiſſe in Ægyptum affirmat *Moſes*, ſed *Voßius* non vult ullos tum *Benjamino* fuiſſe liberos, cùm viginti tres tantùm annus ageret, neque uxorem duxiſſe, niſi poſt deſcenſum annis ſeptemdecim ætatis ſuæ quadrageſimo. Miror equidem quid viro magno venerit in mentem, ut tot & tam apertas contradictiones contra Scripturas in unum locum congeſſerit. Lubenter hic excuſabo patrem, ſi in ſe filius *Iſaacus* culpam recipiat, nam operis poſthumi ſphalmata non tam celebratus auctor quàm editor debet præſtare.

Quod de filiis *Pharez* habet *Voßius*, fateor eum in eo ſequi *Pererium* in Gen.46. quin & doctiſſimus *Rivetus* ibidem in eadem eſt ſententia: omnibus prævivit *Auguſt.* de Civitate Dei 16.40. Sed profectò nimis dura eſt *Auguſtini* hypotheſis, ingreſſum *Iacobi* in Ægyptum extendendum ad mortem uſque *Ioſephi*, eo quòd *Ioſephus Iacobo* deſcenſus in Ægyptum cauſa fuit, hoc pacto deſcendiſſe cum *Iacobo* in Ægyptum dici poſſunt, non tantùm animæ ſeptnaginta, ſed ſeptuagies mille; plures enim ante *Ioſephi* mortem à *Iacobo* deſcendiſſe videntur.

In hoc grave incommodum *Aug.* incidit, eo quòd Græci interpretis manifeſtum errorem voluerit tueri expreſsè contra Hebraicam veritatem, & latinum etiam Interpretem. Græcus interpres non tantùm deſcendentes cum *Iacobo* facit ſeptnaginta quinque, quod profitetur etiam *Stephanus* Actor. 7. & variis modis conciliari poteſt, ut alibi diximus, ſed etiam in enumeratione perſonarum *Machir*, *Galaed*, *Sutela*, & alius *Ioſephi* nepotes, ac pronepotes memorat, quod *Auguſtinus* non debuit defendere.

Quod ad filios *Pharez*, etſi difficultas ſit valdè gravis oſtendere quomodo *Iudas*, qui annis tantum quatuor *Ioſepho* fuit major ante deſcenſum in Ægyptum, habere potuerit pronepotes, tamen in *Parei* Chronologia nihil ineſt abſurdi, nec gravis incommodi, ſcilicet, *Iudam*, *Er*, *Onan*, & *Pharez* contraxiſſe ſingulos matrimonium anno ſuo decimoquarto: iſtud non debet negari ab his qui petunt ſibi dari multò majus poſtulatum, ſcilicet, *Levi*, *Cahad*, & *Amram*, ſingulos poſt ſuum centeſimum genuiſſe liberos.

Quod in hoc etiam capite de numero filiorum *Iſraëlis* multiplicante ad Regis Ægypti metum, ne cum hoſtibus ipſius ſe jungerent, reſpondet *Voßius* tum temporis in Ægypto fuiſſe non tantùm unum, ſed multos Reges, & *Moſen* ibi loqui de uno tantùm ex multis in Ægypto Dynaſtâ, conjectura eſt non tantùm ſine fundamento, ſed etiam contra totam *Moſis* hiſtoriam: Annon fames totam Ægypti regionem invaſit? Annon horrea per totam Ægyptum collocata ſunt? Annon tota Ægyptus *Pharaoni* eſt acquiſita, & ſacerdotes totius Ægypti à taxationibus liberi fuerunt? certè Dynaſtiæ particulares diu ante *Pharaonis* & *Moſis* tempora in unum regnum coaluiſſe videntur.

QUÆSTIO V.

Quomodo deſcenderint in Ægyptum ex Iacobi familiâ 70. & 75.

Quomodo in Ægyptum deſcenderint animæ 70. & 75.

QUintò quæritur, qui *Moſes* Geneſ. 46. v.27. & alibi ſeptuaginta Iſraëlitas in Ægyptum deſcendiſſe ſcribat, cum *Stephanus* Actor. 7. v. 14. ſeptuaginta quinque memoret? Reſp. Sacroſanctum Dei verbum captioſas manus reſpuere, & Criticorum argutias abhorrere: ſudant quidem tam antiqui quàm recentiores interpretes in hujuſmodi nodis diſſolvendis; non ſemper tamen, cùm omnia conati ſunt, vel aliis vel ſibi valent ſatisfacere. Certè quæ ad hunc expediendum nodum ab *Auguſtino*, *Hieronymo* & aliis olim, vel à *Calvino*, *Beza*, *Mercero*, *Capello*, *Mentzero*, *Iunio*, *Riveto* & *Pelicano* nuper; vel etiam *Lorino*, *Pererio*, *à Lapide*, aliiſque Pontificiis afferuntur, paucis cordatis placebunt. Admirtimus facilè Septuaginta Interpretes in temporum ac numerorum rationibus frequenter nimis in craſſos errores collapſos, licet eorum hic error non in litera aut numeri notâ exiſtat, nam ut quinarium ſuum ſupra *Moſis* ſeptuagenarium expleant, *Ioſephi* nepotes de quibus *Moſes* reticuit, nominibus expreſſis adducunt ſupra quinque, non tamen niſi maximâ conſtricti neceſſitate cum multis admittemus, vel *Stephanum* vel *Lucam* LXX. Interpretum ab Hebraica veritate deviationem ſequutos. Neque etiam cum aliis audemus textum hic Novi Teſtamenti corrigere, quaſi librariorum incuriâ vitiatum, legendo pro *πέντε quinque*, vel *πάντες omnes* cum *Theodoro Bezâ*, vel *πάντως omnnò* cum *Iacobo Capello*: quandoquidem manuſcripti omnes codices Græci & verſionum antiquiſſimæ, etiam Syria & Arabica, & modernæ vulgares omnes ab impreſſis non varient. Malumus ergò reſpondere conciliari numerum *Lucæ* majorem cum minore *Moſis*, inter-

interpretando *Lucam* de totâ familiâ, & *Moſen* de filiis tantùm *Iacobi*, qui ex ejus egreſſi ſunt femore: in familia autem fuerunt minimùm quinque præter maſculos à *Iacobo* deſcendentes, qui in Ægyptum venerunt: iſtum quinarium conſtitue ex *Iacobi* filia & quatuor uxoribus. Licet enim certum ſit *Leam* & *Rachelem* in Chananæâ ſepultas, numerari tamen poſſunt ut perſonæ ad familiam *Iacobi* ſpectantes, non minùs quàm *Er* & *Onan*, qui in Chananæâ etiam occubuerunt. Nam ſcopus iſtius numerationis tam apud *Moſen* quàm *Lucam* manifeſtus eſt, nimirum divinæ declaratio potentiæ in poſterorum *Iacobi* multiplicatione, tam paucis annis à tantulo in tam ingentem numerum. Huic fini bellè ſatis inſervit non tantùm omnes annotâſſe filios, quod fecit *Moſes*, ſed etiam omnes qui *Iacobi* domum tam propinquâ relatione contingebant, quàm quæ eſt vel matris vel filiæ. Conjecturam hanc meam in medium non produxiſſem, niſi varias improbabiliores multò à viris maximis vidiſſem propoſitas.

QUÆSTIO VI.

Quòmodo in exitu ex Ægypto multiplicati ſunt Iſraëlitæ ad ſexies centena millia.

Quo pacto Iſraëlitæ in Ægypto ad tantum numerum excreverint.

SExtò quæritur, quî fieri potuit ut ducentorum & quindecim annorum ſpatio animæ ſeptuaginta, vel ſeptuaginta quinque in ſexcenta virorum millia evaſerint? Reſp. Divinæ potentiæ miraculum facillimè perficere, quod ordinario providentiæ curſu non ſolet obvenire: Licet in re præſenti extraordinariæ cujuſquam potentiæ fulcimento non valdè indigeamus, ſi vel *Capelli* vel *Calviſii* admittamus hypotheſes. Poſtulat ille ſibi dari Iſraëlitarum ſingulos poſt annum triceſimum decem filios genuiſſe, nihil hic miraculo ſimile; *Ægyptus* enim, *Danaus*, *Darius*, & *Priamus* habuiſſe dicuntur liberos quinquaginta. *Artaxerxi* refert *Iuſtinus* liberos fuiſſe centum & quindecim, *Hierotimo* ſexcentos: Legimus in literis Sacris *Abdonis* filios quadraginta, *Abeſanis* triginta & totidem filias: *Gideonis* filios ſexaginta, totidemque *Achabi*: nihil ergo novitatis aut rari in *Capelli* poſtulato, & tamen hic fœcunditatis fons in annis ducentis & quindecim, quibus *Iſraëlitæ* in Ægypto manſerunt, unicuique ex poſteris *Iacobi* qui Ægyptum intravit, ſuppeditabit filios decies centies mille, dum numerus poſterior multiplicat ſepties priorem per decem. Nam in ducentis & quindecim continentur triginta ſepties, & denario ſepties ducto in primum & ſequentes, prodit ſuperior numerus hoc pacto: habuerit, exempli cauſa, *Benjamin* filios decem in tota vita, quemadmodum ante viceſimum quartum ſuſcepiſſe probavimus reverâ novem; ex hac hypotheſi habuiſſe oportuit nepotes centum, pronepotes mille, abnepotum decem millia, adnepotum centum millia, trinepotum decies centena millia.

Calviſius verò ſic ſuas rationes inſtituit. Unicuique in Ægypto *Iſraëlitæ* per totam vitam quatuor tantùm filios attribuit; ſed in annis ducentis & quindecim generationes ſedecim numerat: ſupponit enim (de quo ſuprà) *Shutelam* ſecundum octavum ab *Ephraimo* fuiſſe, poſt cujus necem *Beria* procreatus ſit, quaſi nonus; à quo *Ioſhua* multis ante exodum annis natus, fuit minimùm octavus. Multiplicat ſingulas ſedecim generationum per quatuor, & in ultima invenit numerum ferè infinitum hoc pacto: *Ephraim* generatione primâ habuerat filios quatuor, hæc hypotheſis unicuique ex iſtis filiis itidem quatuor tribuens, dabit *Ephraimo* in generatione ſecunda nepotes ſedecim, in tertiâ pronepotes ſexaginta quatuor, in quartâ abnepotes ducentos quinquaginta ſex, in quintâ trinepotes mille viginti quatuor, in ſextâ poſteros primanos quater mille nonaginta ſex, in ſeptimâ poſteros ſecundanos ſedecies mille trecentos octoginta quatuor, in octavâ poſteros tertianos ſexagies quinquies mille quingentos triginta ſex: tot ex ſe natos filios videre potuiſſe *Ephraimum* ſupponit ante prognatum *Beriam*. Poſteà pergit quadruplicare natos ad *Ioſhuam* decimum ſextum aut decimum ſeptimum: & licet à *Gathæis* decem mille *Ephraimitarum* necatos det, & tredecim ex iſtis generationibus in Ægypto mortuos, tamen in tribus reliquis invenit ultra quadragies millies centena millia ſolorum *Ephraimitarum* ex Ægypto egredi potuiſſe. Nihil eſt ergò quod quis dubitet de ſummâ *Moſis*, ſexcenties mille omnibus ſimul tribubus in exodo attributâ.

QUÆSTIO VII.

Quî tam pauci fuerint Iſraëlitæ in exodo?

Quî factum ut in numerum multò majorem non excreverint.

SI cui hæ ſupputationes dubium in contrarium moveant, quî factum ut in tam parvum numerum temporis ſpatio *Iſraëlitæ* excreverint? Reſp. Subtilia ingenii commenta procul abeſſe ſolere à realibus mundi eventis, multa comminiſcuntur non tantùm Mathematici, ſed & Politici projectores quos vocant, & in quavis arte novatores Dædaliſtæ, quæ, cùm ad rem & praxin ventum eſt, evaneſcunt in auras. *Capelli* aut *Calviſii* Arithmeticam non ultrà premimus, quàm ad demonſtrandam *Moſaici* numeri ordinariam ſine

miraculo

miraculo poſſibilitatem, probè aliàs conſcii ex ipſo ſenſu & quotidianâ experientiâ, quot quantaque ſint, quæ generis humani multiplicationem ad ſuperiores proportiones impedire ſoleant. Aliàs ſingulis ſeculis unaquæque gens in illa prodigia numerorum excreſceret, ut populorum multitudini capiendæ totus orbis diu non ſufficeret, cùm tamen multiplici experientiâ conſtet, fœcundiſſimos populos poſt varia ſecula, etiam abſque inſignibus vel peſte vel fame vel gladio depopulationibus, notabile nullum in numero incrementum cepiſſe.

Pluiâ hic non inquiremus properantes ad *Epocham* ſequentem.

CAPUT V.

De rebus geſtis in tertiâ Epochâ ab exodo ad templi Solomonis *conditum.*

Termini Epocha demonſtrati.

CHronologorum principes tam Proteſtantes quàm Pontificii *Scaliger*, *Calviſius*, *Salianus*, *Petavius*, Exodum conſtituunt anno mundi bis milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo tertio; quàm rectè id fiat ſuprà perſpicuè demonſtravimus ex indubitatis S. Scripturæ calculis. Nam annus Diluvii fuit mundi milleſimus ſexcenteſimus quinquageſimus ſextus: poſt Diluvium natus eſt *Abraham* annis ducentis nonaginta duobus, & anno vitæ ſeptuageſimo quinto migravit in *Chananaam*, hinc ad Exodum *Moſes* & *Paulus* numerant quadringentos triginta, hos ſi jungas prodir dicta ſumma annorum bis mille quadringentorum quinquaginta trium. Quod autem *Capellus*, *Henricus Philippi* & alii majorem ſummam conſtituant, ex eo errore fit, quod ſuppoſititio *Cainani* triginta minimùm annos quidam tribuant, & omnes *Abrahamum* ſexaginta totis annis ſeriùs quàm *Moſes*, *Thara* ſcilicet centeſimo triceſimo, non, ut nos, ſeptuageſimo natum velint.

Magna inter Chronologos diſcrepantia fons.

Ut duarum priorum Epocharum termini clari ſatis & fixi ſunt, ita tertiæ jam præ manibus non minùs certi & clari videntur: Nam ut Exodi tempus à *Moſe*, ita ſtructuræ templi ab auctore lib. 1. Reg cap. 6. 1. principium ſtatuitur quadringenteſimo octogeſimo poſt Exodum, adeoque mundi bis milleſimo nongenteſimo triceſimo tertio. Summa hujus Epochæ à variis variè colligitur. Sic autem à *Junio* in lib. 1. Reg. cap. 6. verſ. 1. In deſerto (inquit) anni acti ſunt quadraginta, ſub *Joſuâ* ſeptendecim, ſub *Judicibus* ducenti viginti novem, ſub *Eli*, *Samuele* & *Saule* octoginta, ſub *Davide* quadraginta, his additi primi quatuor *Solomonis* dant ſupradictos quadringentos octoginta. Quæ contrà objiciuntur multa ſatis & gravia, capite ſequente videbimus.

Res intereà per orbem geſtas paucis delibemus tam intra Eccleſiam quàm extra in mundo.

Iſraëlitarum crudelis oppreſſio annis 80 plagæ Ægyptiaca uno tantum anno durarunt.

In ipsâ Exodo paucíſque qui ſequuti ſunt diebus Ægyptiacæ plagæ finitæ ſunt. Poſt multorum annorum acerbiſſimam ab Ægyptiis afflictionem (nam octoginta & quod excurrit annis duravit dira maſculorum infantium ſubmerſio) excitata tandem in oppreſſores Ægyptios divina vindicta eſt, vocatuſque *Moſes* quadrageſimo apud *Madianitas* exilii & octogeſimo vitæ anno, ad liberandum divinâ potentiâ populum. Toto eo anno in oppreſſores Ægyptios meritis plagis ſævitum eſt, nam quòd quidam uno menſe plagis omnibus Ægyptum defunctam volunt, præter rationem præfeſtinant.

Diarium itineris Iſraëlitarum ex Ægypto.

Anni *Moſis* octogeſimi primi, mundi bis milleſimi quadringenteſimi quarti menſe primo (*Ab* primùm & poſteà *Niſan* dicto, qui in computo omni ſacro factus eſt poſteà primus) die decimo, noſtri Aprilis undecimo, ſepoſitus eſt in omnis Iſraëlitæ domo ad ſacrificium agnus Paſchalis, qui poſt dies quatuor, *Niſan* 14. Aprilis 15. ad veſperam mactatus eſt. Nocte eâ mediâ à deſtructore angelo primogeniti necati. Decimo quinto *Niſan*, 16 Aprilis multò mane donis & blanditiis ab Ægyptiis præſentaneæ mortis metu conſternatis protruſi, primo profectionis die feriâ hebdomadæ quintâ in *Succoth* tabernacula fixerunt: ibi in tuguriolis *Succoth* dictis azymos Paſchatis panes ſub cinere coctos comederunt. Die ſequenti *Niſan* 16. Aprilis 17. feriâ ſextâ *Ætan* profecti ſunt, hic Sabbato feriâ ſeptimâ quieviſſe videntur. *Niſan* 18. Aprilis 19. feriâ ſecundæ hebdomadæ primâ venerunt *Pihahiroth* ad littus maris rubri, paucis hic diebus commorati, habuerunt à tergo Ægypti Regem, *Manethoni Cenchrem* cum ſuo exercitu, vi & armis in priſtinam ſervitutem Iſraëlitas retracturum.

Chriſtus in nube populo Dux.

A primo profectionis momento Dominus *Jeſus* faciei Iehovæ angelus, Iſraëlis caſtra ut Dux & Imperator antecedebat in nube; quæ interdiu caligine ſuâ radios ſolares mitigabat, & noctu ſuo calore ac luce nocturna frigora & tenebras diſſipabat.

Integro transſacto menſe poſt Exodum ſtatione octavâ venerunt Iſraëlitæ in deſertum *Sin*, menſis *Jiar* 15. noſtri Maji 16. Defecit hic populum quam ex Ægypto tulerunt annona, hinc murmura in *Moſen* & Deum, ſed quæ Deus ſtatim compeſcuit, ex largo ſuæ providentiæ promptuario ſuppeditans eâ ipsâ nocte immenſam carnium delicatarum copiam, gregem Coturnicum, & mane inſequenti in rore Angelicum panem *Manna*.

F Dies

Primum Manna cœlo depluit die Dominico.

Dirs primus qno pluit *Manna* fuit Dominica, feria hebdomadæ prima altera Sabbati; nam ſextus inde dies fuit Proſabbatum, quo duplex *Manna* ob Sabbathi ſequentis religionem colligi imperatnm eſt. Itaque diem primum *Manna*, à quo Sabbatum fuit ſeptimus, oportuit fuiſſe primum Creationis & mundi, ipſam noſtram Dominicam hebdomadæ primam, quâ Dominus veriſſimum *Man* à mortuis reſurrexit. Hoc Cœli proveotu totis annis quadraginta populus Dei paſtus eſt, ſi unum meoſem excipias, cujuſmodi minutias in numeris rotnndis Scriptura ſilere ſolet. Nam ut Ægypti annona in medio menſis ſecundi poſt exodum deficiens, cœleſti hoc pane ſuppleta eſt, ita poſt annos quadraginta, decimoqninto menſis primi, Cananiticæ fruges in populi caſtra delatæ, extraordinarii hujus commeatus non amplius neceſſarii ſuppeditatiooem ſtiterunt Joſuæ 5. v. 15.

Duplices aqua Meriba.

Statio undecima fuit *Rhephidim*, quoto menſis ſecundi die neſcitur, ubi ex percuſſâ primùm petrâ *Moſes* aquas *Meriba* coram Senioribus elicuit, & eodem die *Amalekitas* ſuis ad Deum precibus ac *Joſua* armis fregit.

In ſtatione duodecimâ ad Sinam totum annum permanſum eſt.

Sequenti ſtatiooe die primo menſis tertii ventum eſt ad montem *Sinai* Exod. 19. v. 1. nbi nubes & caſtra totum ferme annum permanſerunt, ad anni ſcilicet ab Exodo ſecundi meoſis ſecundi diem viceſimum Num. 10. v. 11.

Quo die data lex.

Primo & ſecundo tertii menſis die popnlus ad auditum legis præparabatur, tertio verò data lex eſt trementibus ſub monte *Sinai*, nudique fumante ac tremeute, & in vertice maximo flammante incendio, ipſo die *Pentecoſtes*, quinquageſimo à Paſchate, ſi nnmeres à decimo quarto primi menſis, ſin aotem à ſecundo die Azymorum quo elevatus eſt mauipulus, ſeptem *Pentecoſtes* hebdomadas numeres, ut plerique auctores ex Levit. 23. ſolent, tum data lex tertio menſe & die quidem tertio, ut habetur expreſſè Exodi 19. v. 16. ſed tertio neque menſis nrque hebdomadæ, verùm primi aſcenſus *Moſis* in montem ex quo in tertium dirm populi præparationem & legis promulgationem Dominus denunriavit, quem menſis *Sivan* ſextum, noſtri *Junii* quintum, feriam hebdomadæ ſextam ipſumqne Sabbatum plerique Interpretes exiſtimant.

Varius Moſis in montem itus & reditus.

Die quo *Decalogus* pronunciatus eſt, *Moſes* primo ſolus montem aſcendit ut divina caperet mandata, inde deſcendens totum populum extra caſtra ad montis radices deduxit, tum ex mandato Dei Exod. 19. verſ. 24. ipſe & *Aaron* ut mediatores aſcenderunt in montem; quibus ita conſtitutis, terribili tubæ voce lex intonata eſt, populus metu fugiens terga vertit & ſtetit procul à monte Exod. 20. v. 18. populum metu perculſum *Moſes* conſolatur, ejuſque promiſſa magnæ lubentiæ parendi Deo per eom loquenti refert, quibus à Deo benignè acceptis, & populo in caſtra remiſſo, multa cæremonialia mandata ad Decalogi elucidationem ſpectantia, quæ Exod. 20, 21, & 23. habentur, *Moſes* accipiens, de monte iterum ad caſtra regreſſus, eâ nocte iſta unà cum Decalogi in libro fœderis ſcribit, & die craſtino altare erigit, holocauſta expiatoria & pacificatoria offert, librum fœderis & populum ſanguine conſpergit, redit in montem unà cum *Aarone* & filiis ac ſeptuaginta Senioribus, fœdus populo adlubeſcere relaturus, idque cum Deo confirmaturus, legati omnes Dominum ſuam præſentiam viſibili ſigno exprimentem, à longinquo viderunt, adorârunt, & in caſtra vivi redièrunt.

Prima Moſaica jejunii quadrageſima.

Solus *Moſes* à Deo vocatus ut Decalogi tabulas acciperet, mootem cum *Joſhua* ſuo miniſtro repetit, die menſis quinto, vel, ut alii, octavo, utcunque biduo à promulgatione legis. Hinc dies quadraginta in monte cnm Deo moratur jejunus abſqoe vel cibo vel potu. Potuit tum temporis *Joſhua* Manoâ veſci, & de montis aliquo fonte bibere, nam de ejus jejnnio nihil *Moſes* refert. Hebdomadâ primâ extra craſſam caliginem remanſit *Moſes*, die autem ſeptimo vocatus aſcendit ſolus in oebulæ medium, ubi quæ Exod. 24, 25, 26, 27. & ſequentibus habeutur, à Deo audivit.

In fine primæ quadrageſimæ conflatus eſt ab *Aarone* Vitulus aureus, & ad immane hoc crimen compeſcendum cum diviois in manibus tabulis *Moſes* cum *Joſua* in caſtra dimiſſus eſt; priuſquam tamen de monte deſcendit, interceſſione ſuâ iram Domini à præſenti totius populi exterminio divertit. Ut prope caſtra veuit, conſpicatus populum in ipſo Idololatriæ actu inſanientem, zelo Dei inflammatus divinas tabulas fregit, Idolum contrivit, Levitas obvios quoſque confodere maudavit, quod & factum ad trium millium, non, ut *Capellus*, viginti unius millium cædem.

Secunda Moſaici jejunii quadrageſima.

Craſtino die graviter increpato populo rediit ad montem Exod. 32. ubi alteram quadrageſimam in jrjunio & precibus tranſegit Deut. 9. verſ. 15. quibus pleniori divinæ erga popolum gratiæ accepto promiſſo & mandato de novis conficiendis tabulis, montem tertiò repetiit Exod. 33. ut Deum placatiorem populo adhuc redderet; nam tabernaculo congregationis extra caſtra tendi, populoque ſua ornamenta deponere juſſo, plena reconciliatio nondum impetrata ſuit. Hac vice divinæ gloriæ à tergo conſpectum, legiſque in tabulas à ſe delatas diviuo digito inſcriptiouem, & mirabi-

Tertia Moſis pro populo interceſſio non probat tertium jejunium.

lem lucis ex tot colloquiis cum Deo familiaribus in ſuum vultum impreſſionem adeptus eſt. Quòd autem *Capellus* & *Henricus Philipps* poſt alios, tum *Moſi* tertiam in jejunio quadrageſimam adſcribunt, nullâ id commodâ & convenienti ratione facere videntur.

Primum tabernaculum ſepoſitum.

Reliquum hùjus anni actum eſt in conficiendo vario ac multiplici tabernaculi fœderis inſtrumento, quod omne die primo menſis primi, alterius ab exodo anni ſub monte *Sinai*, caſtrorum ſtatione duodecimâ erectum eſt, & tabernaculo priori ut non neceſſario ſepoſito, novum hoc clariſſimo divinæ præſentiæ ſigno involutum eſt nube, quæ, ut diximus, diu caligo & noctu ignis apparebat, ad cujus motum & quietem movebatur & quieſcebat cùm tabernaculum tum tota populi caſtra. Ex hoc fœderis tabernaculo omnem Leviticum dictavit *Moſes* ante primum menſis ſecundi, quo die quæ habentur libro Numerorum docere Dominus cœpit Num. 1. v. 1. *Aaron* cum filiis conſecrari cœpit primo die menſis primi iſtius anni, perfecta eſt eorum conſecratio die ſeptimo, die verò octavo, ut Pontifices plenè initiari ſacrificia Domino offerebant, & flamma de Cœlo victimas in altari conſecratas abſumpſit Levit. 9 v. 24. cœleſtem hunc ignem ali & perpetuò poſteà in altari conſervari Dominus mandavit Levit. 1. verſ. 7. & 6. 12. hujus mandati contemptus *Nadab* & *Abihu Aaronis* primogenitos, ipſo illo die octavo, ſecundum pleroſque Interpretes, in loco ſacro extinxit.

Leviticus totus uno menſe dictatus.

Primo Pontificatus die Nadab & Abihu extincti.

Triplex populi numeratio.

Die primo menſis ſecundi, anni ab exodo ſecundi inſtitutus eſt populi cenſus & numeratio: invenitque *Moſes* in undecim tribubus virorum ſupra annos viginti ſexcenta tria millia quingentos & quinquaginta Numer. 1. verſ. 46. Secundus hic populi cenſus fuit, ubi capite cenſorum idem omnino numerus qui in capitulatione primâ Exod. 38. verſ. 26. paucos ante menſes. Quot intereà publicæ calamitates aut caſus ordinarii ex primo cenſu conſumptêre, ſuppleri facilè potuerunt ab iis, qui hiſce menſibus ad ætatem cenſus 20. annorum emerſerant.

Poſt annos 39. tertia facta eſt populi numeratio, in quâ paulò pauciores inventi ſunt, ſexcenta vix & unum mille ſeptingenta triginta capitum leguntur Numer. 26. v. 51. licet tum omnes, exceptis duobus *Calebo* & *Ioſhuâ*, qui in primo cenſu numerati, extincti fuerint.

Poſt moram ad montem *Sinai* integri anni, ſi dies tredecim excipias, nam eò ventum fuit anno primo exodi tertii menſis die tertio, & mota inde ſunt caſtra die viceſimo menſis ſecundi anno ſecundo Numer. 10. verſ. 11. confecto trium dierum itinere ad *Sepulchra* concupiſcentiæ ſtationem decimam tertiam metati ſunt: Secundum hîc factum eſt coturnicum aucupium, quibus ad nauſeam populi voracitas toto menſe ſatiata eſt, ſed hanc gulam ingens ſtrages vindicavit Num. 11. v. 30.

Secundum Coturnicum aucupium.

Statio ſequens decima quarta fuit *Haſeroth*, ubi leprâ *Miriam* percuſſa eſt, hinc in deſertum *Paran* ſtationem decimam quintam *Rithma* vel *Cadesbarneam* venerunt, inde exploratores in terram *Canaan* dimiſerant. Horum decem poſt 40. dies redeuntes, infami calumniâ ſeditionem in populo concitantes, decretum à Deo extorſerunt de murmuratorum omnium in diſerto vagâ, annis ab Exodo 40. ad mortem uſque, peregrinatione.

Conſpiratio *Kore*, ob invidiam ſacerdotii *Aaroni* filiiſque appropriati, & quæ eò ſpectant Num. 16. & 17. accidiſſe videntur, non diu poſt exploratorum reditum, fortaſſis ante anni ſecundi finem.

De hiſtoriâ 37. annorum in deſerto ſilet Moſes.

In triginta ſeptem, qui ſequuti ſunt, annis; præter mera ſtationum nomina Num. 33. de rebus Iſraëlitarum nihil memorat *Moſes*; tota quæ ſequuntur apud eum vel in Numerorum, vel Deuteronomii libro hiſtoria, ad ânnum ab exodo quadrageſimum pertinet.

Duplex ſtatio in Cadesh.

Menſe primo iſtius anni ventum eſt *Cadesh*, non *Cadesbarneam* ſtationem decimam quintam in finibus *Cananæ*, ſed alteram *Cadesh* ſtâtionem triceſimam tertiam in finibus *Idumææ*. Mortua hîc eſt *Miriam*, anno ætatis, ut videtur, minimùm 130. nam major erat utroque fratre, cùm enim *Moſes* ad *Nili* ripas exponeretur in caniſtro, erat tum *Miriam* adoleſcentula, eâ maturitate ingenii quæ ad prudens cum *Pharaonis* filiâ colloquium ſufficiebat. Eâdem ſtatione nova facta eſt de aquis contentio & *Meriba*, quæ *Moſen* & *Aaronem Cananâ* excluſit.

Secunda Meriba.

Statione ſequenti, menſe ejus anni quinto die primo in monte *Horeb Aaron* expiravit: poſterioribus aliquot menſibus geſtæ ſunt, quæ ad Numerorum finem habentur, hiſtoriæ, de debellato rege *Arad*, de Serpente æneo, de regibus *Og* & *Baſan*, de *Balaam* & *Balaak*, vindictaque de *Madianitarum* principibus. Ultima hæc acta ſunt cùm Iſraëlitæ caſtra tenderent in campeſtribus *Moab*, ad Jordanem è regione *Hierichuntis*. Hîc *Moſes* menſe undecimo anni 40. dictato Deuteronomio initio menſis duodecimi è vivis exceſſit, in vegetâ centum viginti annorum ſenectute, & ab Angelo in valle incognitâ ſepultus eſt, anno mundi bis milleſimo quadringenteſimo nonageſimo tertio, à Diluvio octingenteſimo triceſimo ſeptimo, ante natum Chriſtum milleſimo

Quando & ubi dictatum Deuteronomium.

quadringenteſimo quinquageſimo ſeptimo; ſi *Scaligeri*, *Calviſii* & *Emmii* calculum ſequaris. *Capellus* ex ſuperiùs notato errore in *Abrahami* nativitate addit ſexaginta: & *Henricus Philippi*, ex alio etiam errore in juniore *Cainan*, addit inſuper annos triginta in omnibus ſuis poſtea temporum calculis.

Capelli & Henrici Philippi errores perpetui.

Obſervate hîc *Geneſin* continere hiſtoriam annorum bis mille trecentorum & decem, à mundi vix initio ad *Ioſephi* mortem: *Exodum* verò (ſi duo prima capita excipias, ubi breviter memorantur quæ Iſraëlitis à *Ioſephi* morte ad *Moſis* vocationem acciderunt) habet tantùm unius anni & ad ſummum duorum annorum hiſtoriam, plagarum ſcilicet Ægypti, & quæ primo anno in deſerto geſta ſunt, ad tabernaculi ſub monte *Sinai* erectionem. Liber *Levitici* uno menſe abſolvi videtur, ſi ejus principium cum *Numerorum* principio conferas. Liber *Numerorum* Pentateuchi quartus, hiſtoriam habet annorum tantùm duorum, ſecundi ſcilicet & quadrageſimi ab exodo. Pentateuchi quintus *Deuteronomium* duorum ultimorum anni quadrageſimi menſium res geſtas memorat.

Geneſis habet annos 2310. Exodus annos duos.

Leviticus unum menſem. Numeri annos duos. Deuteronomium duos menſes.

In hiſtoriâ profanâ nihildum occurrit, quod in hoc compendium tranſcribamus, quæ afferunt hîc Chronologi deducta fere ſunt omnia ex *Euſebii* in Chronico fragmentis, quæ parum attinet hîc commemorare, pergamus ergò ad tempora *Ioſhua* & *Iudicum*.

Ut primùm triginta dies luctus ob *Moſis* mortem finiti ſunt, *Ioſhua* divino ſpiritu plenus populum ad tranſeundum *Iordanem* ex Dei mandato præparavit. Exploratoribus *Hierichunte* à *Rachab* reverſis, die decimo menſis primi, anni ab exodo quadrageſimi primi, antecedentibus cum arcâ ſacerdotibus, *Iordanis* ſuas ripas autumnali inundatione replentis alveum, ſicco pede populum trajecit. Poſt *Moſis* mortem, ut primum populi ductum *Ioſhua* ſuſcepit, nubes quæ antè tabernaculum involvit, à cujus motu caſtra metationes omnes & populi itinera pendebant, evanuit. Prima trans *Iordanem* caſtra *Gilgale* poſita ſunt, ibi poſt quadraginta annorum intermiſſionem primùm Circumciſio, & mox tribus diebus vulnerum ab iſto ſacramento curationi tributis, Paſcha decimo quarto iſtius primi menſis celebratum eſt.

Moſe mortuo nubes evanuit.

Circumciſio & Paſcha 40. annis intermiſſa.

Dies decimus quintus fuit primus Azymorum, & decimoſexto manipulus frugum Cananææ oblatus eſt, ac eâ nocte de terræ Cananææ frumento populus Iſraëlitarum veſcebatur. Sequenti ergò mane diei decimi ſeptimi ceſſavit Manna, non ampliùs neceſſarium: hic *Hierichuntis* muri poſt ſeptem dierum circuitionem, ad tubarum clangorem, populique Iſraëlitarum clamorem ſuâ ſponte corruerunt.

Cananitarum ſubjugatio totorum ſex annorum labore *Ioſhua* conſtitit: nam non ante ſeptimum à tranſito *Iordane* facta eſt κληρουχία, hoc eſt, terræ populo jam pacato, & ab inimicorum ſubactorum armis libero, per ſortem diviſio: quod diligenter obſervandum, nam in hoc cardine vertitur annorum Sabbaticorum & Jubilæorum, præcipuorum Chronologiæ, ſecundum *Calviſium*, characterum certitudo. Notate ergo, ut eorum terminum primum & originem hîc figamus. Joſhuæ cap. 14. v. 5, 6. dum triumphatorum jam *Cananitarum* agros *Ioſua* cum *Eleazare* diſtribuere parat in caſtris ad Gilgalem, accedit *Calebus* cum ſuæ tribûs, quæ fuit *Iuda*, primoribus, poſtulans ſecundum *Moſis* promiſſum *Hebronis* territorium extra ſortem ſibi concedi. In oratione ſuâ diſertiſſimè narrat habuiſſe ſe explorationis tempore, quod fuit anno exodi ſecundo, annos quadraginta; & interca dum ſortitio fieri cœpit annos octoginta quinque: ergò ſortitio annis quadraginta quinque poſt explorationem facta, fuit quadrageſimus ſeptimus poſt exodum, adeoque ſeptimus à tranſito *Iordane*: ſeptimus hic annus ſecundum *Moſis* ſtatuta Levit. 25. fuit Sabbaticus, & Sabbaticorum in Iſraëlitarum praxi primus, nam utcunque ab ipsâ creatione mundi ob divinam quietem, die ſeptimo Sabbatum inſtitutum fuit, & ante *Moſen* etiam inter *Syros* in *Labanis* familiâ annus per hebdomadas divideretur, & ſeptem anni annorum hebdomas nuncuparetur; tamen ante annum præ manibus nullum in praxi Sabbaticum legimus, nam nunquam antè Dei populus ullam in pace regionem poſſedit, à cujus cultu vacare anno ſeptimo voluit. Sic ergò Sabbaticorum caput figatur, Septimo poſt tranſitum fuit ſortitio, ſed qui ſequutus eſt hanc κληρουχίαν, octavus ſcilicet à tranſitu, fuit primus γεωργίας, quo ſuam quiſque ſortem colere & ſerere cœpit, à quo ſeptimi quique Sabbaticos & ſepties ſeptimi Jubilæos conſtituebant. Secundum has rationes octavum à tranſitu cum *Ioſepho* & aliis, primum γεωργίας & ſecundum κληρουχίας conſtituendo, neceſſe eſt, ut decimus quartus à tranſitu ſit Sabbaticorum primus, Jubilæorum verò primus poſt ſex annorum ſeptimanas à primo Sabbatico exiſtebat; nam ut dies Sabbati eſt ſeptimus quietis poſt ſex dies operis & laborum, ita annus Sabbaticus eſt ſeptimus in quo ceſſabatur ab omni agrorum labore poſt ſex annos agriculturæ, & annus Jubilæus eſt quinquageſimus poſt ſeptem ſeptimanas annorum, hoc eſt, annos quadraginta novem, in quibus ultimus, quadrageſimus nonus ſemper eſt Sabbaticus,

Septimus à tranſacto Iordane fuit annus κληρουχίας.

Et quadrageſimus ſeptimus ab Exodo.

Octavus à tranſito Iordanis fuit primus γεωργίας.

Decimus quartus à tranſitu eſt primus Sabbaticorum.

Septimus Sabbaticus ſeu quadrage-

ſimus nonus eſt Iubilaus.

cus, nam in annis qoadraginta novem Sabbatici ſeu ſeptenarii apertè cadunt in ſeptimum, decimumquartum, viceſimum primum, viceſimum octavum, triceſimum quintum, quadrageſimum ſecundum, & quadrageſimum nonum.

Anni ſexti proventus ſufficiebat in nonum.

Meſſis Iudaica initium & finis.

Ab & Abib diverſi menſes.

Peculiari inſtituto & lege judiciali in annis Sabbaticis nulla ſementis, nulla arborum putatio, fructus omnes terræ eo anno ſpontanei, vel neglecti, vel communes omnibus fuere, nam mirandâ Dei benedictione ex anni ſexti laboribus & provento populus alebatur uſque in annum nonum ſeu in meſſem & vindemiam anni octavi, quæ octavi fine & non principio colligebantur: Nam licet hordei & aliquorum leguminum meſſis in Judæa inciperet tempore Paſchatis, adeoque medio menſis *Niſan* ſeu *Abib* noſtri Aprilis, non *Ab* (qui menſis fuit à *Niſan* & veteri *Abib* quintus, ſed à *Tizri* undecimus) primitiæ tamen tritici adeoque meſſis triticea, non ante Pentecoſten ſeu Feſtum hebdomadum incipere ſolebat, nec ante Feſtum tabernaculorum finiri, in medio menſis *Tizri*, in ſacris ſeptimi, prout in civilibus primi, ut varios Pentateuchi locos conferenti apparebit.

Quis primus Iubilaus.

Quomodo Iubilaus & 499. & 509. eſſe poſſit.

Utcunque, quemadmodum primus ſeptimus ἀ γεωργίᾳ fuit Sabbaticorum primus, ita ſepties ſeptimus ſeu quadrageſimus nonus aut quinquageſimus fuit primus *Iobel* ſeu *Iobileus*. Utrum autem cum *Bucholcero* & ſequacibus quinquageſimus incluſivè computatus *Iubilæum* faciat; an verò cum *Scaligero* & *Calviſio* quadrageſimus nonus ſit verus *Iobel*, quinquageſimo excluſivè computato; an verò ſecundum utroſque quinquageſimus in *Iubilæo* numerandus ſit & excluſive & incluſivè (nam cùm ſacer annus incipiat à *Niſan* ſeptimo civilis; & communis ſeu civilis ut & *Iubilæus* incipiat à *Tizri* ſeptimo ſacri ſed primo civilis, quid obſtat quin *Iubilæus* incipiat à *Tizri* quadrageſimi noni, & deſinat in *Elul* ſexto civilis quinquageſimi) in iſtis quid aſſerendum alibi diſquiretur, tantùm nunc indigitamus fontem Sabbaticorum & Jubilæorum primum ſcilicet γεωργίας, qui alter fuit à κληρουχίᾳ & octavus à tranſito Jordane, & quadrageſimus octavus ab exodo, adeoque mundi bis milleſimus quingenteſimus primus, & ſecundum rationes *Bucholceri* ab orbe condito quinquageſimus *Iubilæus*, à quo ad *Chriſti* Baptiſmum *Iubilæos* triginta, hoc eſt, annos mille quingentos numerat.

Annis quatuor à κληρουχίᾳ abſtinuit populus à fructibus non fragibus.

Ut primis ſeptem à tranſitu, de hoſtium laboribus & ſemente populus victitabat, ita tribus poſt κληρουχίαν octavo, nono, & decimo, ab arborum fructibus ut incircumciſis & pollutis abſtentum fuit, nec ante quintum de iis comeſtum, nam quarto ſacri erant *Iehova* Levit. 19.

Incertum quot annis Ioshua imperaverit.

Certum eſt mortuum *Ioſhuam* anno vitæ centeſimo decimo, ut habetur Joſ. 24. ſed quoto ſui principatûs, ſeu quoto poſt tranſitum Jordanis & mortem *Moſis*, omnino incertum; itaque de hac re, ut fere ſemper, inter Chronologos ſolet, ubi clarus textus Scripturæ aut ratio convincens libertatem diſſentiendi non tollit, quot capita tot ſententiæ. Quidam ſeptem, aliqui decem, nonnulli octodecim, multi viginti quinque, multi viginti octo, nonnulli triginta duos *Ioſhua* gubernationi attribuunt, nos eorum conjecturæ accedimus, qui anno tranſitus decimo quarto exiſtimant *Ioſhuam* tranſtuliſſe tabernaculum *Gilgale Siluntem*, & decimo ſeptimo expiraſſe.

Cadmus Ioshua contemporaneus.

Ioſhua contemporaneum pleriqoe auctores faciunt *Cadmum*, qui ab Ægypto & *Phœnicia* peregrinus in *Bœotiam* venit, *Thebaſque* condidit, & primus Græcos literas docuiſſe fertur.

Anni Iudicum.

Mortuo *Ioſhuá* annis (ut præſumpſimus) poſt *Moſen* ſeptemdecim, & *Eleazaro* cæteriſque ſenioribus Dei magnalium αὐτόπταις, Iſraël ſuâ ſocordiá tædioque militiæ Cananitarum reliquias apud ſe in pace vivere permiſit: ab iis vitiorum peſtis & lues Idololatriæ populum invaſit: hinc irati numinis vindictâ, *Couſani* Meſopotamiæ Regi Iſrael ad annos octo caſtigandus traditur; cujus tyranni jugum *Othniel*, *Calebi* gener & nepos, reſipiſcentis populi cervicibus excuſſit, & ad quadrageſimum ab exceſſu *Ioſue* annum Rempub. in pace adminiſtravit.

In Ehudi longinquo principatu Danitarum Idololatria & bellum Benjamitarum contigit.

Defuncto *Othniele* rediit ad ſuum genium populus, & Idololatriæ ſordibus ſe iterum polluit; propterea que *Egloni* Moabitæ in ſervitutem annis octodecim deditur. Miſeriis ſubacti Deum invocant, cujus inſtinctu excitus *Ehud* Benjamita, *Eglonem* confodit, populoque pacem ab hoſte ſaltem externo peperit, ad annum ab *Othnielis* morte octogeſimum: hujuſce temporis ſpatio *Shamgar* Judicum tertius inſoleſcentes Philiſtæos repreſſit.

Au Sacerdos Michæ Moſis fuit abnepos.

Tunc etiam *Micha* ac *Danitarum* Idololatria flagrabat, cujus primarius adminiſter fuit *Ionathan Moſis* vel nepos vel abnepos, ut habetur Jud. 18. v. 30. Nam ſi cum *Deodato* ex Rabbinis *Manaſſem Gherſomi* patrem *Moſem* intelligas, *Moſis* erit nepos, ſin cum *Iunio* & aliis, filium *Gherſomi* intelligas nepotem *Gherſomi* & filium *Manaſſis*, erit abnepos *Moſis*, ſed duriuſculum eſt abſque neceſſitate *Ionatham* hunc Idololatram craſſiſſimum *Moſis* vel nepotem, vel abnepotem efficere. Imprimis cum in *Moſis* & *Gherſomi* genealogia

1 Chr. 23. verſ. 15. nullus *Ionathan* memoretur.

Ætas Phinea.

Ad hæc etiam tempora bellum Benjamiticum referendum eſt, licet in fine libri Judicum deſcribatur: priori enim *Othnielis* ſeculo non quadrat, nec ultra *Ehudi* octogeſimum differri poteſt, nam tum *Phineas* Pontifex arcam Domini *Silunte* cuſtodiebat Jud. 20. v. 28. hic autem ante mortem *Moſis*, cum *Amalekitas* in deſerto fregit, pauciores viginti annos habuiſſe vix potuit, quibus ſi addas *Ioſhua* ſeptemdecim & *Othnielis* quadraginta, *Ehudi* etiam octoginta, neceſſe eſt ut ultra centeſimum quinquageſimum ſeptimum, inuſitatum iis ſeculis ſenium ejus, vitam producas.

Dei miſericordia eum populi peccatis certabat.

Pii Principes ſubditorum incolumitatis columnæ ſunt ac fundamenta, hiſce ſublatis ruere ſolet populi pax, & evaneſcere felicitas. *Ehudo* & *Shamgare* ſubmotis, à ſceleribus cohiberi noluit Iſraël; donec dira *Iabini* Cananitæ per annos viginti ſervitus pervicaciam domuiſſet; & tunc afflictorum preces à miſericordi Numine promptè impetrarunt opem: duarum maximè mulierum *Deboræ* & *Iaëlis* miniſterio Cananitarum jugum confractum eſt, & ad quadrageſimum poſt *Ehudum* annum in pace populus quievit; ſed nova peccata novas mox pœnas attraxerunt.

Midianitæ & *Amalekitæ* annis ſeptem Dei populum afflixerunt, afflicti ad ſolitum immedicabilium aliàs malorum remedium confugiunt, ad Deum clamant, exaudiuntur: Angelus *Gideoni* novos ſpiritus infundit. Hic cum ſuis trecentis, ſolo tubarum clangore & lampadum fulgore, ſupra centena hoſtium millia profligat, &, ad quadrageſimum poſt *Deboræ* mortem annum, populo pacem comparat. Hujus nequiſſimus nothus *Abimelech*, necatis ſexaginta novem fratribus, qui numero rotundo pro præciſo ſeptuaginta vocantur, Regem ſe dixit, & crudelem annis tribus tyrannidem exercuit, uſque dum cœleſti vindictâ furiis immiſſis ipſe ſcelerumque ſuorum adminiſtri ſe mutuò confecere.

Reliqua judicum tempora.

Poſt *Abimelechum* Iſraëlitis præfuit annis 23. *Tola*, deinde 22. *Iair*, quo mortuo duriter ab *Ammonitis*, in primis *Gileadita* trans Iordanem, ob ſua peccata vexati ſunt, ſed miſericors Dominus non diu ſupplices deſpexit: *Iephtes* divinâ virtute *Ammonitas* oppreſſores compeſcens, ſex annis populum in pace gubernavit. Sequentium aliquot Judicum habemus tantùm nomina & annos, *Ibſan* annis ſeptem, *Elon* decem, *Abdon* octo Iſraëlem rexêre: poſt illos ſæva *Philiſtinorum* oppreſſio ſequuta eſt, & *Samſonis* annis viginti mirabiles vindiciæ. Dehinc *Eli* annis 40. *Samuel* & *Saulus* totidem, totidemque *David* populum gubernavit, & *Solomon* annis quatuor ante jacta templi fundamenta. Horum omnium hiſtoriæ notiores ſunt, quàm ut iis enarrandis immorari deceat.

CAPUT VI.

Quæſtiones & dubia ad caput præcedens.

QUÆSTIO I.

Quomodo Epocha hujus ſumma probetur?

Demonſtratur Epocha ſumma.

QUæritur primò, quî ſumma totalis hujus Epochæ annorum quadringentorum octoginta expreſſa 1 Reg. 6. v. 1. probetur, & in annos, quos vocant, expanſos redigatur? Reſp. partes hujus totius ſic damus & probamus. *Moſi* poſt exodum tribuuntur anni 40. Num. 14. v. 33. *Ioſhua* 17. *Othnieli* 40. Jud. 3. v. 10. *Ehudo* & *Shamgari* 80. Jud. 3. v. 30. *Debora* 40. Jud 5. v. 30. *Gideoni* 40. Jud. 8. v. 28. *Abimelecho* 3. Jud. 9. v. 21. *Tola* 23. Jud. 10. v. 2. *Iairo* 22. Jud. 10. v. 3. *Iephtha* 6. Jud. 11. v. 7. *Ibſani* 7. Jud. 12. v. 9. *Eloni* 10. Jud. 12. v. 11. *Abdoni* 8. Jud. 12. v. 14. *Samſoni* 20. Jud. 15. v. 20. *Eli* 40. 1 Sam. 4. v. 18. *Samueli* & *Sauli* 40. Act. 13. v. 21. *Davidi* 40. 2 Sam. 5. v. 4. *Solomoni* ante fundatum templum 4. 1 Reg. 6. v. 1. Iſtas partes ſi per additionem jungas prodibit exactè totum quæſitum.

QUÆSTIO II.

Quomodo Act. 13. v. 20. concilietur cum 1 Reg. 6. v. 1.

QUæritur ſecundò, quî conveniat Act. 13. v. 20. cum dicto Regum, nam in Actis poſt κληροχίαν Joſ. 7. ad *Samuelem* numerat *Paulus* annos quadringentos quinquaginta: his ſi addas qui anteceſſerunt diebus *Moſis* & *Ioſhua* quadraginta ſeptem, & ſequuti ſunt diebus *Samuelis*, *Saulis*, *Davidis*, & *Solomonis* octoginta quatuor, ab exodo ad prima templi fundamina, erunt quingenti nonaginta, id eſt, centum & decem ſupra numerum prædictum? Reſp. Ad difficillimum hunc nodum diſſolvendum afferuntur ab aliis tam Proteſtantibus quàm Pontificiis varia, quæ vix ac ne vix quidem cordatis ſatisfaciunt. *Serario* atque aliis ex Pontificiis ſcrupulus nullus eſt vitium in loco Regum profiteri, contra codicum omnium tam Hebræorum & Græcorum, quàm Latinorum fidem. *Theodorus Beza* poſt *Lutherum*, addendo in loco Actorum unam literam jota, omnia ſalvat; nam vulgatam lectionem ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις ſic efficit ὡς ἔτεσί τε τριακοσίοις, quo pacto numerus *Paulinus* erit trecenti quinquaginta anni, qui facilè numero Veteris Teſtamenti

Difficillima libri Actorum cum libro Regum conciliatio.

ſtamenti accommodantur? Teſtatur *Beza* correctionem hanc legiſſe ſe in uno ſuorum manuſcriptorum. Quibus hæc non placet, accipiant aliam ſolutionem ab eodem auctore in marginalibus ſuis ad locum Actorum editionis ultimæ; quem vel ſequitur vel antecedit *Iunius* in parallelis. Retineatur vulgata lectio, ſed numerus non referatur ad *Samuelem*, ut terminum & diviſionem terræ per *Ioſhuam* Judicum primum ut principium, ſed ad κληρουχίαν hanc & miſſionem Judicum ut terminum (ſicut revera in Græco textu numerus antecedit expreſſè miſſionem Judicum, licet in tranſlationibus ſequatur) & ad electionem patrum ut principium: inter hos terminos vocationem *Abrahæ* & κληρουχίαν *Ioſhuæ*, fluxerunt equidem anni dicti præter propter quadringenti quinquaginta; & verò relativum ταῦτα cum quo numerus cohæret, quandoquidem ad plura antecedentia referatur, quid vetat quo minùs ad eorum primum, electionem patrum verſ. 17. potiùs quàm ad ultimum κληροδοσίαν verſ. 19. affigi debeat? Inprimis cùm miſſio judicum, adeoque κληροδοσία *Ioſhuæ* primi judicis actus, numero præ manibus verſ. 20. poſtponatur.

Refert numerum ad diverſos terminos.

Addenda ad Quæſtionem II.

Defenditur ſacer calculus annorum 480. *ab exodo ad ſtructuram templi contra* Voſſium & Capellum.

NOn tam ſicco pede tranſilire licet quæſtionem hanc, cùm *Gerardus Voſſius* Iſagoges ſuæ cap. 7. ac ſequentibus, & *Ludovici Capelli* Chronologia ſacra in *VValtoni* prolegomenis *pag.* 10. tantum circa illam pulveris concitârint, ſalvant illi aliquandiu ſacri textûs 1 Reg. 6. v. 1. integritatem quaſi ibi Propheta de annis ſolis ἀρχῆς, de nullis autem ἀναρχιῶν, & ſervitutum Iſraëlis agere inſtituerit, ſed σοφοῦ hujus φαρμάκου incommoda ſentientes, tandem apertè tam *Voſſius* quàm *Capellus*, vitium, ſphalma, ac mendum in Hebræo textu profitentur, affirmantes pro annis poſt exitum quadringentis octoginta, legendum quingentis octoginta, aſperum eſt totius centenarii annorum additione chronologiam ſactam corrumpere; ſed multò aſperius textum originalem clariſſimæ corruptionis condemnare. Utcunque, quæ pro enormi hoc ſtatuto afferuntur argumenta, perpendamus. Ex Jeſuitis, *Serrario*, & *Cano*, *Voſſius* affert tria, & *Capellus* apud *VValtonum* aliqua addit.

Primum *Voſſii* hoc eſt; Anni ex libro Judicum, Samuelis, & Regum collecti, exurgunt ad centum ultra numerum expreſſum 1 Reg. 6. v. 1. Reſp. 1. Etſi nequiremus pro reliqua in mortalibus omnibus ignorantia, annos illos expanſos in libris Judicum & alibi, cum ſumma totali 1 Reg. expreſsâ conciliare, tamen procul abſit à nobis, ut Sacroſancto Dei verbo ullum affingamus vitium: in noſtram cæcitatem, & tenebras omnis hæc faba cudatur, Spiritus S. dictamina procul abſint ab omni vitio, ab omni lapſu.

Refutantur argumenta Voſſii pro corruptione Hebraici textus 1 Reg. 6. verſ. 1.

1.

2. *Voſſii* & ſociorum correctio Sacræ Scripturæ etiam ſecundum ipſos, non eſt proba, addunt enim illi ad quadringentos octoginta annos Scripturæ, alios non tantum centum, numerus enim hic juſtus non eſt, nam anni ſervitutum, ipſis fatentibus, aſſurgunt non tantùm ad centum, ſed ad centum & undecim: & licet per numerorum rotundationem, anni centum facilè extendi poſſint ad centum & undecim, tamen quingenti octoginta non poſſunt ullâ rotundatione extendi ad quingentos nonaginta unum, nam ubi numerus plenus, ſcilicet quadringenti vel quingenti habent à tergo numeros minores & fractos, habendi illi ſunt pro juſtis & integris, quibus per rotundationem nulli poſſunt vel demi, vel addi abſque corruptione.

3. *Voſſius*, ut calculum ſuum ſtabiliat, annos viginti, quos Scriptura expreſsè Jud. 16. v. 21. *Samſoni* attribuit, ex ſacra Chronologia delet, quos ſi addas, ut addunt omnes, quibus ſacrarum Scripturarum integritas curæ eſt, neceſſe eſt 1 Reg. 6. v. 1. legas pro quadringentis octoginta, non tantum quingentos ac undecim, ſed quingentos triginta unum, quod eſt abſurdorum incrementum ab ipſo *Voſſio* negatum; etſi hìc nimis quàm liberalis ſit in novis abſurditatibus cudendis, nam ut *Samſonis* annos viginti in Scriptura expreſſos ex Chronologia deleat, facilè concedit contra Scripturam quadraginta annos ſervitutis Palæſtinæ reſtringi poſſe ad viginti, & quadraginta annos *Eli* ad eundem numerum vicenarium decurtari. Quæ hæc licentia eſt authenticas Scripturas quaſi corruptas, & falſas, toties ſine ullâ neceſſitate corrigendas profiteri?

4. Conciliatio communis tam antiquorum quàm recentium, tam Pontificiorum quàm Proteſtantium, nullam habet abſurditatem, annos ſcilicet ſervitutum annumerandos & exſorbendos in annis proximorum Judicum, ita ut ſervitutum anni non ſint Chronologici. Pro communi hac ſolutione varia afferuntur argumenta, quorum aliqua paucis hìc attingam.

Argumenta pro conciliatione communi.

Primum: Anni aliquarum ſervitutum apertè confunduntur cum annis proximorum Judicum, *Debora* judicâſſe dicitur Iſraëlem tempore ſervitutis Cananiticæ

Iud.

Iud.4. v.4. itaque anni viginti iſtius ſervitutis non ſunt diſtinguendi ab annis quadraginta principatûs *Debora*, *Samſon* judicavit *Iſraëlem* diebus ſervitutis *Palaſtinæ*, Iud. 15. v.20. itaque ejus viginti anni non ſunt ſeparandi ab annis ſervitutis *Palaſtinæ*, quæ autem duarum iſtarum ſervitutum ratio eſt, eadem ad alias ſervitutes eſt extendenda.

Secundo. In variis Scripturis ſecundum *Auguſtinum*, tempus unum continere aliud intelligitur, ut quadringenti triginta anni Exod. 12. v. 40. non tantùm intelligendi ſint de ducentis & decem, quibus populus commoratus eſt in Ægypto, ſed etiam de toto intervallo ab *Abrahami* prima vocatione ad exodum: Similiter anni ducenti quinque *Terah* Gen. 11. v. 32. intelligendi non tantùm de annis quos tranſegit *Terah* Charrane, ſed etiam iis quos totâ vita peregit, ita dies centum quinquaginta Gen. 7. v. 24. quibus aquæ prævaluerunt complectuntur in ſe dies quadraginta pluviæ antecedentes, licet hi bis, verſibus ſcilicet 12. & 17. diſtinctè numerentur.

3. Coguntur adverſarii in annis ſervitutum abſorbere omne tempus, quod inter mortem prioris judicis, & initium ſervitutis interceſſit: ſuppònendum enim eſt poſt judicis mortem non ſtatim proruiſſe populum in publicam idololatriam, & cùm in hoc ſcelus ruiſſet, aliquod ad pœnitentiam tempus divinam longanimitatem ipſis indulſiſſe, antequam tam ſeverum ſupplicium infligeret, quàm longinquam ſub exteris hoſtibus ſervitutem. Quo jure ipſi temporum hæc intervalla omnino negligunt, & in ſervitutum annis volunt abſorberi, quidni aliis concedunt ſervitutum annos in Iudicum ſequentium annis immergere?

4. Separata & diſtincta numeratio ſervitutum, ab annis Iudicum extenſa ad annos quingentos & undecim, ſtare non poteſt cum hiſtoria, ita enim perſonis quatuor, ſcilicet *Rahaba* à ſuis nuptiis, ejuſque filio *Booz*, & nepoti *Obed*, ac pronepoti *Ieſſe* ante natum *Davidem* tot anni aſcribendi eſſent, ut tam *Booz*, quàm *Obed*, & *Ieſſe* habere oportuerit annos centum viginti cùm filios gignerent, & quod durius eſt, *Rahab*, licet nuptam anno ætatis decimoſexto vel viceſimo, ſuperare oportuerit centeſimum cùm pareret *Booz*, quod ad hoc argumentum ſolvendum de triplici *Booz* affertur, quorum duos Scriptura ſemper omittit, licet in *Chriſti* ſint genealogiâ, abſurdum eſt craſſius quàm ut refutatione indigeat.

Argumentum Voſſii ſecundum.

Secundum *Voſſii* argumentum eſt ex Apoſtolo *Paulo* Actor. 13. v.20. Docet ibi *Paulus* à κληρυχίᾳ, ſeu diſtributione terræ Chanaan per ſortem ad *Samuelem* fuiſſe annos quadringentos quinquaginta, ante diſtributionem verò ab exodo fuerunt anni quadraginta ſeptem, & poſt *Samuelem* ad fundatum templum octoginta quatuor, hi omnes juncti efficiunt quingentos octoginta. Reſp. 1. Numerus hic non concordat cum annis expanſis Iudicum, hi annis undecim Apoſtoli numerum excedunt, ergo de judicibus non loquitur Apoſtolus, rotundatio non habet hîc locum, nec particula Apoſtoli mitigativa ὡς *quaſi*, ad annos undecim videtur extendenda.

2. Secundum pleroſque tam Pontificios quàm Proteſtantes Apoſtolus loquitur nequaquam de judicibus, ſive de tempore judicum, ſed de temporibus à nato *Iſaaco*, quando promiſſio *Abrahæ* facta primùm executioni dari cœpta eſt, de quo Apoſtolus c. 10. v. 57. ab hoc principio ſi numerare cœperis ad κληρυχίαν invenies exactè quadringentos quadraginta ſeptem, qui ſunt quaſi & fere quadringenti quinquaginta.

Antiquus interpres Latinus, quem codices omnes Latini ad unum in hunc diem ſequuntur, ita legit, ut 450. annos non poſtponat κληρυχίᾳ, & inchoationi Iudicum, ſed apertè præponat. [Sorte diſtribuit iis terram eorum quaſi poſt quadringentos & quinquaginta annos, & poſt hæc dedit judices uſque ad *Samuelem*.] Hæc ſi lectio teneat, nullum erit dubium quin anni prædicti claudantur in κληρυχίᾳ Ioſ. 7. & incipiant à nato *Iſaaco*, quo minùs autem teneat, quid vetat? Fatetur *Beza* Latinum interpretem habere potuiſſe Græca manuſcripta quæ ſequutus eſt, & verò ex ſuis manuſcriptis Græcis concedit unum à communi Lectione recedere, & Græcum codicem Pariſiis editum ad amuſſim cum Latino concordare, quem cur à Latino corruptum dicat, cauſam non reddit; certe unius auctoritate codicis aliquando *Beza* non dubitat vulgarem lectionem corrigere, ſed nos tantâ hìc non ſtringimur inopiâ. Vide *VValtoni* varias lectiones Græcas Novi Teſtamenti ad Act. 13. v.20. *pag.* 23. habes ibi *Marchionem Veleſium* collatorem ſedecim manuſcriptorum Græcorum Novi Teſtamenti (quorum octo hodie habentur in Bibliotheca Regis Hiſpaniarum Lauretanâ) legentem, cum Latino codice, μετὰ ταῦτα ἔδωκε κριτὰς poſt quadringentos quinquaginta annos. Etiam Biblia Græca *VVecheliana*, quæ Francofurti edi procuravit *Franciſcus Iunius*, ex antiquis manuſcriptis, ut videtur, Bibliothecæ Palatinæ Heidelbergenſis (unde manuſcripta ſua *Iunius* mutuare ſolebat) concordant cum Latino. Eodem modo legit antiquum manuſcriptum Græcum in novo collegio Oxonienſi.

Oxonienſi. Certè tot manuſcripta Græca ex Bibliothecis Gallicis, Germanicis, Hiſpanicis, & Britannicis, ioprimis cum aliis Sacroſaoctis Scripturis conſonantia ſiot, fundare poſſunt lectionem diverſam à communi.

3. Etſi commuois lectio Græca retineatur, verba tamen exponi poſſunt non iocommodè de temporibus oon Judicum, ſed antecedeotibus judices: certe in textu Græco commuoi anoi quadringenti quioquagiota aoteceduot miſſiooem Judieum, & ab eâ per comma diſtinguuntur. Vide ad verſum 20. capitis 13. Act. ootas in Bibliis noſtris Anglicanis; iſtæ retinentes lectionem commuhem exponunt expreſſe de aoois à nato *Iſaaco* ad ſeptimum *Ioſuæ*. Anglicanas intelligo notas primas Genevenſes; quòd ad novas largiores ouper editas, ut alibi ſæpè diſplicent, ita hîc non placent; nam in notis ad 1 Reg. 6. verſ. 1. rectè numerant tempora, ſed commentantes in locum Actorum præ manibus, videntur ſibi contradicere, nam ibi annos quadringentos qninquaginta exponunt de Judicibus, quod cum calculo ad 1 Reg. 6. non poteſt conſiſtere. Quin & hoc prætermiſſo valdè videntur inconſiderati in ſuâ ad Act. 13. notâ, ibi enim tempora *Moſis*, *Ioſuæ*, & *Samuelis* in Apoſtoli calculo includuot, quæ tamen Apoſtolus expreſſe excludit, nam ſupponendo Judicum tempora ibi exprimi, initium ob Apoſtolo fit neque à *Moſe*, neque *Ioſuâ*, ſed κληρουχίᾳ Joſuæ 7. neque ultra proceditur quàm ad gubernationis ſub *Samuele* principium, ſi autem aoni principatûs *Moſis* quadraginta, & *Ioſuæ* ſeptem aote κληρουχίαν, & *Samuelis* vel viginti addantur, oeceſſarium erit extendere Apoſtoli numerum ad quingeotos ſeptemdecim.

4. Anootatores Anglicani primi, qui eontra ſecundos & tertios temporâ hîc numerant ab *Iſaaco*, ſequuntur in hoc *Iunium*, qni in Bibliis ſuis ac *Tremellii* ad 13. Act. viceſimum eodem modo rationes ſuas inſtituit, quas prolixè defendit Parallelorum lib. 1 Parall. 95. *Ludovicus* de *Diu* ad Actorum 13. viceſimum, eâdem vadit viâ. Alios permultos prætereo.

5. Anni hi quadringenti quioqoaginta noo quadrant temporibus Judicum, deficiunt totis ceotum annis, modò ſtemus Scripturæ calculo 1 Reg. 6. v. 1. Ratio hæc fuit cur tam *Lutherus*, quàm *Beza*, & *Cajetanus* locum hunc Actorum affirment corruptum, legendo contra omnium exemplarium fidem, ut nuper diximus, τριακοσίοις pro τετρακοσίοις, ſed tam grave iocommodum nos non premit, qui illos annos ad tempora judices antecedentia referimus.

Tertium. Tertium *Voſſii* argumeotum eſt multos veterum deſerere calculum 1 Reg. 6. expreſſum: iſtorum ſeptemdecim diverſas ſententias enumerat. Reſp. 1. Totum hoc argumeotum, & omnes ejus partes ſunt Jeſuitæ *Serrarii*, cujus nomen tamen *Voſſius* hîc ſupprimit. 2. *Voſſius* aut *Serrarius* inter veteres ponere noo debuit vel *Melchiorem Canum*, vel *Glycam*, vel *Nicephorum*, aut hujuſmodi alios. 3. Omnes hi ſeptemdecim levieuli pooderis ſunt, ſi componantur cum mundo doctorum veterum ac recentium, qui 1 Reg. 6. integritatem defendunt. 4. Noo mirum eſt qui à rectâ regula recedunt, in mille a vias aberrare, certè qui Scripturæ hîc normam 1 Reg. 6. ſequuntur, omoes abſque exceptiooe unius, unâ & eâdem viâ planâ & ſanâ incedunt. 5. *Serrarius* hujus argumenti auctor eum numerum amplectitur, qui *Voſſio* jure merito omoinò diſplicet, nam licet *Voſſius* anois hîc centum aberrat à vero, tamen cum *Serrarius* aberrat ducentis, pro quadriogeotis octoginta 1 Reg. 6. legens ſexceotos octaginta, *Voſſio* placere noo poteſt. 6. Ex omoibus ſeptemdecim qui 1 Reg. 6. v. 1. contradicunt, omninò nullum *Voſſius* poteſt ſequi: profitetur quidem ſuam cum uno, & taotùm uoo *Sulpitio Severo* eoocordiam, ſed certè *Sulpitii* Chronologia non ſolet eſſe accurata, nec multæ auctoritatis, tranſeo hîc errorem quem judico Typographicum, ipſum putare templum cooditum ooo anno quingenteſimo octogeſimo, ſed quingeotcſimo octogeſimo, hæc enim eſt aperta cootradictio, ſed ajo *Voſſium* cum *Sulpitio* nequaquam coocordare, nam quomodocunque ſumas *Sulpitii* ſententiam etjam ut hîc à *Voſſio* recitatur, ſeu ſecundum vulgatos *Sulpitii* codices, qui numerant quingentos octoginta octo, ſeu ſecundum emendatos à *Carolo Sigonio* qui legunt quingentos decem, ab utroque hoc calculo diſcedit *Voſſius*, qui profitetur ſe defendere quingentos octoginta ſolùm, etſi ſimul fateatur annos ſervitutum ſuperare quadringentos octoginta jodicum, annis undecim; qui additi prioribus non quingentos octoginta, ſed quingeotos nonaginta unom manifeſtè efficiunt. Qui pleniùs refutata videre vult omoia *Voſſii* argumenta quæ mutuavit à Jeſuitis *Serrario*, *Caino*, & *Petavio*, adeat *Henricum Philippi*, & *Torniellum* io ſuis ad quæſtiooem hanc diſſertationibus.

Ad *Voſſium* aliqua addit *Capellus* Chronologiæ ſacræ apud *VValtonum* pag 10. quæ de Jubilæis, & annis Sabbaticis babet, nihil faciuot ad rem præſentem, ut omittam ipſum per additiones ſuas centenorum aliquot annorum ad veram & receptam Chronologiam omoem legitimum uſum anoorum Sabbaticorum & Jubilæorum extermioare, hic autem unum habet argumentum proprium quod non eſt omittendum, *Capelli malum argumentum refutatur.*

 ſcili-

ſcilicet non eſſe mirandum locum præ manibus 1 Reg. 6. 1. vitiatum, cùm alii multæ Scripturæ loci qui de numeris agunt, apertè corrupti ſint; iſtorum adducit illic quinque, quos cum aliis multis clarè corruptos in Criticâ ſuâ Sacrâ demonſtrare ſe aſſerit.

Reſp. 1. Licet aliquot mille locos Vet. Teſtamenti corruptos probâſſet *Capellus* (quod quidem audet conari, ſed multò miſerrimo ſucceſſu) nihil hoc concluderet de noſtri loci corruptione, nemo unquam mortalium tantum prodegit temporis & chartæ, in affingendis corruptionibus Hebraico textui quàm *Ludovicus Capellus*, quantâ cùm in Deum, tum in homines contumeliâ, ſatis ſuperque manifeſtant *Buxtorfii* vindiciæ. Utcunque, nos ad locos quinque hîc allegatos aliqua reſpondebimus.

Vindicantur à contumeliis Capelli 2 Chr. 16. v. 1.

Primus eſt 2 Chron. 16. v 1. & 15. 19. ubi affirmatur non ampliùs fuiſſe bellum inter *Baaſham*, & *Aſam* uſque ad quintum & triceſimum regni *Aſa*, & *Baaſham* aſcendiſſe contra Judæam anno regni *Aſa* triceſimo ſexto. Hos locos ait neceſſariò vitioſos, & priorem corrigendum ſublatione decem annorum, legendumque pro triceſimo ſexto, viceſimo ſexto, & poſteriorem etiam corrigendum per deletionem duarum vocum *& triceſimum* legendo *uſque ad quintum*. Ratio harum correctionum habetur 1 Reg. 15. verſ. 33. ubi *Baaſha* regnare cœpit anno tertio *Aſa*, & regnavit annos viginti quatuor, adeoque mortuus eſt *Aſa* vigeſimo ſeptimo, non autem potuit bellare ullos annos poſt mortem,

Reſp. 1. Cur magis corrigendi ſunt Loci 15. & 16. poſterioris Paralip. per 15. prioris Reg. quàm hic per illos? 2. Eſt contra *VValtoni* regulam admittere errorem in Hebræo textu, ubi omnia exemplaria Hebraica, & omnes antiquæ verſiones concordant; hæc autem eſt conditio locorum quos *Capellus* hic vult corrigere, omnes enim tam manuſcripti quàm impreſſi codices Hebræi, omnes Latini, Græci, Syri, Arabes, Belgici, Gallici, Anglicani, & Italici contradicunt correctioni *Capellianæ*, ut inſpicienti patet.

Verum eſt in variis lectionibus quas collegit *Percius* ex ſcriptis *Grotii*, affirmari quoſdam legere ſecundum iſtas correctiones, ſed qui illi quidam ſint, neque *Grotius*, neque *Percius* indicant. Fateor Jeſuitam *Canum* poſt *Cajetanum* pronunciare locos hoſce corruptos, ſed nullum producere poſſunt in ullâ linguâ codicem qui aliter legerit, & verò à ſociis acerbè taxantur, ob periculoſas valdè (ut loquitur *Tornellus*) & non admodum pias (ut ſcribit *Sanctius*) ſuas hic conjecturas, minimè decuit *Capellum* Profeſſorem reformatum periculoſas & impias Scripturæ authenticæ correctiones à paucis Pontificiis mutuâſſe, qui à pleriſque etiam Jeſuitis rejiciuntur, & condemnantur abſurditatis.

Interpres Græcus in codice Vaticano, ac Alexandrino Londinenſi pro triceſimo ſexto *Aſa* legit triceſimo octavo, ſed nihil hoc facit pro correctione *Capellianâ*, imò verò magis ei adverſatur quàm ipſe textus Hebræus, utcunque error hic aliquorum codicum Græcorum ab aliis emendatur, in editione enim Complutenſi, & Regiâ *Aria Montani* legitur ut in Hebræo, triceſimo ſexto, non triceſimo octavo.

3. Nulla hic Scripturarum correctio eſt neceſſaria; nam diſtinctio quam attulimus lib. 1. cap. 8. quæſt. 6. inter annos Regia *Aſa*, & regni *Aſa*, ſeu regni Judaici ſeparati à regno Iſraelitico, conciliat omnem inter locos allatos ἐναντιοφανίαν, & in hac conciliatione doctiſſimi tam Proteſtantium, quàm Pontificiorum acquieſcunt, ut videre eſt in notis *Junii* ad locos, item in *Deodati*, & Annotatorum Belgarum & Anglorum notis, etiam in *Tornello*, *Saliano*, *Petavio*, *Henrico Philippi*, aliiſque multis: cur *Capellus* à communi hîc viâ vult divertere in præcipitio, nullam omnino vel rationem, vel auctoritatem affert, ſed contra ipſum adducit *Buxtorfius* multas in vindiciis Paral. 2. cap. 13. pag. 323.

Secundus locus à *Capello* erroris condemnatus eſt 2 Chron. 22. v. 2. ubi *Abazias* cùm regnare cœpit, dicitur annorum quadraginta duorum, & tamen 2 Reg. 8. v. 26. cùm regnare cœpit dicitur annorum viginti duorum, legendum ergo in Chronicis, annorum non quadraginta duorum, ſed viginti duorum. Reſp. Nimis temeraria eſt concluſio & ab iis mutuata, qui paucam erga Scripturas authenticas reverentiam habent, *Cajetano*, *Tornello*, *Petavio*, & aliis. Hebraicus hic textus nullam habet lectionis varietatem, vel inter *Keri*, & *Ketiph*, *Ben aſher*, & *ben Nephthali*, Orientales & Occidentales Judæos, ipſo *VValtono* teſte, Hebræique omnes ſemper & ubique ad hunc diem legunt quadraginta duos annos loco Chronicorum præ manibus: Latinus etiam interpres in omnibus manuſcriptis & impreſſis codicibus Hebræos ſequitur; Chaldæa in libros Chronicorum Paraphraſis nulla unquam fuit; editiones Græcæ valdè ſunt hic variæ, adeoque paucæ authoritatis, Wecheliana, quam minimi iſti faciunt, legit viginti duos, ſed Vaticana *Nobilii*, & Alexandrina Londinenſis, quas iſti maximi faciunt, habent tantùm viginti; Complutenſis verò, & Regiâ *Montani* cùm Hebræis conſentit: fateor Syrum & Arabem ſequi hic Græcum Wechelianum. Profectò cum Hebræi omnes codices antiqui & novi, omneſque Latini, & multi optimæ notæ Græci,

Græci, recentes etiam omnes Interpretes, Galli, Angli, Belgæ, Itali, Hiſpani, non debuit *Capellus*, in textum anthenticum ut corruptum involâſſe.

Quod ad ejus argumentum ex 2 Reg. 8. variæ à doctis affetuntur conciliationes, ut in quæſt. 10. cap. 8. lib. 1. diximus Videat qui vult in hanc quæſtionem, *Petavium, Salianum, Tornellum, Henricum Philippi*, etiam aunotatores Anglicanos & Belgas, alioſque multos ab iis citatos; ex omnibus nullus affert pejorem ac magis deſperatam conciliationem, quàm *Capellus*, qui durum quidem nodum duriore multò cuneo rumpit, non omnino neceſſaria ſacri textûs tanquam corrupti temerariâ correctione. *Capellus* admodum juvenis, annorum (ut ipſe profitetur) viginti tantùm quinque colligere cœpit authentici textûs errata, in hoc graviſſimo labore perſeveravit ad ſeram ſenectutem, ultimumque Spiritum. Dolet doctiſſimum virum in tam malâ operâ tot annos peſſimè perdidiſſe.

2 Paral. 26. v. 9. Tertius locus quem vult *Capellus* manifeſtè corruptum, eſt 2 Paral. 36. verſ. 9. ubi *Jechonias* adiiſſe regnum dicitur anuo ſuo octavo, cum tamen 2 Reg. 24. v. 8. regnare cœpiſſe dicatur anno decimo octavo. Reſp. Malè hic *Capellus* Jeſuitam *Canum*, & alios Pontificios ſequitur in conſpuendis abſque causâ Sacroſanctis Scripturis: cùm hoc conarentur quidam olim, *Abulenſis* eorum poſitionem vocavit nimis erroneam, nimis ſcandaloſam, per quam manebat hominibus dubium de totâ Sacrâ Scripturâ, certè locus hic Chronicorum in omnibus Hebraicis codicibus ſic legitur: nulla varia lectio à quoquam unquam eſt allata, eadem eſt ratio omnium codicum Latinorum, & recentiorum in linguis vulgatis interpretum. Codices Græci optimæ notæ hic conſentiunt, tam Vaticanus, quàm Complutenſis. Verum eſt quoſdam Græcos, quos ſequitur Syrus, & Arabs habere annos octodecim, ſed nihil hoc præjudicat Hebraicæ veritati. De *Capelli* ratione ſatis egimus in quæſt. 27. Cap. 8. lib. 1. qui plura deſiderat adeat *Henricum Philippi*, *Salianum*, *Tornellum*, in primis verò vindicias *Buxtorfii*, & mirabitur contra tot tantoſque *Capellum* in juvenili ſuo errore voluiſſe perſeverâre. Certe magnus ejus magiſter *Grotius* nullum hìc in ſacro textu errorem agnoſcit, licet *Junium* in ſuâ conciliatione, quam vix bonam putamus, ipſe ſequatur.

2 Reg. 14. v. 21. Quartus locus à *Capello* condemnatus, eſt 2 Reg. 14. v. 21. ubi *Rhehoboam* anno ſuo quadrageſimo primo dicitur cœpiſſe regnare, ex his detrahit *Capellus* aunos viginti novem, cùm initium regni *Rhehoboami* ponat in anno ejus duodecimo. Reſp. Mira hæc audacia eſt corrigendarum toties ſacratum Scripturarum abſque ullâ neceſſariâ ratione. De re ipsâ egimus quæſt. 3. dicti capitis.

Lectionem loci Hebraici præ manibus ſequuntur omnes Interpretes, veteres, novi: Targum *Jonathanis*, LXX. Interpretum editiones omnes, Syrus, Arabs, omneſque Latini, & vulgares hodie omnes, ſed quod multò majus eſt, auctor 2 Chron. 12. v. 13. hanc lectionem confirmat. Fateor magnum *Capelli* patronum *Grotium* annotate in hunc locum, quoſdam legere anno vigeſimo primo, qui ſint autem illi quidam non dicit: ſi *Sulpitium Severum* ſignificat, noverat in Chronologicis parvam eſſe ejus auctoritatem, inprimis cum Sacræ Scripturæ contradicit.

Rationes quas pro ſe affert *Capellus* in Criticâ ſuâ ſacrà pag. 357. parvi ſunt momenti. Prima hæc eſt. *Solomon* tantùm regnavit annis quadraginta, & admodum juvenis ſuſcepit regnum. Reſp. Non tam juvenis fuit *Solomon* cùm ſuſcepit regnum, quin viginti, aut viginti duos annos habuerit. Quòd Rabbini quidam, & poſt eos *Hieronymus* in epiſtolâ ad *Vitalem* 132. maturiùs volunt *Solomonem* adiiſſe regnum, & genuiſſe *Rhehoboam* anno ſuo undecimo aut duodecimo, fabula eſt ſine fundamento, & utcunque iſta ſe habeant, tam Rabbini quàm *Hieronymus* in annis quibus *Rhehoboam* regnum adiit, à *Capelli* correctione Scripturarum valde ſunt alieni.

Secunda *Capelli* ratio. *Solomon* ante initum regnum fuit ſub pædagogiâ *Nathanis* Prophetæ, qui nunquam eum permiſiſſet uxorem ducere *Ammonitidem* contra legem Deut. 23. verſ. 3. Reſp. 1. Nunquam fuit *Solomon* ſub pædagogiâ *Nathanis*, ita ut ab hoc ejus nuptiæ pendêrent. 2. Eſto fuiſſet; Lex illa Deuteronomii non excludebat *Ammonitidas*, aut *Moabitidas* à nuptiis *Iſraëlitarum*, cum evadebant proſelytæ, nullus enim unquam *Ruthæ* nuptias vel priores vel poſteriores illegitimavit. 3. Etſi licitum non fuerit Ægyptiis intrare congregationem Iſraëlitarum ante tertiam generationem, non tamen hoc illegitimavit nuptias *Solomonis* cum filiâ *Pharaonis* Ægyptiâ in generatione primâ, nec *Davidis* cum filiâ *Talmai* Regis *Geſhur*. Quin & inter primatios *Davidis* duces fuerunt *Uriah Hittites*, & *Zelek* Ammonitas 2 Sam. 23. v. 37. 39. 4. Si negarem *Rhehoboami* matrem fuiſſe Ammonitidem, eo quòd editionea LXX. Interpretum optimæ notæ, Alexandrina, Londinenſis, & omnes Latini legunt *Ammanitis*, & non *Ammonitis*, in hoc ſequeter novaturientem *Capellum*, ſed à me procul abſit audacia fontem Hebræum ullius

rivuli cœno in quâvis linguâ tranſlatoris inficere.

Tertia. *Capelli* ratio. Filia *Pharaonis* prima fuit *Solomonis* uxor quam duxit poſt initum regnum, nullam ergò habuit ante initum. Reſp. 1. Non tantum gratuita eſt hæc conjectura, ſed etiam Scripturis contraria, ex quibus neceſſariâ conſequentiâ colligitur *Rhehoboamum* natum ante mortem *Davidis*, quo autem anno ſingulæ ex ſeptingentis *Solomonis* uxoribus nuptæ ſint, quis ſine temeritate, Scripturâ ſilente; determinabit?

Quarta. *Rhehoboam* dicitur juvenis & infans cùm regnare cœpit Chron. 10. v. 8. & 13. v. 17. Reſp. *Solomon* etiam initio regni dictus eſt puer ob parvam in gubernando experientiam, cum tamen *David* etiam tum temporis inſignivit viri ſapientis titulo: utcunque, dictis locis nihil tale de *Rhehoboamo* affirmatur.

Ultima *Capelli* ratio. Non duxit *Solomon* matrem *Rhehoboami Ammonitidem*, priuſquam in mulierum extranearum amorem divertit ejus cor à Deo, hoc autem factum non eſt ante decimum octavum vel vigeſimum Regni annum. Reſp. 1. Quòd nullam extraneam amaverit *Solomon* ante annum regni ſui decimum octavum affirmatur gratis. Deinde quòd ulla extranearum ejus mentem à ſincero Dei cultu averterit anno regni decimo octavo, videtur contra Scripturam, quæ hoc factum vult in *Solomonis* ſenectute, regni autem annus decimus octavus procul abfuit à ſenio. 3. Anno regni vigeſimo quarto apparuit ei Dominus ſecundò, cùm omni ſuæ ædificationi finem impoſuiſſet, quod accidit poſt finitum templum regni 11. & cæterarum ædium ſtructuram, quibus poſt templum tredecim anni inſumpti ſunt: eò uſque ergo non potuit ducere *Rhehoboami* matrem ſecundum *Capellum*, ita ut regni *Solomonis* quadrageſimo ac ultimo *Rhehoboamus* non potuerit habuiſſe ſuprà quindecim annos, quod quis præter *Capellum* affirmet, ipſe non dicit, nec ego novi.

2 Paral. 12. v. 13. Locus quintus 2 Chron. 12. v. 13. eſt omnino idem cum ſuperiore, nec aliis indiget vindiciis. Loci hi quinque primarii ſunt quos ex largiſſimâ ſuâ penu ſelegit *Capellus*, ſi tam facilis ad iſtos reſponſio eſt, de cæteris omnibus utut plurimis, non eſt aliud faciendum judicium.

QUÆSTIO III.

Quò referendæ ſint anni ſervitutum?

Qui conciliantur anni ſervitutis

QUæritur tertiò. Qui vera eſſe poteſt ſumma Epochæ annorum 480. cum præter eos legamus ſex ſervitutes, quarum primæ ante *Othnielem* tribuuntur anni octo Judic. 3. v. 8. ſecundæ ante *Ehudam* octodecim ibid. 14. tertiæ ante *Deboram* viginti Jud. 4. v. 3. quartæ ante *Gideonem* ſeptem Jud. 6. v. 1. quintæ ante *Iephthem* octodecim Judic. 10. v. 8. ſextæ ante *Samſonem* quadraginta Judic. 14. Hi omnes ſibi invicem additi conficiunt centum & undecim ſupra ſummam prædictam. Reſp. Secundum receptam tam veterum quàm recentium & Theologorum & Chronologorum ſententiam, anni ſervitutum includuntur & exorbentur in annis ſequentium Judicum, nullâ aliâ ratione ſalvari poteſt clara & expreſſa quota libri prioris Regum, quemadmodum Geneſ. 7. v. 11. quadraginta dies pluviæ annumerantur & includuntur diebus centum quinquaginta ſequentibus verſ. 25. Qui hic maximè adverſantur, vulgarem calculum admittere coguntur in quintâ & ſextâ ſervitute, quod autem ratio par ſit in quatuor reliquis perpendentibus ſingulas, ſatis erit manifeſtum. *cum annis judicum?*

QUÆSTIO IV.

Quomodo ætates Rachab, Boaz, Obed *&* Jeſſe *exhaurire potuerint annos* 480.

QUæritur quartò. Qui fiat ut tot anni numerentur ab exodo ad quartum *Solomonis*, cùm totum id tempus generationibus tribus aut quatuor compleatur: Nam primo tranſitus *Salmon* duxit in uxorem Hierichuntinam *Rachab*, ex quâ genuit *Boaz*, *Boaz* ex Moabitide *Ruth* procreavit *Obed*; ex quo *David*: ſi à quadringentis octoginta ſubducas quadraginta annos ante tranſitum & nuptias *Rachab*, item ſeptuaginta quos vixit *David*, & quatuor primos regni *Solomonis*, hoc eſt, annos centum quatuordecim; remanebunt de ſummâ priori hujus Epochæ tercentum ſexaginta ſex, diſtribuendi inter *Rachab*, *Boaz*, *Obed* & *Iſſai*: neque in eorum totam vitam, ſed tempora quibus liberos procreârunt. Reſp. Vexat hæc diſtributio accuratiſſimos Chronologorum: quidam, ut difficultates evitent, poſt *Lyranum* & *Rabbinos* tres *Boaz* comminiſcuntur, ſed cum nullâ verbi divini umbrâ hæc triplicatio nitatur, rejicitur à pleriſque. *Rachab peperit Boaz anno 56.*

Qui aliâ ratione nodum expedire conantur, ſupponunt *Rachab* quàm fieri potuit maturè nupſiſſe, & quàm fieri potuit tardè peperiſſe. In expugnatione *Hierichuntis* mulier ſeorſim à parentibus habitans & advenas ſuâ domo recipiens, habuiſſe videtur annos minimùm ſedecim, & antequam cæremoniæ omnes, quibus Cananitidi in Iſraelis ſtemma tranſeundum fuit,

ſuit, & nuptiarum ſolennia cum principe tribus Iudæ celebrari potuerunt, annum unum effluxiſſe convenit: nupſerit ergo *Salmoni Rachab* anno ætatis ſuæ decimoſeptimo, materque fuerit liberorum quot voles & quovis tempore, ſed filium *Boaz* produxerit ætatis anno quinquaſimo ſexto: frequentes hiſtoriæ ſunt etiam nuper in tanta ætate puerperatum. Differunt aliqui ortum *Boaz* ad matris annum ſeptuageſimum ſecundum, aliqui ad nonageſimum quintum, ſed nobis non lubet abſque neceſſitate miracula multiplicare. Pepererit ergò *Rachab* filium *Boaz* anno ſuo quinquageſimo ſexto, Principatûs *Othnielis* viceſimo ſecundo, à tranſitu triceſimo nono; hi triginta novem ſubducantur à prædictis trecentis ſexaginta ſex, reliqui trecenti viginti ſeptem diſtribuendi in nativitates *Obed*, *Ieſſe*, & *David*: ſi diſtributio hæc fiat per partes æquales aut æqualibus proximas, dabuntur ſingulis Patribus in generatione filiorum centum & octo: & hoc calculo *Boaz* de *Ruth* genuerit *Obed* anno ætatis ſuæ centeſimo octavo, Principatûs verò *Debora* octavo, & *Obed* genuerit *Ieſſa* ſuæ ætatia centeſimo etiam octavo, ſtatim ab initio gubernationis *Iephtha*, *Ieſſe* quoque genuerit *David* anno ætatis ſuæ centeſimo octavo, ac decimo Principatûs *Samuelis*.

Obed Boaſo, Ieſſe Obedo, Davidque Ieſſa in ſingulorum anno centeſimo octavo nati ſunt.

Objicientibus videri durum non tantùm ætatem ſed & vigorem ad gignendum ad centeſimum octavum iis ſeculis producere. Reſp. Etſi ipſius *Moſis* diebus legamus Pſal. 90. ordinatiam hominum ætatem iis cancellis circumſcriptam, quibus etiam hodie humanam vitam vulgò contineri videmus annorum ſeptuaginta & octoginta; attamen in poſterioribus & præſenti quoque ſeculo non infrequentes ordinariorum terminorum tranſgreſſiones ſpectantur. Celebre eſt Plinii teſtimonium, qui diebus ſuis, imperantibus *Veſpaſiani*, affirmat in cenſibus Italiæ inventos homines duos, alterum *Bononia*, alterum *Arimini* annorum 156, in regione autem Italiæ octavâ cenſos tum fuiſſe quinquaginta quatuor 150, ſeptem centenûm denûm, duos centenum vicenum quinum, quatuor centenum tricenum, quatuor item centenum tricenum ſeptenum, & tres centenum quadragenum; quid ergo mirandum in multò antiquioribus ſeculis inventos, in primis inter Domini majores, qui ad annum centeſimum octavum vixerint, imo liberos procreaverint? Vixiſſe legimus *Iehoiadam* Pontificem 2 Chron. 24. ad annum centeſimum triceſimum, *Abrahamus* etiam centeſimo quadrageſimo *Keturam* duxit, & ex ea multos liberos ſuſcepit. Noſtro hoc ſeculo referuntur varii qui diu ultra centeſimum vegetam ſenectam protraxerunt; degit hodie Perthæ Magiſter *Colinus Rhinnus* ludimagiſter olim *Perthanus*, & poſt ad annos ſexaginta quà in Scotiâ quà in Hiberniâ, ſacro miniſterio functus, qui centenum denum ſe affirmat: quod admodum veriſimile, cùm non tantùm *Ioannem Knoxium*, *Georgium Buchananum*, Proregem *Moravium*, Reginam *Mariam*, ſed etiam Cardinalem *Betonum*, *Georgium VViſhartum*, *Ioannem Majorem* vidiſſe ſe demonſtret, imò Cartuſianorum & cætera Monachorum *Perthæ* domicilia, quæ in prima reformatione diruta ſunt, integra & incorrupta conſpexerit. Vivaciſſimus hic ſenecio eâ ſanitate & virium firmitate mecum colloquutus eſt anno 1650. ut ad multos adhuc annos ſupereſſe poſſe videatur.

Exempla longævorum.

Magiſter Colinus Rinnus.

QUÆSTIO V.

Quomodo ab Exodo ad Jephtham *anni trecenti.*

QUæritur quintò, qui *Iephtha* Jud. 11. v. 26. *Iſraëlem* dicat habitâſſe ſuis diebus Heſbone annis 300. cùm à cæde *Sichonis* & occupatione Heſbonis Num. 21. anno *Moſis* ultimo & poſt exodum quadrageſimo ad *Iephte* Principatum tot anni non fluxerint? Reſp. Tam ſacros quàm profanos auctores numeros rotundos pro præciſis ponere, addentes centenario ſiqui deſint, & dementes ſi qui ſuperſint. Ab exodo (de quâ ſolâ Regis *Ammonitarum* ad *Iephthen* quæſtio, adeoque *Iephtha* reſponſio fuit) ad id tempus ſecundum calculum noſtrum anni fuêre tercentumquinque, quinque ſupra centenarium per rotundationem abjiciuntur. Sin verò reſpondere *Iephtham* non exodo, ſed tempore occupationis *Heſbonis* velimus, tum præciſi anni erunt triginta quinque pauciores trecentis, ſed qui in rotundatione tam facilè adduntur quàm quinque demuntur: tantùm hìc obſervare calculum *Iephthæ* ſuffragari valde noſtro computo, qui ſervitutum annos includimus annis Iudicum, iiſque adverſari qui excludunt, nam ſi ſeorſim numeres qui memorantur ante *Iephtham*, annos ſervitutum ſcilicet *Meſopotamena* octo, *Moabitica* octodecim, *Cananitica* viginti, *Medianitica* ſeptem, *Ammonitica* octodecim, in ſolidum ſeptuaginta unum & præterea decem, quos tribuere ſolent Senioribus poſt *Ioſhuam* ante primam ſervitutem, habebimus ab exodo ad *Iephtham* non pauciores quàm octoginta ſex ſupra trecentos, qui majorem numerum faciunt, quàm qui ullâ rotundatione poteſt accommodari.

Quomodo ab exodo ad Iephtham anni trecenti?

Numerorum inæqualium rotundatio.

QUÆSTIO VI.

An Phineas *vixerit annos trecentos?*

In libro Iudicum neceſſaria ὑστερολογία.

QUæritur ſextò, Quî Iud. 20. v. 28. tempore belli *Benjamitici Phineas* præpoſitus Sanctuario dicatur, cùm *Phineas* ante exodum uatus ſit in Ægypto, & verò poſt exodum ad *Samſonis* mortem quæ ante bellum *Benjamiticum* narratur, anni ſupra trecentos effluxerint, quot nemo mortalium poſt *Moſis* dies vixiſſe in Sacris literis memoraiur. Reſp. Fatentur omnes Interpretes, in libro Iudicum, ut alibi, non rarò in cætera hiſtoria Sacra, eſſe ὑστερολογίαν, per quam narrantur poſteriùs quæ contigerunt priùs: licet liber Iudicum deſcribat bellum *Benjamiticum* poſt mortem *Samſonis*, non tamen affirmat id bellum geſtum eſſe poſt mortem *Samſonis*, quòd autem ſcriptor θεόπνευστος in eum locum conjiciat iſtam hiſtoriam, hæc commoda poteſt eſſe ratio, ut omnium Iudicum res geſtæ narratione unâ continuâ abſque interruptione ſimul contexantur, quibus abſolutis ſubjicitur idololatria *Michæ* ac *Danitarum*, bellumque *Benjamiticum*, quæ nullius judicis tempore acciderunt, ſed in Interregno cùm nullus Rex, nullus Princeps, & nemo unus iſtam auctoritatem in populum obtineret quæ ſceleratos cohibere valuit à facinoribus, quæcunque ipſorum oculis animóque allubuiſſent: & verò quæ de *Danitis* narrantur, abſque ullo incommodo referuntur ad Interregnum primum poſt mortem *Ioſhuæ* & Seniorum, ante *Othnielis* Principatum, quando *Phineas Shilunte* arcam Domini, loco patris *Eleazaris* tum demortui, ut ſummus Pontifex procurabat.

QUÆSTIO VII.

Ad quam captivitatem duraverit Idololatria Danitarum?

Captivitas Philiſtina Babylonicam anteceſſit.

QUæritur ſeptimò, Quî Iud. 18. v. 30. *Danitarum* publica Idololatria perſeveràſſe dicatur uſque ad terræ captivitatem, nam *Samuel, David, Ezechias, Ioſias*, & alii pii Principes publica omnia ſuis diebus Idola ſuſtulerunt. Reſp. dicto loco captivitatem intelligi non Aſſyriacam decem tribuum, nec Babylonicam duarum, ſed Philiſtæam Arcæ diebus *Eli* & *Samuelis*, quando *Shilunte* Arca tranſlata eſt in ſedes varias, donec *Sione* requievit, quemadmodum verſu citatum ſequente innuitur.

QUÆSTIO VIII.

Ad qua tempora referenda ſit Ruth?

Ad quem Iudicum historia Rutha ſpectat.

QUæritur octavò, Cùm Ruth. 1. v. 1. quæ ſequuntur acciddiſſe ferantur diebus Iudicum, ad cujus tandem Iudicis dies nuptiæ *Boazi* & nativitas *Obedi* referenda ſint? Reſp. Suppoſito, quem quæſtione quartâ fecimus computo, hiſtoria *Rutha* ad *Debora* regimen ſpectabit.

QUÆSTIO IX.

Quot annos habeant libri Ioſuæ *&* Iudicum?

Liber Ioſhua annos 14. Iudicum 300 continet.

QUæritur nonò, Cùm ſuprà obſervatum ſit quot annorum hiſtoriam unusquisque Pentateuchi liber complecteretur, hîc quæritur quanti temporis intervallum libri *Ioſhua*, *Iudicum* & *Ruth* exhauriant? Reſp. Suppoſitis ſuprà dictis, librum *Ioſhua* hiſtoriam habere annorum tantùm decimumſeptimum, ſcilicet à morte *Moſis* ad mortem *Ioſhua*: librum verò *Iudicum* & *Ruth* annorum tercenium, nempe à morte *Ioſhua* & ſodalium, ad exitum *Samſonis* & initia Principatûs ac Pontificatûs *Eli*.

QUÆSTIO X.

Ad qua tempora referendum ſit bellum Trojanum?

Expeditio Argonautica & bellum Trojanum huic Epochæ conveniunt.

QUæritur decimò, Quæ cæteri mundi extra Eccleſiam per hanc Epocham conditio fuerit? Reſp. nullus dum apud Gentes ullibi terrarum ſcriptor extabat: quæ autem multis pòſt ſeculis ad hanc Epocham ſpectantia habent Latini & Græci anctores, ipſis fatentibus, uſque adeo putidiſſimis fabulis involuta ſunt, ut hiſtoriæ fidem nequaquam mereantur. In hæc certè tempora conjicienda videntur quæ de bello *Trojano*, & quæ paulò anteceſsêre de expeditione Argonauticâ & laboribus *Herculis* Poëtæ omnes poſt *Orpheum* & *Homerum* canunt. Et verò excidium Trojæ *Iephtha* ſeculo non diſconvenit; nam quæ de *Iphigeniâ Agamemnonis Dianæ* oblatâ ſeu in ſacrificium ſeu in ſacerdotem commenti ſunt mendaces Græculi; ea *Iephtigenia* vera hiſtoria originem dedit, quâ *Iephtigenia* Deo oblata refertur, ſeu in holocauſtum, ſeu potiùs in virginem perpetuam, peculiari Dei ſervitio totâ vitâ devotam.

QUÆSTIO XI.

Quomodo concilietur Iud. 13. cum 15. & 16?

Philiſtina ſervitus gemina.

QUæritur undecimò, Quî Iud. 13. *Philiſtæa* ſervitus duràſſe dicatur annis 40. cùm poſt annos viginti in morte *Samſonis* finiri videatur Iud. 15. & 16. verſib. ultimis, & verò etiam ad ſexageſimum annum perſeveràſſe videri poſſet ad mortem ſcilicet *Eli*, quando in Arcæ captivitate ſæviſſima *Iſraëlitarum* à *Philiſtæis* oppreſſio fuit? Reſp, Non una fuit *Philiſtæa* ſervitus: iſta

de

de quâ Iud. 13. rectè in morte *Samſonis* finita dici potuit, quando tanta *Philiſtaorum* mnltitndo cum *Samſone* conſepnlta eſt, ut nullam populo Dei ab hoc hoſte noxam poſt multos annos illatam legamus: quæ autem in ultimis *Eli* annis clades à *Philiſtais* illatæ ſunt, ad aliam ſervitutem referendæ, quam *Samuel* & *Saul* depellere cœperunt, ſed non plenè excuſſa fnit ante *Davidis* regnum. Primam autem *Philiſtaam* ſervitutem in morte *Samſonis* finitam, & multis annis ante ejus ortum inceptam, Chronologorum accuratiſſimi arbitrantur.

QUÆSTIO XII.

An Samuel *ex poſteris* Cothæ?

An Samuel ex poſteris Corba?

QUæritur duodecimò, Quomodo *Samuelis* proſapia referatur ad *Corbam*, nam 1 Paral. 6. v. 26. & 27. *Samuel* numeratur decimus ſeptimus à *Corbâ*, & tamen tota *Corba* progenies cum patre deſtructa videtur; nam Num. 26. v. 10. bis mille qninquaginta ex poſteris *Corba* cœleſti flammâ necati ſunt? Reſp. Sic quidem habent Biblia vernacula in octavo minori quæ dicuntur impreſſa Londini à *Roberto Barkero*, ann. 1638. ſed monendi eſtis ad veſtram & aliorum cautelam, editionem iſtam multis centuriis craſſiſſimorum errorum ſcatere & in ipſa fronte putidiſſimum mendacium ferre, nequaquam enim vel Londini vel à *Barkero* vel anno 38. excuſa eſt, ſed nuper Amſtelodami, Delphis, & alibi in *Bataviâ* ab *Hollandis* cupiditate quæſtus (ut ab ipſis Typographis accepi) ſupra ſepties centena millia corruptiſſimorum iſtorum Bibliorum edita ſunt, in magnum eccleſiarum noſtrarum detrimentum. Utcunque, quod in depravatis iſtis codicibus legitur bis mille quinquaginta, textus Hebræus & Verſiones omnes, etiam noſtræ vernaculæ correctiores habent ducenti quinquaginta, inter quos omnes *Corba* filii non periêrunt, ut babetur expreſsè verſu citatum ſequenti: certè ex Pſalmis multi *Corba* filiis canendi commiſſi ſunt, & ex iis aliqui ab *Hemane Samuelis* nepote à *Corbâ* viceſimo compoſiti videntur.

Anglicana Biblia in Hollandia impreſſa ſunt corruptiſſima.

QUÆSTIO XIII.

Quomodo Levitæ *attigerint ſacerdotium?*

Levita, ſi Propheta, fungebantur ſacerdotio.

QUæritur decimotertio, Quî *Samuel Levita* de poſteris *Corba* ſacerdotium auſus ſit attingere & ſacrificium Domino offerre, cùm pater *Corba* hoc conamen tantâ calamitate luerit? Reſp. non ita annexas omnes ſacerdotalis muneris partes familiæ *Aaronis*, ut ab iis alii *Levita*, cùm extraordinarii eſſent Prophetæ (quales *Moſes* & *Samuel*) excluſi fuerint.

QUÆSTIO XIV.

De annis Regni Saul.

Quot annis regnaverit Saul.

QUæritur decimoquartò, Quî 1 Sam. 7. v. 2. concilietur cum Actor. 13. v. 21. priori enim loco permanſit Arca *Kiriath-jearim* 20. annis poſt mortem *Eli*, quibus judicabat Iſraëlem *Samuel*, & multis etiam in poſterum annis uſque ad regnum *Saulis*: poſteriore verò *Saulis* Regno tribnuntur anni 40: non autem conſiſtit cum ſumma totali Epochæ annorum quadringentorum octoginta ab exodo ad templi conditum, ut *Sauli* quadraginta & *Samueli* vel viginti tribuantur? Reſp. Verba Apoſtoli in Actis accipienda ſunt de *Saulis* & *Samuelis* gubernationibus junctim, ut priorem verſum inſpicienti patebit, non diviſim de *Saule*: cujus regnum, ſecundum pleroſque Interpretes, non diu ultra decennium extendebatur, in quibus magna ſemper *Samuelis* remanſit auctoritas uſque ad vitæ exitum, qui biennio ante *Saulis* mortem accidiſſe fertur.

Quomodo Saulunus annos filius cùm regnare cœpiſſet.

Si objicias, regnare oportuiſſe *Saulem* multò ultra decem, imò quadraginta annos, nam poſt ſe reliquit *Iſhboſeth* inter minimos filiorum, qui tamen moriente patre habuit annos 40. 2 Sam. 2. v. 10. concedatur *Saulem* genuiſſe *Iſhboſeth* filiorum quartum anno ætatis viceſimo primo, ſequetur inde regnâſſe *Saulem* annos ſexaginta, nam regnare cœpit anno vitæ primo, ſi vulgatæ Latinæ Verſioni, quam Pontificii authenticam volunt, fidem habeamus, quæ 1 Sam. 7. v. 1. ſic legit, *Filius unius anni erat Saul cùm regnare cœpiſſet.* Reſp. manifeſtus eſt error Latini Interpretis, quem Pontificiorum Chronologorum nemo defendere conatus, neque tamen fateri volunt Concilii Tridentini pudendum ſphalma, corruptiſſimam hanc verſionem Hebraicis fontibus præferentis: habet hic textus Hebræus *Saulem* tum temporis regnâſſe unum annum, ſeu *Saulem* tum fuiſſe filium unius anni in regno ſuo, quod legit Vetus Anglicana [*Saul novv had beene King one yeare*] explicationis cauſâ rectè addens particulam [*novv*] ut duceret nexum iſtorum verborum cum hiſtoria cap. præcedentis. Novorum Interpretum correctio, præterquam quod non neceſſaria, vergit etiam in deterius. Benè ergo factum ab Italo Interprete conſultiſſimo, quod veterum Anglicanórum additamentum explicativum exprimèndo, textum illuſtret; potius quàm cum recentioribus omittendo iſtam particulam, verba obſcuraret.

Anglicani Interpretes Novi malè corrigunt Veteres.

Verùm alia ex hoc textu adhuc oritur diffi-

Quomodo Saul regnavit annis duobus.

difficultas, affirmatur hîc diſertè regnaſſe *Saulem* duobus annis ſupra Iſraëlem, ſic habent tum Hebræi fontes, tum Verſionum omnium rivuli. Reſp. Quod vulgò adfertur ad hunc ſolvendum nodum, *Saulem* regnâſſe duobus tantùm annis legitimè, in poſterum autem egiſſe Tyrannum non Regem, privatum ſcilicet ſpiritu Dei & agitatum mali Dæmonis furiis, imò jus Regni in *Davidem* jam unctum Domini apertè tranſlatum. Utut hæc habeant, non neceſſariò huc devenitur, nam verba præ manibus non negant *Saulem* regnâſſe ultra biennium, licet affirment duobus annis fuiſſe Regem, cùm iſta quæ ſequitur hiſtoria gereretur. Nectendus ergò verſus hic cum ſequenti, quod per expreſſam copulativam faciunt Hebræi, hos cùm ſequantur veteres Anglicani, non debuerunt à recentioribus corrigi, contra tam Latini veteris quàm Galli & Itali Interpretis exemplum.

QUÆSTIO XV.

De Conciliatione capitis decimiquinti 1 Samuelis cum capite viceſimo octavo.

Quomodo Samuel non inviſerit Saulem.

QUæritur decimoquintò, qui triceſimus quintus verſus 15. cap. 1. Sam. concilietur cum cap. 28. verſ. 15. Affirmatur priori poſt id tempus *Samuelem* nunquam inviſiſſe *Saulem*, poſteriori verò narratur *Samuelem* & *Saulem* poſt ea tempora congreſſos. Reſp. Non affirmat prior locus *Samuelem* & *Saulem* nunquam poſteà congreſſos, aut ſe invicem poſteà non conſpexiſſe; ſed nunquam poſteà *Samuelem* familiariter, prout ſolebat, *Saulem* inviſiſſe, aut domi ſuæ eum ſalutâſſe: iſta non prohibent *Saulem* à bono aut malo Dæmone actum in *Samuelis* conſpectum aliquando proceſſiſſe.

QUÆSTIO XVI.

Quomodo David *filius fuerit* Ieſſe *& ſeptimus & octavus?*

Quomodo David filius Ieſſa & ſeptimus & octavus.

QUæritur decimoſextò, Quî *David* numeretur octavus filiorum *Ieſſe*, & dicatur minor ſeptem majoribus 1 Sam. 16. v. 10. & 17. v. 12. attamen diſtrictè nominetur ſeptimus, nec *Ieſſe* plures filii quàm ſeptem aſſignentur 1 Chron. 2. verſ. 15. Reſp. Certum eſt *Davidem* patri natum in ætate valdè provectâ, centenario & ultra, & ſuprà probatum eſt, facile ergò fuit ut *Ieſſe* nepotes & pronepotes habuerit *Davide* filiorum minimo ſeniores, ex his aliquis in familiâ *Ieſſe* degens inter filios connumerari potuit: vel etiam cum veniret *Samuel* uncturus *Davidem* in Regem, habere potuit *Ieſſe* filios octo, quorum unus vel moriens in cœlibatu, vel in ſterilitate vivens, cùm ſcriberetur liber Chronicorum in proſapiâ *Ieſſa* non eſt numeratus, adeò ut qui priùs fuerint octo, poſteà ſeptem tantùm evaſerint.

QUÆSTIO XVII.

Quomodo David Sauli *& notus & ignotus?*

Quomodo David Sauli & ignotus & notus.

QUæritur decimoſeptimò, Quomodo conſiſtant, quæ legimus 1 Sam. 16. v. 21. cum iis quæ habentur ejuſdem c. 17. v. 55. priori enim loco *David* familiariter *Sauli* notus erat ut domeſticus, ut armiger, ut aulicus valdè dilectus: poſteriori adeo ignotus *Sauli* & *Abnero David*, ut qui ignotiſſimus? Reſp. Non placet hic cum *Iunio* ὑςερολογίαν allegare, quaſi *Goliathi* cædes anteceſſiſſet in re *Saulis* furorem & primam *Davidis* vocationem in Aulam, licet in narratione ſequatur. nam expreſſe legimus iſtius lib. 18. 2. poſt cædem *Goliathi* non iterum à *Saule* receſſiſſe *Davidem*, uti in domo paternâ maneret, quemadmodum poſt primam in Aulam vocationem ire & redire ſolebat c. 17. 19. ſervandus ergo neceſſariò eſt abſque ulla ὑςερολογίᾳ ordo hiſtoriæ. Conjiciatur igitur cauſa ignorantiæ *Saulis* in ejus oblivionem, quam diuturna *Davidis* abſentia ab aula, & aliqua in veſtibus ac habitu corporis mutatio cauſare potuit in quoquam, in primis in Rege, cujus mentem, memoriam, & attentionem dementia & Dæmon turbarent, & etiam in *Abnero*; qui rarò in Aula ob negotia & militiam verſatus, *Davidem*, licet *Sauli* aliquando familiarem, fortaſſe nunquam conſpexit.

QUÆSTIO XVIII.

Quomodo Iſhboſeth *regnaverit annis & duobus & ſeptem?*

Quomodo Iſhboſeth regnavit annis & duobus & ſeptem.

QUæritur decimo octavò, quî 2 Sam. 2, v. 20. *Iſhboſeth* regnet ſuper *Iſraëlem* annis duobus, cum ibidem *David* regnâſſe dicitur ſuper domum *Iuda* ſeptem annis & ſex menſibus, cùm certum ſit tam diu regnâſſe *Iſhboſeth* ſuper *Iſraëlem*, quam *David* ſupra *Iudam*? Reſp. Locum priorem non aſſerere *Iſhboſeth* regnâſſe ſupra *Iſraëlem* duobus tantùm annis, ſed regnâſſe annis duobus, cum *Ioab* & *Abner* prælium quod ibi deſcribitur, committerent, quo finito, ultra quinquennium regnavit *Iſhboſeth*, uſque ad vitæ ſuæ finem, tum enim primùm toti *Iſraëli David* imperare cœpit.

QUÆ-

QUÆSTIO XIX.

Quis fuerit annus quadrageſimus conſpirationis Abſolomi?

Quomodo Abſolom conſpiraverit poſt annos 40.

QUæritur decimononò 2 Sam. 15. v. 7. poſt annos 40. dicitur *Abſolom* in patrem conſpiràſſe, iſti anni quadraginta unde ſumunt initium? Nam vix dum triginta anni tum fluxerunt poſt principia regni *Davidis*. Reſp. Cavendum eſſe ne cum multis ob hujuſmodi difficultatem in ipſos codices ſacros involemus, & quadraginta annos in quatuor commutemus, contra Hebræi fontis & omnium quæ inde fluxerunt verſionum fidem: rectiùs ſolvunt nodum qui caput horum quadraginta annorum, vel in annum quo *David* primùm unctus eſt in Regem, vel in initio regni *Saulis*, tribus ante *Davidem* unctum annis, qui quidem inſignis in Dei populo temporis Epocha & character fuit, momentum ſcilicet quo ipſorum gubernatio à Republicâ in Regnum primùm converſa fuit.

QUÆSTIO XX.

Quomodo David *emerit* Sionem 50 *ſiclis argenti, & tamen ſexentis ſiclis auri?*

Quomodo David emerit Sionem 50 ſiclis argenti & 600 ſiclis auri.

QUæritur viceſimò, Quî *David* ab *Aravnâ* aream in monte *Moriâ*, ubi poſt ſtructum eſt templum, emerit ſiclis 50 argenti 2 Sam. 24. verſ. 24. cùm pro eâdem perſolverit 1 Chron. 21. v. 25. Sexcentos ſiclos auri? Reſp. Solutio *Maxii* eſt omninò prava, quaſi prior locus intelligendus eſſet de ſiclis aureis, poſterior de argenteis, quorum proportio ad aureos eſt ferè duodecupla, quaſi horum quinquaginta ſint iſtorum ſexcenti: certè prior locus disertè loquitur de argenteis & poſterior de aureis. Nec *Iunii* ſolutio ſatisfacit, quaſi prior locus haberet pretium ſolorum boum & inſtrumentorum ruſticorum, quibus boves ſacrificati comburebantur, poſterior autem haberet pretium areæ, ubi erectum eſt altare: tam enim prior quàm poſterior locus exprimit emptionem areæ, non minus quàm boum. Tertio ergò reſpondemus locum priorem accipiendum videri de pretio tam areæ quàm omnium quæ ab *Aravnâ* ſunt accepta ad ſacrificium, poſteriorem de pretio agri circundantis aream, nam emit hîc *David* totum illud ſpatium quod templo & circumjacentibus atriis ac ædibus dedicatum eſt, quod amplum valdè fuit, & ſexcentis aureis ſiclis meritò valens.

QUÆSTIO XXI.

Quàm incredibilis auri argentique ſumma in templi ſtructuram inſumpta?

Quomodo David dedicaverit in uſum templi centum millia talentorum auri & millies mille argenti.

DEnique quæritur quî *David* præparaverit in uſum templi 1 Chr. 23. v. 17. talentorum auri centies mille & argenti millies mille, cùm ad uſum tabernaculi inſumpta ſint Exod. 38. v. 24. auri non ſupra triginta talenta, & argenti tantùm centum, imò verò 1 Chron. 29. v. 4. obtuliſſe dicatur *David* in uſum templi tantùm ter mille talentorum auri, & argenti ſepties mille: & verò priores ſummæ ſi poſterioribus jungantur, iiſque addantur Principum oblata 1 Chron. 29. v. 7. Scilicet quinquies mille talentorum auri, & argenti decies mille, totalis quæ inde exoritur ſumma, fit propemodum incredibilis? Reſp. Ad primum, Tabernaculum *Moſis* ad *Solomonis* templum res minuta fuit, rationes hujus ad illius æſtimandæ non ſunt. Ad ſecundum; minor illa ſumma argenti & auri defæcatiſſimi, ut verba textûs præ ſe ferunt, erat ex privatis *Davidis* theſauris, prout major ſumma ex magis publicis. Sed tertium, fatemur, valdè ſtringit, ſumma enim eſt propemodum incredibilis & verè mira, certè, ut nobis videtur, tanta auri argentique maſſa nullibi terrarum unquam in unum locum congeſta eſt, nec hodie ab omnibus mundi Principibus etiam junctis tanta auri vis poſſidetur. Summam hanc mirandam ſic extruimus ex 38. Exodi conſetentibus ſemiſiclos ſingulorum capitum, cum ſummâ talentorum à tot millibus contributâ, apparet talentum conſtare ex non paucioribus ſiclis quàm ter mille, & ſiclum qui duas becas ſeu viginti geras aut quatuor drachmas continet, pendere ſemiunciam, præter propter noſtrum medium coronatum, aut dimidium imperialis taleri, circa aſſes Scoticos triginta, Anglicos duos cum ſemiſſe: de ſiclo argenteo loquor & ſanctuarii, vulgaris enim erat duplo minor valens tantùm decem geras, imperialis & coronati partem quartam, aſſium noſtrorum quindecim, & Anglicorum unum cum triente. In Veteri Teſtamento auri pretium ad argentum erat decuplum, licet hodie proportio excreverit ſupra duodecuplam; ter mille Sicli conficiunt ex libris noſtris quater mille quingentas, & Anglicis trecentas ſeptuaginta quinque, ergo auri talentum *Davidis* ſeculo valebat minimùm decem talenta argenti.

Summa auri & argenti vaſtiſſima & miranda.

Talenti & Sicli valor.

His jactis fundamentis facilè invenitur quod quærimus, in quæſtione habemus talentorum auri centena & octo millia, argenti millies millena ac ſeptemdecim millia. Multiplica priorem numerum centena

H & octo

& octo millia 108000. per ter mille ſeptingenta quinquaginta 3750, quot ſcilicet libras Anglicanas unumquodque auri talentum habet. & per quadraginta quinque millia, quot libras Scoticanas unumquodque auri talentum habet, videbis anri prædictam ſummam excreſcere ad milliones Anglicanos, hoc eſt, libras millies millenas (non ut magnâ oſcitantiâ nuperæ annotationes Anglicanæ in 1 Chron. 22. centies milleoas) milliones (inquam) quadringentos & quinque 405, 000, 000; argenti autem milliones trecentos octoginta ſexcenties vicies quinquies mille, ſeptingentas quinquaginta libras 380, 625, 750, junge has ſummas, invenies milliones ſeptingentos octoginta quinque, ſexceoties vicies qninquies mille, ſeptingeota quíoquagiota librarum Anglicanarum 785, 625, 750; & Scoticarum ernnt oovem mille millionum quadringenti viginti ſeptem milliones qningenties novies mille librarum 9, 425, 509, 000. Vaſtæ adeò & ſtupendæ ſunt hæ ſummæ, nt doctiſſimus *Brervvodus* & poſt eum laborioſiſſimus *Purchaſius* in eorum propeodeant ſententiam, qui dictis locis Chronicorum talentum oolunt accipi in vulgato ſeoſu, ſed pro pecuniæ aut talenti maſſa ſatis modicâ & minutâ. Verum enimverò hujuſmodi commentum ſacris literis manifeſtè repugnat, nam locis citatis ut ſubterſugio tali omois aoſa præciderentur, habemus talenti fractiones decem millia dtachmarum 1 Chron. 20. Conſtat talentum ex ter mille ſiclis Saoctuarii, & nnuſquiſque ſiclus ſanctuarii habet quatuor drachmas: nam *Beka* ſicli dimidium quod pendebat capitatim populns primùm tabernaculo ac templo, & poſteà Cæſari, idem erat quod Didrachmum: itaque talentum, ſecnndum noſtrum calculum, non habet pauciores quàm duodecim mille drachmas, & ſecundum locum præ manibus oportet habeat plures quàm decem mille: evaneſcat ergò neceſſe eſt hoc de diminntione talenti ſomninm. Rationes ſunt cur ſummam quam mnltò maximam ſecimus, majorem arbitremur; ſed nullæ cur minorem.

CAPUT VII.

Res geſtas Epochæ quartæ complectens, à condito ad everſum templum.

DEduximns annorum ſeriem ab ioitio mnndi ad fundatum *Solomonis* templum in tribus Epochis, per anoos bis mille oongentos trigiota duos, plns quam dimidium quod à primo ptincipio ad huoc diem fluxit temporis, filo ſatis certo, &, ut ſperamus, explicato, ex perſpicuis S. Scripturæ locis: proxima quæ occurrit Epocha eſt à condito ad everſum primum templum anno mundi ter milleſimo trecenteſimo ſexageſimo, anoos complectens quadriogentos nonaginta duos, quibus ſtetit *Solomonis* templum. Quomodo totalis hæc ex ſuis partibus conficiatur videbimns ſuo loco, intereà ſummulam rerum io hoc intervallo in orbe geſtarum habete, ne nudum meri temporis σκέλετον oauſeabundos aliàs ſatis ſtomachos prorſus confectos & enecatos, ab hocce ſtudio abſterreat & avertat.

Solomoni ante patris obitum, viceſimum ſaltem, ut videtur, annum aſſequuto (nam ei tum *Rheoboam* de *Naamâ Ammonitide* oatns erat) ut primùm in ſolio conſedit, princeps cura fuit; imperatorum patris primum præſtare, & omoi ope iocumbere extruendo templo. Io hoc opere ſeptem minimum annos occupati ſuot triginta Iſraëlitarum millia 1 Reg. 5. v. 55. exterornm verò, qni à *Davide* inter Dei populum inveoti ſunt & ad hoc opus deſtinati, centum quinquaginta tria millia & ſexcenti 2 Chron. 2. v. 18. quibus ex Iſraëlitis præfecti ſuot ter mille trecenti, ut 2 Reg. aut ter mille ſexceoti, ut 2 Chroo. In ædificiis aliis abſoluto templo, annos tredecim inſumpſit, ita ut omnia hæc hominnm millia annis viginti io ſtructuris exercuiſſe videatur. Quod mious mirandum, ſi, quæ de *Chemni* Ægyptiaco Rege narrantur, vera ſint: qui diebus *Saulis* treceota hominum millia annis totis viginti, in extruendâ, quæ etiam hodie iotegra conſpicitur, paucis à *Memphi*, hodiernâ *Cairo*, milliaribus juxta *Nili* ripas Pyramidum maximâ, ut in eâ mortuus ſepeliretur: quanqnam hac ſpe multùm falſus fnerit, ea enim populum indignatio erga mortuum cepit, quòd tot hominum millia tot annis inutili labore vexâſſet, ut filius non ſit auſus vel ibi vel ullo alio loco cognito patris reliquias coodere, oc à furente plebe concerperentur.

Solomon annorum 20. de Ammonitide ſuſtulerat Rheboam ante patris obitum.

Chemnis diebus Saulis pyramidum maximam 300000. manibus annis 20. extruxit fruſtra.

Poſt finitas ſtructnras Deus cum *Solomone* iterum in ſomnio familiariter loquutus, fœdus præclarum pepigit, & ſupra omoes ſui ſeculi mortales ſapientiâ, divitiis, & omni gloriâ elevavit: iſti tamen favores à fœdiſſimâ ingratitudine, & ad ipſam Idololatriam apoſtaſiâ non cobibuerunt: uſque adeò mortalibus in pietate & virtute quantumvis provectis, à libidinum pruritu & ſecuritatis peſte diligenter eſt caveodnm. A pleriſque doctorum in Eccleſiaſte peccata ſua & vanitates defleviſſe putatur: utcunque, certum eſt ejus ultima primis ooo reſpondiſſe, licet in multâ ſatis gloriâ & pace, Regoi quadrageſimo expiraverit. Ex immaniſſimâ libidioe, uxoribus oimirum ſeptiogentis & concubinis treceotis oon plures, quàm unum filium & duas filias ſuſcepit,

Libido & ſecuritas Solomonem perdiderunt.

pit, ſi tamen *Solomonis* Regis filiæ fuerint, quarum mentio fit 1 Reg. 14. verſ. 11. & 15.

Davidis & Solomonis peccata in Rhoboamo vindicata.

Juſtitia ſummi Judicis in ſibi dilectiſſimis ſcelera & ſcandala ſeveriſſimè ſolet caſtigare: differt aliquando Sapientiſſimus vindictam ſuam, ſed tarditatem gravitas tandem compenſat; quæ patres, avi, & proavi peccârunt, ea ſeri nepotes majorum veſtigiia inſiſtentes luunt: *Davidis* & *Solomonis* delicta in *Rhoboami* & poſterorum Regnis vindicata ſunt. Pervicax *Rhoboams* in ſtultiſſimo conſilio obſtinatio, à Domini deatrâ, tum ipſius, tum patris, tum avi peccata punientis, dementatio fuit, promiſſique per *Achiam Ieroboamo* Regni in tempore decreto præſtatio. De duodecim tribubus decem domui *Davidis* abreptæ *Ieroboamo* traduntur: maximum hoc vuluus *Rhoboamo* inflictum ad debitam eum pœnitentiam nequaquam adduait: pergenti adhuc in numinis contemptu, immiſſus à Deo eſt Ægyptiorum Rex *Sheſak*, qui quicquid *Ieroboamus* dumui *Davidis* reliquit, totum occupavit: calamitate hac fracti *Iudai*, tam Rex quàm populua à Dumino opem implorârunt & impetrârunt; *Sheſak* enim de templo & regiâ domo immenſos, quoa *David* & *Solomon* auri argentique theſauros cougeſſerunt, deſpolians in Ægyptum rediit, integrâ populo libertate permiſsâ. Mala hæc *Rhoboamum* quiuto ſui regui anno oppreſſeruut.

Solomonis opes vix annos quinque poſt ſe durârunt.

Mobilis & incerta eſt opum puſſeſſio, opes pennatæ ſunt & alitea, ubi ferreis & adamantinis alligatæ videutur catenis, ligamenta momeuto abrumpunt & avolant. Reliquit *Solomon* Hieruſalem auro, argeuto & gemmis ſupra omnes terræ civitates divitem; quinque non effluxerunt anni, quando de aureâ æream eam civitatem effecit Ægyptiorum rapacitaa: pro aureis *Solomonis* clypeis à *Sheſak* in Ægyptum latis, *Rhoboam* æreos ſubſtituit: viginti octo filii & ſexaginta filiæ *Rhoboamo* ſuperſtites fuerunt: iuter filioa natu minorea *Abiam* ex *Abſolonis Maacâ* prognatum; majoribus poſtpoſitis poſt ſe regem conſtituens, Regni decimoſeptimo expiravit.

Ingratus in Davidem Iſraël in ſuam perniciem.

Juſtiſſima fuerunt Dei judicia, abripientis à *Davidis* domo decem tribus, & magnâ miſericordiâ relinquentia peccatoribus iu *Davidis* gratiam tantillam iu Iſraële lucem vel uuius, nedum trium tribuum *Iuda*, *Benjamini* & *Levitarum*: iujuſtiſſima tamen & fœdiſſima in *Davidem* ac *Solomonem* rebellium Iſraëlitarum ingratitudo fuit, & quæ ipſis peſſimè ceſſit: ab hujuſce enim rebellionis primo die malorum ipſos *Ilias* invaſit: animarum ſalutem idololatriæ venenum; pacem bella civilia & externa profligavêre: douec in perpetuæ captivitatis barathro, tota rebellium iſtorum gens abſorpta eſt.

Ieroboam ſui ſtudio omnia divina & humana conculcat.

Separatum ſuum regnum primò *Rhoboami Ieroboamus* ereait, auno mundi bis milleſimo nongenteſimo ſexageſimo nono. Irregenitorum ad res & commoda ſua præſentia propenſio prorſus miranda eſt, cum omnimodo Dei proaimique deſpectu, imò verò omnium qui ſibiipſis iu futuro, vel in ſequenti ſeculo obvenire poſſunt malorum ſecuritate. Rebelles *Rhoboami* ſubditos ut primùm ſe obtulerunt, multò lubentiſſimè *Ieroboamus* amplexatus eſt: cùm videret periculum viſibile ipſorum ad *Rhoboamum* reditus, ſi ſecundum Dei legem Hieroſolymam ad ſacra commearent, hoc commercium abrupit: conculcato Dei mandato vituloa aureoa *Dane* & *Bethele* conſtituit, quos omnes ſui ſubditi adorareut, iiſdem quibus Deum ceremoniis in templo Hieroſolymitano ſolebant. *Levita* divino cultui adhæreſceutes *Ieroboamum* deſeruerunt: profanus Rea, ſpretis Dei miuiſtris ex fæce plebis ſacerdotes ſuis Idolis conſecravit, qui eò gratiores populo fuerunt, quòd triobolares & mauci remiſſis decimis & abolito quod Deus conſtituerat *Levitarum* patrimouiò, propemodum gratis vilem ſuam operam locabaut.

Sciebat *Ieroboamus* ob leviorem Idololatriam à *Solomonis* poſteris ad ſe quod habebat regnum tranſlatum: coutra ejus ſcelus Dominus de cœlo miraculis mauifeſtia & horrendis minis erat couteſtatua: couſilia tamen humana & carnalis politia clariſſimam à Deo lucem præfocârunt; ergo in contemptorem Dei ira tandem exarſit. Poſt multorum anuorum magnam proſperitatem & pacem profundam ſibi plaudens, quaſi ſuia omnibus ſceleribus numen non tantùm cunniveret, ſed etiam aunueret & arrideret, tandem Dei viudicis manu confractus eſt.

Horrenda Iſraëlitarum clades.

Abiam ut patris regnum recuperaret, bellum *Ieroboamo* movet, & in aciem educit Judæorum & Benjamitarum millia quadriugeuta, fit ſtatim obviam *Ieroboamus* cum Iſraëlitarum millibus uctingentis, concurritur animis infeſtiſſimis, à duplici numero propemodum vincitur *Abiam*, ſed matura tum *Ieroboami* ſcelera divinam falcem poſtulabaut; ergo in iræ Domini torculari comprimuntur quingenta Iſraëlitarum millia, quot uno die occiſa uuſquam aliaa legimus.

Magnum boc Domini furoris exemplum neque *Ieroboamum* neque *Abiam* ſatis coutrivit, utrique igitur novæ virgæ paratæ. *Abiam* tertio regni anno ſublatus eſt, relicto ſceptro filio *Aza*, *Ieroboamus* paulo poſt in ipſis regni *Aza* auſpiciis divinâ plagâ percuſſus in peccatis mortuus eſt.

Huic ſucceſſit filius *Nadab* quem cum

totâ

totâ proſapiâ anno regni ſecundo violentâ morte *Baaſha* ex tribu *Iſſachar* rebellis ſuſtulit : ecce quid *Ieroboamo* ex malè parto & pejus adminiſtrato regno fructus remanſit.

Baaſha etiam,

Baaſha à Domino in *Ieroboamum* vindex à *Ieroboami* peccatis non abſtinuit, quare nec ejus regnum diuturnum, nam etſi poſt annorum aliquot imperium pacatam mortem, tanquam extirpati *Ieroboami* præmium, à Deo obtinuit : tamen quòd à *Ieroboami* peccatis divelli noluit, conſimili pœnâ periit : ejus enim filius *Ela* ſecundo regni anno, cum totâ ſuâ familiâ radicitus à *Zimrio* extirpatus eſt : & licet in *Baaſham* vindicta Deo perplacuerit, quantopere tamen conſpirationis peccatum diſplicuerit, feſtinato *Zimrii* excidio Dominus demonſtravit. Nam non ultra dies ſeptem Iſraëlis ſolio hic gaviſus eſt, ut primùm enim *Omrius* cum valido exercitu *Tirzam*, tum regni Iſraëlitici ſedem, obſediſſet, defenſioni impar *Zimrius* Regiæ ſe includens, eam ſecum incendit : proprio hoc vivi comburio *Sardanapalo* & aliis deſperatæ fortitudinis exemplum præbens.

Et Zimrii.

Primus Zimrius ſe vivum combuſſit.

Nec tamen *Omrio* tranquillum fuit Regnum, nam media Iſraëlis pars maluit *Tibnium* Regem, adeò ut ſub duobus hiſce capitibus miſer populus bello civili aliquandiu ſeſe conficeret, donec mortuo *Tibnio* ſolus *Omrius* ſceptrum obtinuiſſet, quod ad *Achabum* filium, mali corvi pejus ovum, tranſmiſit.

Aſa octo Reges Iſraëlis conſpexit.

Octo iſtos in Iſraële Reges unus *Aza* Judæ Rex conſpexit. Vir hic tam pietate quàm armis inſignis, habebat in parato bellatorum fortium quingenties octogies mille; quorum tribus *Iuda* trecenties mille; & tribus *Benjamin* ducenties octogies ſuppedirabat, nec tamen ullam in tanto etiam valido exercitu fiduciam Rex pius collocabat, atque id non minùs prudenter quàm piè; nam niſi Deus tuliſſet opem, totum iſtud robur mox à majori vi fuiſſet peſſundatum. *Zera* enim cum mille millibus Æthiopum *Azam* invaſit, quos hic fuſis ad Deum precibus fudit fugavitque.

Prudens in 550000. virorum fortium nullam ſpem poſuit.

Aſa navi.

Mortalium nemo ex omni parte vel perfectus vel beatus eſt. *Aſa* qui tam illuſtre divinæ protectionis documentum accepit, eâ fidei imbecillitate fuit ut à *Baaſha* Iſraëlitâ invaſus, ad *Syriæ* Regis arma potiùs quàm ad Dei opem confugerit; ob hoc peccatum à Prophetâ reprehenſus excanduit, & monitorem in carcerem compegit, quamobrem à Domino acerrimâ podagrâ caſtigatus eſt. Hîc etiam alia labes pulcherrimam alioqui faciem fœdavit, ut acutiſſimis doloribus levaretur Medicorum magis artem quàm Dei opem reſpectavit. His cenſuris notatus Rex cum primis bonus, anno regni quadrageſimo primo Hieroſolymis expiravit.

Aſa in Regno Judæ ſucceſſit filius *Iehoſophat* 36. annos natus; ſtatim hic Eccleſiam, Politiam, militiam æquali quaſi curâ in optimum ſtatum redegit. Synedria ſumma duo à ſe invicem independentia conſtituit, quorum alterum res Dei, alterum res Regni adminiſtraret. Præter arcium & urbium præſidia habebat ad campeſtrem militiam parata virorum fortium undecies centies mille, proculdubio ſingularis Dei benedictio Judææ regionem tot mortalium millionibus alendis ſufficientem reddebat, cùm tota *Canaan* à *Dane Beerſchebam* uſque, quà longiſſima 160. millibus paſſuum non pateret, & quà latiſſima non excederet milliaria Italica 60. *Iudaa* & *Benjamitis* totumque adeo *Ioſophati* regnum quartam hujus ſpatii non comprehendebat. Hodie, & à multis etiam ſeculis tota *Canaan* paucis ſeminudorum, famelicorum ac rapaciſſimorum *Arabum* millibus nutriendis impar, ubique fere deſerta & inculta jacet, maledictione divinâ fertiliſſimos olim campos in ſterilem glebam & arida teſqua vertente.

Summa hodierna Canaan ab antiquâ diverſitas.

Ioſophati optimi aliàs Regis peccatum fuit quòd affinitatem contraxerit, & amicitiam arctam coluerit cum *Achabo* Rege *Samariæ* contra Prophetarum monita. *Achabus* ductâ in uxorem mulierum peſſimâ *Iezabele* Zidoniorum Regis filiâ, idololatrâ, meretrice, homicidâ, veneficâ, in omnia ruit ſcelera.

Hinc tribus annis & ſex menſibus ſecundum *Eliæ* denunciationem clauſum *Iſraëlitis* cœlum, cùm ſiccitas & fames totam fere gentem abſumpſiſſet, *Benhadad Syrus* ut paucas ſuperſtitum reliquias devoraret cum maximo exercitu Samariam circumſedit. *Achabus* in rerum omnium ſummâ deſperatione ad Deum Iſraëlis utcunque infenſum ſe convertit, Dominus ob ſui nominis gloriam dilatâ in impium Regem vindictâ, parvâ ſervulorum manu magnâ ſtrage Syros delevit. Cùm ſic eorum ſuperbia non domaretur, ſed anno ſequenti cum exercitu, qui priori par fuit, redirent, iterum Dominus perpuſillo *Iſraëlitarum* numero *Syrorum* centum millia uno die occidit, & caſu muri urbis *Aphek*, quò victi confugerant viginti ſeptem millia oppreſſit. Splendida hæc Domini beneficia à ſceleribus *Achabum* non cohibuerunt, *Nabothi* vineam tam perditè miſer hic concupivit, ut cum Domini ſanguine *Iezabelis* artibus conſperſam, devorare non abhorruerit, vix tamen benè concoctam unà cum vitâ & etiam Regno revomere coactus eſt.

Inſignia Dei in Achabum beneficia.

In ſocietatem belli contra Syros *Ioſophatum* fruſtra diſſuadente Prophetâ pellexit, cùm

cùm vir boous nimiâ facilitate vulpinis fraudibus circomventus, regiis inſignibus in prælio uteretnt, quibus ſe *Achabus*, ut lateret, exnerat, propemodum ab irruentibus Tyris occiſns eſt, ſed à præſenti morte divina hunc dextra liberavit: Larvatus tamen hypocrita noo effugit: ſagitta enim à Syro temerè ſed à Deo ictu deſtinato miſſa trajecit medium. Currus in *Iezraele* ad *Nabothi* vineam lotns canibns Reginm ſanguinem lambendum exhibuit.

Achabi extirpatio.

Achabo filii fuere 72. florentes hos ramos cum trunco & radice Domini furoris flamma in favillam mox convettit. *Abazias* natorum maximns, cùm in throno biennium tantùm ſediſſet, de fui cœnaculi feneſtrâ lapſns morbnm cootraxit, ex qno, ſecundnm *Elia* vaticinium, expiravit. Secundus *Ioram* poſt tredecim anoorum imperium, eodem qno pater loco *Ramotha Gileadi* vulneratos *Iezraelem* repottatus eſt, ubi decnmbens, nt audiit adveniare contra ſe rebellantem *Iehu*, Divino oraculo ad id impulſum, cum præſentibus copiis fruſtra occurrit, nam Divinâ mann ſuffultus *Iehu Ioramum* in curru ſagittâ transfodiens mortui corpus in *Nabothi* vineam coojecit, ejus matrem *Iezabel* de feneſtrâ præcipitatam equorum pedibus conculcavit, conculcatæ corpus canes dilacerárunt, ſolo cranio palmiſque mannnm & plantis pedum reliquis. Qui ſupeterant *Achabo* filii 70. Samariæ ad prima *Iehu* mandata omnes capite molctati ſunt, imò verò unà com familia omnes *Achabi* familiares & *Baalis* ſacerdotes acie gladii percuſſi ſunt. Raró viri ſcelerati in peccatis ſolitarii ſunt, habent ſcelerum ſocios nimis qnam multos, qoos omnes ſuarum cladinm ſocietate ſolent involvere. Hicce in *Achabum* & *Baalem* zelus Iſraëlis thronom *Iehu* poſteris ad quartam generationem conſervavit: nihilominns *Iehu Ieroboami* Idolis mordicùs adhærebat, quæ in magna pietatis ſimnlatione crudiſſima impietas, eum etiam & totam poſteritatem extirpavit.

Inſignes in Ioſophati domum calamitates.

Ioſophato cum *Achabo* amicitia chariſſimè conſtitit, ipſe pericula Lethalia ſemel & iterum in hoc improbo ſodalitio vix & ægrè ſatis evaſit, cjns verò poſteri in *Achabi* ruinâ tantum non ſunt obruti. Filiorum maximus *Iehoram Achabi* ex *Athalia* filiâ gener, nt primom *Iuda* ſceptrum nactus eſt, *Achabi* & *Iezabelis* generum ſe ſtatim demonſtravit. Deſpecto Deo Idola amplexus eſt, fratres omnes *Ioſophati* filios abſque cujnſquam criminis prætextu necavit, multoſqne etiam Principum *Iuda*. Hinc *Edomitaram* & urbis Libnæ rebellio, & Prophetæ *Elia* epiſtola, diriſſima profano Regi ſupplicia interminans, quæ poſt paucorum annorum Regnum omnia evenerunt.

Arabnm Æthiopnmqne arma terram vaſtârunt, Regis omnes filios prætrr natu minimnm occiderunt, Regi ipſi poſt horrendos cruciatus viſcera effluxerunt. Filins *Achazias* in throno locatus nnum tantùm annnm ſupetfnit: nam cum deſcendiſſet Hieroſolymis *Iezraelem*, nt avonculum *Ioramam* cx vulnere decumbentem viſeret, à *Iehu* onà cnm avunculo necatus eſt, imò verò ex fratrum filiis *Ioſophati* nepotibus 42. dum ad *Achabi* filios inviſendos itarent, à *Iehu* depreheoſi omnes morte mulctati.

Magna in Athaliam Dei patientia.

Athalia Iorami uxor, *Abazia* mater, Regii Jndæ ſanguinis propemodum exhauſti, quà à *Iorame*, quà ab Æthiopibus, quà à *Iehu*, qnod reliqnum fuit, effudit: unus *Ioaſh* infantulus à *Ioſabetha* amitâ ſua *Iehojada* Pontificis uxore, in templo occultatus furiæ furentis rabiei ereptus eſt. Hoc ſcelere perpetrato bipedum nequiſſima, in Jndæ ſolio ſedere anſa eſt: imò Divina longanimis patientia totos ſex annos Hieroſolymis imperitare, ſacra omnia & profana, faſqne nefaſqne miſcere, idololatriâ & ſanguine terram totam inundare paſſa eſt. Sed tandem evigilavit nnmen, & ex cinere in flammam favilla exarſit: *Iehojada*, convocatis in templum Principibus, ſeptennem jam *Ioaſhum* nnxit in Regem, & *Athaliam* furiarom qnartam in ipſis Hieroſolymorum plateis jugulari mandavit. Sic reſtituto regno mortnns eſt vir de Rege totoque popnlo optimè meritus, ætatis ſuæ anno centeſimo triceſimo.

Ioaſhi in Iehojadam ingratitudinem ulciſcitur Deus.

Indigniſſimam pro meritis hiſce maximia Rex *Ioaſh* Pontificis poſteris gratiam rependit. Ut primnm enim *Iehojada* pædagogiâ & magiſterio liberatus ſuum genium ſequi cœpit, in idololatriam collapſus eſt. Dnmque *Zacharias Iehojada* filius pro ſuo Pontificali munere Regem apoſtatam objnrgaret, impins Rex in ipſo templo ad Domini aram lapidibus obruendum monitorem curavit. Non din tardavit numinis vindicta; parva *Syrorum* manus magnas *Iudaeorum* copias fudit: popnlnm miſerrimè afflixit, principes idololatriæ Regis auctores ante alios perdidit. Nec hac calamitate juſtitiæ divinæ ſatisfactum; non enim innocui ſanguinis & corrupti cultus vindex anteà ceſſavit, quàm crudelis conſpiratorum manibus Rex *Ioaſh* occnbuiſſet.

Amazias ſuâ ſe levitate deſtruxit.

Amazias Ioaſhi filius patri ſucceſſit, ut in ſolio ſtabilitus eſt, paternæ cædis reos meritò plecti mandavit, Divino cultui à patris corrnptelis repurgando incnbuit: hinc omnia ſibi domi foriſque proſperrimè cedere. *Idumaeorum* rebellium viginti millia delevit, ſed homo levis, à debellatis *Idumaeis* didicit idololatriam, ob quam cum à

 Prophe-

Propheta reprehenderetur, ſuperbè reſpondit. Hæc illi miſeriarum origo. Deus ut perderet, pravo conſilio dementavit, non neceſſarium pro ſui animi libidine Regi Samariæ *Ioaſh* bellum movit, in quo fuſis ſuis copiis ipſe captus eſt, & Hieroſolyma templumque ab Iſraëlitis ſpoliata; hac ſtrage in ſubditorum contemptum deveniens, ab Hieroſolymitanis conſpiratoribus occiſus eſt.

Uzzias & Iotham reges boni.

Ei ſucceſſit filius *Uzzias*, cui, dum in Dei lege delectatus eſt, domi militiæque omnia ad votum fluxêre; ſed dum ſacerdotale thuribulum Regio ſceptro vult adjungere, à Deo in ipſa fronte leprâ percuſſus, à templo ſimul & ſolio in privatas ædes ſecedere ad vitæ finem coactus eſt.

Sed Achaz praviſſimus.

Filius *Iotham* patris nomine dum vixit, & ab ejus morte ſuum Regnum piè, prudenter & fortiter adminiſtravit. Sed *Achazo* optimi patris gnato peſſimo omnia contraria: hic dum ſpreto Deo patrum idola deamaret, ad eum plectendum *Rhezin* Syrum & *Pekam* Iſraëlitarum Regem Dominus excitavit. Ut horum arma diverteret *Achaz*, Aſſyriæ Regem magnis donatiis in opem advocavit. *Tiglath-peleſer* quidem adfuit *Achazo* vocanti & Damaſco occupatâ Syriæ Regnum delevit, *Rhezin* occidit, ac populum in Aſſyriam captivum abduxit. Sed dum Damaſci Aſſyrio *Achaz* victoriam congratulatur, victorum Syrorum Deos Hieroſolymam homo impiiſſimus ſecum aſpòrtavit, novum, ſecundum Damaſcenum exemplar, in Dei domo altare *Uzzias* Pontifex, ut gratum Regi faceret, erexit: hinc divina manus ex vivorum numero *Achazum* exturbavit, ut multò meliori filio *Hezekia* locus vacaret.

Iehu totâ vitâ proſper & pronepos proſperrimus.

Dum hic rerum ſtatus eſſet apud Judæos, longè alia fuit Regni Iſraëlitici facies. *Iehu* ob extirpatum *Achabum* ſat magnâ proſperitate, quamdiu vixit, eſt uſus; ut & poſteri multis poſt ſuam mortem annis: licet ob idola *Ieroboami*, cùm hic tum illi variis à Domino plagis afflicti & tandem extirpati ſint. Regnavit *Iehu* annis 29. ejus filius *Ioachaſh* annis 17. & nepos *Ioaſh* ſedecim, pronepos verò *Ieroboamus* 41. ſed abnepos *Zacharias* tantùm ſex menſibus.

Diebus *Iehu* & *Ioachazi* vexatus eſt Iſraël à Syris, *Hazaele*, & *Benhadado* multò miſerrimè; ſed *Ioaſh* ſuis & *Eliſha* Prophetæ precibus ſplendidiſſimas aliquot contra Syros victorias obtinuit; *Ieroboam* autem ſecundus tantum à Domino opem impetravit, ut Damaſcum ceperit & Iſraëlitici

Sed in abnepote eradicatus eſt.

Regni limitem ad ultimam à *Moſe* & *Ioſhua* præſcriptam metam extenderit. Nulli tamen favores, nec ſummorum Prophetarum opera *Iehu* poſteros ab Idolis abſtraxerunt, ergo tandem effloruit ex radice juſtitiæ ramus judicii. *Zacharias* in ipſis Regni ſui anſpiciis cum tota *Iehu* familiâ à conſpiratore *Shallumo* exciſus eſt; poſthac continua conjurationum ſucceſſio Iſraëlis thronum concuſſit & tandem evertit.

Continua conjurationum ſucceſſio Iſraelitas perdidit.

Shallum vix unum menſem Samariæ Regnum obtinuit, cum à *Menahem* regno ſimul & vitâ privatus eſt. *Menahem* quidem annis 10. regnavit, ſed ejus filius *Pekahiah* non ultra biennium ſedit in ſólio, cum à *Peka* violentâ morte tolleretur, nec *Peka* vel mors ſicca vel vita tranquilla fuit. Infeſtiſſimus Judæis hoſtis, cum *Rhezin* Syrorum Rex Dei populum magnis cladibus affeciſſet Idololatricis *Achazi* temporibus, *Peka* vaſtatis ſuperveniens centum viginti millia uno die Judæorum occidit, & ducenties mille Samariam abduxit captivorum; quos tamen omnes *Samaritanorum* miſericordia liberos domum remiſit. Neutri vel Iſraëlitæ vel Syro impune fuit, quòd caſtigantis virgæ munus erga Judæos præſtitiſſent. Nam Syriæ Regnum ıum temporis à *Tiglath-peleſero* Aſſyrio funditus everſum eſt, & ab eodem *Iſraëlitarum* transjordananæ tribus, aliique in Aſſyriam captivi abſque reditu pertracti: *Beka* etiam *Hoſea* conſpiratoris inſidiis periit.

Ultimus *Iſraëlitarum* Rex *Hoſea*; etſi deceſſoribus aliquantò melior, Regni tamen nono à *Salmanaſſare* captus Samariæ, poſt annorum trium obſidionem, ſexto *Hezekiæ* cum *Iſraëlis* reliquiis in Mediam abductus eſt.

Iſraëlitæ ad finem uſque perverſiſſimi.

Magna Domini fuit erga Iſraëlitas patientia: per annos ſupra ducentos à primo *Ieroboam* ad *Hoſea* nonum, cum ipſorum obſtinatâ duritie contendebat; ſed noluit expugnari præfracta rebellio, neque ad Dei cultum, neque ad legitimos Principes *Davidis* poſteros redire voluerunt. Poſt perpetuam Idololatriam, & continua, tam domeſtica quàm externa multò crudeliſſima bella, tandem Cananæâ ejecti, & cum Gentibus commixti ſunt, abſque ullâ in poſterum à doctis notatâ diſcretione. Tantum *Iſraëlitarum* loco *Babyloniorum* & aliorum Gentilium ab Aſſyriæ monarchâ *Salmanaſſare* Coloniæ in Samaritanos agros deductæ ſunt: colluvies hæc ejuſque poſteri mixtam quandam ex Gentiliſmo & *Ieroboami* Idololatriâ Religionem. unà cum Vatiniano in Judæos odio ad ſera ſecula coluerunt.

Regnum Hezekiæ.

Quod *Salmanaſſar* in Iſraële perfecit, id filius *Senacherib* in Juda præſtare conatus eſt. Poſt vaſtatam pleramque regionem & omnes fere urbes expugnatas, ipſam Hieroſolymam arctè obſedit, quam procul

dubio

dubio cepiſſet, niſi *Hezechiæ, Iſaiæ*, aliorumque ejus temporis piorum precibus Dominus exoratus, in Aſſyriorum caſtris unâ nocte millia centum octoginta quinque cecidiſſet. Hoc metu liber *Hezekias* in lethalem incidit morbum, vir optimus cui nulli dum nati erant liberi, & qui eccleſiæ reformationem nondum ad finem perduxerat, in mortis januâ ſtans, magno vitæ longioris deſiderio captus, ſupplices eâ de re ad Deum preces fudit, exaudiens Dominus quindecim novos annos induſit, & umbram in horologio decem gradus fecit retrogredi.

Et Manaſſis. Poſt hunc piiſſimum & feliciſſimum Principem regnavit in Judæa filius *Manaſſes* 12 annorum puer ea ingenii pravitate, quæ in omne ſcelus contra Deum hominesque feraliter erupit. Templum Idolis, Hieroſolymam ſanguine, Regionemque totam omnimodâ pollutione contaminavit: hinc tam immanis Dei ira in Judam accenſa eſt, ut non ante placaretur quàm horrenda calamitas ſceleratam terram inundâſſet: ipſe *Manaſſes* ab hoſtibus captus & in vincula conjectus Babylone in carcerem detruſus eſt.

Malis hic fractus divinæ miſerationis omni ſeculo factus eſt exemplar, nam gratiæ & ſupplicationis ſpiritum primò adeptus, mox eum à Deo hoſtibusque favorem impetravit, ut Hieroſolymam redire permiſſus priora omnia ſcelera defleverit & emendârit, quin & Regnum ad profundam ſenectutem in multa pietate, juſtitiâ & pace adminiſtraverit.

Amon peccata patris, non reſipiſcentiam amplectitur. Singulare hoc reſipiſcentiæ documentum *Amonem* filium à ſceleribus non deterruit: impius hic juvenis prioribus pravis, non poſterioribus rectis patris veſtigiis voluit inſiſtere: hinc vindicta Divina feſtinans in ſecundo regni anno miſerrimè conſpiratorum manibus de medio ſuſtulit. Sed ut videas quantopere ſcelerati omnis opera, quanquam exequentis juſta Dei judicia, ipſi diſplieeat, conſpiratores omnes, extremo, quòd meruerunt, ſupplicio populus affecit.

Ioſias ſuâ ſe temeritate perdidit. Patris ſcelerata vita & funeſta mors ſummis Dei favoribus prolem privare non potuit; *Ammonis* filius *Ioſias* thronum octavo vitæ anno adeptus in Regum optimum evaſit: ſummo cum zelo non nova tantum, ſed vetuſtiſſima idola contrivit, Idoleiorum *Solomonis* Hieroſolymis, & *Ierobeami* Bethele reliquias, abolevit. Altaria vivorum aliquot *Baalis* ſacerdotum ſanguine, & multorum mortuorum cineribus conſperſit; prout ante plura ſecula de eo per Domini Propheram prædictum fuit. Magna tamen hæc reformatio Dominum non divertit à decreta Hieroſolymorum, ob *Manaſſis* præcipuè crimina, deletione. Piiſſimus Rex ætatis 39. peſſimè conſultus *Pharaoni neco* in Aſſyriam tranſeunti voluit ſe in occurſum præcipitare; temeritas hæc ipſi vitam, & filio Regnum eripuit. Nam poſt eum populus regnare juſſit filium *Ioahaz* minorem natu: verùm hic eùm vix ultra tres menſes regnâſſet à *Pharaone* in vinculis abreptus eſt in Ægyptum, & regno præfectus frater natu major *Eliakim*, alio nomine *Ioakim*. Quarto hujus anno *Nebuchadnezar* Hieroſolymam primùm cepit, ubi multa templi vaſa, & magnam populi partem unaque cum cæteris *Danielem*, Babylonem tranſtulit. *Babylonica captivitas.* Rex *Iehojakim* tum temporis non videtur ductus Babylonem, vel ſi tum eò captivus abductus eſt, oportuit rediiſſe, cum ad annum undecimum regnaverit Hieroſolymis, & non niſi poſt ejus mortem filius *Iehojakin* vel *Ieconiah* ſeu *Coniah* ſederit in throno menſes tres, poſt quos cum alia populi parte Babylonem in vinculis abductus *Iehojakin* ad dies *Evilmerodachi Nebuchadnezaris* filii captivus remanſit; quo tempore ab Aſſyriæ Rege carcere liberatus ad finem vitæ regio honore affectus eſt. Sed ſtatim à prima captivitate hujus patruus *Zedekias Ioſiæ* filius à *Nebuchadnezare* Hieroſolymis regnare juſſus erat. Cum hic ac populi principes in peccatis perſeverarent, *Nebuchadnezar* tertiò venit ad obſidendam Hieroſolymam, cujus peccata ad culmen jam perducta extorſerunt à Domino extrema ſupplicia. *Zedekia* undecimo excifa urbs eſt, conflagravit templum, & qui de populo ſuperfuerunt, præter paucas admodum reliquias, omnes Babylonem traducti, ubi annorum 70. captivitatem ſuſtinuerunt.

Hic Epochæ finis eſt, in templi conflagratione annis 427. poſtquam ſtrui cœptum eſt, & Regni Hebraici everſione, quod annos ſupra quingentos perduraverat à *Saule* ad *Zedekiam*, in regibus viginti tribus.

Hîc adde quæ aliquot ante annos tradidimus de propagatione generis humani poſt diluvium, de Monarchiâ Aſſyriorum & ſtatu Græcorum ac Romanorum, tempore primæ Monarchiæ.

IN antiqua hiſtoria nil occurrit dignius notatu, quam prima poſterorum *Noæ* per terras diſperſio, non enim aliunde cognoſci certò poteſt vera cujuſvis Origo. Multa hîc multi tam nunc quam olim audaciſſimè commenti ſunt, nos pauca ex veriſimillimis ſeligemus. Primus humani generis, quod nunc terram occupat, fons ad radices montis *Ararat* extitit: hîc ſubſtitit arca, hîc habitavit *Noe*, ecquis verò monti *Ararat* *Vbi montes Ararat.*

ſitus

ſitus conveniat, locandusne ſit in Armenia majore infra *Trigidis* & *Euphratis* fontes (ut totus doctorum chorus exiſtimavit) an verò cum Junioribus ſupra fontes *Indi*, ubi *Tauri* cum *Imao* concurſus *Caucaſum* efficiunt, nullus diſputo, habete quæ ſunt certa.

Maxima poſt Diluvium fœcunditas. Poſteritas Shemi. Tribus filiis diſtribuit *Noe* terrarum orbem, Ortus *Shemo*, Meridies *Chamo*, *Iapheto* Occaſus cum Borea contigit. Filiorum *Shemi* primates fuere *Elam* cui Perſia, *Aſſur* cui Aſſyria orientalior, *Arphaxad* cujus nepoti *Hebero* duo filii *Pheleg* & *Iolktan*: *Phelegi* nepos *Abrahamus*, *Iolktanis* filii tredecim, quorum *Havila* occupâſſe putatur *Indiam* tam extra quàm intra *Gangem*, alter *Ophir* in oppoſitas *Moluccarum* & *Philippinarum* inſulas commigravit. Omnino miranda Coloniarum hujuſce temporis fœcunditas; nec excurrêre anni à Diluvio ducenti, cum tot hominum ubique exundarent examina, ut varii Reges, etiam vidente *Noa*, in hoſtem educere potuerint ſupra decies centena bellatorum millia: ſi credibilia quæ de *Nini*, de *Zoroaſtris*, Arabibuſque exercitibus permulti referunt auctores, etſi alii tantum numerum negent.

Chami. *Chami* filio primogenito *Cuſh* ſedes fuit Babylonia, Aſſyria ſcilicet occidentalior & Arabia tota: ſecundo *Mizraim* Ægyptus obvenit: tertio *Phut* Lybia reliquaque Africæ ora: quarto *Canaan* ea quæ poſteà Judæis fuit ſedes, *Canaanis* enim fuere filii *Iebuſæus*, *Sidon*, *Amoræus* & alii quos expulêre Judæi: *Peliſtæi* qui maritimam *Cananææ* oram incoluere, nepotes fuêre *Mizraim*.

Iapheti. *Iaphethi* varia fuit proles, filius *Magog* (ſaltem ejus poſteri) urbem ſui nominis condidit, olim *Hierapolis* nunc *Aleppo* dicta eſt, cujus Princeps in Scriptura *Gog* appellari ſolet. *Magog* hic cum fratribus *Meſhech* & *Tubal* in Septentrionem profectus non tantùm in Iberiam ſed & ultra pontum Euxinum in Tartariam & Moſcoviam, ſuam latè progeniem diffuderunt; frater quartus *Tiras* Thracum celebratur pater: quintus *Gomer* cum filiis *Aſhkenaz* & *Togarma* Coloniarum auctores putantur quæ tandem Germaniam, Galliam, Poloniam, Britanniam totas occupârunt. Sextus Javan *Ionum* certiſſimus ſator, ex quibus primùm Græci, poſt Itali duxerunt origines. Hiſpani ortum debent Africæ.

Nimrodi ad Babylonem imperium. Annis à Diluvio paulò minùs centum, creſcente ſupra fidem Divinæ benedictionis vi mortalium numero, emittebant ubique patres ad novas quærendum ſedes juniorum examina. Iſtarum celeberrima Coloniarum fuit, quæ duce *Nimrodo* nepote *Chami*, filio *Chuſi* in Meſopotamia conſedit. Non inde procul ubi *Tigris* cum *Euphrate* commiſcet undas. Hoc locorum incipit exteri contra (ſi quando iterum ingrueret) aquarum vim immenſæ altitudinis turris Babel ab eventu confuſionis ſic dicta, à *Ba* venit & *Bel*, quod à *Balal* confudit, vel à ſimplici *Balal* geminatâ primâ radicali. Deus enim cui ſuit proclive vel deſuper igni, vel ſubter terræ hiatu impiè audaces cohibere, diſturbavit eorum conatus abſque omni violentiâ; confudit linguas, quæ priùs fuit una, in 72. diſtribuit; tot nonnulli volunt maternas in orbe linguas: facili hoc fræno retracti, non modò ceſſare coguntur inſanis ſubſtructionibus oppugnare cœlum, verum etiam neceſſe habent initum fœdus diſſolvere, ſponteque ſemet, prout ſors & ejuſdem communio linguæ poſtularet, in varias terræ oras diſſipare. Quibus juxta cœptæ turris molem placuere ſedes, in eos arripuit *Nimrodus* imperium: volenteſne an invitos non conſtat, certum eſt tamen ſingulari Dei providentiâ. Vidit Dominus lenia Patrum in familias imperia, quæ ſola fuere ab initio mundi, magnam ſceleribus anſam præbuiſſe, voluit igitur durioribus loris, ſceleſtorum petulantiam frænare, ad priſcam patrum poteſtatem ſuper addendo nova Regum & Monarcharum Dominia.

Monarchiam *Chaldæorum* fundâſſe dicitur hic *Nimrodus*, anno Mundi milleſimo ſeptingenteſimo octogeſimo ſecundo, quæ duravit annos prope bis mille. Initio quidem, ut omnia, perpuſilla fuit, non enim legimus *Nimrodum* latiùs dominatum quàm paucis à ſe ad *Tigridis* & *Euphratis* ripas extructis urbibus: ſed filius *Belus* ulteriùs extendit imperii fines, nepos verò *Ninus* Monarcha tertius, omnia circum latè perdomuit. Fertur in Bactriam profectus cum exercitu quindecies centenorum millium, *Zoroaſtren Bactrianorum* Regem famoſum illum Magum debellâſſe: hic ipſi primum innotuiſſe fertur *Semiramis* quæ *Memnonem* maritum *Cœloſyria* Præfectum in militiam ſequuta Regem *Ninum Bactrianorum* metropolim obſidentem edocuit ſtratagema, quo tandem urbs, alioquin oppugnatu difficillima, in poteſtatem venit. Mulieris ingenio ſimul & formâ captus Imperator maritum eam ſibi tradere jubet, ni pareat, oculorum evulſionem minitatus: paret hic; ſed præ dolore præcipitem ſe dat in aquas.

Ninus in homines non injuſtior quàm impius in Deum, patris *Beli* proponit adorandam imaginem. Ante hunc non legimus certò quis intulerit bella, quis manifeſtum commiſerit adulterium: ſed primus hic Idololatriæ, bellorum, adulterii auctor, inventorum uxori jam *Semiramidi* mox dat pœnas. Hæc enim, ſi Græcis credimus, poſtulavit à marito ſummum *Ninus à Semiramide cæſus.*

quinque

quinque dierum imperium, quo concedente, die primo proceres ad ſolenne convivium invitat; ſecundo maritum mandat apprehendi & necari, reliquis ſibi firmat imperium, dum filius *Ninias* adoleſceret. His ita conſtitutis ad virilia ſtatim ſemet accingit. Jecerat Babylonis fundamenta *Nimrodus*, Ninives, & multarum aliarum urbium: amplificandam ſibi ſumpſerat *Ninus* in Tigridis ripâ Niniven, & Babylonem ſibi ad Euphraten *Semiramis*. Illius muros *Ninus* eò altitudinis & eò craſſitudinis adduxit quæ fidem ſuperarent, niſi ipſum ab uxore in Babylonis mœnibus legeremus ſuperatum. Neq; ſatis fuit magnanimæ viragini in uno viciſſe virum, voluit in omnibus; ſaltem in maximo, bellicæ virtutis laude. Debellatâ Arabiâ, Ægypto, Perſiâ, in Indias capeſſit iter, maximo (ſi credere fas eſt) qui fuit unquam aut qui futurus videtur, apparatu (ſi nnius *Xerxis* copias excipias) tricies centenis millibus peditum, centum millibus falcatorum curruum, armatorum Camelorum totidem. Incredibiles haſce copias perdidiſſe dicitur ad Indi ripas à *Stanrobate* devicta. Genere fuit *Philiſtæa*, *Aſcalone* ex furtivis nata nuptiis; propterea à matre expoſita, ab alitibus primùm, poſtea à paſtoribus educata, denique à Provinciæ Præfecto ſingularis formæ gratiâ accepta in uxorem.

In Indiâ hæc à Staurobate devicta.

Unà cum hac expirâſſe videtur Monarcharum Chaldæorum virtus: nam ſi duos excipias (utrumque *Belum* nomine) quotquot ſequuti ſunt in mulieres degenerâre. De eunctis nihil aliud legitur quàm quod in Gynæceis inter pellicum greges transegêre dies; donec tandem poſt plurimorum ſeculorum patientiam, inſurgentes contra ſemiviros Imperatores Provinciarum Præfecti *Arbaces* Mediæ, & Babylonis *Belochus* ſumpſerunt arma. Regnabat tum non homo, ſed porcus *Sardanapalus* à *Nimrodo* trigeſimus octavus. Fractus hic prælio in unum contrahit theſauros, pellices, & quicquid ſibi charum fuit, quæ omnia ſecum ardenti rogo ſuperinjicit, ne in victorum veniren̄t manus.

Sardanapali exitus.

Poſthac diviſum fuit Imperium, *Arbaces* cum poſteris Mediam arripuit, *Belochus* Babylonem & Niniven, cum nomine Imperii: hujus nepos *Salmanaſſar* decem tribus in æternam captivitatem abduxit. *Salmanaſſaris* filius fuit *Sennacherib*, cujus hiſtoria in Scripturis nota, dum parricidæ *Sennacherebi* filii de regno contendunt, conſurgit Babylonius *Merodach*, omnibuſque debellatis ſibi & ſuis corripit Imperium: hujus nepos *Nabuchodonozar* ille magnus (de quo plurima Scripturæ) filium habuit *Evilmerodach* veri Dei, ut videtur, cultorem, docente *Daniele*; ſed nepotem *Baltaſſarem* eouſque impium, ut in eo Monarchiam, quæ tam diu ſtetit, abrumpere ſe velle Deus humanâ de muro manu ſignificaverit.

Aſſyriaci & Chaldaici imperii finis.

Antequam deſcendamus in hiſtoriam *Perſarum*, operæ pretium fuerit obſervâſſe quæ fuerit aliarum conditio gentium, dum mundi fræna tenerent Aſſyrii. Quatuor tantum erant populi de quibus fas eſt dicere, Judæi, Græci, Ægyptii, Romani: alios ſcriptorum inopia & ſilentium involvêre tenebris, & oblivionis ſepelivêre tumulo. Res Judæorum quotidie legitis in ſacro Canone; Ægyptiaca quæ habemus certa, tam pauca ſunt, ut ſine præjudicio poſſint tranſiliri, animus ergo eſt in Græcis ſolùm & Romanis immorari.

Tot fabularum involucris antiquitates Græcorum obſitæ ſunt, ut pigeat nudæ veritatis amantem animum eas perluſtrare; neceſſe tamen eſt omni ſtudioſo, qui cum fructu vult legere ulla ſcripta humana, ſeu vetera ſeu nova, ſeu ſacra ſeu profana, iſtas fabulis involutas hiſtorias delibare; ex magno ergò acervo pauca quæ ſequuntur, prægustanda ſelegimus.

Hiſtoria antiqua profana & fabuloſa neceſſaria omni docto notitia.

Certum eſt in Peninſulâ olim Peloponneſo, nunc Morea apud Sicyonios & Argivos, quoque ante *Abrahamum* qualeſcunque floruiſſe Reges. *Moſe* juniores non fuere *Pelaſgus*, *Prometheus*, filiique *Deucalion* & *Atlas*. *Pelaſgus* Arcadiæ donatur Regno, quòd domunculas contra injurias cœli docuerit extruere, & glandes in eſu facilem farinam comminuere. Melioris inventi *Prometheus* pejora tulit præmia, finxit de luto viros, & fictos igni ſurrepto cœlitus animavit: Barbara tunc Græcorum pectora cœleſtis ſapientiæ præceptis imbuit, quare ab invido Jove catenâ adamantinâ *Caucaſo* alligatus à vulture depaſcitur ſemper renaſcens hepar, in altiſſimi montis cacumine, ſubtili & anxiâ cœli ſyderumque contemplatione charum corrodebat cor.

Prometheus, Phaeton, Atlas, & Cadmus.

Eidem ſtudio multam dedit operam *Atlas* in monte Africanorum celſiſſimo, in quo ſtare fingitur cœli, ne ruat, fulcrum. Frater *Deucalion* in Theſſaliâ, repentinâ inundatione cæteris abſorptis, ſecum uxore *Pyrrhâ* conſervat incolumem, Parnaſſi juga navigiolo conſequutus.

Quantum in Theſſaliâ malorum *Neptunus*, fere tantum in Italiæ & Africæ variis locis dedit *Apollo*, dum ſuos præter ſolitum radios candefacit: hujus æſtus auctoe celebratur *Phaëton*, in Italiâ Regulus: quòd ex Aſtrologiæ peritiâ, eummultò ante adventum prædixiſſet.

Eodem *Moyſis* ſeculo ex Ægypto *Cadmus* in Græciam ſecum adduxit literas. Thebaſque condidit: ante aliquot annos ex eâdem Ægypto venit in Atticam *Cecrops*, Athenas con-

condidit, *Iovemque* & *Minervam* pro Diis primus inſtituiſſe dicitur.

Tranſvolo, quæ congerunt mendaces Græculi, tota plauſtra nugarum de Diis, Deabus, & ſuis Heroibus: ne verò nimis quam faſtidioſi videamnr, pauca non gravabimur narrare de tribus, qnas maxime decantant Poëtæ, Græcorum expeditionibus, Argonauticâ, Thebanâ, & Trojanâ.

Expeditio Argonautica.

Argonauticæ hæc fertur occaſio. *Deucalionis* nepoti, in urbe Theſſaliæ *Iolco* regnanti, mnlta fuitproles; præcipni nominis fuere tres filii, *Athantas*, *Cretens*, *Salmonens*: *Athamantis* liberi defuncto patre ſibi metuentes à novercâ, confugiunt ultra *Poutum Euxinum* ad *Chalcidem* cum patris ſnrreptâ gazâ, quæ aurei velleris nomen aecepit; eò quod navis quâ vehebatur pro ſigno haberet atietem. Ad Creteum pervenit regnum, verùm eo ptæpoperè defuncto ſatis, & etjam *Æſone* ejus filio immaturius exemptò vivis, dum nepos *Iaſon* ob infantiam ineptus eſſet imperio, id occupat *Pelias Salmonei* tertii fratris ex ſputio nepos. Occnpatum ſemel imperium non ſtatuit dimittere, quanquam adulto *Iaſone* hætede legitimo: quod ut ſecuriùs fieret, quavis arte *Iaſonem* ſtatuit amoliri.

Pelias Iaſonis regnum occupat.

Inier ſacrificandnm interroganti Denm, unde ſibi plurimùm metuendum eſſet periculi, reſpondetur ab eo qui diſcalceatus veniret obviam: redeunti domum occurrit *Iaſon* altero pede nudo, utpote qniad avunculum vocantem feſtinabundus, calceorum alterum in alto pet viam luto defixum reliquiſſet. Hic ad nepotem *Pelias* oraculi memor, quid tu (inqnit) faceres viro, nnde tibi Deus moneret cavendum? Ablegarem (ait *Iaſon*) in *Colchidem*, ad aureum repetendum vellus: tu ergo (regeſſit *Pelias*) illuc itet capeſſe, avitos ut referas Theſauros. Placet magnanimo juveni conditioi longinquæ expeditionis fama, fortiſſimos quoſque per totam Græciam ſodales conciliat. Adſunt ſtatim *Caſtor* & *Pollux*, *Hercules* & *Theſeus*, *Telamon* & *Peleus*, *Zethes* & *Calais*, alata *Boreæ* ptoles, & alia magna heroum caterva. Extruitur navis *Argo* ab opifice ſic dicta, ad clavum ſedet *Tiphys*, in tranſtris *Orpheus* armatus lytâ, impellunt procerum ſinguli ſuâ mann remos.

Argonautus ſodales.

Hypſipyle Regina Lemno exulat.

In *Lemnon* primum perveniunt; communi hîc nuper mulieres decreto obtruncavetant quotquot in inſulâ viti reperitentur, ut ipſæ poſteà *Amazonum* vitam viverent. Earum Regina *Hypſipyle Iaſonem* hoſpitio ſimul & thalamo excepit: hæc mox exulare coacta. quòd comperta fuiſſet communi ſnbripuiſſe exitio *Thoanta* patrem. Digreſſi è *Lemno* dnm fortius btachia vibrat *Hercules*, confringit remum, exit igitut ad comparandum novnm cum amaſio *Hylá* in vicinam *Myſiæ* ſylvam: in quâ æſtu dici & itineris labore languens, ex propinquo fluvio aquæ hydriam ad potum *Hylam* jubet adferre. Paret is; verùm dum baurit, excidit hydria, qnam dum corripere conatur corruit in fluvium; hauritur undis raptus à *Nymphis*. Dnm in eo quætendo moratur *Hercules*, in itincre pergunt Argonautæ; verùm is litora omnia legens, & *Hyla* ſemper inclamans, incidit tandem in virginem multò ſpecioſiſſimam in litore *Phrygia* colligatam, nt immani ceto fieret merenda. Ea fuit *Heſione Laomedontis* Trojani Regis filia.

Hylam quærens Hercules incidit in Heſionem Laomedontis.

Huic olim extruxerant *Neptunus* & *Apollo* muros Iliacos mercede pactâ, quàm finito opere Diis pendere neglexit, ptopterеà urbem iſti peſte, vicinos agros inundationibus infeſtare, nec ante abſtinere manum, quam paciſcerentur *Trojans* ttaditutos ſe quotannis in ſolenne *Neptuno* ſacrificium, quamcunque ſors virginem depopoſciſſet. Primæ ſortes *Heſione* fuiſſent fatales, niſi ex machinâ inſperatâ tuliſſet opem *Hercules*. Hic eum balænâ congredi paratum ſe oſtentat, modò victoriæ præmium ſtatueret *Laomedon* ſimul cum filiâ immortales eqnos. Accipit conditionem Rex, in arenam deſcendit *Hercules*, necat balænam, condicta poſtulat præmia: ſed datam *Laomedon* fidem apertè fallit; cogere noluit inpræſentiarum *Hercules*, verùm aliquot poſt annos cum exetcitu ex Græciâ reverſus exſcindit *Trojam*, *Laomedontem* obtruncat, *Telamoni*, qui primus in Trojæ mntos inſiluit, *Heſionem* in uxorem dat: *Priamum* ducit captivnm, ſed poſtcà auro πριάμενον in patriam temittit.

Inteteà Argonautæ ad Boſphori Thracii ripas appulſi Regem *Phineum* conveniunt, conſuluntque de reliquo itinere; implorat hic contra perpetuas Harpyiatum injurias ſupplex heroas opem: excæcârat *Phineus* in nxotis poſterioris gratiam, libetos quos ex priori ſuſtulerat; in pœnam ſceletum *Iupiter* non modò ſenem orbavit ocnlis, ſed & Harpyias immiſit ulttices, quæ ſemper menſam ut primùm ſtratam, quà deturparent, quà deptædarentur. Advolant in ipſo heroum aſpectu rapaces virgines, quas *Boreæ* filii non ſatis habent abegiſſe gladiis, ſed etiam in aëre ſublimes perſequuti debellârunt, coëgeruntque dare fidem, nullam ſe poſthac *Phineo* creaturas moleſtiam.

Phineus ab Harpyiis liberatus.

Tnnc ſenex ut de ſe benè meritis gratificaretur, fideliter monet de ingenti *Symplegadum* periculo, docet paulùm abeſſe *Cyaneas* petras, inter quas tam anguſtâ fauce *Neptunus* interfluit, tam rapido gurgite volvitur mare, ut vix ullá arte, ulla vi ſit tranabile. Suadet eò venientes columbam ſibi præmittant, ea ſi tranſvolaret, ſequantur

Symplegades & Cyaneæ Petræ.

ipſi:

ipſi: ſin ventnrum viribus repellatur, retrocedant. Mnnenti ſe præbens mnrigerns, præmiſſa cnlumba permeat incolumis, amiſſis tanrum paucis de caudâ pennis: ſequuntur alacres Argonautæ toto artuum robnre iucumbentcs remis, relinqnunt poſt ſe Symplegadas abſque ullo alio incommodn quam parvn gubernaculi ad latera ſaxorum atrritu.

Medea artibus Iaſon aureo vellere potitur.

Multis demum laboribus defuncti, *Colchidem* aliqnando tandem conſequuntur, *Æetam* Regem adit *Iaſon*, adventus enarrat canſam, reſpondit *Æeta* ſine pulvere novnrumque laborum æſtu acquiri nnn pnſſe vellus: æripedes & ignivnmi ſnbjugandi boves, ſerpentum ſerendi dentes, præter hæc in *Mercurii* lucn quercui appendiiur vellus, immanis diu noctuque pervigil vipera cuſtos incubat; hæc ſi tibi cnrdi deſperata pericula, per me licet adeas, rapias, revehas dnmum, qund tantopere deſideras vellus aureum: *Iaſonem* non rerrent mnnſtra, maximè poſt *Medea* Regis filiæ monita. Hæc primò viſum *Iaſonem* inſanè deamans, affectum ſignificat, poſtulat nuptiarum fidem, prn dote pnllicetur ſecnrum ſuis artibus sd vellus iter, patulis haurinntur auribus *Medea* verba, Magico perfunditur oleo *Iaſon*, qun munitus cnnrra igneum taurorum afflatum, audacter perdomat boves, impouit jugnm, vomere vertit arva, cnnjicit in ſulcos *Cadmeos* dentes, conſurgit ſtatim ex ſemine armatnrum turba, hos pancorum jactu lapidum inter ſe cnmmittit, mutuiſque vulneribus confoſſos in terram videt recidere; pergir in lucum, viperaque vel carmine vel pharmaco cnnſopirâ, deſideratum quercui vellus detrahit, imponitque lætus in navim.

Diſcerpit fratrem Abſyrtum Medea, ut ab Æta patre effugeret Iaſon.

Noluit hic *Iupiter* finem eſſe malnrum. *Æetas* cnnſilium cepit bnſpites mactandi iuter ſacra menſæ, *Iaſonem* periculi facit certinrem *Medea*: nocturnam ſuadet fugam, ſe comitem nffert: vnlentem nolentem *Abſyrtum* fratrem ſecum abripit in Argo. Nulla mora, danrur vela, tenduntur remi, tranſvnlantur undæ. Ur primum hoſpitum filiæque fugam accepit *Æetas*, ſtatim clamat ad naves, quanto pntuit impetu perſequitur, tantumque non aſſequitur remnrum vi. Non hîc *Medea* deeſt, diſcerpir illicò fratrem, lacerati corporis frnſta hnc illuc per mare diſſipat, qnæ dum cnlligir attonirus parer, elabirur Argo.

Quomodo Argo navit ab Iſtro in mare tam Adriaticum quàm Ionium tranſvolaverit.

Nnndum ſatis beroès litatum putârunt glnriæ, ut rectà patriam peterent, *Iſtri* ſubeuntes nſtium aliquot milliarium centuriis adverſo vebuntur flumine, conſpiciuntur mnx in *Adriatico* mari, ſed viam ſignificet *Apollo*, certè nou ſufficiet *Mercurius* caduceus ad hoc præmonſtrandum iter. Cnnjiciunt (qui ſe pro *Delius* natatoribus venditant) ſublatâ in humerns *Argo* pedibus iter feciſſe, quà proximè *Danubius* mare ſuperum reſpicit: hoc eſt, ducenta minimum milliaria itineris impeditiſſimi, credat *Iudæus* apella. Neque dum tamen ſnlvitnr uodus, ex *Adriatico* iu *Tyrrhenum*, imo *Libycum* mare ducendi ſunr, nnn hoc potuerit *Tiphyos* ars. Sed quid agimus? Ipſa facilè volaverit *Argo* trans Italiæ (quà latiſſima) pectnra, cum poſthac parvo negntio in ipſum Olympum emicuerit.

Talaus Cretæ cuſtos exanimatur.

Utut hæc fuerinr, rranſeuntes *Cretam Minois* à *Talao* homine æncn inſulæ cnſtode lapidibus impetuntur: buic *Medea* nnn difficulter affert exitum, calcibus carminibus exempto nnicæ, quam tntn cnrpore ferebat, venæ repagulo, univerſus effluxit ſanguis, *Talauſque* concidir exanimis.

Ad Orphei lyram Syrenes ſilent.

Paulò ante *Siculum* prætervectns promontnrium ab exitin certiſſimo ſervavir *Orphei* lyra, ea enim *Syrenum* vncis cnnjnnctæ tibiis dulcedo fuit, quæ facilè atrraxiſſet vel invitiſſimos in ſcopulorum prærupta: niſi coguitn periculo, ſuſtuliſſet *Orpheus* lyram, ipſaſque *Sirenas* in admiratinnem ſui raptas compuliſſet conticeſcere.

Medea Peliam miſerâ morte mulctat.

Tandem aliquando reviſêre dilectam patriam Argonautæ, appellunt ad expetita multùm Theſſaliæ liriora. Verum enimverò pro feſtis victnriæ applauſibus nnncium accipiunt triſtiſſimum: tradidiſſe *Peliam* ferro totam abſeutis *Iaſonis* proſapiam, qnò ipſe ſuique ſecuriùs regnarent. Dici non pntuit qun dolnris æſtu, qnanto irarum furore correpti ſint Argonautæ bac famâ, ſed cnnquieſcere jubet *Medea*, abſtinere minas, paucinres eſſe ſe quàm ut apertâ vi in præſenriâ pœnas de *Peliâ* ſumaut: latitent ipſi ſuadet in portu tranquilli, ſe ſinant ſuis artibus virum aggredi, vindictam pollicetur quæ omnium ſarisfaciat animo. Perſuadet *Medea*, ipſa ſe ſtatim transfnrmat in anum, *Dianæ* fingit ſplendidum ſimulachrum, impnnir currui, agit in urbem, clamar adveniſſe Deam, amplectuntur cives, inprimis *Peliæ* dnmus, reverentur omnes *Medeam* divinam vatem: hæc ſe divino quod adduxit nnmine cuucta præſtare poſſe, etiam quæ naturam ſuperarent, apertè prnfitetur: credunt ante alins *Peliæ* filiæ, in earum enim oculis boc dederat experimentum artis: arietem minntatim diſſecuir, ferventi lebeti immiſit, eas adhibuit cæremonias, ea Pharmaca, quæ tandem dictum arietem transfnrmârunr in agnum. Hoc viſn non ultra dubitant virgines poſſe vatem ſeni ſun patri juventam reddere. Facillimum id ſuæ arti *Medea* ſimulat, velint ipſæ modò ſuis nbſequi imperiis; paratas ſe virgines nſtendunt qnæ cuncta exequantur, jubet ergò denudari miſerum ſenem,

ſæpiuſqne purâ ablui & vario perfundi oleo, tandem concîdi in minntias, exclamat miſerrimus ſenecio, Deûm hominumque teſtatur fidem contra naiarnm infandum facinus. Clamatur ſurdis, pergunt illæ alacres ſpe certâ videndi poſt aliqnot horas adoleſcentem patrem; obtruncant ergò ſuis manibus, diſſecanr artus, conjicinnt ın calidam, addit *Medea* Pharmacum, de effectu jubet eſſe ſecuras: cnrate (inquit) bullientem pattem donec à me in Regiæ faſtigio *Lunæ* fiat ſactificium. Condixerat hoc cnm *Iaſone Medea* ſignum, quam primum videret emicare flammam, adeſſet ſtarim cum ſuis, parata eſſe omnia. Adſunt ergo dicto citiùs in agris, in urbe, in Regiâ ſtrictis enſibus Argouautæ, nihil eorum virtutem valuit ſnſtinere, occupantur omnia, de *Peliâ* ſatis jam cocto nulli ultrà metus. Et ſic primam finimus fabulam, variâ quidem poſt hæc ſortunâ tum *Iaſonis*, tum *Medeæ*, tum *Argus*. Sed nos jamdudum piguit ineptiarum.

Expeditio Thebana. Oedipoda tradit Lajus pater necandum.

Expeditio *Thebana* ſic habet. *Lajus Thebanorum* Rex monetur oraculo periturum ſe aliquando filii manu; parturientem igitur uxorem diligenter obſervari curat, infantem ut primùm natum tradi jubet neci. Cui id negotii commiſſum pueruli miſertus, non ſtatim necat; ſed trajectis vimine talis ſuſpendit à pedibus in arbore ſylveſtri: tranſiens forte fortnna paſtor ſolvit appenſum, curat edncandum, & nomen indidit à tnmentibus ex vulnere talis *Oedipoda*.

Adultus regiâ prorſus indole puer, ad *Apollinem* inſtitui iter de vero ſciſcitaturus parente, in viâ præproperans à tergo quidam eques illidit ſui equi ungulam in antecedentis calces: irritatus injuriâ *Oedipus* inſurgit & equitem perimir: is, nt poſteà compertum, ipſiſſimus ſuit *Lajus Oedipodis* pater.

Lajum patrem necat Oedipus.

Intereà per omninm ora volitat *Thebanorum* edictum de regno urbis, & regiâ demortui viduâ, in præminm ſolventi *Sphingis* ænigma; accedir *Oedipus*, hominem eſſe docet illud animal quod mane quadrupes, bipes eſſet meridie, & nocte tripes. Quæſtione ſolutâ præcipitem ſe dat *Sphinx* in caput, ſalutant *Oedipoda* Thebani Regem & maritum *Iocaſtæ*. Ex eâ binos tollit mares *Eteoclem* & *Polynicem*: ſed poſteà comperit quam duxerat eſſe matrem; & quem occiderat fuiſſe patrem. Dolôre igitur prioris parricidii & inſequentis inceſtus, evellit oculos: difficulter ab *αὐτοφονίᾳ* continetur, filiis cedit regno, paciſcuntur illi annunm alterius regimen, verùm *Eteocles* primo defunctus anno, ſecnndas regnandi vices uegat ſe fratri *Polynici* traditurum.

Matrem Iocaſtam ducit in uxorem.

Eteocles non vult fratrem Polynicem ſecum regnare Thebis.

Confugit igitur *Polynices* ad *Adraſtum* regnantem *Argis*; ſerò venit ad Regiam, ne ſubitet intempeſtivè divertit ad poſticam caſam: eodem temporis articulo ſnpervenit *Tydeus*, qui ejuſdem *Adraſti* opibus in avitum *Calydoniæ* regnum reſtiiueretur, utrique caſula non ſufficit in hoſpitium, pugnatur de diverſorio, ad ſtrepitum armorum occurrit *Adraſtus*, in dimicantium clypeis notat hinc leonis illinc urſæ ſignum: venit in memoriam oraculi, quo olim ipſi prædictum, filiabus aliquando ſuis neceſſariò nubendum leoni & nrſæ; agnoſcit ſtatim generos, adducit in regiam, celebtat ſponſalia, amplam utriqne opem pollicetur, ſed *Polynici* primam locat operam. Conſcribit quàm poteſt numeroſum militem, inter alios ſocium advocat *Amphiaraum* vicinum vatem ſimul & Principem: is futuri præſcius exitii teſpuit iter; non ita dimittit virum *Adraſtus*, ſedulò agit cum uxore *Eurypyle*, gemmeam ipſi catenam donat, quâ ſemel acceptâ, urget ea dies noctesque maritum, nomen ut daret Thebanæ militiæ; ttadit ille demum victas manus; ſequitur *Adraſtum* ſed in dıſceſſu mandat filio, matrem ut perimetet, quæ ſuæ vitæ prætuliſſet catennlæ pretium, exequitur patris imperia parricida filius, ſed iu tanti vindictam ſceleris, dentes armat *Veſta*: dum ſtrenuè ſub mœnibns Thebanorum dimicat *Amphiaraus*, hiat terra, abſorbetnr cum curru ſimul & equis infelix vates.

Adraſtus Polyníci & Tydeo fert opem.

Amphiaraus terra hiatu abſorptus.

Exercitus in itinere convenit mulierem geſtantem ulnis inſantulum, ea fuit *Hypſipyle*, quam ob ſervatum patrem ejecerant inſulâ *Lemniaca*: hæc ex *Iaſonis* coutubernio gemellos ediderat, poſt exilium *Lycurgi* Nemeæ Regis filium alebat, quem in Argivi exercitns occurſu ſerebat ſinu. *Hypſipylen* interrogant duces, ecquem in vicino fontem vel fluvium cognoviſſet, demonſtrabo, inquit, in proximo ſcaturigines, quod ut fieret celeriùs deponit alumnum humi, vernm in reditu ex morſu ſerpentis reperit exanimem.

Hypſipyles alumnus infans vipera morſu perit.

Ad Thebas poſt aliquot cruenta prælia committitnr unanimi omnium ſenientiâ res tota ſingulari ſratrum certamini, concurrunt ergo ſerociſſimè *Eteocles* & *Polynices*, feſtinabat interim *Iocaſta* mater ad monomachiæ ſamam ut fratres dirimeret, ſed mntuo confoſſis vulnere ſerò ſupervenit, ante qnidem plena malorum, aſt hoc efferata ſpectaculo corripit ſerrum, & ſe tertiam mortuis comitem adjungit.

Eteocles & Polynices fratres, ſororque Antigone materque Iocaſta ſimul necati.

Non hæc tragœdiarum cataſtrophe, perſuadet Thebanis *Creon* inſeſtum urbi futurum numen, qnamdin in eâ ſupereſſent ullæ inceſtuoſi *Oedipodis* reliquiæ: jubetnt ergo publico decreto cum totâ familiâ exulare miſerandus *Oedipus*, vidcas hic cæcum ſenem expulſum patriâ, reptare in Atticam deducente filiâ *Antigone*. Vetat

inſu-

inſuper crudelis *Creon* à quoquam, qui nolit defodi vivus, cæſorum hoſtium ullum donari ſepulchro, nihilominus *Antigone* depoſito Athenis patre, noctu fratres imponit rogo, ardentium unà flammæ ſe diviſere, ut etiam inter mortuos antipathiam agnoſcas: non citiùs illuxit dies quàm infauſtorum cadavera fratrum deſiderantur, inquiritur in furti auctores, rea rapitur *Antigone*, ſpirans imponitur tumulo ad quem amator *Hemon* ſe jugulat, doloris impatiens.

Crudelis Creon Theſeo dat pœnas. Extra muros *Adraſtus* infauſtis præliis jam fractus, cùm ſuorum à *Creonte* corpora ad ſepulturam fruſtra diu poſtulâſſet, venit Athenas, ad *Theſei* genua ſupplex accumbit, audit *Theſeus* precantem, conſcribit in *Thebas* exercitum, urbem vi capit, *Creonti* meritam creat mortem.

Bellum Trojanum. Paris Veneri dat aureum Nemeſis malum. De Trojâ mille Poëtarum labore ſic narrant. Ad *Pelei* & *Thetidis* nuptias, vocata venit tota Deorum turba, una negligitur *Nemeſis*: dolet hæc ſolam ſe ſpretam, adeſt utut non vocata, ſecumque fert ex hortis *Heſperidum* radians auro malum, cujus inſcribit cortici *detur pulcherrimæ*; his exaratum literis, jacit in medium convivantium Deorum, arripit ſtatim *Iuno*, *Minerva* ſibi vendicat, ſuam eſſe clamat *Venus*, tacent cæteræ Dearum, cupiunt omnes ſententiam ferre *Iovem*, verùm is cadentum cauſâ prævidens invidiam declinat judicium, ſuadet accepteut in judicem *Parida*.

Priamides is fuit tum temporis in Idâ bubulcus, hunc dum utero ferret *Hecuba*, ſomniavit ardentem ſe facem geſtare: conſulti hatioli pronunciant, naſcituram prolem *Ilium* aliquando daturam flammis; natum ergo necari jubet *Priamus*, ſed mater *Hecuba* paſtoribus *Idæis* clam educandum tradidit: eâ adhuc adoleſcens fuit æquitatis famâ, ut vicini paſtores in ſuis contruverſiis ejus ſolerent ſtare ſententiæ. Sed en majoris abollæ cauſam; adſunt à *Iove Iuno*, *Minerva*, *Venus*: volunt de ſuâ ſpecie decernere *Paridem*; non pudet Deas apertâ largitione tentare judicem, pollicetur *Iuno* dare, modo ſibi favere velit, imperium *Aſiæ*, *Minerva* primas ſapientiæ, *Venus* fruitionem pulchritudinis, ultimum placet munus, ſecundum *Venerem* decernit libidinoſus adoleſcens, abit hæc in Cœlum triumphans, alteræ fremunt.

Helenam rapit Paris. *Paris* ſubinde frequentavit vicinam Trojam, ubi uſque adeo agonibus publicis ejus enituit virtus, ut facile regium patuerit genus. Agnitum *Hecuba* filium recipit in Regiam; ubi non diu moratus, ſociorum ſplendidâ manu, animi potiùs cauſâ quàm repetendæ *Heſiones*, perluſtrat Græciam: pervenit Spartam, *Menelaus* excipit hoſpitio; *Paridem* ſtatim deperit *Helena* & *Helenam Paris*, hoc *Veneris* promiſſum munus. Negotiorum cauſâ proficiſcitur in Cretam *Menelaus*, interea parat ſe *Helena* ad *Paridem*, quò duceret, ſequendum: feſtinant Trojani totis velis in Phrygiam. Auctor eſt *Euripides* ventis actos in Ægyptum, ubi ex ſervorum indicio parcit *Ægyptius* injuriæ *Paridis*; demittitur ille quidem incolumis, ſed retinetur *Helena*, maritu, ſi quando repeteret, reddenda. Nunquam ergò Trojam conſpexit *Tyndaris*, & de aſini umbrâ fuêre decennales Græcorum ærumnæ. Contraria tamen obtinuit *Homeri* ſententia, perveniſſe Trojam, nupſiſſe poſt *Paridem Deiphobo*, urbeque captâ à *Menelao* reductam domum. Utut hæc fuerint, conſtat non citiùs comperiſſe *Menelaum* abſentem uxorem, quam illicò totam Græciam advocaverit in opem.

Dicitur adulterorum Corphæus *Iupiter* in olorem converſus *Ledam* hactenus ex *Tyndaro* gravidam imprægnâſſe: in partu pro liberis eduntur gemina ova: ex altero *Iovi* naſcitur *Pollux* & *Helena*, ex altero *Caſtro* & *Clytemneſtra Tyndaro*. *Helena* pulchritudinis miraculum admodum juvencula rapitur à *Theſeo*; ſed à fratribus recuperata redit in patriam domum: ibi à mille petitur procis, cuncti nominis Græci proceres eam ambiunt: nullum deſperare jubet *Tyndarus*, unum ab omnibus flagitat, pauganut inter ſe fœdus, ſolenne præſtent jusjurandum, armis ſe communibus oppugnaturos quicunque virgini vim conaretur inferre: his actis liberum gnatæ permittit pater arbitrium eligendi, qui ſibi inprimis placeret, maritum. *Menelaus* is erat, ſolus ille potitur *Helenâ*, obſtricti tamen remaneut procerum cæteri ad conferendas opes, ſicunde vis ingrueret in *Helenam*. Ergò dum violat *Paris*, *Menelao* adſunt ex pacto præcipua Græcorum capita, *Agamemnon*, *Ajax*, *Diomedes*, *Neſtor*, *Proteſilaus*, *Palamedes*, & ingens aliorum procerum numerus. Cenſent omnes quod à *Paride Menelao*, id à Barbaris Græco factum nomini, communem injuriam communibus vindicandam armis. *Græciæ proceres ex fœdere Menelao ferunt opem,*

Ulyſſis amentia ſimulata à Palamede detegitur. Ab hoc patriæ communis patrocinio nullum patiuntur ſe ſubducere: *Ulyſſes* ut nova nupta *Penelope* frueretur, militiam fugere dementiæ prætextu deſideravit: adſunt à communi conſilio qui inviteut ad arma, inveniunt arantem littora & ſerentem in ſulcis ſalem. *Palamedes* id quod res erat ſuſpicatus, in aratri viâ collocat *Telemachum*, cavet *Ulyſſes* ſedulo ne filio noceat vomer; certum ſatis ſanæ mentis indicium: non amplior ſimulationi locus, volens nolens animo ducitur, trahitur in bellum. Convocatur *Aulidem* claſſis, eli-

gitur in Imperatorem *Agamemnon*, monent vates ne ante *Achillis* adventum dent vela, eſſe enim in fatis ſine *Pelidâ* capi non poſſe Trojam. *Pelidæ* mater *Thetis* inter *Lycomedis* filias, virgineo habitu natum abdiderat, præſcia non rediturum ex militia Trojana: verum *Ulyſſes* hac arte deprehendit latentem. Venalitii ſpecie Gynæceo infert crepundiorum muliebrium caniſtrum, gladiolis immixtis aliquot affabre factis: circumſtant empturæ virgines, unam notat maſculo prorſus ore, fœmineas temnentem merces unos gladiolos contrectare: de *Achille* certus, appellat, prenſat manum, eam adhibet facundiæ vim, ut ſtatim abjecto peplo cucurrerit Heros ad arma.

Ulyſſes Achillem ex gynæceo educit.

Multùm moratur *Aulide* claſſis adverſis ventis retenta, *Diana* cervam in venatu trajecerat *Agamemnon*; excandeſcit Dea, placari recuſat, ni ſibi in ſacrificium mactetur *Agamemnonis Iphigenia*, difficilem ſe meritò præbet pater; tandem exoratus mittit *Argos Ulyſſem*, qui virginem adducat nupturam quaſi *Pelidæ*: accedit lubens valdè cum matre virgo, ſed thalami loco raptatur ad aram jugulanda juvenca. *Calchas* dum enſem ſublevat ad fodiendum vittatæ pectus, ſubmittit in ipſo articulo *Diana* cervam, *Iphigeniam Tauros* uſque per aërem defert inviſibilem, ibique locorum ad hoſpites mactandos ſacerdotem retinet.

Iphigenia Agamemnonis ſacratur Dianæ.

Intereà Græcis favent venti, nondum tamen levare vela permittit *Calchas*: abeſſe docet ſagittas *Herculis*, abſque his fruſtra tentari Trojam. Hic quid agant anxii? unus *Philoctetes Herculis* ſepulchri gnarus & conſcius pharetræ, ne proderet ab *Hercule* moribundo jurejurando adactus, & in ſilentii præmium fatalibus donatus ſagittis fuit. Virum tamen *Ulyſſes* aggreditur, nullâ arte extorquet vocem, ſed tandem pervicit ut pedis pulſu tumuli ſubinnueret locum, quin etiam ut ſecum jaculis ſequeretur Trojam: ſed accidit ut ſagittarum una decideret in iſtum, quo pejeravit *Philoctetes*, pedem, & ex levi tactu peſtiferum adeo vulnus infligeret, ut fœtoris impatientes alii, virum in inſulâ *Lemno* poſt ſe relinquerent.

A Philoctete revelantur Herculis ſagittæ.

Ad *Sigeum* tandem ventum eſt littus, navibus mille, viris centies mille. Deſcendentibus in terram occurrit cum ſuis *Hector*, latam circum ſe Græcorum ſtragem facit; *Proteſilaum* deſilientium in littus anteſignanum obtruncat ſecundum fata. Horrendum adeò Grajis viſum eſt ſalvere primum, ut ſecundi non fuerint avidi congreſſûs; imprimis fatorum conſcii ante decimum annum capi non poſſe Trojam; ſatis igitur habent munire caſtra, omnia latè circumdare flammis, proſpicere annonæ.

Proteſilaus ab Hectore caſus.

Mittitur in Thraciam *Ulyſſes* gratiâ frumenti, nihil revehit in caſtra, negligentiæ damnat *Palamedes*: ipſe repetit Thracas & adfert annonæ copiam, hinc implacabili æſtuate invidiâ *Ulyſſes*, *Palamedi* mortem machinari, fingit à *Priamo* ad virum literas, accuſat proditionis, probat crimen ex auro quod ipſe curârat in *Palamedis* tentorio defodiendum: fruſtranea fuit omnis contra oculos apologia, lapidibus obruitur Reipubl. primarium columen *Palamedes*.

Palamedem Ulyſſes calumniis obruit.

Poſthæc à præliis abſtinet *Achilles* infenſus quâ noſtis cauſâ, donec commotus *Patrocli* cæde nova per matrem à *Vulcano* conſequitur arma: quibus indutus exit fremebundus, omnia latè ſternit, ipſum jugulat *Hectorem*, quanquam non adeò, ut videtur, magnificè quàm *Homerus* deprædicat. Pauci non eunt dies cum *Polyxenæ Priami* filiæ amore ſe ſentit *Achilles* inflammari: mittit ad *Priamum* qui poſtulent ſibi in uxorem gnatam, placere ſimulat affinitatem ſenex, conveniitur ad nuptiarum ſacrum in *Apollinis* fanum ſub mœnibus Trojæ, hîc ex inſidiis *Paris* per talos *Achillem* ſagittâ trajicit, cadit exanimis Heros: recens natum intinxerat Stygi *Thetis* toto corpore præter talos, quos manu baptizans tenebat: non aliâ ergo quàm talis parte ullâ vi penetrari potuit *Achilles*. Mortuum non reddunt Trojani, ante reſtitutum quod pro *Hectore* penſum eſt aurum.

Hectorem Achilles, Achillem Paris occidit.

Cùm Trojæ fatalis veniſſet annus, præclaram *Ulyſſes* viam ad belli finem ſtravit, tranſcenſis cum *Diomede* noctu mœnibus, de fano *Minervæ Palladium*, de *Scæâ* portâ *Laomedontis* cineres aſportat in caſtra, advenientem ex Thracia cum milite numeroſo *Rheſum* ex inſidiis opprimit, abducit equos, ne Xanthi guſtarent aquas, meritis hiſce nixus *Achillis* vendicat panopliam, & obtinet, furit neglectus *Ajax*, ſibique demens vitæ filum abrumpit.

Ulyſſes Achillis obtinet panopliam.

Nihil ad urbem capiendam ſupererat quàm ut adeſſet *Pyrrhus* ex *Æaci* ſemine, & cum *Herculeâ* pharetra *Philoctetes*, utrumque præſentem ſiſtit *Ulyſſes*, & ut operi coronam imponeret, ſuadet perſuadetque *Æneæ* & *Antenori* Trojanorum primatibus proditionem patriæ: ab eo fuêre *Sinonis* & equi fraudes.

A Troja non patiuntur *Achillis* manes redire Græcos, antequam *Pyrrhi* dextra quæ patrem *Priamum* orco dederat, eodem filiam *Polyxenam* demiſiſſet. Dum dare vela parat, ingens à *Pallade* tempeſtas incumbit, fulmine trajicitur *Ajax Oileus*, quòd *Caſſandræ* in ſuo ſacrario vim intuliſſet. *Diomedes* iratam ſenſit ob vulnus *Venerem*, tantaque audiit uxorem ſpurcitie pollutam, ut patriam ipſum puduerit reviſere,

Capta Trojâ plerique victores miſere perierunt.

reviſere, & in Apulia mori prælegerit exul. *Agamemnon* non priùs domum pedem intulit, quàm ab uxore *Clytemneſtrâ* & *Ægiſto* mœcho ſævæ datus eſt morti. *Pyrrhus Hermiones Menelai* deſponſans *Delphis*, ad *Apollinis* aram ab *Oreſte* mactatur. *Ulyſſes* poſt novam malorum Iliadem, & ſecundum irætumnis decennium, vix dum à laboribus domi reſpirans infauſtis *Telegoni* manibus (ſui ex *Circe* ſpurii) ſagittâ venenata tranſverberatur.

A Trojanis oriundi Romani & Veneti. Hujuſmodi ſunt quæ auctores habent de Græcis in æra Monarchiæ primæ. Infinita teſtant ſimilis farinæ alia, ſed in Græcanicis fabellis hactenus nimii, transeamus in Italiam ſpectaturi primordia Romæ.

Ea quondam Trojanæ gentis claritas vel ſuæ merito virtutis, vel poëtarum favore, ut ad ipſam poſterorum plerique populorum ſuum genus referre geſtiant. Verùm hæcce nobilitas ambientium compluribus non competit, ſine ſplendida falſi nota. Duo tantùm ſunt in Europa populi, qui certò demonſtrant Trojanum eſſe ſuum ſtemma. Veneti *Antenoris* proles, & Romani ſanguis *Æneæ*: iſti utut olim & nunc etiam celeberrimi, non tamen ex obſcura proletariatum gentium caligine ſuæ famæ caput extulerunt, priuſquam quarta Monarchia in ſenium vergeret: hi etiam ante natam ſecundam, multas ſibi in hiſtoria paginas meritiſſimè vendicant.

Æneida conſcribit *Maro* prorſus Poëticè, hoc eſt, ſumma fingendi audacia, quicquid *Iulia* domui poſſit eſſe decori. Certè ſi veram *Livius* hiſtoriam, & confictas *Virgilius* fabulas dedit: utcunque veriſimilia ſunt quæ ſequuntur.

Æneas Latinorum Rex. *Æneas*, cùm in cineres ruiſſet *Ilium*, variis terra marique fatis actus, venit tandem in Latium navibus comitatus ad quindecim: aſcendunt ſocii in terram, ponunt in littore tentoria, impetat inopia & fames agere de vicino prædas. Adſunt ſtatim incolæ *Aborigines* cum Rege *Latino*, advenarum injuriam ferro vindicaturi, inſtruunt contrà *Trojani* aciem, ſed antequam ad certamen cecinißent ſigna, *Latino* cum *Æneâ* colloquium depoſcente, de pace convenit. Jungitur amicitiæ fœdus, ſpondetur in uxorem *Lavinia*. Pacta fuit hæc olim *Turno* vicinorum Regulo primario, is non patitur ſalſæ ſibi fidei contumeliam: *Latinum* ſimul cum genere *Æneâ* parat opprimere, cadit quidem in pugna *Latinus*, ſed *Æneæ* victoriam in hoſtes, in ſocios regnum fortuna tribuit. Victus *Turnus* non abjicit arma, *Mezentium* cum *Hetruſcis* adſciſcit ſocios, iterumque jactat prælii aleam, diſcedunt ex acie victores *Latini* (in hoc tum nomine Trojanorum ſimul & *Aboriginum* voces abſorptæ ſunt) ſed *Æneas* occumbit morti, in *Iovem* transformatus indigetem.

Aſcanius Albam condit. *Aſcanius* filius ſeu *Creuſâ* ſeu *Laviniâ* natus, quod matri condiderat *Æneas Lavinium* relinquens, *Alba* jacit fundamenta quæ ſibi poſteriſque regia ſit ſedes. Quindecim hic regnarunt ex *Iuli* proſapia Principes, in quibus nil penè dignum obſervatu, donec ad *Numitorem* devenias. Fuit huic frater *Amulius*, ſi quis alius, ambitionis œſtro percitus: illi non ſatis erat depuliſſe fratrem throno, niſi inſuper maſculam prolem, quæ *Numitori* fuit unica, deturbâſſet in Orcum, *Rheamque* filiam in Veſtalium carceres detruſiſſet. Veſtalibus ab omni memoriâ virginitatis læſæ pœna ſancita fuit viva (ſic dixeris) mors: hoc reatu *Rhea* ſtatim obſtricta eſt, dum mox prægnans appareret, ſed quo crimen extenuaret ſtuprator em nominavit *Martem*: non tamen amicam eximere ſupplicio Deus valuit, nulla mora, corruptam virginem defodi vivam curat *Amulius*: *Romulum* & *Remum*, quos gemellos ediderat, in *Tyberis* vortices mandat abjici. *Rhea Numitoris Marti parit Romulum & Remum.* Latè tum ſtagnabat, ſic procurante numine, ſolitas extra ripas flumen: ad profunda non audet accedere, cui mergendorum infantum cura commiſſa eſt, ſat habet in proximâ abjeciſſe alluvie, dum in undis vagiunt infantes accedit prædatrix lupa, ſtatimque quaſi puderet crudelitatis humanæ, ſinc maleficio exugenda demittit in ora vagientium ubera, ſpectaculo ſupervenit regius paſtor *Fauſtulus*, & à fera doctus humanitatem in ſinum puerulos tollit, ductoſque domum nutriendos tradit conjugi. *Gemellos à lupâ fotos Fauſtulus educat.*

Adoleſcentes regiam confeſtim indolem ſpirant, cunctorum in vicinia paſtorum duces ſiunt; omnes circumcirca latrones mulctant; accidit tandem ut in quodam cum prædonibus conflictu caperetur *Remus*, captuſque *Numitori* avo ad capitale dederetur ſupplicium. Intereà *Fauſtulus*, quod diu preſſerat ſecretum *Romulo* aperit, ſuam fratriſque docet proſapiam, ſignificandam *Numitori* curat nepotum fortunam: dicto citius undique tenduntur *Amulio* inſidiæ. Adeſt ab agris paſtorum cum globo *Romulus*, accurrit aliâ per *Numitorem* cinctus catervâ *Remus*, irrumpunt in Regiam, obtruncant tyrannum & *Numitori* proprium reddunt thronum. *Fratres Amulium tyrannum necant.*

Ipſi majora cogitantes, novæ ſtructuram Civitatis moliuntur, pro ſede placet mons *Palatinus*, in quo adoleſcentiam inter pecora & vicinos paſtores tranſegêre. Dum in his ſunt, oboritur quæſtio, duorum uter condendæ urbi nomen daret, &

impe-

imperitaret conditæ: neutri præ altero ulla vel virtutis vel ætatis prærogativa, pares in omnibus, augurio rem committunt. Auſpicantibus occurrunt *Remo* priori ſex aquilæ, hic dum altâ voce deprædicat ſui auſpicia imperii, *Romulo* advolant duodecim, hinc ſe affirmat *Romulus* plus ſuperare numero quàm tempore ſuperari; negat *Remus*, à verbis itur ad verbera, in tumultu *Remus* cadit. Hoc caſu novæ civitatis imperium ſoli *Romulo* reſtitit, quam de ſuo nomine *Romam* dixit, fundamenta prima jaciens anno mundi ter milleſimo ducenteſimo quadrageſimo ſexto, Aprilis *Romulei* viceſimo primo, at Octobris *Iuliani* quarto, ſeſquiſecundâ pomeridianâ, ſecundum quoſdam.

Remum Romulus occidit. Conditur Roma.

Ut incolarum frequentiâ floreret *Roma*, hanc adhibet artem *Romulus*: in orbe mediâ aſylum aperit, quò quiſquis perfugeret eſſet ſacroſanctus, & ab omni ſecurus ſupplicio quotviſcunque ſceleribus coopertus. Adeſt ſtatim damnatorum, ſcurrarum, ſervorum ingens colluvies: datur omnibus à *Romulo* civitas, talibus repente civibus Roma fit frequens. Proſpexere Patres duraturam hancce non ultra unius ſpatium ætatis frequentiam, quæ ſolis propè viris conſtabat in magna mulierum inopiâ: mittuntur ergo ad vicinos qui petant Romanis connubia. Verùm indignantes cuncti reſpuunt affinitatem, nihil habere volunt commercii cum urbe impurâ, in quam omnium propè profligatorum ſentina confluxiſſet. Anxii aliquandiu Romani quo ſibi pacto proſpiciendum de poſteris, in tanto vicinorum faſtidio, hoc tandem occurrit animis commentum. *Neptuno* feſta ſpectacula quantâ poſſunt ſolennitate concelebrant, ſpectatum invitant cunctas circùm civitates; adſunt ex *Sabinis* inprimis complures integræ familiæ; in ipſo ſpectaculi ardore rapiendis virginibus ſignum Romanæ juventuti datur, quiſque quàm poteſt commodiſſimè ſponſam ſibi raptat domum.

Aſylum Romam implet ſceleratis.

Rapiuntur Sabinæ

Novum hoc contumeliæ genus infeſta multorum arma concitavit; cæteros Romana virtus facilè compeſcuit, cum *Sabinis* periculoſe decertatur: Romæ mœnibus hi appropinquant ingenti eum exercitu, offendunt extra muros *Tarpeiam* Capitolii Præſidis filiam, dum haurit ex fonte ſacro latices in aras Deorum; cum hac molitur *Sabinorum* Rex *Tatius* proditionem arcis, prodenti pactus aureas quas ipſi ſiniſtrâ ferebant armillas; accipit illa conditionem, venientibus tradit Capitolium: ſtant iſti quidem pactis; ſed ne fœdiſſimæ proditionis inventum impunitum abiret, cum annulis ſimul & ſcuta quæ in ſiniſtris unà portabant, injiciunt virgini, donec obruta ſcutorum pondere meritiſſimas perfidiæ pœnas luiſſet.

Tarpeia proditrix obruitur armillis ac clypeis.

Ex arce decurritur in urbem, anceps in plateis fit pugna, plurimus utrinque fluit cruor, neutrò inclinante diei fortunâ: intercedunt tandem paſſis crinibus, ſciſſâ veſte Bacchantium inſtar raptæ *Sabinæ*, per medios intrepidæ tount enſes, maritis ſimul & patribus exclamant, obteſtantur in ſe veliut arma convertere, ipſis apprimè placere mortem, vulnera: modò patribus parcerent conjuges & conjugibus patres. Efficaces adeò fuere preces ut cuncti primum cohiberent manus, mox deponerent arma, jungerent fœdus, ut Romam commigrarent *Sabini*, æquo cum priſcis civibus victuri jure, *Tatio* inſuper cum *Romulo* Regni facto compote.

Sabini ac Romani coëunt in unum.

Nuſquam fida fuit regni ſocietas, non diu eſt cùm Latini quererentur apud *Tatium*, à domeſticis ſuis ipſorum legatos contra gentium jus pulſatos injurioſè. Negligit querelas *Tatius*, propterea dum Lavinii ſacris dat operam à Latinis morti deditur.

Ceditur Tatius.

Tantillæ id facinus *Romulo* curæ fuit, ut aliquâ conſcientiæ criminis ſuſpicione tactus ſit. A morte *Tatii* ſolus iterum regnat *Romulus*, neque regnat modò, ſed in multis ſeveriùs ad modum tyranni dominatur: hinc factum ut à Patrum ſibi metuentium primoribus ſit diſcerptus. Ne verò invidioſa cædes in vulgus emanaret, ſpargitur fama circumventum tenebricoſo fulmine dum concionaretur ad Patres, nec poſteà viſum, utpote quem *Iupiter* in cœlum raptâſſet Heroa.

Etiam Romulus.

Romulo quæ ſuccederet in Regnum nulla fuit proles, e Patribus quiſque regnum affectabat, ſed alteri cedebat nemo. Omnes tandem tam è Senatu quàm populo conſentiunt in exterum. Is fuit *Numa Pompilius* curiis Sabinis ſapientiæ & virtutis gloriâ florens. *Numa* ut primum majeſtatis indutus inſignia, contrariam *Romulo* viam inſiſtit: ad pacis artes ſe totum convertit, neque ſine ſucceſſu; nam integris quadraginta, quibus imperitabat annis, occluſæ fuere *Iani* fores: hoc ipſi otium proclive fuit, tot enim cladibus & tanto terrore vicinos implevit *Romuli* ferocia, ut inde non magna reſtaret armorum ſuſpicio: majus in civibus fuit periculum, quorum animos continua ſub *Romulo* bella prorſus efferâſſent: his emolliendis unam videt *Numa* religionem ſufficere. Vacat ergò cultui Deorum, ſeque & ſubditos ſuperſtitionibus immergit. Digreditur quotidie palam in lucum, ubi ſecum congredi mentitur Nympham *Ægeriam*, & edocere ſigillatim quos quiſque Deorum in ſuis ſacris ritus amaret: hujus ex ore Nym-

Numa Pompilius pace & falſis religionibus immerſus.

phæ

phæ velut excepta deſcribit *Pompilius* penè omnia, quæ in ſacris ad *Conſtantini* dies uſurparunt Romani.

De *Numa* poſteris quàm de *Romuli* plura non legimus, ſuâ auctoritate plebs eligit in tertium Regem *Tullium Hoſtilium*. Revocavit ille virtutem *Romuli* propè jam extinctam & ſuffocatam religionibus *Numa*, nil aliud hic cogitat quàm uuum Martem.

Albani necatis ab Horatio tribus, fratribus Curiatiis Romanis ſe ſubmittunt.

Primam in *Albanos* expeditionem ducit, dum in procinctu utraque ſtat acies, unum præſtolans tubarum clangorem, prodit in medium *Metius Suffetius* Albanorum Dictator, poſtulat cum *Tullo* colloquium, parcendum monet civium ſanguini, poſſe paucorum dextris utriuſque gentis ſortunam committi, eſſe in Romanorum caſtris tergeminos ſratres *Horatios*, in Albanorum *Curiatios* totidem, deſcendant hi in arenam, pugnent pro patriis; *Curatii* ſi cadant, Romæ ſervitutam *Albam*, ſin *Horatii* dent manus, *Alba* Romam. Laudant cûncti conſilium, conſident hinc atque illinc inermes acies, procedunt ſratres de perpetuâ concivium fortunâ bellaturi: volant tela, concrepant enſes, *Horatiorum* duo labuntur exanimes, Romanis hic cadit animus in imos pedes. Sed ecce ludentis fortunæ converſam rotam; *Horatiorum* qui ſupererat tertius, integrum ſe ſentiens non deſperat *Curiatios* licet tres debellare ſe poſſe, quandoquidem in omnibus videret vulnera: ſed ne cum cunctis ſimul haberet rem, eos diſtrahit hoc aſtu; ſimulat ipſe ſugam, perſequuntur iſti, ſed alius alio velociùs; cùm inter ternos intervalli quantum optaret animadvertiſſet, convertit ſubitò pedem, irruit in proximum anhelum curſu ſimul & vulnere, dictò citiùs obtruncat, in ſecundum mox involat & facilè dat morti: in tertio geminatâ ſratrum cæde hactenus exanimi, minimum erat negotii. Hìc ad ſydera Romani clamores attollunt, obmuteſcunt elingues Albani, jugo ſubmittunt triſtes colla.

Horatius damnatus ſororicidii abſolvitur à populo.

Sed habete miſerandam Tragœdiæ cataſtrophen. Redit Romam *Horatius* inter legionum anteſignanos ovans; occurrit extra portas gratulabunda ſoror, victorem complectitur, at inter ſpolia notans veſtem (quam ſua pinxerat acus *Curiatiorum* uni cui in conjugem deſponſata fuit) derepente clamoribus & luctu cuncta complet, excandeſcit *Horatius* ad intempeſtivum quàm maximè ſororis planctum, nec ante ceſſat ab irâ quàm in miſeræ pectus ferrum condidiſſet. Manifeſti reus ſceleris trahitur ad tribunal, poſtulant jura necari ſororicidam; negat populus liberatori patriæ moriendum, tandem damnationis ſententiam ferunt rerum capitalium duumviri: ſed ad populum (in quo ſumma tunc majeſtas) provocans abſolvitur.

Tullus Hoſtilius Metium cum Albanis & Vejentibus ſubjugat.

Intereà *Albani* ſubjectos ſe Romanis ſine ſanguine indignantes, omnem movent lapidem quo cervices eximerent jugo: *Vejentes* clam ſolicitant, prodituros ſe Romanos in ipſo prælii momento dant fidem: hac ſpe *Vejentes* ad urbem hoſtiliter capeſſunt iter, occurrunt Romani, adſunt advocati in opem etiam *Albani*: ſigna canunt, ægtè *Vejentes* ſuſtinent Romanum robur, ſed ecce qui Regi in aurem muſſiter ad hoſtem *Albanos* transfugere. Nuncio perterritus Rex, diſſimulat tamen metum, altaque voce ſuis inclamat, ut etiam audirent hoſtes, nil niſi imperatum *Albanos* facere, mandâſſe ſe circumvenirent & invaderent hoſtium terga: credunt *Vejentes*, ſtatimque ſentientes à ſronte victores Romanos, & à tergo inſtituros *Albanos*, corripiunt ſugam, funduntur penitus. Redeunt *Albani* in caſtra Romana, diſſimulant transfugiendi conſilium, nec antè accuſant Romani quàm inermes ſerratis legionibus circumſepſiſſent. Tum mandat *Hoſtilius* comprehendi Dictatorem *Metium*, & illigatum contrariis curribus in diverſa raptari, populum Albanum commigrare jubet Romam, & *Albam*, præter una Deorum templa, in cineres & fumum redigi.

Corinthius Lucumo fit Lucius Tarquinius, Romæ poſt Ancum Martium Rex.

Poſt *Tullum* regnare jubet populus *Ancum Martium* ex filiâ *Numæ* nepotem. Circum hæc tempora Corintho migravit Tarquinios Hetruriæ oppidum *Demaratus* patriarum pertæſus ſeditionum: bujus filius *Lucumo* florens opibus adoleſcens in conjugem ſumpſit *Tanaquillam* nobilitatis maximæ, nec animi minoris fœminam: conſpicata hæc non ſatis ſe pro dignitate haberi in patriâ, marito perſuadet tranſeundum Romam, in quâ virtuti & opibus ſummi paterent honores. Subeuntibus unà in carpento Romanas portas ſupervolans aquila, *Lucumoni* de capite pileum abripit, abreptum pauliſper roſtro ferens reponit placidiſſimè. Extemplò complexa *Tanaquilla* virum, ex Hetruſcâ augurorum peritiâ denunciat, Romanum *Lucumoni* regnum portendi. Hac ſpe conducit ædes, *Lucium Tarquinium* ſe dicit. Eâ in populum liberalitate fuit, ea erga Regem adhibet officia, ut non alium moribundus *Ancus* liberis adhuc impuberibus Teſtamento tutorem reliquerit. Non tamen hoc gradu ſtare vult *Tarquinius*, pergit in Comitium, liberorum *Anci* pro ætate ad regnum ineptitudinem ponit ob oculos, ſuas virtutes, & opes explicat, nec antè deſinit perorare, quàm omnium calculo quintus diceretur Romæ Rex.

Augur cotem novaculâ diſſecat.

In bello *Sabino* veteres augere cupiit equitum centurias, negat *Augur* id futurum auſpicatò: commotus Rex unicè deſidera-

bat aruſpicinæ vanitatis inurere uotam: dic (inquit) ex arte (mi Aruſpex) an quod cogito ſit ſactu poſſibile? Poſt auſpicia reſpoudit *Augur*, fieri poſſe quod cogitaret. Atqui meditabar ego (Rex iuſit) novaculâ te diſſecare cotem: alacer aruſpèx tentat ſactum, cotemque diſſecat novaculâ (efficaciâ Dæmouis ne dubita) maximo ſpectantium ſtupore.

Servius Tullius poſt Tarquinium regnat.

Vivebat iu *Tarquinii* familiâ neglectus puer, matre ſervâ ſaltem captivâ natus, *Servio Tullio* nomen ſuit: hujus dormieutis circumfulſit capiti cœleſtis iguis; extinguendæ flammæ lymphas arripiunt domeſtici, ſed prohibet accurrens *Tanaquilla*: arſit ignis ſine noxâ iu puerili cæſarie, donec ſponte ſomno ſolveretur. Auguriorum callentiſſima *Tanaquilla* maritum docet ampliſſimam aliquando ſuturam iſtius pueruli fortunam; quod & ſactum: tanta enim in adoleſcente emicuit virtus, ut à *Tarquinio* deligeretur in generum ad ſpem ſuturi regni.

Indignantur *Anci* prioris Regis liberi ſe neglectos, quare *Tarquinio* ſimul & *Servio* machinantur mortem: ſubmittunt in regiam ad ſacinus ex paſtoribus robuſtiſſimis duos; hi in palatii ſoribus ex compoſito poſt rixam deveuiunt ad mauus, fit tumultus, advocat uterque regem arbitrum, alter cauſam occœpit dicere, alter in caput Regis (dum In dicente tòtus eſt) ſecurim altè demergit, fit clamor periſſe Regem, adeſt ſtatim *Tanaquilla*, regiam mandat occludi, in thalamum raptat *Tarquinium* velut adhuc ſpirantem: populum ad regiam confluentem benè ſperare jubet de Regis vitâ, intereà dicto eſſe audientes *Servio Tullio*. Exit hîc ſtatim regiâ trabeâ indutus, de percuſſoribus ſumit ſupplicium; metu exulatnm eunt *Anci* liberi, nec antè *Tarquinii* mors liquidò innoteſcit, quàm *Servius* ſederet firmus in throno.

Tullia ſororem, virum patremque necat, ut ſuus adulter Tarquinius regnaret.

Cavere voluit *Tullius*, ne quam *Anci* proles *Tarquinio*, eandem ſibi perniciem aliquando afferrent *Tarquinii*: ſed inſelix sttraxit fata quo putavit avertere medio. Quas hsbuit binas filias *Lucio* & *Arunti Tarquiniis* nuptum dat. *Aruns* miti vir iugenio privatâ degebat fortunâ contentus, ſed *Lucius* paterno ſceptro totus inhiabat. Quæ *Arunti* obvenit *Tullia* ingeuio ſuit ſuperbo & procaci quàm maximè, quæ *Lucio* contrà, ſi qua alia, modeſtiſſimo: ſimilitudo morum ſtatim contrahit *Aruntis Tulliam* & *Lucium*. Ut ergo novis nuptiis vacaret locus, *Tullia* ſororem ſimul & virum clam tollit, jam vidua, in *Lucii* etiam vidui tranſit ædes, *Luciumque* conjugem ſatis per ſe ferocem perpetuis ſtimulis impellit in patrem, quem tandem *Lucius* dejicit ſolio, ejicit vitâ, mortuumque computreſcere mandat in plateis ſine tumulo. *Tullia* aliquaudo domum euntì in carpento oſtenditur abjectus in cœno pater, hîc mulierum ſceleratiſſima verè quarta furiarum, per corpus patris carpentum vult agi.

Lucius Tarquinius ſeptimus & ultimus Romæ regnans Superbi nomine proſcriptionibus & cæde cuncta implevit, armatum ſatellitium primus in ſui tutelam adſcivit, dum in ædibus cogitabundus ſędet, ingens de pariete deſiluit anguis; diffugiunt cæteri metu, Regem terret ſolum augurium; quid ſibi ſuæque ſamiliæ ea res portenderet, anxius *Delphos* ſciſcitatum miſit filios msjores duos: unà cum his viæ potiùs levamen, & ludibrium quàm comes proficiſcitur *Iunius*, *Tarquinio* ex ſorore nepos, cui *Bruto* cognomen, quòd tyranni metu peeuinam ſimularet inſaniam.

Iunii Bruti ſub ſtoliditatis zelo prudentia.

Iunius ſub amentiæ pallio acerrimum occultans ingenium, *Apollini* dono dat baculum corneum ſed cavatum, auro plenum. Juvenes præter alia ſeiſcitsntur Deum, ipſorum uter poſt patrem eſſet imperaturus: reſpondit *Apollo*, qui primus matri fixiſſet oſculum, properant adoleſcentes domum, ſed *Brutus* quaſi caſu prolapſus terram communem omnium matrem clam deoſculatur.

Collatini Lucretiam violat Sextus Tarquinius.

Poſt hæc *Tarquinius* in Hetruſcos arma movens obſedit *Ardeam*, in caſtris regii Juvenes hilares poſt pocula deveniunt in uxorum ſermonem; ſuam quiſque maximè laudat, ſed præ aliis magnifica loquebatur de *Lucretiâ Collatinus*. Viſum eſt eâdem nocte iu equis excurrere Romam, ut præſentes quæ iu uxoribus laudabantur, oculis perluſtrarent: ſingulorum percurruutur domus, perveuitur etiam Collatiam millibus aliquot paſſuum extra Romam, hic ſerâ nocte cum ancillis lanam tractans deprehenſa *Lucretia*, iu eam omnes ſœminearum laudum prærogativam conferunt; victoriâ lætus *Collatinus* hilariter eâ nocte domi ſuæ ſodales detinuit, ſed ſuo magno diſpendio, nam hoſpitum unus *Sextus Tarquinius* ex Regiis filiis tertius iu *Lucretiam* libidine accenditur. Repetuntur ab omnibus craſtino die caſtra, ſed non diu eſt cum *Tarquinius* clam omuibus, uno ſolùm comite adeſt ad *Collatini* domum, excipit humanè *Lucretia*, nildum ſuſpicata ſceleris: ſed ecce intempeſtâ uocte, omni ſopitâ familiâ, dormieuti *Lucretiæ* ſtricto cum enſe *Tarquinius* ſuperſtat, præſentem recuſanti mortem iutentat, mortuæ etiam ſuperinjectnrum ſe minitatnr confoſſum ſervulum, ut in ignobili adulterio necata videretnr. Quid agas? obſtinatam in infirmo corpore pudiciriam vincit robnſta libido: violata *Lucretia* ad patrem Romæ virumqne in caſtris mittit nuncium, qui jubeat adeſſe ſine omni morâ; confeſtim adſunt & unà *Iunius Brutus*, rem, ut

erat,

erat, *Lucretia* narrat, vindictam curent multis cum lachrymis obteſtatur: quid vis amplius? in omnium oculis cultro, quem in eum uſum clam inferebat in ſinu, ſuum trajicit cor. Vir & pater ad lamenta vertuntur; verùm *Iunius* idoneum id aperiendi ingenii tempus ratus, cruentum es vulnere cultrum extrahit, & inſit, per caſtum hunc ſanguinem juro conaturum me quantâ poſſum vi, ad injuriam vindicandam toti regiæ ſtirpi perniciem afferre; nil minora verbis fuere facta. In forum Collatiæ *Lucretiæ* corpus effert, indignitate facti corripiunt cives arma, duce *Iunio Bruto* Romam advolant, advocatur in concionem populus, eâ cum efficaciâ declamat *Brutus* in *Tarquiniorum* facinora quà vetera quà nova, ut irrevocabili decreto non modo tota *Tarquiniorum* gens in perpetuum mitteretur exilium, ſed etiam Regia in omne ævum auctoritas Româ proſcriberetur. In annum inſuper ſequentem *Brutus* & *Collatinus* creantur Conſules. Ita Regnum, cùm annos ducentos quadraginta quinque ſtetiſſet, in Democratiam ivit. Harum rerum fama cum ad Regem in caſtris perveniſſet, primo quoque tempore contendit Romam, ſed in os venientis objiciuntur portæ. Eâdem celeritate, diſpari verò ſucceſſu transcurrit *Brutus* in caſtra, accipiunt ambabus ulnis obvii milites, quantamque poſſunt operam in *Tarquinium* pollicentur; intereà *Tarquinius* pater filiique majores ad hoſtes Romanorum transfugerunt; verùm adulter *Sextus* in *Sabinos*, ubi mox à veteribus inimicis obtruncatur.

Reges ejiciuntur Româ.

Pertinet quidem *Superbi* Regnum ad Monarchiam ſecundam, ſed incommodum viſum eſt Regum dividere hiſtoriam.

CAPUT VIII.

Ad Epocham præcedentem quæſtiones & dubia.

QUÆSTIO I.

De ſummâ Epochæ totali.

QUæritur 1. Quot annis ſteterit primum templum, ſeu quot annis conſtet hæc Epocha quinta jam præ manibus? Reſp. Secundum quoſdam Chronologos annis quadringentis viginti quatuor, ſecundum alios, quadringentis triginta: ſed ſecundum *Scaligerum*, *Calviſium* & *Henricum Philippi*, quos nos maximè ſequimur, quadringentis viginti ſeptem.

Demonſtratio terminorum Epochæ.

QUÆSTIO II.

Quomodo annorum hujus Epochæ ſumma probetur?

QUæritur 2. Qui ex Sacrâ Scripturâ calculus hic evidenter demonſtretur? Reſp. Vel numeratione magis ſummariâ, vel numero minutatim deducto per vitas ſingulorum Regum Judæ & Iſraëlis, quorum anni diſertè in Sacris literis memorantur. Priorem ſic inſtituimus. Ezek. 4. v. 50. *Dedi tibi annos iniquitatis eorum, numero dierum, trecentos & nonaginta dies; diem, inquam, pro anno dedi tibi.* Typus hic fuit annorum, quibus Idololatriam populi Iſraëlitiei Domini patientia toleravit. Incipiunt illi anno primo *Rheboboami* quo *Ieroboam* vitulos illos *Dane* & *Bethele* erexit, & deſinunt in templi excidio: his trecentis nonaginta annis adde triginta ſeptem, quibus *Solomon* regnavit poſt fundatum templum, habebis numerum quæſitum annos quadringentos viginti ſeptem.

Poſteriorem calculationem ſic inſtituimus. Regnavit *Solomon* annis 40. fundavit templum Regni anno quarto fluente, ex *Solomonis* Regno tribuimus templo annos triginta ſeptem, & reliquos omnes poſterioribus Regibus Judæ: in quibus *Rheboboamo* aſcribuntur ſeptemdecim 1 Reg. 14 v. 21. *Abiæ* tres ibidem 15. v. 2. *Aſa* quadraginta unus ibid. 9. *Ioſophato* viginti quinque ibidem 22. verſ. 42. *Joramo* octo 2 Reg. 8. v. 17. *Achaziæ* unus jbidem 26. *Athaliæ* ſex ibidem 11. v. 4. *Ioæ* quadraginta 12. v. 1. *Amaſiæ* viginti novem 14. v. 1. *Uzziæ* quadraginta duo 15. v. 2. *Iothamo* ſedecim ibidem 13. *Achazo* ſedecim 16. v. 2. *Hezekiæ* viginti novem 18. v. 2. *Manaſſi* quinquaginta quinque 21. v. 1. *Amoni* duo ibidem 19. *Ioſiæ* triginta unus 22. v. 1. *Ioachazo* tres menſes 23. v. 31. *Ioakimo* undecim anni ibidem 36. *Ieconiæ* tres menſes 2 Paral. 36. verſ. 9. *Zedekiæ* undecim anni 2 Reg. 24. v. 18. Hos numeros ſi additione conjungas, ſummam invenies quadringentorum triginta annorum & ſex menſium. Quod ad ſex menſes in rotundatione numeri abjiciuntur, tres etiam ſupra prædictam ſummam anni facilè complanantur, jungendo plures incompletos in pauciores completos, ut mox videbimus.

QUÆSTIO III.

Quomodo Solomon *& puer & pater?*

TErtiò quæras, quomodo *Rheboboam* regnare cœperit anno ætatis quadrageſimo primo 1 Reg. 14. v. 21. Cum *Solomon* initio Regni ſui dicatur puer parvulus 1 Reg. 3. v. 7. *Rheboboamum* tum oportuit fuiſſe bimulum, quomodò verò *Solomon* puer parvulus potuit tam maturè fieri duorum annorum pater? Reſp. Cave putes cum *Rabbinis* genuiſſe *Solomonem* in decimo vel duodecimo anno, nam *Solomon* ante mor-

tem patris videtur habuiſſe annos minimùm viginti. quod de ejus pueritiâ habetur ſui regni initio, id non de ætate ſed de experientiâ in regendo, de ignorantiâ egrediendi & ingrediendi, ut ipſe contextus ſe explicat; accipiendum eſt.

QUÆSTIO IV.

Quomodo Baaſha *& tertio & quinto* Aſæ *regnare cœperit?*

QUæras quartò, Quî concilietur verſus 33. capitis decimi quinti prioris Regum, cum uono ejuſdem capitis, priori enim loco regnare cœpiſſe dicitur *Baaſha* tertio *Aſa*, & poſteriori regnare cœpiſſe dicitur *Aſa* viceſimo *Ieroboami*, jam verò *Ieroboamus* regnavit annis 22. & filius *Nadab* duobus, poſt quem regnare cœpit *Baaſha* anno ſcilicet quinto à viceſimo *Ieroboami*, adeoque *Aſa* non tertio ſed quinto? Reſp. Ut in Chriſti reſurrectione dies ſumuntur Synecdochicè, partes pro totis, incompleti pro completis; nam Dominus uno tantùm die Sabbathi completi quievit in ſepulchro, in veſperâ proſabbati ſepultus, & multo mane prima ſeptimanæ poſt Sabbatum reſurgens; ita hic *Ieroboami* ultimus incompletè ſumptus pro aliquot menſibus anni ſui viceſimi ſecundi, coincidit cum *Nadabi* primo, & ſecundus *Nadabi* eodem modo ſumptus pro aliquot menſibus iſtius anni, coincidet cum primo *Baaſha*; hoc calculo de primis annis viginti quinque Regum Iſraëlis demuntur duo, ita ut primus annus Chronologicus *Baaſha* reſpondeat tertio Chronologico ſolido & completo *Aſa*; licet is quintus *Aſa* in communi annorum incompletorum calculo dici poſſit.

QUÆSTIO V.

An Aſæ *mater fuerit* Abſolomi *filia?*

Maacha Aſa mater, filia fuit non Abſolomi Davidis ſed Abiſhalomi Vrielis Gibeonita.

QUintò quæras quî *Maacha Abſolomi* filia eſſe potuerit *Aſa* mater, cùm à morte *Abſolomi* ad ortum *Aſa* ſupra ſexaginta annos videantur effluxiſſe? Reſp. *Maacha* hæc non fuit filia *Abſolomi* filii *Davidis*, ſed *Abiſhalomi* de *Gibea*: verum eſt analogiam Linguæ Hebrææ admittere *Abſolom* & *Abiſhalem* pro uno & eodem nomine; frequenter enim in Propriis Jod additur Euphoniæ tantùm cauſâ, & licet pro affixo primæ perſonæ ſtaret, nihil aliud adderet ſignificato, quàm meram inhærentiam attributi in ſubjecto, poſſeſſionem ſcilicet pacis à patre ſuo, ſeu applicationem pacis ad patrem ſuum; imò verò 2 Chron. 11. verſ. 20. *Abiſhalom Maacha* pater disertè *Abſalom* vocatur, attamen *Abſalom* ille non fuit *Davidis*; præterquam enim quòd longinquitas temporis vix admittit eum qui diu ante *Solomonem* natum mortuus eſt, *Aſa Solomonis* nepotis avum fuiſſe, iſti *Abſolomo* una tantùm filia fuit *Tamar*, quæ 2 Sam. 14. verſ. 28. vivo patre ante natum *Solomonem*, florenti ætate & pulchritudine mulier erat, nec ad *Aſa* ortum ordinariâ naturæ lege in puerperiis perdurare potuit. Quin etiam ut tres *Abſolomi* filii ita filia quoque ante patrem abſque ullâ poſteritate videntur occubuiſſe, eò quòd in liberorum vivorum defectu ad ſui memoriam propagandam lapideam ſtatuam in via Regiâ *Abſolom Davidis* erexerit 2 Sam. 18. v. 18. Adde *Maacham* hanc *Abiſhalomi* 2 Chron. 13. v. 2. vocari *Micajam Urielis* de *Gibea* duplici binomini, ipſa enim *Micajah* & pater *Uriel* dicitur, ſed *Uriel* de *Gibea* quæ ſuit *Benjamini*: urbs hæc nihil ad *Davidem* aut ejus filium *Abſolomum*, cui Bethleem civitas & Juda tribus erat.

Maaca cùm mater tum avia Aſa.

Si pergas hîc inquirere quî *Maacha* eſſe potuerit *Aſa* mater, cum 2 Chron. 13. v. 22. disertè dicitur *Abia Aſa* patris mater? Reſp. Majores in rectâ lineâ ſæpè dici patres & matres: ſic 2 Chron. 22. verſ. 2. *Athaliah Omri* filia perhibetur, licet *Achabi* filia & *Omri* tantùm neptis fuerit, & loco ante dicto 1 Reg. 15. ubi *Maaca Abia* mater dicitur, *David* ejus pater nuncupatur, quem tamen immediatè non genuit, ſed mediatione filii *Solomonis* & nepotis *Rhehoboami*, cui *Maaca* fuit uxorum dilectiſſima, & in cujus gratiam *Abiam* licet inter filios natu minores, Regno præfecit: quò minùs mirandum quòd hæc in nepotis *Aſa* minorennitate ad gubernacula Regni conſederit, donec inde ob Idololatriam ab adulto jam nepote depelleretur.

QUÆSTIO VI.

An Baaſha *decem annis poſt ſuam mortem invaſerit* Aſam?

Quomodo Baaſha mortuus 26. Aſa invaſit Iudæam 36. Aſa.

QUæras ſextò, Quî concilietur verſus 1. capitis 16. 2 Paralip. cum verſ. 8. cap. 16. 1 Reg. priori enim loco *Baaſha* invaſiſſe dicitur Judæam anno 63. regni *Aſa*; poſteriori mortuus dicitur *Baaſha* & regnare cœpiſſe ejus filius *Ela* 26. Regis *Aſa*, & quidem apertum eſt *Baaſham* regnare cœpiſſe anno *Aſa* tertio, nec ultra annos viginti quatuor in regno perſeverâſſe; adeò ut regnare & vivere deſierit regni *Aſa* viceſimo ſexto. Quî ergo potuit decem annis poſt ſuam mortem invadere Judæam regni *Aſa* 36. prout disertè habetur & loco ſuprà dicto & verſ. ult. cap. 15. 2 Paralip? Reſp. *Cajetani* hîc reſponſio eſt abſurda, & *Paludani* deſperata: ille enim vult textus

omnes

omnes in loco Paralipomenωn tam Latinos ac Græcos quàm Hebræos corruptos, legitque contra omnium fidem 26. pro 36. hic verò etiamſi ſtrenuò propugnet integritatem textuum, relinquit tamen nodum ut inſolubilem. Nihilominùs *Iunii* explicatio in annotatis ſuis ſatis eſt ſolida, & à Pontificiorum doctiſſimis approbata, nimirum locos Paralipomenωn loqui expreſsè de annis regni *Aſa* non Regis *Aſa*; Regno autem *Aſa* duo aſſignat principia, alterum ipſius Regis quando is cœpit regnare, alterum principium ejus ſtatûs & Monarchiæ cujus ille Rex fuit. Status autem & Monarchia illa duplex habebat iterum initium: alterum abſolutum, quando nimirum *Saul* regnare cœpit & *Democratia* Iſraëlis primò mutata eſt in regnum: alterum reſpectivum relatè ad Regnum *Iudæ*, quando diſtingui cœpit in ſeparatione decem tribuum anno *Rheboboami* primo. A reſpectivo & diſtinctivo principio Regni *Iudæ* & *Aſa* ad decimum ſextum *Aſa*, quando ei bellum movit *Baaſha*, fuerunt anni revera triginta quinque: nam inter eos terminos fluxerunt *Rheboboami* ſeptemdecim, *Abia* tres, & *Aſa* ſedecim, ita viginti quatuor annorum *Baaſha* primus reſpondet *Aſa* tertio, & *Baaſha* duodecimus quo oppugnare cœpit Iſraëlem, *Aſa* decimo quinto, qui à *Rheboboami* primo adeoque à diſtincto regno *Iudæ* fuit triceſimus ſextus: & viceſimus quartus *Baaſha* quo mortuus eſt, *Aſa* viceſimo ſexto reſpondet, qui à *Rheboboami* principio fuit quadrageſimus ſextus. Quod autem annorum ſacrorum calculum aliquando neceſſarium ſit deducere ab alio principio, quàm à primis Regis regnantis auſpiciis, patet ex 2 Reg. 15. v. 7. ubi rebellio *Abſolomi* facta dicitur anno 40. Hi anni nequeunt referri ad coronationem *Davidis*, nondum enim *David* 30. annos coronam geſtaverat, ergo vel ad auſpicia prima *Saulis*, vel ad *Davidis* in domo paternâ privatam unctionem, vel ad aliquem alium terminum neceſſario referendum.

Alii ſunt anni Regis Aſa, alii ejus regni.

Aliud eſt enim principium Regni Iudæ abſolutum aliud relativum & diſtinctivum à regno Iſraëlis.

QUÆSTIO VII.

Quomodo Omri *regnaverit annis octo & etiam duodecim?*

QUæras ſeptimò, Quî concordet verſus 23. decimi ſexti prioris Regum cum ejuſdem cap. 29. verſu? priori enim loco dicitur *Omrium* regnare cœpiſſe triceſimo primo Regis *Aſa* & regnâſſe annis duodecim, poſteriori verò dicitur *Omrius* mortuus & ejus filius *Achabus* adiiſſe regnum Iſraëlis anno triceſimo octavo *Aſa* Regis *Iudæ*, quo calculo *Omrius* annis non duodecim ſed tantum octo Regni gubernacula tenuit? Reſp. Nodi hujus ſolutionem facilem facit verſus 15. ejuſdem cap. ubi *Zimrius* anno viceſimo ſeptimo *Aſa* regnum inchoâſſe dicitur, & diebus tantùm ſeptem regnâſſe, adeoque eodem anno regnare cœpiſſe *Omrium*, duplex ergo *Omriani* regni principium ſtatuendum, unum anno *Aſa* viceſimo ſeptimo, quando mortuo *Zimrio* Iſraëlis ille thronum & mediam populi partem adeptus eſt: alterum anno *Aſa* triceſimo primo, quando mortuo æmulo *Tibnio* totum regnum Iſraëlis abſque ullo competitore in pace obtinuit. A priori termino ad annum *Aſa* triceſimum octavum includendo terminos, ſunt anni duodecim, à poſteriori tantùm octo.

Duplex Omrio regnandi principium.

QUÆSTIO VIII.

Quomodo Joramus *regnaverit annis quatuor & etiam octo, & quomodo regnare inceperit anno patris 17. & etiam 22. & poſt patris mortem?*

QUæras octavò, Quî conciliabitur caput 22. 1 Reg. verſu 42. cum cap. primo 2 Reg. v. 17. & cum ejuſdem capite 3. verſu primo & cap. 8. v. 16. & 17. primo enim loco regnat *Ioſophat* à quarto *Achabi* annis viginti quinque, ſecundo *Ieboram* filius *Achabi* regnare incipit ſecundo *Iorami* filii *Ioſophat*: tertio loco regnare incipit *Ieboram Achabi* decimo octavo *Ioſophati*, & quarto loco cùm adhuc viveret & regnaret Hieroſolymis *Ioſophat*, ejus filius *Ioram* regnare incipit anno quinto *Iebor ami* Iſraëlitæ. Ex his deducitur primum *Iebor ami* Iſraëlitæ coincidere cum *Ioſophati* decimo octavo, quod etiam apparet ex 1 Reg. 22. v. 51. ubi *Ahazias Achabi* natu major regnare incipit *Ioſophati* decimo ſeptimo, qui *Achabi* fuit viceſimus ſecundus, cujus ultimum fac incompletum, & calculo diluci do tributis *Achabo* viginti duobus, & *Ioſophato* viginti quinque annis, *Ioſophatus* incipiens quarto *Achabi*, *Achabus* finiet decimo ſeptimo *Ioſophati*, & *Achazias* qui poſt patrem regnavit annis duobus incipiens *Ioſophati* decimo ſeptimo decedet vitâ anno ſequenti, locum *Ieboramo* fratri in ſolio Iſraëlis relinquens, *Ioſophati* decimo octavo. Iſta placidè ſatis fluunt, ſed ſequentia ſunt magis turbida, *Iebor ami* Iſraëlitæ primus & *Ioſophati* decimus octavus eſt *Iorami* Judæi ſecundus, itaque regnare cœpit *Ioramus* Judæus anno *Ioſophati* patris decimo ſeptimo, ultimo ſcilicet *Achabi* & primo *Ahaziæ*, cum *Ioſophatus* relicto ſuo regno *Achabum* comitaretur *Ramotham Gileadi*, ubi lethale & ultimum *Achabo* vulnus inflictum eſt. Præterea ex iſtorum locorum collatione, apparet *Ioramum Ioſophati* regnare cœpiſſe non niſi quinto anno *Iebor ami*

Dubium perplexum.

Iſraëlitæ, adeoque patris ſui viceſimo ſecundo. Denique ex iis locis habetur *Ioſophatum* ultra quintum annum *Ieborami* Iſraëlitæ, adeoque primum *Iorami* filii ſui regnâſſe tres aut quatuor adhuc annos, mortuumque non ante octavum aut nonum *Ieborami* Iſraëlitæ, in cujus undecimo mortuus eſt *Ioramus Ioſophati*, & duodecimo ac ultimo occiſus eſt à *Iebu* tam *Ieboramus Achabi* quàm *Achazias Iorami*, in primo ſui regni Hieroſolymitani anno.

Jam verò qui potuit *Ioramus Ioſophati* tria habuiſſe regnandi principia, primum patris ſui decimo ſeptimo, ſecundum ejuſdem viceſimo ſecundo, & tertium poſt patris mortem finito ejus anno viceſimo quinto? Quomodo etiam regnâſſe toties dicitur annis octo, cùm à morte patris annos quatuor non compleverit? Reſp. Iſta omnia noſtri ſolvunt, bonâ cum doctiſſimorum apud Pontificios Chronologorum gratiâ, per unum Synarchiarum fundamentum. Ajunt, ut frequenter apud alias gentes ita non rarò apud Judæos, ſimul cum patribus regnâſſe filios, vel ut Proreges & Regni vicarios in patrum infirmitate aut abſentiâ extra regnum, vel ut veros Reges, cum ad ſtabiliendum in ſua familia Regnum, patribus ſe vivis filios in ſolii & coronæ ſocietatem admittere viſum eſt. Ita *Ioramo* tria regnandi initia conſtituunt, primum patris decimoſeptimo, cùm ad periculoſam illam unà cum *Achabo* contra *Syros* militiam *Ioſophat* extra ſuum Regnum procederet, neque tamen ab hoc principio octo anni *Iorami* ſolent numerari; nam etſi tum vicariâ ejus in Regno adminiſtrando operâ pater uſus ſit, nondum tamen in plenum jus & conſtantem ſceptri ſocietatem eum adſciviſſe videtur: hic honor *Ioramo* delatus eſt non ante patris annum viceſimum ſecundum. Ex quo principio anni ipſius octo currere incipiunt: ſolitarium autem ejus regnum non niſi poſt patris mortem potuit inchoari, nec ultra quatuor annos perdurare. Involuti ſatis & perplexi hi nodi ſic jam ſolent à Chronologorum celeberrimis expediri.

Solvitur per Synarchiam.

Ioramus regnare incepit patris 17 & 22. & poſt ejus mortem.

Regnavit annis quatuor & etiam octo.

QUÆSTIO IX.

Epiſtola Eliæ *ad* Jotamum *quando ſcripta ſit?*

An Elias poſt mortem ſcripſerit epiſtolas.

QUæras nonò, Quomodo 2 Chron. 21. v. 12. ſcribere potuerit *Elias* ad *Ioramum Ioſophati* aliquot annis poſt ſuam mortem, in epiſtola ob Idololatriam, fratricidium, & alia perpetrata ſcelera, inteſtinorum morbum & miſeram mortem interminante: nam *Elias* aliquot annis ante *Ioſophati* mortem eſt in cœlum tranſlatus: vidmus enim 2 Reg. 3. poſt tranſlatum *Eliam Ioſophatum* cum Regibus Iſraëlis & Idumææ contra Moabitas militantem ab *Eliſæo* Prophetâ præſenti exitio ereptum. Num *Elias* de cœlo ſuas epiſtolas ad mortales tranſmittebat? Reſp. Quemadmodum *Iſaias* ſpiritu prophetico prævidit prædixitque, quæ *Cyrus* centenis aliquot poſt ſuam mortem annis, & *Achias* quæ *Ioſias*: ita *Elias* divinâ revelatione cognoſcens quæ poſt quatuor aut quinque annos perpetraturus erat *Ioramus*, ante ſuam tranſlationem eam epiſtolam exaravit, ſed tradendam tempore opportuno poſt ſuum in cœlos aſcenſum; quemadmodum varia mandata dedit de vicinis Regibus Iſraëlis & Damaſci *Eliſæo* ante ſuam tranſlationem, quæ non niſi poſt aliquot annos *Eliſæus* exequutus eſt in unctione *Iebu* & *Hazaelis* 1 Reg. 19. v. 15.

QUÆSTIO X.

Quomodo Achazias *regnare cœperit anno ſuo & viceſimo ſecundo & quadrageſimo ſecundo?*

Dubium propè ἄλυτον. Quomodo Achazias regnare cœperit & anno 22. & 42.

QUæras decimò, Quî concilietur ſecundus 2 Chron. 22. v. 2. cum 2 Reg. 8. v. 25. priori enim loco *Achazias* dicitur quadraginta duorum annorum cùm inciperet regnare, poſteriori dicitur regnâſſe anno ætatis viceſimo ſecundo? Reſp. Unum hoc eſt ex iis, quæ dicuntur ἄλυτα inſolubilia: Multas multi attulerunt tam nunc quàm olim hujus nodi ſolutiones, & ex iis quam quiſque volet, eligat; fateor deſerere nos hîc quos maximè aliàs amamus ſequi. Quod *Scaliger* reſpondet cum multis aliis de corrupto textu Hebraico maximè omnium diſplicet. Quæ *Deodatus*, *Voetius*, & *Henricus Philippi* afferunt de viginti annis, quos *Achaziam* unà cum patre *Ioramo* regnâſſe volunt, adeo perplexa & inſolita ſunt, omnique ſolido fundamento deſtituta videntur, ut aſſenſum iis præbere nequeamus: placent magis quæ Annotationes Anglicæ, & vir doctus ac pius *Guilielmus Niſbetus* habet ex *Iunio*: ſcilicet in poſteriori loco haberi ætatem *Achaziæ*, & durationem ipſius vitæ, in priori durationem non ipſius vitæ ſed maternæ familiæ, quæ clariſſimo Dei judicio eo ipſo anno extincta eſt: ob cujus inſignis miraculi memoriam calculus hic *Achaziæ* tributus eſt, qui eodem anno, cum cætera *Achabi* & *Omri* familiâ gladio *Iebu* ſublatus eſt: ut locorum uno verus vitæ ipſius annus quo cœpit regnare deſignatus eſt, ita altero familiæ illius infauſtiſſimæ terminus indicatus eſt. Quod autem quadrageſimus ſecundus annus verus iſtius ſceleratiſſimæ familiæ terminus fuerit, apparet jungendo

Achaziæ alia duratio vitæ alia maternæ familiæ.

ſex annos *Omri* quibus ſolus regnavit, cum viginti duobus *Achabi* & duobus *Achazia* & duodecim *Iorami*, qui iſtius familiæ ultimus eo anno necatus eſt, quo *Achazias Ioſaphati* regnare ſimul cœpit & deſiit, in communi iſtius familiæ ruinâ cum tota ferè ſuâ proſapia ſimul obrutus.

Nimis audacter Iunius vertit verba textus.

His ut acquieſcamus, omninò tamen diſplicet *Iunii* violenta nimis (ut nobis aliiſque videtur) prioris loci ad hoc ſuum noſtrumque placitum detorſio, ſic enim vertit ille locum, *Cujus matri nomen* Athalia *filia* Omri *agentis quadrageſimum ſecundum eam* Ahazias *regnavit*, tranſpoſitio finis petendi in principium & principii in finem, utut optimè diſſolvat nodum, nullâ tamen vel idoneâ ratione vel commodo exemplo, videtur ſuffulciri.

QUÆSTIO XI.

Utrum Joas *à* Solomone *an* Nathane *deſcenderit?*

QUæritur undecimò de Rege *Ioa*, num naturalis fuerit *Amaziæ* filius, cùm *Athalia* 2 Reg. 11. v. 1. totam ſtirpem regiam dicatur deleviſſe? Reſp. Cavendum eſt à periculoſo *Driedonis* & aliorum errore, qui ex corruptiſſimâ *Annii* Chronologia volunt ſtirpem *Solomonis* deſiiſſe in *Amazia* & *Nathanis* in *Ioaſho* cœpiſſe: hoc ſi concedatur, *Chriſti* genealogiæ etaſſæ nimis tenebræ affunderentur. Faceſſat ergo delirium hoc cum aliis multis mendaciſſimi *Annii*, utpote cui S. Scriptura multoties apertè contradicit.

Ioas verus Amaziæ filius adeoque Solomonis non Nathanis.

Quod ad locum præ manibus, dicitur quidem *Athalia* deleviſſe ſtirpem totam regiam, ſed cum expreſſa exceptione unius *Ioa* verſu ſequenti qui *Amaziæ* filius, ab *Amaziâ* genitus ſexies hîc illic affirmatur.

QUÆSTIO XII.

Quando Joas *cœperit regnare?*

QUæritur duodecimò, Quî concilietur verſus 1. cap. tertii 2 Reg. cum ejuſdem verſ. 10. priori enim loco *Ieboahaz* regnare cœpiſſe dicitur anno viceſimo tertio *Ioaſhi*, & regnâſſe annis ſeptemdecim, poſteriori, ejus filius regnare cœpit anno *Ioaſhi* triceſimo ſeptimo, mortuo & ſepulto patre. A viceſimo tertio ad triceſimum ſeptimum non ſunt ſeptemdecim, ſed tantùm quindecim anni, etiamſi utrumque terminum includas? Reſp. Rejicienda omnino eſt *Abulenſis* reſponſio, qui textua omnes hîc corruptos pronunciat; & pro triceſimo ſeptimo legit triceſimum nonum. Commoda enim ſatis abſque hoc incommodo ἀτοπώτατον eſt communis ſolutio per Synarchias: duplex enim Chronologi conſtituunt *Ioaſho* Iſraëlitæ regnandi principium, alterum anno *Ioaſhi* Judæi triceſimo ſeptimo, biennio aut triennio ante patris obitum, quando pater bello Syriaco occupatus in ſocietatem ſceptri filium vocâſſe videtur: alterum mortuo patre anno *Ioaſhi* triceſimo nono, patriſq; decimoſeptimo. Nihil huic ſolutioni obſtat, quod verſ. 4. pater mortuus dicatur & ſepultus, antequam anno triceſimo ſeptimo *Ioaſhi* Judæi ſuus filius *Ioaſh* Iſraëlita regnum inierit; ejuſmodi enim anticipationes ſatis in Scriptura frequentes ſunt, in primis ubi unius viri omnia geſta conjiciuntur in unum abſque mixturâ cum geſtis aliorum. Quod autem *Ioaſho* Iſraëlitæ non tantùm triceſimus ſeptimus *Ioaſhi* Judæi, ſed etiam triceſimus nonus regnandi fuerit principium, patet ex verſ. 1. cap. ſequentis, ubi *Amazias*, mortuo jam patre ſui regni anno quadrageſimo, regnare incipit anno *Ioaſhi* Iſraëlitæ ſecundo, quod aliter non tenet, niſi primus *Ioaſhi* cum *Amaziæ* patris triceſimo nono coincidat; Et verò cùm *Ioaſho* Iſraëlitæ tribuantur anni ſedecim & *Amaziæ* viginti novem, & *Amazias* annos tantùm quindecim *Ioaſho* ſupervixerit 2 Reg. 14. v. 17. ita ut enim *Ioaſho* vixerit annos quatuordecim & *Ioaſhi* decimus ſextus & ultimus ſit *Amaziæ* decimus quartus aut decimus quintus, iſta aliter non poſſunt ſalvari, quàm colloeando *Ioaſhi* Iſraëlitæ primum in *Ioaſhi* Judæi triceſimo nono ac penultimo, annis duobus ante *Amaziæ* primum, ſeu fractis ſeu integris parum refert.

Abſurda Abulenſis ſolutio.

Ioaſh Iſraëlita regnare incepit triennio ante patris mortem.

Anticipationes in Scriptura frequentes.

QUÆSTIO XIII.

An Jeroboam *ſecundus regnaverit ſimul cum Patre annis undecim?*

DUbium hoc eſt majoris aboliæ, Quî ſcilicet concilietur verſus 1. decimi quarti 2 Reg. cum ejuſdem 23. & cum primo 15. primo enim loco regnat *Amazias* Hieroſolymis annis viginti novem, ſecundo, *Amazia* anno decimo quinto regnare incipit *Ieroboamus* ſecundus Samariæ, tertio loco *Uzias* ſeu *Azarias Amaziæ* filius ſtatim à patris morte regnare incipit, anno ætatis ſuæ decimo ſexto & *Ieroboami* viceſimo ſeptimo. Cùm *Amaziæ* decimus quintus coincidat cum *Ieroboami* primo, neceſſe ne eſt ut *Amaſia* viceſimus nonus & ultimus, adeoque *Uzia* primus coincidant cum *Ieroboami* non viceſimo ſeptimo ſed decimo ſexto? Aut ſi *Uzias* non ante *Ieroboami* viceſimum ſeptimum Regnum adiit, oportuit Judaicum ſolium annis undecim vacâſſe, & à morte *Amaziæ* Hieroſolymis interregnum fuiſſe annorum undecim, tot enim numerantur à morte *Amaziæ* ad viceſimum

Dubium difficile.

ceſimum ſeptimum *Ieroboami?* Reſp. Valdè difficilis eſt hic locus, & in eo ſolvendo deſudant ſatis omnes Chronologi. Plerique Proteſtantium admittunt antedictum interregnum, Pontificii illud rejiciunt, & *Henricus Philippi* cum faſtu ac in noſtros invectivâ, & ex *Torniello* ſolutionem affert per Synarchias. Solutio quidem per Synarchias nobis hîc ſatis placet, quam *Torniellus* didiciſſe potuit à doctiſſimo *Iunio*: ſed moroſus nimis eſt *Henricus* Jeſuita contra *Capellum, Calviſium*, & alios Proteſtantes, ob ipſorum per interregna difficillimi hujuſce dubii ſolutionem; ipſe certè & omnes Pontificii dubium ſequens per interregna ſolvunt: cur autem ad præſens dubium Synarchias, & ad poſterius interregna applicent, ac non vice verſâ hîc interregna, illic Synarchias adhibeant, rationes quas afferunt, mihi nullius momenti ſunt. Unum equidem me impellit ab ipſorum nemine tactum, ut Synarchiam interregno hîc præferam, nimirum quòd durum ſit abſque expreſſâ Scripturâ in Judæ Throno vacationem ullam admittere, inprimis talem quæ ad totalem Epochæ ſummam undecim minimùm annos adjiciat: ab interregnis in Iſraële aut quovis alio populo, quæ Epocharum totales ſummas non variant, Chronologiæ rationes non conturbantur. Reſponde ergo ad quæſtionem, *Ieroboamo* Secundo duo fuiſſe regnandi principia, aliud anno patris *Ioaſhi* ſexto & *Amaziæ* quarto, quod notat *Iunius* in locum, cum à Patre contra Syros occupato aſcitus eſt in ſocietatem imperii: alterum à patris morte *Amaziæ* decimo quinto, à quo ipſius anni quadraginta & unus numerandi ſunt. Primi ejus anni undecim quibus unà cum patre regnum adminiſtravit, Chronologici non ſunt: etſi viceſimus ſeptimus ille qui cum primo comparatur, quo *Uzias* regnare cœpit, ex horum annorum non Chronologicorum ſit ordine. Itaque ille viceſimus ſeptimus à priori *Ieroboamici* regni principio eſt tantùm decimus ſextus à poſteriori ejuſdem regni principio. In hoc reſponſo pleriqueChronologorum tam veterum quàm novorum acquieſcunt.

Henrici Ieſuitæ gratuita invectiva.

Incommodum eſt in Iudæ regno Interregnum.

Anni undecim Ieroboami ſecundi quibus unà cum patre regnavit non ſunt Chronologici.

QUÆSTIO XIV.

An in Samariâ fuerint Interregna?

In Samaria interregnum annorum minimum undecim.

QUæritur decimo quartò, Quî concilietur 2 Reg. caput 14. verſu 25. cum ejuſdem lib. c. 15. verſu primo & octavo, primo enim loco *Ieroboamus* ſecundus regnâſſe dicitur annis quadraginta & uno, regnumque ſuum iniviſſe anno *Amaziæ* decimo quinto, *Amazias* autem regnavit annis viginti novem, ad annum ſcilicet decimumſextum, quo *Ieroboamus* regnavit ſolus, & viceſimum ſeptimum, ex quo primum *Ieroboamus* cum patre ſedit in ſolio: ſecundo loco *Uzias* incipiens *Ieroboami* viceſimo ſeptimo ſeu decimo ſexto, perſeveravit regnare annis quinquaginta duobus. Tertio loco *Zacharias*, *Ieroboami* filius regnum ſuum Samariæ inchoat anno *Uziæ* triceſimo octavo, hinc oritur dubium, Quî *Zachariæ* primus concurrat cum *Uziæ* triceſimo octavo, quandoquidem *Ieroboami* *Zachariæ* patris quadrageſimus primus & ultimus, adeoque ipſius *Zachariæ* primus, concurrat cum *Uziæ* viceſimo ſeptimo aut viceſimo ſexto; nam ad viceſimum ſeptimum *Uziæ* adde quatuordecim *Amaziæ*, qui ab ejus decimo quinto fluxerunt, in quo *Ieroboamus* regnare cœpit, habebis totam ſummam Regni *Ieroboamici*, annorum ſcilicet quadraginta & unius; ergo in hoc calculo deſiderantur anni undecim. Reſp. Agnoſcitur hîc à Chronologis prope omnibus Interregnum Samariæ, ſed ab aliis longius ab aliis brevius, plerique annos undecim concedunt inter mortem *Ieroboami* & initium regni *Zachariæ*. Nam *Uziæ* viceſimo ſeptimo mortuum oportuit *Ieroboamum*, cùm is Regni ejus fuerit quadrageſimus primus & ultimus: verùm *Capellus*, *Calviſius* & alii Interregnum hoc extendunt ad viginti tres aut viginti duos annos, illi enim dubium prius per Interregnum annorum undecim in Regno Judæ, non Synarchiam totidem annorum in regno Iſraëlis ſolventes, ut ſibi conſequentia loquantur, *Ieroboami* ultimum cum *Uziæ* non viceſimo ſeptimo, ſed decimoquarto faciunt concurrere, à quo ad triceſimum octavum excludendo terminos, numerantur viginti tres: quos intervallum conſtituunt Interregni Iſraëlitici à morte *Ieroboami* ad filii *Zachariæ* inaugurationem: ſpatio certè nimis quàm longinquo.

Capelli & Calviſii Interregnum 23 annorum nimis longinquum.

Piget ab Interpretum multis, inprimis à nuperis Annotatoribus Anglicanis quæſtionem hanc tanti momenti omninò intactam tranſiliri: pudetque annotati *Iuniani* quo primum hunc *Zachariæ*, & triceſimum octavum *Uziæ* affirmat fuiſſe *Ieroboami* ultimum. Anachroniſmus hic eſt manifeſtus qui defendi non poteſt, ab adverſariis tamen nondum animadverſus, triumphâſſent alias inſultabundi de tanto paroramate.

Dubium hoc ab Interpretibus male omiſſum.

Iunii lapſus à Ieſuitis non obſervatus.

QUÆSTIO XV.

Quomodo componendi ſint anni Regum Iudæ cum annis Regum Iſraëlis?

Anni Regum Iudæ cum annis Regum

QUæritur decimoquintò, Quî anni poſteriorum Regum Iſraëlis ritè componantur cum annis Regum Judæ 2 Reg 15. v. 8.

Iſraelis ab Vſherio per fractiones conciliatio.

v. 8. *Zacharias* filius *Ieroboami* ſecundi regnâſſe dicitur Samariæ ſex menſibus anno triceſimo octavo *Uziæ* Regis Judæ; ejuſdem c. 13, regnavit *Shallum* Samariæ uno menſe anno triceſimo nono Regis *Uziæ*: & verſu 17. Regis *Uziæ* anno triceſimo nono regnavit *Menahem* Samariæ annis decem: & verſu 23. anno quinquageſimo *Uziæ* regnavit *Pekachia* Samariæ biennio. Denique verſ. 27. anno quinquageſimo ſecundo *Uziæ* regnavit *Pekah* annis viginti. Quæritur quomodo hi anni diſponendi ſint, ut comparatio fiat congrua? Difficultas hîc omnis ſolutu ſatis eſt facilis. Sex menſes *Zachariæ* conjiciantur in triceſimum octavum *Uziæ* non ineuntem ſed deſinentem, Menſis *Shallumi* cadat vel in initium vel medium triceſimi noni *Uziæ*, decem *Menahemi* primus fecundum aliquot ſuos menſes connumeretur cum *Uziæ* triceſimo nono deſinente, ſecundum cæteros ſuos menſes cum quadrageſimo, ſicut cum *Uziæ* quadrageſimo nono decimus *Menahemi*, & cum ejus quinquageſimo *Pekachiæ* primus comparari poteſt, ejuſque ultimus cum *Uziæ* quinquageſimo primo deſinente ac quinquageſimo ſecundo ineunte, prout *Uſherius Armachanus* ſuarum tabularum calculos rectè inſtituit.

QUÆSTIO XVI.

An Jotham *regnaverit quatuor annis poſt ſuam mortem?*

Viceſimus Iothami dicitur non quo regnavit jam mortuus, ſed ex quo regnare cœpit dum viveret.

QUæritur decimo ſextò de conciliatione verſus triceſimi capitis 15 poſterioris Regum cum ejuſdem 33. & primo ſequentis capitis. Primo enim loco *Iotham* regnat annos viginti, ſecundo tantum ſedecim, tertio exitus vitæ *Iothami* probatur fuiſſe non viceſimo, ſed decimoſexto regni ſui anno, utpote quod inceperit ſecundo *Peka*, & deficit *Peka* decimoſeptimo? Reſp. Omittentes quæ pro ſolutione afferuntur ab aliis, acquieſcimus in reſponſione *Iunii* (quæ tamen in ipſo textu non videtur fuiſſe ab eo ponenda, ſed potiùs, quod fecit Interpres Gallus, in margine) viceſimus ille annus non erat quo regnavit, ſed ex quo regnare cœpit *Iotham*, revera quartus *Achazi*, & quartus ex quo *Iotham* deceſſerat vitâ, ibi enim inſtituitur calculus à morte *Uziæ* & principio regni *Iothami*, de quibus ſolis ex Regibus *Iuda* auctor mentionem fecerat, nondum deveniens ad hiſtoriam *Achaz*, quæ poſt eum locum tota ſimul ſubjungitur. *Henricus Philippi* hanc à *Torniello* reſponſionem accipit & *Torniellus* à *Genebrardo*, ſed invidi homines *Iunii*, cui iſtius inventi gratiam debebant, nulli meminerunt.

QUÆSTIO XVII.

Quomodo Hoſeas *regnare inceperit anno* Achazi *quarto & duodecimo?*

Primum & poſterius Hoſeæ regnandi principium octo annis inter ſe differunt.

QUæritur decimò, Quomodo ſolvitur alterum dubium non minùs grave, quod ex iiſdem locis oritur: triceſimo deciminquinti, *Hoſeas* regnare incipit anno ex quo regnavit *Iotham* viceſimo, hoc eſt, *Achazi* quarto, & tamen primo decimiſeptimi, regnare incipit *Hoſeas* nonniſi duodecimo *Achazi*? Reſp. Conveniunt Chronologi duo regnandi principia *Hoſeæ* aſcribenda, unum *Achazi* quarto, ex quo annos ſeptemdecim regnavit: alterum *Achazi* duodecimo, ex quo regnavit tantùm novem: ſed in verâ duplicis hujuſce computationis causâ magna eſt diſcrepantia. Pontificiorum plerique volunt *Hoſeam* poſt interfectum *Pekam* annos octo inſumpſiſſe in ſtabiliendo Regno, ita ut primus annus pacati ſui regni fuerit *Achazi* duodecimus, licet ejus regni abſolutè primus fuerit *Achazi* quarto. Ex Proteſtantibus quidam *Achazi* duodecimum volunt *Hoſeæ* primum, eò quòd tum demum *Hoſeas* excuſſo Aſſyriæ jugo ſe in Regem liberum vindicaverit. Alii contrà novem ejus annos poſtremos ab *Achazi* duodecimo numerari putant, eò quòd iſtos omnes annos in ſervitute Aſſyriacâ Rex tributarius egerit. Sed quicquid de cauſis iſtis vel aliis dicamus, ſatis eſt ad ſolvendum quæſitum, duo regiminis *Hoſeæ* principia ex Scripturis omnium Chronologorum conſenſu manifeſtè demonſtrâſſe.

QUÆSTIO XVIII.

Quomodo Achaz *regnaverit annis ſedecim & tamen ſolis quindecim?*

Achazi primus & ultimus fuerunt incompleti, vel Hezekiæ duo habuit regnandi principia.

QUæritur decimooctavò, Qui conſonent quæ habemus 2 Reg. 16. v. 1, 2. cum iis quæ legimus ibidem 17. 1. & 18. 1. ac 10. Primo loco *Achaz* regnavit annos ſedecim, ſed ex collatione locorum trium poſteriorum habere potuit illius regnum annos tantùm quindecim. Nam duodecimus *Achazi* fuit *Hoſeæ* primus, & tertius *Hoſeæ* fuit primus *Heſekiæ*, ac proinde ultimus *Achazi*: ut quartus *Heſekiæ* cum *Hoſeæ* ſeptimo, & *Heſekiæ* ſextus cum *Hoſeæ* nono ac ultimo coincidant. Iſta ſi vera ſunt *Achaz* ad ſummum quindecim, nullo modo ſedecim annos regnavit? Reſpondet *Tornellus Achazum* regnâſſe annos quatuordecim completos & ſedecim incompletos, vult enim ejus primum annum concurriſſe cum ultimo *Iothami* patris, & ſuum ultimum cum primo *Heſekiæ* filii, ita ut ipſius primi pars prior inciderit in decimum

 ſepti-

ſeptimum *Peka*, & pars poſterior in *Peka* decimum octavum; ipſius verò ultimi ac *Heſekiæ* ptimi partem ptiorem in *Hoſeæ* tertium, ſed poſteriorem in *Hoſeæ* quintum incidiſſe oportuerit. Ex hoc calculo *Iothamo* quidem ſeorſim anni ſedecim, & *Achazo* ſeorſim totidem dabuntur, utrique tamen ſimul non niſi triginta & unus.

Aliter reſpondet *Henricus Philippi*, *Hezekiæ* dans duo regnandi principia, unum patris decimoquinto, poſt quod vixit & regnavit *Achaz* cum filio unum aut duos annos: alterum autem mortuo patre anno ſuo decimoſexto, ex quo *Hezekiæ* acta & anni viginti novem vulgò numerantur: cum de uno tantùm anno hìc quæſtio ſit, non anxiè inquirimus num prior an poſterior, an adhuc alia reſponſio præferenda ſit.

QUÆSTIO XIX.

An Achaz *genuerit* Hezekiam *anno ſuo undecimo?*

DUrior eſt multò qui ſequitur nodus 2 Reg. 16. verſ. 1. *Achaz* erat viginti annorum cum regnare cœpiſſet, & regnavit annis ſedecim, ergò vixit annos tantùm triginta ſex: At verò 2 Reg. 18. v. 1. erat *Hezekias* annorum viginti quinque cùm regnare cœpit, ſubducito ex annis triginta ſex *Achazi* annos iſtos viginti quinque *Hezekiæ*, quos habebat cum moriens pater ei ſceptrum tradidit, remanebunt tantùm undecim, quibus patet filium ſuperabat, ergò in anno ſuo decimo, aut ad ſummum undecimo oportuit *Achazum* genuiſſe *Hezekiam*? Reſp. Concedunt Chronologi fere omnes tam Pontificii quàm Proteſtantes, *Achazum* anno ſuo undecimo *Hezekiam* genuiſſe: ſed multò ego malim cum *Petavio* & *Teſlato Abulenſi* annum geniti *Hezekiæ* ad patris decimumtertium aut decimumquartum remittere, licet hoc fiat per ſubtiliorem & ſubintricatum annorum fractorum & integrorum rationem. Diſplicet quidem *Calviſii* hìc ſolutio aſſerentis, *Hezekiam Achazi* filium naturalem non fuiſſe, ſed vel fratrem, vel privignum, filiumque tantùm legalem ac in regno ſucceſſorem hæredemque: nullum in Scripturâ hujuſce ſolutionis fundamentum apparet.

Utrum Achaz Hezekiam genuit anno undecimo an decimo quarto, an non omnino genuit.

QUÆSTIO XX.

Quamdiu duraverit Regnum decem tribuum?

QUæritur viceſimò, Quot annis ſtetit regnum Iſraëlis? Reſp. Fixi ſunt Regni termini in expreſſâ Scripturâ, cœpit primo *Rhehoboami*, deſiit ſexto *Hezekiæ*: quantum autem temporis inter iſtos duos terminos fluxerit, deſumitur calculus ex annis Chronologicis, quos Scriptura ſingulis Regibus Judææ & Iſraëlitidis ſcribit, & verò quoniam in iſtis variat multorum computus, exinde tota ſumma apud varios diverſimodè conficitur. Omnes ad ducentos quinquaginta iſtud non tam legitimum Regnum, quàm vetam contra Deum hominesque rebellionem extendunt; tam diu divina patientia vindictam remorata eſt, tandem tamen eam tarditatem horrenda ſupplicii gravitas abunde penſavit. Ad ſummam hanc incontroverſam addunt alii quatuor, aliqui ſex, aliqui octo, aut decem, ſecundum varia ſua numerandi principia. Sed quid *Niſbeto* noſtro in mentem venerit, ut ſuum hìc computum ad trecentos & ſex extendat, nullâ conjecturâ aſſequor, niſi quòd, ut alibi nimis quàm ſæpe, in eo aliàs docto & utili valde libello, mendum Typographicum valde craſſum ſuſpicer.

Regnum Iſraelis duravit annis 250, ſumma Regum particulares excedunt totalem quadriennio, quod per annos duorum incompletos conciliandum.

Niſbeti errores typographici.

Non malè vir ille doctus diſſolvit hìc nodum, qui nectitur ex eo, quòd Iſraëliticorum Regum anni Judaicorum contemporaneorum annos quaternario ſuperent, diſtinguendo completos ab incompletis, *Nadabo* & *Achaziæ* ſingulis binos annos incompletos tribuit, qui ſummam completorum in Regibus Judæ non auget.

QUÆSTIO XXI.

Quamdiu duraverit decem tribuum captivitas?

QUæritur viceſimo primò, Num 10 tribuum captivitas temporaria, an verò perpetua ſit habenda? Reſp. Nobilis, ſed perplexa ſatis & obſcura eſt hæc quæſtio, quam nos in præſentiâ paucis tantùm delibabimus. Aſſerimus primò, diverſam multò fuiſſe rationem captivitatis decem tribuum & duarum *Iuda* ac *Benjamini* (unà cum *Levi* qui Domini portio ſelecta fuit, nec inter fratres numerabatur; ejus locum ſupplente altero *Ioſephi* filio) Hoſeæ 10. v.6. *Non pergam amplius miſereri domûs Iſraëlis, ullo ut pacto condonem iſtis, domûs autem Iuda miſerebor.* Judæi poſt annorum 70. captivitatem redierunt Hieroſolymam, ſed Iſraëlitæ ab Aſſyriâ non ita redierunt 2 Chron. 17. v. 23. ad hunc diem non ſunt reverſi.

Non revocanda fuit 10 tribuum captivitas ut trium aliarum.

Secundo, Iſraëlitarum quæ à variis Prophetis promittitur reductio, minus univerſalis fuit quàm Judæorum Jerem. 3. v. 9. cum Deus furore depoſito Iſraëlitarum miſereri incipit, reducit unum ex civitate, duos ex familiâ.

Reductio Iſraëlitarum partialis.

Tertiò. Reductio illa Iſraëlitarum ſolennis & ſplendida, etſi non univerſalis, intelligenda eſt non tantùm de frequenti multorum ex Iſraële ad Judæos defectione, de quâ temporibus *Rhehoboami* 2 Paralip. 11. v. 16. & diebus *Aſa* ibidem 15. v. 9. expreſſa

Reducti ſunt ex Iſraëlitis multi diebus Rhehoboamo, Aſa, &

Zerobabelis.

preſſa fit mentio, ſed inprimis de reditu multorum Iſraëlitarum, uoà cum Judæis ex decreto *Cyri*, ut videre eſt Jerem. 50. v. 4. cum divina vindicta ob vaſtatum templum Hieroſolymitanum, Babylonem & Chaldæoa perdidiſſet; mnlti Iſraëlitarum, qui inter Judæos ante captivitatem diſperſi & uoà cum Judæis in captivitatem abducti, Judaicæ libertatis participesHieroſolymam rediêruot: Nec quicqoam vetat, quò minùs divioæ iſtius miſericordiæ miraculo excitati, ex priſcâ captivitate Aſſyriacâ multi domum etiam redierint, qui Imperii Perſici & Græci temporibus, in Cananæâ unà cum Judæis valdè ſunt multiplicari. Hi licet ſuarum tribnum agros non ita diſtinctè ut olim colebaot, eò quòd Samaritaoa colluvies plerorumque poſſeſſiones occopâſſet, tameo uſque ad tempora Romaoa & ultimam gentis vaſtationem, ex omnibns duodecim tribubua mnlti hic illic totâ Caoaoæâ ſparſi, ad Judaica ſacra Hieroſolymam conveniebant.

Tempore Apoſtolorum ex Iſraëlitis multi fideles.

Quartò, notabilis valdè fuit Propheticarum promiſſionum impletio, cùm tempore Chriſti & Apoſtolorum multi Iſraëlitarum unà cum Judæis ad fidem Euangelii converſi ſunt. De hoc Iſraëlitarum ad fidem reditu diſette *Paulus* Rom. 9. *Hoſeam* interpretatur, ad perditas oves domûs Iſraëlis noo Judæ tantum ſe miſſum Chriſtns affirmat: & Apoſtolus *Iudas* ad omoes duodecim tribus ſuam epiſtolam inſcribit.

Redibit Iſraël cum Iudâ in converſione ultimâ.

Quintò, ſi dicta oon exhauriunt omnes Prophetarum Iſraëlitis ſactas promiſſiones, quod ſupereſt totum præſtabitur in ultimâ Judæorum cooverſione ad Chriſtum. A multis jam ſeculis confuſa eſt, accuratè olim ante Chriſti adventum obſervata tribnum inter ſe diſtinctio. Nulla ergò expectanda eſt Iſraëlitarum à Judæis diſtioctorum converſio. Cavendum unicè eſt à putidis Judæotum ſabulis. Ægregiè nuper *Manaſſes Ben-Iſrael* Amſtelodami Rabbinus, veteres fabulas novâ veſte cooatus eſt induere, quas *Duræus* ooſtraa & alii in Angliâ cerebroſi homunciooes oimis avidè amplexati ſuot. Satis ſuperque Aoabaptiſtica ſomnia invaluerunt de Sanctorum in terris mundano Regoo; oil opus eſt currentibus calcar addere; feſtinet Deus Iſraëlitarum ad fidem reditum; Chriſtianorum ſeu Jndæorum ſeu Gentilium privilegia ſpiritualia ſunt & æterna, cæremonialis & corporalia pædagogia antiqua io cruce Chriſti antiquata eſt. Præter errorem oon parva eſt injuria nec leve damnum, æternam & cœleſtem Eccleſiæ hæreditatem mortalibus & terrenis lucris velle nunc obfuſcare.

Non diſtinguendæ ſunt tribus.

Cavendum à novo-veteribus fabulis Iudæorum.

QUÆSTIO XXII.

Quomodo unus anni proventus tribus ſufſecerit?

QUæſtio viceſima ſecunda eſt de gemino ſenſu verſus 29. capitis 19. 2 Reg. [*Tibi autem* Hezekia *hoc erit ſignum, comede hoc anno quæ repereris, in ſecundo autem anno quæ ſponte naſcuntur, porrò in tertio anno ſeminate & metite*] primò, an unius anni proventus alendo populo totum triennium ſuffecerit? Secundò, Ecquid abſque neceſſitate miracula multiplicanda? Num bellum Aſſyriacum tres totos aonos populom ab agriculturâ cohibuit? Tertiò an *Hezekiæ* morbus Aſſyriacam cladem anteceſſit, an verò eam ſequutus eſt? Reſp. Ad primum, Divinæ prorſus omnipotentiæ miraculum fuit, quòd unius anni fructus tribus totis annis populum nutriverit. Ad ſecuodum, Non bellum ſed annus Sabbaticus tam diu agriculturam inhibuit, nam ono anno bellum hoc confectum eſt, *Hezekiæ* ſcilicet decimo quarto, initio enim decimi quinti à morbo levatom oportuit, ut additamentom quindecim annorum, Regni viceſimo nono & vitæ ultimo compleretur; itaque anno tantum ono causâ belli ab agricultnrâ abſtentum: anno autem ſecundo vacavit terra à cultu ob Sabbatiſmum. Ex Pontificiis Chronologis plerique nullum hîc annum Sabbaticum volunt agnoſcere, ſed hac ceſſaotis agriculturæ cauſa ſepoſita, nullam aliam illi magis idoneam afferuot: tertio aono nulli de terrâ frnctus ante meſſem & viodemiam in anni fine colligi potuerunt. Ad tertium Reſp. Licet cum Pootificiis noſter etiam *Uſherius* in nupero ſuo accurato Chronico, *Hezekiæ* morbum Aſſyriacæ cladi præponat, Scripturam tamen eſſe ſeqnendam, tam io libris Regum quàm *Iſaiæ Hezekiæ* morbum poſt *Senacheribi* fugam narrat; neque io hiſtoriâ abſque oeceſſitate Prolepſes admittendæ ſunt.

Quod afferuot de promiſſione ab *Iſaia* convaleſcenti Regi factâ, de liberatione Jndæorum à metu oppreſſioois Aſſyriacæ, cujus nullum videbatur eſſe periculum poſt *Senacheribi* fugam, parvi hæc exceptio momenti eſt, qoidni enim amiſſo uno exercitu, redire mox potuerit Aſſyriæ Monarcha cum altero multo validiori, ut à longe minori Principe *Benhadado* Syriæ, paulò anteà factum.

QUÆSTIO XXIII.

De Regreſſu Solis diebus Hezekiæ.

QUæſtio yiceſima tertia: Quid de regreſſu Solis diebus *Hezekiæ* ſtatuendum?

dum? Reſp. A multis multa prolixè & curioſè hac de re diſputantur, inprimis à Pontificiis & antè omnes ab *Abulenſi Toſtato*, nos pauca tantùm annotanda duximus. Primum errare videri qui regreſſum hunc ponunt non omnino in ipſe Sole, ſed tantùm in radiorum umbrâ, idque in uno *Aſa* horologio; Nam Iſaias 38. v. 8. diſertè affirmat reverſum eſſe ſolem decem lineis per gradus quos deſcenderat. Prætereà non movetur umbra niſi moto corpore lucido, vel opaco, quæ umbram cauſant. Denique Babylonis princeps *Merodach* ad *Hezekiam* miſit qui de hoc miraculo inquirerent, quod tamen Babylone aut ullibi extra Hieroſolymam ſpectari non potuit, ſi motus omnis in ſolâ umbrâ, & uno horologio *Achazi*, non verò in ipſo Sole extitiſſet.

Sol ipſe non umbra tantùm regreditur.

Secundo non placere *Uſheru* ſententiam, qui contra fere omnium tam antiquorum quàm recentiorum mentem, negat ab *Achazo* ullum conſtructum horologium, nec tum temporis ullibi terrarum ullas horas fuiſſe cognitas, utpote quarum inventionem unà cum Polo, Gnomone & totâ arte ſciatericâ, diu poſt id ſeculum *Anaximeni* & *Anaximandro Plinius* attribuat. Certè *Herodotus* multò antiquior horologia à Babyloniis accepiſſe Græcos fatetur. Et verò Chaldæus Paraphraſtes *Plinio* fide dignior, lapidem horarum indicem ab *Achazo* conſtructum affirmat, etiam da diei in duodecim horas ſectione, non ut nupero invento ſed fixa jam conſuetudine multoties legimus apud *Danielem*.

Male Vſherius negat horologia & horas diebus Hezekia.

Quod adfert *Uſherius* de vocibus 70. Interpretum βαθμὸς & ἀναβαθμὸς quibus Hebræum, *Magnaloth* exponunt, nullæ dari poſſunt aptiores quæ lineas & gradus in horologio deſcriptos, Solis motum progreſſumque in quotidiano aſcenſu & deſcenſu notantes ſignificent.

Tertio non probamus quod ex *Abulenſi* & aliis Pontificiis afferunt noviſſimæ notæ Anglicanæ contra *Auguſtinum, Calvinum, Muſculum*, & multos alios, decem illos ab *Iſaiâ* nominatos gradus non denotare horas, ſed vel ſemihoras vel horæ quadrantes: præterquam enim quòd in Sciatericis non ſoleant lineæ poni niſi ad integras horas notandas, abſque neceſſitate divina in miraculis gloria non debet diminui, nulla autem neceſſitas hîc cogit regreſſum ſolis abbreviari; Nam unum quod ex *Abulenſi* afferunt argumentum, non difficulter ſolvitur. Concipere ſe facilè concedunt quî ſol horâ diei ſecundum Hebræos decimâ, hoc eſt, quartâ noſtrâ pomeridianâ bihorio antè occaſum, retrahi potuerit totis decem gradibus, & in ipſo oriente ad horum Judæorum primam, nobis ſextam antemeridianam collocari, ſed volunt impoſſibile ut Sol bihorio ante occaſum in horologio decem gradus potuerit procedere, nulla enim poſt occaſum eſt umbra, nec in Sciaterico ullæ lineæ quæ horas & gradus poſt duodecimam ſignent: Data autem *Hezekia* fuit optio eligendi pro ſuo arbitrio, ut Sol decem gradus vel procederet vel retrocederet in ſolario *Achaz*. Ad iſta reſpondet *Muſculus* optionem eam quidem datam *Hezekiæ*, ſed exequendam non ſtatim & in ipſo momento quo ab *Iſaia* oblata eſt, verùm tempore opportuno, quod ipſe Dominus eligeret vel eodem die vel craſtino, vel perendie cùm regreſſus *Hezekiæ* placuiſſet, retro moveri incepit ſol quartâ pomeridianâ, ut decem horarum retroceſſum eo die perficeret: ſi præcipitem decem graduum proceſſum potiùs elegiſſet, præceps ille proceſſus ſequenti mane abſque ullo incommodo potuit inchoari. Præterea ſi progreſſus ille incepiſſet ab ipſâ Hebræorum horâ decimâ, unde retroceſſus incepit, obſervari ſatis facilè potuit in Solario; etſi enim duæ tantùm lineæ poſt decimam conſpicerentur, aliæ tamen duodecim poſt occaſum pro horis nocturnis ſupponebantur, quarum octo cum Sol in momento perfeciſſet, & in umbrâ iſtius noctis Sol quatuor tantùm aut duabus horis permanſiſſet, ita ut ab occaſu ad ortum vel à bihorio ante occaſum ad ortum duabus solùm aut quatuor horis ſub horizonte delituiſſet, promiſſionis de ſolis per decem gradus miraculosâ feſtinatione impletio, ad oculum fuiſſet conſpicua.

Malè Annotatores Anglicani, decem gradus interpretantur de hora quadrantibus.

Quartò, quòd volunt Doctorum multi regreſſum Solis à lineâ decimâ ad primam inſtantaneam fuiſſe, adeoque diem iſtum ad ordinarium duodecim horarum ſpatium decem tantùm horas addidiſſe, rationi conſentaneum non videtur; cum Deus decem gradibus in ſolario retrahere ſolem velle ſe dicat, ut denuò per decem iſtas lineas non niſi horarum decem ſpatio remearet, cujus eſſet audaciæ abſque ullâ ex Sacris literis umbrâ, regreſſui momentum, & proceſſui poſt regreſſum decem horas aſcribere?

Dies Hezekia fuit triplex, Ioſua duplex.

Quod hîc objiciunt ex libro *Ioſhua* cap. 10. v. 14. Nullum diem unquam longiorem iſto, quo ad *Ioſhua* preces Sol in occaſu totius alterius diei ſpatio conſtitit; dies ille duplex non plures quam 24. horas habere potuit, *Hezekia* verò dies ſecundum noſtrum calculum triplici fuit propior, nec pauciores quàm 32. horas complexus eſt. Reſponſio ad iſta eſt facilis, duplex *Ioſhua* dies dicitur longior omni die tam antecedente quàm conſequente, accipiendo non abſolutè, ſed de iis tantùm diebus qui fluxerunt ad ea tempora, quibus iſte *Ioſhua* liber deſcriptus eſt, hoc *Hezekia* dies non omnino tangit.

Quintò

Malè Uſherius diei iſtius longitudinem noctis ſequentis brevitate compenſat.

Quintò quod habet *Uſherius*, diei iſtius longitudinem proximæ noctis brevitate compenſatam, quaſi ea nox fuiſſet duarum tantùm horarum, non admittimus: ecquid enim de tanto miraculo ſcriptura ſiluiſſet? Non minùs miranda nox duarum horarum quam dies viginti duarum, imò miranda magis, iſti enim nocti nulla unquam brevitate ſimilis, huic verò diei alter longitudine propè par fuit.

Quod pro ratione affert doctiſſimus vir, non ſtringit, ſic enim ille arguit: Niſi nox ſequens ſuâ brevitate præcedentis diei longitudinem compenſâſſet, cœleſtium ſphærarum & ſtellarum motus de omni recto curſu deviâſſe reperiretur, decem ſaltem horarum eſſet anomalia; jam verò, inquit, iſtorum motum ab initio mundi ad hunc diem ita regularem inveniri, ut Lunares & Solares omnes Eclipſes in eum ipſum diem, horam & momentum incidant, quæ regulæ Aſtronomicæ requirunt, in primis tres Lunæ eclipſes à *Ptolemæo* memoratas ante *Hezekiæ* tempora, in iiſdem momentis etiam hodie reperiri, quibus à Chaldæis eo ſeculo viventibus contigiſſe notatæ ſunt. Reſpondemus concedere nos multo lubentiſſimè cœleſtium ſphærarum & in primis ſtellarum regulatiſſimos etiam in maximis anomaliis à mundi principio ad hunc diem motus: concedere etiam, quemadmodum *Ioſbua* diebus ſtante Sole Lunam pariter ſtetiſſe obſervatum eſt, ita diebus *Hezekiæ* regrediente ſole regreſſam etiam Lunam ſtellaſque omnes & orbes, totamque ſuperioris mundi machinam ſimul retrogreſſam; nam iſtius motûs diurni principium primum & proprium eſt primum mobile ſeu ſphæra decima, quæ ſecum omnes inferiores orbes 24 horarum ſpatio contra motus ſuos proprios circumrapit: Non credimus tamen cœleſtium luminarium motus & Planetarum eclipſes iiſdem omninò locis ab hodiernis artificibus inveniri, in quibus à priſcis obſervatæ ſunt; nam hoc poſito multò rectiores & magis concordes eſſent Chronologorum calculi. Sed eſto tres iſtæ *Ptolemæi* Lunares eclipſes ante Solis regreſſum obſervatas, ſuos locos ita ſervent, ut neceſſe ſit fateri decem iſtarum horarum anomaliam aliquando compenſatam, non tamen ſequitur proximæ omninò noctis ad duas horas contractione factum id eſſe: ſatis enim ſalvantur phænomena, ſi quovis tempore propinquo ea retardatio recuperata ſit, etſi non eâdem quæ immediatè ſequuta eſt nocte, nam eâ nocte tarditatem iſtam recuperatam omnino fuit impoſſibile. Fac enim totam iſtam noctem prætermiſſam, & è triplici die majori adhuc miraculo factum quadruplicem, non tamen prætermiſſio unius noctis 12, aut ad ſummum 14 horarum (ultra quod intervallum longiſſima in Syriaco climate nox non extendebatur) moram 20 horarum valuit exhaurire. Ea verò tarditas ita in dies & noctes propinquas diſtributa eſt omnipotentis & primi motoris ſapientiâ, ut ab humanis oculis obſervabilis non videatur. De modo non noſtrum eſt curioſè nimis inquirere.

Quomodo majus in regreſſu quàm progreſſu miraculum.

Sextò, quòd reſpondit *Hezekias* de facilitate progreſſûs Solaris per decem gradus, intelligendum eſt non abſolutè & in ſe, ſed comparativè & reſpectu obſervationis humanæ; difficultas enim ſumma fuit orbem Solis vel unum momentum, ne dum decem horas propellere præter ordinarium ſuum curſum, nec ab alia manu quàm Divinâ potuit peragi hæc anticipatio: è cùm tamen Solis progreſſus ſit quotidianus, & regreſſus contra ordinem ab ullo unquam mortali conſpectum, parva in regreſſu mora in humanis oculis obſervabilior & mirabilior erat futura, quàm multò major in proceſſu feſtinatio. Comparativè etiam difficultas dupla fuit, in proceſſu enim decem tantùm horæ inſumptæ fuiſſent, in regreſſu verò etſi decem etiam horæ tantùm inſumptæ ſint, tamen antequam retrogrediens ſol ad id unde digreſſus erat, punctum redire potuit, 20 horarum motum neceſſe habuit peragere.

Biblia Tridentina falſiſſimè procudunt tertium Solis ſtatorem.

Denique quod *Torniellus*, *Sanctius*, & alii ex Pontificiis hîc afferunt de tertio retardati ſolis miraculo, quaſi ante *Iſhuam* & *Hezekiam* quidam *Ioachim* ex tribu Judæ ſolis curſum ſtitiſſet Chron. 4. v. 22. putidiſſima eſt fabula; eam quidem omnes Pontificii fide divinâ credere tenentur, ita enim dictum locum legunt authentica ipſorum Biblia [*Qui ſtare fecit ſolem virique mendacii ſecurus & incendens*] ſed contra Hebraicam veritatem & Interpretum omnium aliorum fidem. Deeſt quidem in verbis dierum ſeu Chronicis aut Paralipomenis paraphraſis Chaldaica, ſed ſeptuaginta Interpretes & tranſlatores omnes alii Latini, Gallici, Anglici, Italici & Germanici pro iſtis appellativis nomina propria rectè legunt [*Iokim* & homines *Coſebba*, *Ioaſh* & *Sarapha*.] Cur iſta propria vetus Latina tranſtulerit ſcivit fortaſſis auctor (quiſquis is erat, *Hieronymum* autem non admittimus) ſed ut ut cætera tranſtulit, certè in primo craſsè erravit, dum *Iskim* vertit ſtatorem ſolis, veriſſimè hominem mendacii. Damus à radice *Kum* formari poſſe verbale *Iskim* quod ſignificare poſſet erigentem aut conſtituentem: tale tamen verbale appellativum in Scripturis non reperitur, nec vel thema vel ullum inde derivatum in ſignificatione ſiſtendi ullibi in

ſacris literis invenias , ſed tantùm inerigendi aut ſtatuendi ſignificato. Eſto tamen verbale hoc ſit appellativum & ſignificet ſiſtentem , attamen an nihil aliud habere potuit vir ille quod ſiſteret quàm ipſum ſolem , certè multarum aliarum creaturarum motus multò faciliùs ſiſti potuit, quàm magni illius Gigantis & ornatiſſimi ſponſi curſus. Audax nimiùm fuit tranſlator ille Latinus , quiſquis ſolem huic imaginario ſtatori ſufflaminandum ſuppoſuit : certè in eo textu nulla ſolis umbra , nec ulla hujus miraculi vola vel veſtigium apparet , quod tamen omnes Pontificii , niſi fidei Tridentinæ nuncium mittere velint , animitus tenentur amplecti.

QUÆSTIO XXIV.

Quomodo annos ad Samariæ ruinam faciat Eſaias 65. *qui fuerunt tantum 22?*

QUæſtio viceſima quarta. Quomodo verſus 8. cap. 7. Iſaiæ intelligendus eſt, *Et intra ſexaginta quinque annos atteretur* Ephraim *ut non ſit populus*, edita eſt prophetia hæc ut habetur verſu 1. temporibus *Achazi* ; jam verò à primo anno *Achazi* ad excidium *Ephraimi* & decem tribuum captivitatem (*Hezekiæ* ſexto) non numerantur ſupra viginti duos annos. Nam *Achaz* non ultra ſedecim regnavit , quibus adde *Hezekiæ* ſex , conficient tantum viginti duos. Reſp. Solutio, quam affert *Hieronymus* in locum à Judæis, pleriſque tam Pontificiis quam Proteſtantibus placet , quod annorum iſtorum principium ſumendum ſit , non à tempore quo iſta prophetavit *Iſaias*, ſed à priori termino, prophetia ſcilicet *Amos*, qui capite ſuo quinto 2^{dum}, excidium Samariæ & decem tribuum captivitatem ante *Iſaiam* prædixit, ab huſce prædictionis tempore, diebus ſcilicet *Uzziæ* & *Ieroboami* ſecundi, ad Samariæ excidium facile eſt ut numerentur anni ſexaginta quinque.

Numerandi anni Iſaiæ à prophetiâ non ſuâ ſed Amos.

Reſponſionem hanc *Salianus* reſpuit, ſed nullam omnino aliam ipſe affert , & communem hanc ſolutionem levi tantùm objectione impugnat. *Achias* (inquit) Silonita multò antè regni Ephraimitici ruinam prædixit , cur ergo *Iſaias* ab *Amoſi* potiùs quàm *Achiæ* prophetiâ ſuum computum deſumpſit ? Reſpondet *Cornelius à Lapide*, tritum magis & vulgatum fuiſſe *Amoſi* quàm *Achiæ* de Iſraëlitarum ruinâ vaticinium.

Rejiciunt etiam Annotatores Anglicani nuperrimi communem hanc ſolutionem, ſed quam ipſi afferunt ex *Iunii* notis, nihilo eſt melior. Volunt caput computi hujus ſumendum à tempore quo iſta effatus eſt *Iſaias*, ita neceſſe habent eorum finem ponere propè in medio regni *Manaſſis*, annis plus quam quadraginta poſt everſam Samariam : quòd autem tamdiu ſteterit regnum *Iſraëlis*; aut aliqua in eo populo publici ſtatûs facies tam diu duraverit , aſſeritur gratis. *Aſarhaddon Senacheribi* filius, cùm *Manaſſem* non diu poſt regni ſui peſſima initia captivum Babylonem duxit, nullas Iſraëlitici Regni reliquias cum eo duxiſſe legitur ; hujuſmodi commentum, humanum eſt ad Scripturas divinas additamentum.

QUÆSTIO XXV.

Quomodo captivitas Tyri eſſe potuerit perpetua, & tamen 70. annorum & unius tantum Regis?

QUæſtio viceſima quinta. Quomodo intelligendi ſunt anni illi ſeptuaginta captivitatis Tyri , de quibus Iſaias 23. v. 15. Primò quod eorum eſt principium & quis finis. 2. Quî potuerint eſſe tam multi , cum ibidem dicatur Tyri captivitas non ultra unius regis imperium duratura , nullius autem regis unius ad 70 annos pervenit regnum. 3. Quî poſſunt eſſe tam pauci, cùm ea captivitas videatur perpetua Ezech. 26. v. 14. *Non ædificaberis ultra?* Reſp. Ad primum , Septuaginta annos captivitatis Tyri non eoſdem terminos habuiſſe cum paribus annis captivitatis Judaicæ , nam certum eſt captivitatem Tyri non cœpiſſe ante undecimum poſt tranſlatum *Ieconiam* ; eo enim anno loquitur *Ezekiel* de excidio Tyri ut futuro cap. 26. nec dilatum poſt viceſimum ſeptimum à tranſlato *Ieconiâ*, iſto enim anno de eo loquitur *Ezekiel* cap. 29. v. 18. ut jam peracto , imò verò capta videtur Tyrus eo ipſo anno viceſimo ſeptimo tranſlationis *Ieconiæ*, nam ſtatim à finito moleſtiſſimo eo labore tredecennalis obſidionis Tyri, Chaldæis loco mercedis Ægypti ſpolia conceſſa ſunt, ſi itaque initium captivitatis Tyri 27 annis Judæorum , & *Ieconiæ* captivitatis principia ſequutum eſt , totidem annis illius finis, alterius exitum ſequutum oportuit : Ergò ſtatuatur ejus initium cum *Cornelio à Lapide* in *Nebuchadnezaris* triceſimo quinto , & finis in primo *Darii Hyſtaſpis*. Quæ objicit *Henricus Philippi* parvi ſunt momenti.

Ad ſecundum Reſp. Judæorum commentum per unius Regis tempora notari ætatem *Davidis* Tyriis & *Hiramo* noti Regis, qui per annos 70 vixit, rectè à *Calvino* rejicitur ut leve. Placet magis notari hominis cujuſvis etiam in deliciis Regiis verſantis ævum à *Moſe* Pſal. 90. expreſſum in annis 70. Perplexius eſt quod poſt *Iunium* & alios afferunt Annotatores Anglicani per

unum

unum regem intelligi unius Regis ſtirpem & familiam, *Nebuchadnezaris* ſcilicet, qui cum ſuis poſteris ad Perſarum tempora annis 70. prætерpropter in Babylonico throno conſedit.

Ad tertium Reſp. Non cogimur hoc loco Scripturæ phraſin (*non ultra*) de tempore longinquo tantùm & non perpetuo interpretari: Nihil enim vetat antiquam Tyrum in ſuis ruderibus perpetuis obrutam affirmare; & quæ poſteà reſtaurata eſt Tyrus loco antiquæ urbi propinquo quidem, aliquantulum tamen diſſito collocare. Quæ in contrarium ex *Ioſepho* affert *Cornelius à Lapide*, non ſtringunt.

QUÆSTIO XXVI.

Quamdiu duraverit miniſterium Eſaiæ?

An Iſaias duravit ad tempora Manaſſis.

QUæſtio viceſima ſexta. Num ultra *Hezekiæ* dies *Iſaias* prophetavit? Reſp. Magno cum conſenſu Patres tam Græci quam Latini, & poſt eos, non tantùm Pontificii, ſed ex Proteſtantibus permulti *Iſaiæ* vitam producunt ad tempora *Manaſſis*, à quo volunt Prophetam ſerrâ diſſectum. Nos quidem non amamus pias antiquorum traditiones à pleriſque doctorum receptas, faſtuosâ cum proterviâ rejicere; ſed modeſtâ potiùs cum lenitate vel admittere, vel intactas ſilenter tranſilire: *Iſaiæ* tamen ſerrationem, quam Pontificii toti Eccleſiæ ut incontroverſam volunt obtrudere, & in Martyrologio ſuo legendam populo quotannis ſolenniter inculcare, jure merito ab *Abulenſi* negatam arbitramur. Ecquid enim hiſtoria ſacra de re tanta ſiluiſſet? Imò etiam *Ioſephus*, qui multò minores circumſtantias exactè ſolet perſequi. Quod ad traditionem Patrum, fatetur *Hieronymus* illius fontem eſſe Judæos, Babylonicum ſcilicet *Talmud*, putidarum fabularum ſpurciſſimam ſcaturiginem. Et verò fabella præ manibus ſeipſam confutare videtur; traditio enim Romana vult carnificem applicâſſe ligneam ſuam ſerram primum vertici Prophetæ, & deinde diſſecuiſſe medium caput, collum, pectus, uſque ad coxendicem: ſed traditio Talmudica cum hac non conſiſtit, ſic enim ea ſuam narrat fabulam; fugienti crudelis *Manaſſis* manus Prophetæ aperuiſſe ſe divino miraculo cedrum, & cùm trepidantem recepiſſet ſtatim ſua latera recluſiſſe, perſequentem tamen *Manaſſem* præſenti miraculo nihil à ſcelere abſterritum, imperâſſe fabro lignario ut ſuâ ſerrâ cedrum, unà cum incluſo Prophetâ diſſecaret. Hæc medii Prophetæ cedro incluſi diſſectio non quadrat cum Pontificiorum diſſerratione diverſâ. Sed non opus eſt aliunde argumenta contra hanc fabulam congerere,

Traditio ſerrationis Iſaiæ vana.

quàm ab ipſa ſacra præ manibus Chronologia. Iſ. 1. v. 1. Prophetæ miniſterium ad quatuor Regum dies reſtringitur, ſcilicet *Uzziæ, Iothami, Achazi*, & *Hezekiæ*, quantæ erit audaciæ contra expreſſam Scripturam, etiam ad *Manaſſis* quinti Regis tempora id velle protelare. Hac ratione *Iſaiæ* vitam ultra ordinarias iſtorum ſeculorum humanæ durationis metas, ad annos minimum centum viginti quatuor producamus oportet. Eſto Prophetæ munus *Iſaias* inverit anno ætatis 20. qui tamen præmaturus eſt in ullum ſacrum munus introitus. Fanatici hodie Sectarii tredecennes pueros in pulpita concionabundos introducunt, ut nuper hiſtriones Anglicani adoleſcentulos loculeios, in muliebri veſte ſcortillorum perſonas acturos, in ſcenam ſolebant producere, ſed procul eſt iſta profanorum hominum praxis & effrons impudentia à divinæ ſapientiæ regulis & conſuetudine eccleſiæ, in ſacrorum miniſtrorum temporibus à mundi initio ad hunc uſq; diem ordinandis. In Novo Teſtamento vetantur procurare ſacra νεόφυτοι, præfeſtinantibus Dei adyta irrumpere Diaboli laqueus denunciatur 1 Tim. 3. v. 6. Etiam in Veteri non ante viceſimum quintum Levitæ tractabant ſacra. Verùm demus *Iſaiam* extra ordinem vigecennem prophetam egiſſe anno *Uzziæ* ſecundum *Hieronymum*, alioſque traditionis, quam refutamus, ſequaces decimoquinto; ſuperſunt in *Uzziæ* regno anni triginta ſeptem, in *Iothami* ſedecim, in *Achazi* totidem, in *Hezekiæ* viginti novem, *Manaſſi* etiam regnum ineunti ſuo duodecimo, annos quatuor aut ſex æquum eſt concedere, antequam ad id impietatis culmen valuit adoleſcere, ut *Iſaiæ* vitam eriperet, ſummæ apud populum auctoritatis viro, ſuo etiam, ut volunt Traditionarii, ſocero & ſanguine Regibus valdè propinquo; utpote qui filius fuerit *Amoſi* fratris *Amaziæ* & *Uzziæ* patrui: annorum iſtorum ſumma dat centum viginti quatuor, quouſque humana vita diebus *Hezekiæ* non ſolebat extendi, ut docet *Moſes* Pſal. 90. nec decet Prophetæ vitam eouſque producere abſque neceſſitate majori, quàm Judaica ex Talmude traditio afferre poteſt.

QUÆSTIO XXVII.

Quomodo Ieconias *exorſus ſit regnum & anno octavo & decimo octavo?*

QUæſtio viceſima ſeptima. Quî congruit nonus verſus 36 capitis 2 Paralip. cum verſu 8. 24 capitis 2 Reg. Priori loco *Ieconias* adit regnum anno ætatis octavo, poſteriori verò non ante decimum octavum? Reſp. 1. Rejicienda eſt

Cajetani

Cajetani ſolutio mala.

Cajetani & ſequacium conciliatio, qui duro huic nodo duriorem multò applicant cuneum; ajunt in Chronicis corruptum eſſe textum, & pro *octo octodecim* legi debere. Verum enim verò temerarius nimis eſt auſus humanæ ignorantiæ, medicinam non aliunde quam per divinarum ſcripturarum violationem expectare, contra ſacrorum omnium codicum in omnibus linguis conſonantem fidem; *Torniellus* & alii ex ipſis Pontificiis poſt *Abulenſem*, male ſanam hanc audaciam retundunt.

Etiam Iunii.

Secundò. Neque etiam probanda videtur doctiſſimi *Iunii* ſolutio, etſi eam Annotatores Anglicani tam priores quàm poſteriores ut ſolidam amplectantur. Chronicorum locum ita vertit *Iunius*, *octo annos natus erat* Jehojakim *cùm ille regnare inciperet*, marginique apponit notam quæ vult regnum, quod hic inchoari dicitur, non fuiſſe *Iehojakini* ſeu *Iechoniæ*, ſed ejus patris *Ioakimi*, interpretatione nimis ſubtili & violentâ. Habent Hebræa [*be molco*, ſecundum interlinearem *Montani* in Regnando *ipſum*] Pronomen *ipſum* non poteſt referri niſi ad proximam perſonam, & ita ipſe *Iunius* verſibus tam antecedentibus quàm conſequentibus phraſin exponit, imò verò etiam alibi multoties, nec unquam aliter niſi uno loco, quem affert pro interpretatione præſenti unicum argumentum 2 Reg. 16. v. 2. ubi in Regno *Achazi* ob ſimilem difficultatem ſimilem quoque interpretationem comminiſcitur, certè obſcurum probatur per æquè obſcurum, & à ſummo viro petitur hic quod eſt in quæſtione. Negamus Hebraica *be molco* 2 Reg. 16. v. 2. rectius transferri poſſe, *dum ille regnare inciperet*, quàm in loco controverſo præ manibus, neutrobi Pronomen verti debet per relativum *ille* alterius perſonæ, ſed utrobique per poſſeſſivum *ipſe*. referendo ad immediatè præcedentem, ut alibi ſemper ſecundum ipſum *Iunium*: Valeat ergo *Deodati* ſolutio, quam *Torniello*, *Henrico Philippi*, & aliis Pontificiis video probari, duplex ſcilicet habuiſſe *Iechoniam* regnandi principium, ut de aliis etiam Judæorum Regibus ſuprà dictum: alterum anno ætatis octavo, quo à patre anno regni ſui ſecundo ad throni ſocietatem aſſumptus eſt, ut firmiùs turbulentis iſtis temporibus in familia Regia ſceptrum ſtabiliretur. Alterum mortuo patre anno ætatis ſuæ decimo octavo, poſt quod tres tantùm menſes in ſolio Hieroſolymitano ſedit, Babylonem mox à *Nebuchadnezare* tranſlatus cum ſuis uxoribus, eò quod malè in oculis Domini regnum adminiſtráſſet. Octennis certè puer uxoratus non erat, nec eâ ætatulâ malè adminiſtrati regni vel in Divino, vel in humano foro reus peragi potuit.

Duplex Iechoniæ regnandi principium.

QUÆSTIO XXVIII.

Quomodo Jeconias Joſiæ *& filius & nepos, & quomodo habuerit & plures fratres & unum tantum?*

QUæritur quî congruat 15. 1 Chron. cum 17. primi *Matthæi*, hîc enim *Ioſiæ* filius perhibetur *Iechonias* cum fratribus ſuis, illic verò *Iechonias* eſt *Ioſiæ* nepos, unum tantùm habens fratrem *Zedekiam* minorem; fratres verò à *Ioſiâ* geniti numerantur quatuor, *Iohanan*, *Ioakim Iechoniæ* pater, *Zedekias* major, & *Shallum*? Reſp. Dubium hoc olim à *Porphyrio* & aliis Apoſtatis contra ſacrarum literarum veritatem ſolebat urgeri. Variæ à Theologis variis tam antiquis quàm recentioribus reſponſiones allatæ ſunt, ut videre eſt apud *Epiphanium*, *Auguſtinum*, *Ambroſium*, & alios veteres, *Calvinum* etiam, *Bezam*, *Gomarum*, *Maldonatum*, *Ianſenium*, *Spanhemium*, & alios recentiores. Summa huc redit: primò, ſecundum aliquos corruptus eſt in pleriſque codicibus *Matthæi* contextus, contra variorum manuſcriptorum fidem. Habuit *Robertus Stephanus* unum, *Faber Stapulenſis* aliud, & alii plura manuſcripta alia, quæ vulgatis *Matthæi* textibus addebant hæc verba [*&* Joſias *genuit* Joakim, *&* Joakim *genuit* Jechoniam] loci contextus favere videtur huic correctioni, aſſerit enim *Matthæus* diſertè in *Chriſti* genealogiâ tres Teſſera-Kai-decadas; in ſecunda autem ſerie reperiuntur tantum 13 generationes non 14. niſi ſupradictum addatur ſupplementum.

Addendum textuì Matthæi & Ioſias genuit Ioakim & Ioakim Iechoniam.

Secundò, quibus religio eſt ex paucorum manuſcriptorum fide quicquam in lectione communi ſacrorum codicum ſolicitare, Reſpondent aliter quoad modum, licet unum & idem quoad rem ipſam cum ſuperioribus, *Iechoniam* ſcilicet fuiſſe geminum, non tantùm unum virum ſub duplice habitudine, Regem nimirum ante tranſmigrationem, & privatum pòſt, licet in ſui extremo iterum Regem *Evilmerodachi* Babylonici Monarchæ benevolentiâ, ſed duos revera homines ejuſdem nominis; ajunt ex Judæ Regibus multos fuiſſe binomines, *Uziam* dictum *Azaniam*, *Solomonem Iedidiam*, *Zedekiam Matthaniam*, *Iehojakim Iechoniam*, *Ioakim Eliakim*, nihil ergo mirum *Iehojakinum Ioſiæ* filium *Iechoniam* etiam dictum; Verum eſt in literis paulò majorem eſſe affinitatem inter *Iehojacin* & *Iechoniam*, in voce enim Hebræâ *Iehojacin* eſt *caph* & *nun*, quæ ſunt conſonantes in *Iechonia* expreſſæ; in *Ioakim* verò ultima ſyllaba conſtat ex *koph* & *mem*, quæ in *Iechonia* non apparent,

parent, ſed in reipſâ & ſignificato nullum eſt diſcrimen inter omnia quatuor nomina *Ioakim, Iehojacin, Eliakim & Ieconiam*, nam omnia ſignificant Deum ſtatuentem aut cònfirmantem, in tribus nomen eſt Jehova contractum; in uno *El*, quod etiam eſt nomen Dei: in duobus *Iehojacin* & *Iecon a* eſt verbum *kun ſtatuere, confirmare*, in alteris duobus *Eliakim* & *Ioakim* verbum eſt *kum ſurgere*, in *Hiphil erigere, ſtatuere*, idem cum priori.

Ioakim Iehojacin Eliakim, Ieconias, quomodo eadem & tamen diverſa nomina.

Utut verò hæc literaria res ſe habeat, ajunt *Ieconiam* bis hìc nominatum, eſſe revera duos homines unius nominis: priorem *Ioſia* filium, alias *Ioakim* & *Eliakim* nominatum, cui revera fuere fratres *Iohanan*, *Zedekias*, & *Shallum*; poſteriorem verò *Ioſia* nepotem & prioris *Iecon a* filium. Quod autem *Ieconias* hic prior alius ſit à poſteriore, ajunt patere ex textu; priori enim aſcribuntur fratres & *Ioſias* pater, quod utrumque de poſteriori falſum eſt, & poſteriori datur filius *Salathiel*, quod de priori eſt falſum. Si autem videatur inſolens & contra quàm in reliquâ ſerie interrumpi ordinem, eum qui priùs nominatus eſt filius, non idem ſed alius dicatur poſteà genitor, iſque qui non anteà dictus eſt filius. Doctiſſimus *Gomarus* triplex affert exemplum in Genealogiis 1 Chron. 3. deſcriptis; in Matthæi autem loco præ manibus congruentiùs quàm ullibi iſtorum locorum, interrumpitur continuatio ſeriei, eò quòd nova ultimæ teſſera-kai-decadis Epocha inter duos iſtos *Ieconias* interſeratur.

QUÆSTIO XXIX.

Quomodo Jeconias *ſine liberis & tamen octo liberorum pater?*

QUæſtio ſequens 29. nòn minùs difficilis eſt quàm prior. Quæritur quî conciliετur 22 Jeremiæ verſu 30. cum tertio prioris Paralip. verſu 17. Priori loco *Ieconias* ſcribitur ſterilis ἄπαις ſine ullis liberis, poſteriori *Ieconia* aſcribuntur liberi multi, *Salathiel* cum fratribus 7. aut minimùm ſex? Reſp. Vexavit quæſtio hæc Theologos & Chronologos tam antiquos quàm recentiores, ut videre eſt apud *Gomarum* de Chriſti genealogiâ, & *Spanhemium* in Dubiorum Euangelicorum parte primâ. Poſt multa perplexè ſatis diſputata, tandem à pleriſque devenitur ad duarum ſolutionum alteram; utraque multos & magnos habet auctores: alii exponunt locum Jeremiæ non de ſimplici orbitate, ſed de ſeminis & liberorum *Iecon æ* miſeriâ. Ajunt in Hebraicâ editione nihil haberi de liberis, ſed vocem *gnariri* ſignificare nudum, miſerum, vacuum, nec rectè reddi ab Interpretibus vacuum liberis, cum verſu 28. præcedenti expreſſa fiat mentio ſeminis *Ieconia*, quod unà cum patre ejectum eſt in exilium; & in loco citato Chronicorum numerentur ſeptem ejus liberi, & apud *Matthæum* non tantùm ei aſcribatur filius *Salathiel*, ſed verbis expreſſiſſimis genuiſſe *Shealtielem* dicatur.

Alii tamen in diverſa eunt, contendentes *Ieremia* verba de orbitate liberorum loqui, & volunt vocem *gnariri*, de nullâ aliâ vacuitate quàm liberorum intelligi hìc debere: interlinearia *Pagnini*, Latina *Iunii*, Anglicana tam vetera quàm nova, Gallica etiam & Italica Biblia ſic legunt locum. Eóque vehementiùs hanc Jeremiæ interpretationem premunt, quòd Euangeliſta Lucas 3. v. 17. *Salathielem* filium faciat non *Ieconia* ſed *Neri*: & *Salathielis* majores in lineâ omninò aliâ quàm *Ieconia* referat, ad *Davidis* filium *Nathanem* non *Solomonem*, ejuſque poſteros deſcribat in aliâ etiam lineâ, quæ terminatur non ut apud *Matthaum* in *Eli* & *Ioſeph*, ſed in *Iacob* & *Mariâ* vel *Chriſto*. Affirmant etiam proſapiam *Solomonis* in *Ieconiâ* extinctam, & quos is babuiſſe dicitur poſteros, ejus filios fuiſſe non naturales ſed civiles, ob propinquitatem & ſucceſſionem in dignitatem ducalem, quæ poſterorum *Davidis* poſt everſum Regnum Judæorum aliquot ſeculis conditio fuit.

In priorem ſententiam lubens inclinarem, niſi ejus propugnatores *Spanhemius* & *Gomarus* faterentur, neceſſe ſe habere in hac Genealogiâ duos *Salathieles* & totidem *Zorobabeles* conſtituere, eumque qui à *Ieconiâ* genitus eſt *Salathielem*, & qui à *Salathiele* *Zorobabelem* privatos & obſcuros efficere longè diverſos ab alteris *Salathiele* & *Zorobabele*, qui mortuo *Ieconiâ* ducatum & gubernamen Judæorum adminiſtrârunt, durum adeo nobis eſt hoc incommodum, ut à priori ſententiâ abſterreat, & ad poſteriorem vulgatam quidem magis, licet intricatam redigat.

Quod ad objecta contra poſteriorem hancce ſententiam reſpondemus, vocem *ſeminis* Jerem. 22. v. 28. Non magis nos premere quàm vocem *filiorum* 1 Chron. 3. Utraque exponi poteſt de ſemine & filiis legalibus non naturalibus: diſtinctio autem hæc antiquiſſima liberorum naturalium & legalium, quam *Africanus* à Domini Jeſu propinquis vulgò δεσποσύνοις didiciſſe ſe profitetur, à Doctoribus omnibus Chriſtianis antiquis & novis tenetur in theſi; ad hypotheſin autem præ manibus cogimur eam applicare, non tantùm ob teſtatam à Jeremiâ *Ieconia* ἀπαίδευτον, ſed inprimis quod Lucas *Neri Salathielis* patrem nominet, & totam generationis lineam à *Ieconia* diverſam efficiat; tum denique quod geminum *Salathielem*, & *Zorobabelem* geminum prior ſententia abſque Scripturâ ſupponat.

M Quod

Quod autem ad nauſeam uſque ingeminant de ſenſu vocis ἐγέννησε, quaſi ea de natnralibus ſolis liberis accipienda ſit. Reſp. Gratis hoc afferi, nullam enim in uno conjugatorum majorem agnoſcimus Emphaſin quàm in altero: concedunt illi genitum, gnatum, filium, eriam genitorem & patrem de civilibus non minùs quàm naturalibus accipi poſſe & frequenter accipi oportere, hæc antem ſi de nominibus conjugatis concedunt, eadem de verbo conjugato *gignere* fruſtra negaverint.

QUÆSTIO XXX.

Quomodo Joachaz *primus filiorum* Joſiæ *&* *tamen junior* Joakimo, *etiam quomodo* Joachaz Johanan *&* Shallum *idem homo, & tamen geminus* Shallum.

QUæſtio triceſima ſit conciliatio trium inter ſe locorum, Jeremiæ 22. verſ. 11. 1 Paralip. 3. v. 15. 2 Reg. 23. v. 4. Loco primo affirmatur *Shallum* qui pro patre regnavit, traductum in Ægyptum abſque reditu; ſecundo verò *Shallum* fuiſſe *Ioſiæ* filiorum quartum, qui nunquam videtur regnâſſe, cum ex *Ioſiæ* filiis tres tantùm regnârint; tertio autem in Ægyptum traductum à *Pharaone Necho* non quartum filiorum *Ioſiæ Shallum* ſed primum *Ioachaz*, qui etiam non videtur primus filiorum *Ioſiæ*, primi enim nomen fuit *Iohanan* non *Ioachaz*, ſecundus quoque *Ioakim* biennio fuit major *Ioachazo*, qui in Ægypto captivus eſt mortuus.

Ad iſta alii aliter reſpondent, nobis ſequentia vero videnrur ſimillima; primo concedimus *Ioachazum*, qui primus liberorum *Ioſiæ* nominatur, revera fuiſſe minorem natu ſecundo *Ioakimo*, nominari tamen primum, quia primus omnium fratrum & ante fratrem natu majorem *Ioakimum* regnavit. Ubi enim *Ioſias* pater expirâſſet, populus ejus filium *Ioachazum* anno ætatis ſuæ 22. in ſolio paterno collocavit; ſed poſt tres menſes *Ioahaz* in Ægyptum ductus eſt, & *Ioakim* ejus frater major anno ætatis 25. à *Pharaone* regnare juſſus eſt. Secundò, *Ioſiæ* filius qui in Ægyptum ductus eſt trinominis fuiſſe videtur, *Iohanan, Ioahaz* & *Shallum*. Tertiò, ex quatuor *Ioſiæ* filiis duo videntur dicti *Shallum*, ſcilicet primus qui in Ægypto mortuus eſt captivus, & quartus qui ante patrem moriens in ſolio nunquam ſedit, cujus alibi quàm in ſuprà dicto loco Chronicorum nulla fit mentio. Cùm in ejuſmodi quæſtionibus demonſtrabiliter certa ab interpretum nullo afferantur, quod proximum eſt, in vero ſimillimis eſt acquieſcendum.

QUÆSTIO XXXI.

Quomodo Babylonica captivitas inceperit & primo & octavo & decimonono Nebuchadnezaris?

QUæſtio 31. Qui concilietur primi Danielis ſecundus cum primo 25. Jeremiæ & primo quadrageſimi Ezekielis; etiam viceſimo primo triceſimi ſexti poſterioris Chronicorum. Velle videtur *Daniel* Babylonicam tranſmigrationem & captivitatem cœpiſſe *Nebuchadnezaris* primo & *Ioakimi* tertio; *Ieremias* verò *Ioakimi* quarto, ut *Ezekiel* primo *Ieconiæ*, qui fuit *Nebuchadnezaris* octavus & *Ioakimi* undecimus ultimuſque: auctor autem Chronicorum captivitatem Babylonicam inchoat à captis Hieroſolymis, quid contigit *Nebuchadnezaris* decimonono & *Zedekiæ* undecimo. Reſp. Quatuor fuerunt partiales Judæorum tranſmigrationes Babylonicæ, quæ unam conſtituunt completam à primâ Hieroſolymorum per *Nebuchadnezarem* vexatione, ad ultimum per *Nebuzaradanem* regionis & urbis exterminium. Prima vexatio accidit *Ioakimi* tertio fluente, ut habet *Daniel*, & quarto inchoante, quod habet *Ieremias*, quando conjectus Rex *Ioakim* in vincula & *Daniel* cum parte populi ac parte vaſorum templi *Nebuchadnezaris* primo Babylonem tranſlati ſunt: hinc *Ieremias* & *Daniel* ſuos computos faciunt. Secunda tranſmigratio facta eſt *Nebuchadnezaris* octavo, quando necato *Ioakimo* anno regni ſui undecimo, & quarto poſtquam à Babylonicis vinculis ad ſolium ſuum Hieroſolymitanum rediit *Ieconias* ejus filius, qui loco patris paucis tantùm menſibus regnavit cum ſeptem millibus Hieroſolymitanorum, & ex totâ gente decem millibus, inter quos fuit *Ezekiel*, Babylonem deductus eſt; hinc *Ezekiel* ſuos numeros ſolet deducere. Tertia tranſmigratio fuit poſt ſecundam annis undecim; Cum *Nebuchadnezaris* decimonono & *Zedekiæ* undecimo & ultimo capta Hieroſolyma, incenſum templum & cum *Zedekiâ* occæcato totus penè populus Babylonem abductus eſt; ab hoc termino auctor Regum & Chronicorum, ſcriptorumque vulgus captivitatem Babylonicam inchoat. Quarta tranſmigratio fuit poſt tertiam annis quatuor, *Nebuchadnezaris* 23. ut habemus Jerem. 52. v. 30. Cum poſt occiſum *Gedaliam* paucas populi reliquias *Nebuzaradan*, cui templi incendendi & urbis evertendæ ſervitium à *Nebuchadnezare* priùs commiſſum fuit, Babylonem traduxit, ab hac paucorum traductione nemo tranſmigrationis annos ſolet numerare.

QUÆ-

QUÆSTIO XXXII.

An plures fuerint captivitates Babylonicæ?

Alia captivitas Iecon a, alia Zedekiæ.

QUæſtio 32. Quî congruit verſus duodecimus 52. Jeremiæ, ubi anno *Nebuchadnezaris* decimo nono dirimitur Hieroſolyma cum ejuſdem 28. ubi anno ſeptimo *Nebuchadnezaris* populus ducitur Babylonem, & viceſimo nono, nbi *Nebuchadnezaris* decimooctavo *Zedekias* cum aliis captivis dicuntur tranſmigrare? Reſp. Verſum 28 non loqni de captivitate *Zedekiæ* ſed *Iecon a*, quæ *Nebuchadnezaris* octavo inchoante & ſeptimo deſinente, *Ioakimi* ſcilicet undecimo accidit: verſus verò duodecimns & viceſimus nonus loquuntur de Hieroſolymorum excidio & captivitate *Zedekiæ*, quæ anno *Nebuchadnezaris* decimo octavo finito & decimo nono fluente, anno ſcilicet *Zedekiæ* undecimo currente contigerunt.

Si objicias non loqui Jeremiam verſ. 28. de captivitate *Zedekiæ*, eò quòd tnm temporis Babylonem abducta ſunt decem millia, ut habetur 2 Reg. 29. v. 14. Hic verò tantum tria millia nominentur. Reſp. Franguntur in dicto loco Regum millia illa decem in ſeptem & tria, quorum illa videntur complecti ſolos Hieroſolymitanos aut milites ex tribu *Iuda*: hæc verò reliquum *Iecon a* exercitum ex cæteris tribubus: in iſtis ſeptem millibus continetur mille illud artificum dicto loco Regum.

QUÆSTIO XXXIII.

Quî factum ut excîſis Hieroſolymis tam pauci Babylonem abducti ſint, ſc. vix quater mille?

QUæritur, Quî tam pauci Judæorum Babylonicam captivitatem ſubiverint, cnm enim Jeremiæ ultimo capitatim cenſentur qui Babylonem venerunt, vel cum *Iecon â* præter ſeptem illa millia ſupra dicta, vel cum *Zedekiâ*, vel in ultimâ illâ captivitate per *Nebuzaradanem* tranſmiſſa, omnes non excedunt quater mille ſexcentos, imò verò numerus ille rotundus eſt non præciſus, nam ſi ſingulas ſummas accnratè computes, habebis tantum quater mille quingentos ſeptuaginta. Reſp. Paucitas captivornm Babylonem traductorum ex variis cauſis accidit, multi ex populo calamitatem prævidentes, ante tempeſtatem ſugerunt in regiones vicinas Ammonitarum, Moabitarum, Idumæorum, Ægyptiorum, & aliorum, ut videre eſt Jerem. 40. & ſequentibus. Deinde numeroſum illum populum ante capta Hieroſolyma horrendum in modum vaſtavit. Divina vindicta in gladio, peſte, & fame, ut non tam miranda ſit reliquorum captivorum paucitas, quàm redeuntium Babylone poſt aliquot annos multitudo, ex paucia iſtis captivis divinâ benedictione procreata.

QUÆSTIO XXXIV.

Num anni 70. captivitatis incipiant annis 19. ante excidium templi?

QUæritur unde ſumant initium ſeptuaginta anni Babylonicæ captivitatis? Reſp. Ex Jerem. 25. v. 10, 11, 12. Apparet eorum initium ſumendum à primo anno *Nebuchadnezaris*, finito an fluente, nihil refert, annis nimirum novemdecim ante deſtructum templum & clanſam præ manibus Epocham, ita ut poſt urbis ac templi excidium, 70. iſtorum annorum tantum quinquaginta & unus reſtent, adeò ut facilè fuerit multis utrumque templum conſpexiſſe, *Solomonis* everſa & *Zorobabelis* jacta fundamina,

QUÆSTIO XXXV.

An Zedekias bis iverit Babylonem?

CUm *Zedekias* non ante annum ſuum undecimum abductus ſit Babylonem Jerem. 52. v. 6. qnî tamen 51. v. 59. anno ſuo quarto Babylonem iviſſe dicatur? Reſp. Etiamſi vetus Latina, & Anglicana utraque locum Jeremiæ priorem transſerant cum *Zedekiâ*, rectiùs tamen, ut videtur, *Arias Montanus* in margine, *Tremellius*, *Italus* etiam & *Gallus* interpres, vertunt à *Zedekiâ*; qnemadmodum enim cap. 29. *Zedekias* primo anno regni miſit ad *Nebuchadnezarem* nuncios; ita anno quarto Regni miſiſſe videtur alios cum *Serajah* iſtius legationis principe, negotiorum regni causâ. Annotatores Anglicani in locum varios afferunt Scripturæ locos, ubi Præpoſitio Hebraica מֵ neceſſariò pro *ab* aut *ex*, nequaquam verò pro *cum* accipienda eſt. Si iſta minùs arrident, & neceſſarium putabis מֵ hoc loco ſumi ut vulgò pro *Cum*, tum dabimus *Serajam* comitatum eſſe *Zedekiam* verſus Babylonem, nihil tamen alind hinc excudetur quàm *Zedekiam* negotiorum cauſâ quarto ſui Regni anno Babylonem eſſe profectum, nequaquam verò tam matnrè abductum eò captivum, quod anno demum undecimo contigit.

QUÆSTIO XXXVI.

An idem annus fuerit & quintus & triceſimus captivitatis?

QUæritur, Quî conſonet verſus 1. cap. 1. Ezekielis cum ejuſdem verſ. 2. Priori enim verſu mentio fit anni triceſimi, & ſecundo, anni quinti captivitatis, an unus &

idem eſſe potuit & triceſimus & quintus annus captivitatis? *Reſp.* In verſu ſecundo expreſſa eſt mentio captivitatis, in primo autem nullum de captivitate verbum, itaque nullum dubium hos duoa annos diverſarum eſſe rationum, quintum nimirum numerari à primo captivitatis *Iecon[ia]*, qui in eundem Regni *Zedek[ia]* incidit, ſicut alii propè omnes ab *Ezekiele* memorati ab eodem iſto termino computantur, ſed triceſimus hic manifeſtè ad aliud principium téferendus eſt, & in hoc tota difficultas ſita eſt, ut inveniatur hujus triceſimi vetus terminus. De eo magna eſt inter auctores tam veteres quàm novos diſcrepantia, multi putant triceſimum hunc referri ad Regnam *Nabopolaſſari*, patria *Nebuchadnezaris* Babylonis Monatchæ; alii malunt *Iubilæi* Judaici rationem haberi, quaſi quintus annus captivitatis cum triceſimo *Iubilæi* coincideřit: alii triceſimum hunc de vitâ ipſius Prophetæ volunt intelligi, quaſi annò quinto captivitatis *Ezekiel* triceſimum ætatis ſuæ egiſſet: Alii denique, quod nobia probabiliſſimum videtur, triceſimum hunc computari volunt à *Ioſiæ* decimo octavo, in quo Liber legia repertus eſt, & celeberrimum Paſcha à *Ioſia* celebratum, cujus ſolemnitatis memoria uſque adeò memorabilis inter Judæos fuerat, ut ab eâ ſuoa annos in poſterum numerarent. Certè ab eo notabili tempore ad quintum *Zedekiæ*, triginta exactè reperiuntur. Nam ſi ex *Ioſiæ* triginta & uno ſumas quatuordecim, iiſque adjungas *Ioakimi* undecim & *Zedekiæ* quinque, conſtunt ad amuſſim triginta.

Ezekielis triceſimus numeratur à magno Paſchate, Ioſiæ decimooctavo.

QUÆSTIO XXXVII.

Qui termini annorum Ezekielis *trecentorum nonaginta & quadraginta?*

QUæritur de ſenſu verſuum quarti & ſexti capitis quarti *Ezekielis*, qui nimirum ſint termini annorum iſtorum trecentorum nonaginta quibus Deus tulit iniquitatem Iſraëlis, & annorum quadraginta quibus Deus tulit iniquitatem Judæ? *Reſp.* Videat, cui lubet, magnam ſententiarum diverſitatem tam inter veteres quàm recentiorea apud *Henricum Philippi*, ſolutio, in qua plerique acquieſcunt, hæc eſt: Prophetam, ſeu in revelatione & ecſtaſi dies trecentos & nonaginta uni lateri incubuerit, ſeu reverà in oculis populi per id totum ſpatium temporis in uno corporis ſitu remanſerit, & Divina potentia ad hujuſce potenti moleſtiam ſuſtinendam corroboratus ſit, ſignum exhibuiſſe ſpectantibus miraculoſæ Dei patientiæ, quâ tot annis populi ſui peccatis preſſus tandem in peccatores exarſit: Iſraëlitas autem hic ſumendos non reſtrictivè ad decem ſolùm tribus, ſed extenſivè ad totam Hebræorum gentem, duodecim tribus ex Iſraële prognatas: Eorum maxima provocatio fuit in Idololatriâ *Ieroboami*, quâ decem tribus à domo *Davidis* ſecedentes, Idololatriam publicam *Dane* & *Bethele* erexerunt. Horum ergo annorum terminua prior figendus eſt in primo *Rhehoboami* & eodem *Ieroboami*, & ultimus in undecimo *Zedekiæ*, quando in excidio Hieroſolymorum totæ *Iacobi* poſterorum reliquiæ terrâ promiſſionis ejectæ ſunt: Inter hos duos terminos exactè fluxerunt anni trecenti nonaginta, ut videre eſt in tabulis Chronologicis *Ubbonis Emmii*, *Calviſii*, & *Capelli*, quos nos in computis ſolemus ſequi; *Henricus Philippi* totis annis decem deficit & *Uſherius* quatuot.

Quod ad poſteriorem quadraginta annorum ſummam, ejus poſterior terminua idem eſt cum ultimo termino ſummæ prioris, ſed prior terminua à variis variè figitur. Multi in decimo octavo *Ioſiæ*, quando renovatum eſt ſolenniter fœdus, & ex quo tempore accuratiùs fœderati populi hypocriſis, idololatria, & alia iniquitas à Domino eſt obſervata: plures verò in Joſiæ decimotertio eum terminum collocant, quando *Ieremiæ* Miniſterium inchoatum eſt, à cujus luce & convictionibus multum oneria populi peccatis acceſſit: certè à *Ioſiæ* decimo tertio ad *Zedekiæ* undecimum, in trium ſupra nominatorum calculo quadraginta anni præcisè numerantur.

QUÆSTIO XXXVIII.

Quis annus viceſimus tertius qui in quartum Joakimi *incidit?*

QUæritur de conciliatione verſus 1. cap. 25. Jeremiæ cum 3. ejuſdem, Quis nimirum ſit ille annus viceſimus tertius qui in quartum *Ioakimi* incidit? Reſponſio hîc eſt facilis & expedita, annus hic vigeſimus tertius eſt Miniſterii Prophetæ *Ieremiæ*, quod incipiens decimo tertio *Ioſiæ* in quarto *Ioakimi* perſeveraverat annis viginti tribus. Nam *Ioſias* regnavit annis triginta & uno, & *Ioahaz* aliquot menſibus, ita ut ante *Ioakimum Ieremias* annis novemdecim in munere Prophetico miniſtraverit, quibus ſi addas quartum *Ioakimi*, naſcetur viceſimus tertius *Ieremiæ* præ manibus.

QUÆSTIO XXXIX.

An verum quod revelatio de induendo jugo data ſit Jeremiæ Joakimi *primo, ſed executio non niſi poſt annos undecim* Zedekiæ *quarto facta?*

NOn tam ſolutu facilis eſt quæſtio ſequens triceſima nona de concordantiâ primi

primi verſus cap. 27. Jeremiæ cum tertio. Priori loco præceptum de induendo jugo *Ieremia* datur initio Regni *Ioakimi*, poſteriori regnante *Zedekia*, cùm ad eum veniſſent vicinorum Principum legati annis quatuordecim aut minimùm undecim poſt terminum ſupra dictum. Reſpondent hîc auctores varia, ut videre eſt apud *Torniellum* & *Henricum Philippi*, & in primis Annotatores Anglicanos recentiores, qui multas multorum ſententias referunt abſque ullâ ſignificatione, num ulla ex omnibus ipſis allubeſcat. *Salianus* nomen *Ioakimi* deſcriptorum S. Scripturæ incuriâ loco *Zedekia* irrepſiſſe putat: ſecare hoc eſt Gordiannm nodum non ſolvere, & ut unum incommodum vites in aliud longo majus præcipitare. Quod alii *Ioakimum* volunt nomen commune omnibus *Ioſia* filiis adeoque & *Zedekia*, cùm nullâ Scripturâ nitatur ut inane figmentum corruit. Quod *Torniellus* & alii multi poſt *Hieronymum* verſ. 1. rejiciunt ad caput prius, ita ut nullum nexum habeat cum Prophetia de jugo & vinculis, lubentes admitteremus; ut non rarò inadvertentiâ eorum qui textus ſacros & capita in verſus diſcriminârunt, quæ initio capitum variorum ponuntur, manifeſtè ad poſtrema capitum præcedentium ſpectant: Sed cogimur & hanc ſolutionem rejicere, eò quòd ultima vox primi verſus *dicendo* neceſſarium nexum cum ſequentibus importet. Amplectimur ergò iſtam aliorum Reſponſionem, quæ revelationem hanc de jugo & vinculis in initio Regni *Ioakimi* collocant, ſed executionem ad *Zedekiæ* quartum referunt, ubi juga miſit Propheta ad Principes vicinos per ipſorum legatos, quos tum temporis Hieroſolymam ad *Zedekiam* miſerant. Nec hinc ſequitur totis undecim aut quatuordecim annis à primo *Ioakimi* ad primum vel quartum *Zedekia* jugatum, & in vinculis inceſſiſſe Prophetam (quanquam & in eo nullum eſt intolerabile abſurdum.) Nam licet Prophetiam *Ieremia* revelatam concedamus initio regni *Ioakim*, non tamen executioni datam admittimus, antequam legati veniſſent Hieroſolymam poſt initum à *Zedekia* regnum.

QUÆSTIO XL.

Quomodo initium Regni Zedekiæ *ſit annus quartus?*

QUæſtionem quadrageſimam ſuppeditat verſus 1. cap. 28. Jeremiæ, ubi *Hanania* Pſeudoprophetæ contumelia accidiſſe dicitur & principio Regni *Zedekia* & anno quarto. An annus quartus potuit eſſe principium Regni *Zedekia*? Reſp. Multæ ſatis ſunt hac de re Interpretum & Chronologorum ſententiæ: Duæ tamen videntur primariæ, quarum neutra eſt improbabilis, & alterutra ſine magno incommodo poteſt accipi. Prior aſſerit annum quartum ſatis concurrere cum principio Regni *Zedekia*, eò quòd ejus regnum conſtiterit annis undecim, & vero tempore undecim diviſo, ut vulgò ſolet, in principium, medium, & finem, annus quartus ad principium non medium nec finem iſtius numeri ſpectabit. Hæc niſi placuerit ſententia, amplectere ſecundam; ſcilicet, annum quartum referri non ad regnum *Zedekia*, ſed ad Iubilæa & annos ſabbaticos, ita ut annus primus *Zedekia* ſit quartus à Sabbatico, & *Zedekia* quartus ſit Sabbaticus, pro ut *Zedekia* undecimus erat Sabbaticus alter, in quo Hieroſolymâ deſtructâ frui inceperunt puris & impollutis ſuis Sabbatis. Sunt qui neutram hanc computandi rationem in Scripturis uſurpatam videntes, tertiam procudunt ſententiam, *Zedekia* ſcilicet quartum vocari Regni ejus principium vel primum, eo quod hoc anno profectus Babylonem ad *Nebuchadnezarem* novam in regno ſuo confirmationem, novamque in vicinos principes ἐπισκοπὴν ac ſuperintendentiam nactus ſit. Sed non immoramur demonſtrando quàm fragilibus tibicinibus tertia hæc ſententia ſuffulciatur.

QUÆSTIO XLI.

Quomodo Hieroſolymorum excidium non niſi poſt ſeptemdecim menſes Babylone auditum ſit?

QUæritur qui conſonet ſextus 25. cap. 2 Reg. cum 21. 33. Ezekielis. Priori loco capta civitas eſt anno *Zedekia* undecimo, menſe quinto, die ſeptimo menſis: loco poſteriore nuncius de captâ civitate ad *Ezekielem* Babylone venit non ante annum duodecimum, menſe decimo, & die menſis quinto. Quî fieri potuit ut clades Hieroſolymitana totos ſeptemdecim menſes Judæos Babylone latuerit? Certè iter Hieroſolymis Babylonem expedito pediti paucarum erat ſeptimanarum. & verò calamitatis Hieroſolymitanâ multò minoris allata fama celerrimos nuncios ſolet antevertere, tumque temporis *Nebuchadnezar* triumphorum ſuorum Hieroſolymitanorum euangelia amicos ſuos Babylone non videtur voluiſſe tamdiu celare. Reſp. *Hieronymus* & alii poſt eum, Hieroſolymorum vaſtatorum nuncia non ante menſes ſupradictos ſeptemdecim Babylone audita arbitrantur: ſed durum hoc pleriſque Interpretibus. Ex his quidam cum *Torniello*, *Saliano*, & *Henrico Philippi* nodum conantur ſolvere per diſtinctionem annorum ſacro-

rum à civilibus, quaſi quod anno duodecimo ſacro contigit, id undecimo civili potuerit accidiſſe. Verum hujuſmodi diſtinctionis rationes neque ſatis expediunt, neque omninò probant. Itaque in alio acquieſcimus reſponſo cum notis nuperis Anglicanis, ſcilicet ut libet maturè calamitas Judaica ad *Ezekielis* & *Babyloniorum* aures pervenerit, tamen non ante tempus præfatum narrationem diſtinctam de totâ urbis & gentis etiam poſt *Gedoliæ* cædem, internecione ab autoptâ quodam teſte inſtitutam, multo enim tempore poſt res peractas & famâ confuſâ diſperſas certa circumſtantiarum notitia ab aliquo præſentium, nationibus procul diſſitis ſolet communicari.

QUÆSTIO XLII.

Quomodo Nebuchadnezar *viderit ſtatuam anno ſecundo & etiam quarto?*

QUæritur qui concilietur quintus 1. Danielis cum primo ſecundi, poſteriori loco vidit *Nebuchadnezar* ſtatuam anno ſuo ſecundo; priori apparet, non niſi poſt quattum ſomnium illud *Nebuchadnezari* obveniſſe: non enim priùs inter ſapientes Babylonis in conſpectu Regis *Daniel* conſtitit, nam totis tribus annis poſt primum *Nebuchadnezaris* quo *Ioakimi* tertio aut quarto de Judæâ Babylonem captivus abductus eſt, vacavit privato ſtudio ſcientiarum Chaldaicarum. Reſp. Poſt *Hieronymum* Pontificiorum Chronologorum primarii verſum 1. capitis 2. exponunt non de Regno, ſed de Monarchiâ *Nebuchadnezaris*: ajunt loqui caput primum de Regno quo *Ioakimi* tertio in ſolio Babylonico poſt patrem ſedit *Nebuchadnezar*, ſed monarchiam Babylonicam poſt hoc regnandi principium multis annis incepiſſe autumant, poſt ſcilicet ſubactam Ægyptum & vicinas omnes regiones, quod *Torniellus* non ante Regni viceſimum tertium, & *Henricus Philippi* non ante triceſimum quintum accidiſſe arbitratur: utcunque ſecundum illum annum, cujus *Daniel* meminit, de ſecundo Monarchiæ non Regni volunt accipiendum. Acquieſcerem in hac ſententiâ, niſi incommodum videretur annis totis triginta aut minimùm viginti *Danielem* poſt ſuam captivitatem virum obſcurum & *Nebuchadnezari* incognitum efficere, quod ſecundum hanc ſententiam erit neceſſarium: anno enim illo quem dicunt Monarchiæ ſecundum, & Regni viceſimum tertium aut triceſimum quintum quo ſtatuam in ſomno conſpexit Rex, vix de nomine *Daniel* ipſi cognoſcebatur. Præterea ſi Chaldæorum Monarchia & ſtatuæ illius caput aureum non ante *Nebuchadnezaris* triceſimum quintum inceperit, brevi adeo temporis ſpatio Monarchia hæc duravit, ut ad cæterarum trium inſequentium *Perſica*, *Græca*, & *Romana* durationes, nullam propè proportionem habuerit; cùm tamen à vulgo ſcriptorum Monarchia Chaldæorum cæterarum prima multò omnium longiſſima perhibeatur. His incommodis preſſi ad ſecundam declinamus ſententiam *Iunii*, quem *Deodatus* & Anglicani Annotatores utrique ſequuntur, annum ſcilicet præ manibus ſecundum, neque ad Regnum neque ad Monarchiam *Nebuchadnezaris* referendum, ſed ad aliud principium, tempus ſcilicet quo poſt triennale privatum ſtudium *Daniel* cum ſociis in conſpectu Regis ſtare cœpit, quod in *Nebuchadnezaris* quintum & *Ioakimi* nonum incidit. Unica hanc ſententiam objectio premit, textum ſcilicet ſacrum expreſsè vocare annum prædictum ſecundum Regni *Nebuchadnezaris*. Reſp. Ita quidem Interpretem Latinum, Gallum, & Anglicanos tam veteres quàm novos locum transferre: Sed Interpretationem *Iunii* & *Deodati* ſatis commodè fert Hebræus fons, ſcilicet in anno ſecundo non Regni, ſed dum regnaret aut in regno *Lemalcuth*, hæc expoſitio objectionem abſque eluſione facilè elidit.

QUÆSTIO XLIII.

Num unus tantùm Nebuchadnezar *filius* Nabopolaſſaris *non* Nabonaſſaris?

QUæritur quiſnam ille de quo toties Prophetæ, *Nebuchadnezar* fuerit, & quomodo à *Nabonaſſare* & *Nabopolaſſare* de quibus tam multa auctores profani, diſtinguendus? Reſp. Quidam tam antiqui quàm recentiores geminum faciunt *Nebuchadnezarem*, patrem & filium cognomines, ſed multiplicatio hæc nullo neceſſario fundamento nixa à pleriſque doctiſſimis & cordatiſſimis tam Chronologorum quàm Scripturæ Interpretum, rejicitur, & quæ *Nebuchadnezari* primo aſcribuntur, ea *Nabopolaſſari*, *Nebuchadnezaris* patri attribuunt. De *Nabopolaſſare* nihil ſacræ literæ, profani tamen auctores multa, quæ alii nulli quàm *Nebuchadnezaris* patri congruunt.

Nabonaſſaris celeberrimum eſt in hiſtoria exotica nomen, non quòd ibi quicquam de rebus ejus geſtis legatur, ſed quod *Ptolemæus* Chronologorum & Mathematicorum diebus *Antonini* Imperatoris facilè princeps, Chaldæorũ, Ægyptiorum, Græcorum, & Romanorum hiſtoriis ac ratiociniis temporum accuratiſſimè compoſitis, Canonem quem vocavit Mathematicum conſtruxerit; cujus caput conſtituit in

Nabo-

Nabonaſſaris anno primo. Rex hic fuit Babylonis diebus *Hezekia*, ſecundum aliquos *Merodach*, ſecundum alios *Baladan*; ipſemet vel ipſius pater qui *Hezekia* recuperatam valetudinem gratulatus eſt. Ante hujuſce tempora *Ptolemaus* diligentiſſimus antiquitatis ſcrutator, nihil certi inveniebat in monumentis veterum in quo figeret pedem; Judæorum libros ſacros vel ignoravit, vel ut Ethnicus ſprevit; ſed à *Nabonaſſare* ad ſua uſque tempora tabulam temporum conſcripſit, quam Chronologi omnes ut *κειμήλιον* pretioſiſſimum, & tantum non à *Pallade* delapſam cœlitus Ægidem adorant, de quâ plura ſuo loco. In hac tabula Principum omnium apud Chaldæos, Perſas, Græcos, & Romanos ſeriem & tempora uniuſcujuſque à *Nabonaſſare* ad *Antoninum* diſponit, accuratius multò quàm quiſquam vel ante vel poſt ſe Chronologorum, donec ad tempora noſtra pervenias; quando incompatabilis multorum in omnibus ſcientiis excellentia cornicum oculos confixit, ſexagenarios omnes de ponte dejecit, & maximis olim luminibus novo ac admirando ſuo ſplendore dudum obſtruxit. *Nabonaſſar* hic, in capite Canonis Ptolemaici Chaldaicorum Monarcharum primus, centum & quod excurrit annis ante *Nabopolaſſarem*, ejuſque filium *Nebuchadnezarem* conſtitutus, celebris valdè Epochæ character evaſit.

QUÆSTIO XLIV.

Qui termini Prophetiæ Iſaiæ?

QUæritur quæ ſint *Iſaiæ* Prophetæ tempora? Reſp. Certi non ſunt hujus Prophetæ vel vitæ vel prophetandi termini. Quod enim multi ultra centum & triginta annos ab *Uzziæ* primordiis ad *Manaſſis* medium ejus prophetiam non vitam tantùm extendant, ſuprà refutavimus. Certum eſt longinquam hujus Prophetæ tam vitam quàm miniſtrationem fuiſſe. Si ſtrictiſſimos qui cogitari poſſunt ejus miniſtrationi limites concedamus, ultra quadraginta quinque annos ejus miniſterium occupabit: inſerviit enim Deo & Eccleſiæ diebus *Uzziæ, Iothami, Achazi*, & *Hezekiæ*; eœpiſſe non ante ultimum *Uzziæ*, & perſeveràſſe non ultra decimumquintum *Hezekiæ*, quando contra *Senacheribum* Deum ſupplicavit, hi termini certi ſuperant annos quadraginta quinque. De cætero non conſtat, quamdiu ante *Uzziæ* ultimum capite ſexto, & *Hezekiæ* decimum quintum capite 36. & ſequentibus memoratum, Prophetam egerit, nec decet hîc conjecturis nixum ſua quemquam aliis effata obtrudere.

QUÆSTIO XLV.

Quæ tempora Jeremiæ, Ezekielis, & Danielis?

QUæritur quæ trium inſequentium Prophetarum majorum tempora *Ieremiæ*, *Ezekielis* & *Danielis*? Reſp. *Ieremias* munus ſuum obire cœpit toto ſeculo poſt *Iſaiam*, *Ioſiæ* decimotertio, ut ipſe docet cap. ſuo 25. ab eo tempore ſupra annos quadraginta in miniſterio perſeveravit, nam à decimotertio *Ioſiæ* ad Epochæ finem & templi exciſionem fluxerunt anni quadraginta, poſt quod tempus aliquandiu cum *Godaliâ* remanſit in Judæâ *Ieremias*, & poſteà à *Iohanane* in Ægyptum cum populi reliquiis pertractus, ibi etiam aliquandiu Prophetam egit, ſed quot annis non liquet ex ſacris literis. Quod habet *Epiphanius*, & poſt eum multi Pontificiorum de *Ieremiâ* in Ægypto tribus, aut quatuor aut pluribus annis prophetante, & tandem ſuum teſtimonium ac martyrium per ſanguinem obſignante, dum à furioſo & inſanientis in Idola libidinis populo lapidibus obrueretur, admittere non poſſumus abſque omni probatione: traditiones enim non moramur, ſeu Judaicæ ſeu Pontificiæ fuerint.

Quod ad *Ezekielem*, is miniſterium ſuum Propheticum inchoavit anno quinto, poſtquam cum *Ieconiâ* Rege deportatus eſt Babylonem, ut habemus cap. 1. 2. triginta quinque annis, poſtquam *Ieremias* prophetare cœpiſſet, & annis ſex ante everſa Hieroſolyma, ita ut ſeptem aut octo annis *Ieremiæ* fuerit σύγχρονος, eandem Dei veritatem Babylone prædicans, quam *Ieremias* Hieroſolymis & in Ægypto. Perſeveravit in ſuo miniſterio ad annum tranſmigrationis *Ieconiæ* vicesimum ſeptimum, ut legimus cap. 29. v. 17. quamdiu poſteà vixerit aut prophetaverit, ex Scriptura non conſtat. Apparet quidem ex certis, ut poſt *Ieremiam* incepit annis triginta quinque, & cum eo Eccleſiæ Judaicæ inſerviit annis ſex aut ſeptem, ita poſt eum annis tredecim aut quatuordecim perſeveràſſe, decurſo in ſuo munere annorum viginti duorum ut minimùm ſtadio.

Quod ad *Danielem*, deductus eſt Babylonem tertio aut quarto *Ioakimi*, *Nebuchadnezaris* primo, ut apparet ex cap. 1. v. 2. collato cum Jeremiæ 25. perſeveravit in munere Prophetico ad annum tertium *Cyri*, ut legimus cap. 10. v. 1. Inter *Nebuchadnezaris* primum & *Cyri* tertium fluxerunt minimùm ſeptuaginta quatuor: ita Babylonem deductus eſt ante *Ezekielem* annis tredecim, & poſt eum multis annis prophetam egit. Quamdiu autem poſt

Cyri

Cyri tertium vitam produxerit, Scriptura tacet, tantùm certum eſt, ſicut cum *Ieremia* aliquot annos, ita cum *Ezekiele* plures Eccleſiæ inſerviiſſe.

QUÆSTIO XLVI.

Num hiſtoria Suſannæ *ex ſacra Chronologia refutetur?*

QUæritur, An quæ Dan. 13. traditur Apocrypha hiſtoria *Suſannæ*, cum ſacra Chronologia poſſit conſiſtere? Reſp. Nequaquam verò. Mendacium & fabulatorum hominum intereſt eſſe valdè memores, parvula enim rima perſpicacibus lata feneſtra ſolet eſſe ad prodendam & explodendam totam, quam ipſi ſibi egregiè viſi ſunt contexuiſſe falſitatem. Præter alia argumenta ad hancce præ manibus ſabellam falſitatis convincendam, ſatis eſt hæc una Chronologica demonſtratio. Capitis iſtius 13. verſus 45. cum 65. collatus *Danielem* efficit puerulum dum regnare inciperet *Cyrus*. Vera autem ex variis Scripturis Canonicis Chronologia, ut ex prædictis apparet, non patitur *Danielem* anno *Cyri* vel primo minorem fuiſſe octogenario; iſta autem ſimul conſiſtere nequeunt. *Bellarminus* & alii ex Pontificiis, ut duram hanc ἐναντιοφανίαν concilient, duos comminiſci coguntur *Danieles*, unum qui cum *Nebuchadnezare* vixerat, & initio *Cyri* in capularem ſenectionem evaſerat, alterum, qui *Cyro* regnante primam tantùm adoleſcentiam ingreſſus eſt, de quo in hiſtoria *Suſanna*. Sed *Torniello* & aliis pleriſque Pontificiis multiplicatio hæc *Danielis* non placet, utpote nullo veteris cujuſquam auctoris vel ſacri vel profani teſtimonio ſuffulta: ipſi ergo alio tibicine apocrypham hanc ædem ſtatuminant, ajunt caput decimum tertium per Hyſteron proteron extra ſuum locum collocari, & in vera hiſtoria ſtare debere ante cap. 1. Hiſtoriam enim *Suſanna* geſtam fuiſſe, antequam *Daniel* in *Nebuchadnezaris* conſpectum venit. Quod autem legimus cap. 13. *Danielem* adoleſcentem ea geſſiſſe poſt mortem *Aſtyagis*, *Cyro* ineunte Regnum: ajunt pertinere non ad cap. 13. ſed initium eſſe capitis 14. Replicamus, eſto per Hyſteron proteron caput 13. collocetur ante primum, & hanc ἀμεθοδείαν in Sacro Scriptore abſque ullâ ratione admittamus: præterea ſecantium hunc librum ἀβλεψίαν fateamur, dum 63. verſum capitis 13. dividunt à capite 14. cujus principium eſſe debebat. iſta largiamur ad merum beneplacitum patronorum Apocryphæ Scripturæ. Sed volumus reſpondeant quî 63 iſte verſiculus capitis 13. legi potuerit una cum primo capitis decimiquarti abſque craſſiſſima Tautologiâ? Et verò quis ſani cerebri ſcriptor abſque omni προφάσεως, idem per idem eodem momento ingeminaſſet? Quid attinebat eodem ſpiritu, iiſdem verbis narrâſſe, *Aſtyage* mortuo *Cyrum* occupâſſe thronum? ergò valere juſſo hoc etiam ſophiſmate eloquamur apertè, fabuloſam, nugacem, & à Judæis hominibus vaniſſimis dum à Scripturis diſcedunt, confictam illam ſub falſo *Danielis* titulo *Suſanna* hiſtoriam.

QUÆSTIO XLVII.

Num hiſtoriam Beli *&* Draconis *Chronologia refutet?*

QUæritur, an quæ *Danieli* aſſuitur cap. 14. de *Belo* & *Dracone* hiſtoria Chronologicis rationibus quadret? Reſp. Et hæc aſſumenta Chronologia ſacra demonſtrat apocrypha; præterquam enim quòd Propheta *Habbakukus*, qui ſua ante everſum templum vaticinia edidit, temporibus *Cyri* Perſæ ad miniſteria meſſoribus campeſtria idoneus eſſe per ætatem non potuerit, adeò ut Apocryphorum patroni fingere neceſſe habeant, ut alterum *Danielem* ita & alterum *Habbakukum* à Propheta diverſum; Hoc omiſſo fatetur *Tornellus* poſt alios, *Cyrum* hunc quem à colendo *Belo* & *Dracone* alter ille *Daniel* avertiſſe dicitur, non fuiſſe Perſam ſed Babylonium, *Evilmerodachum Nebuchadnezaris* filium & *Baltaſaris* patrem. Perſarum enim Reges adorabant Solem & Stellas, ſed ab imaginibus & idolis, Chaldæorum in primis *Belo*, dicuntur abhorruiſſe. Utut hæc ſe habeant, duriſſimum videtur incommodum abſque ullâ auctoritate ſeu ſacra ſeu profanâ, *Cyrum* Perſam in *Evilmerodachum* Chaldæum tranſſubſtantiare, etſi Struthionis cuiquam ſtomachus contigerit qui ferrea abſurda facilè concoquit, quî tamen in leonum lacum ſecundò aut etiam tertiò *Daniel* projicitur, & toties inde miraculoſe eripitur? An pro libitu mortalium tam facilè multiplicanda miracula? Verus *Daniel* capite 6. narrat ſe in lacum leonum à *Dario* Medo, ne violarentur edicta Medorum, præcipitatum; *Daniel* autem apocryphus capite 14. mortuo *Dario* Medo ſeu *Aſtyage* à *Cyro* ſe injectum pronunciat. *Tornellus* autem & alii, ut Apocryphorum mendacia contegant, ab *Evilmerodacho Balthaſaris* patre multò ante vel *Darii* Medi vel *Cyri* Perſæ tempore injectum fingunt. Unum abſurdum alio, ut ſæpe fit, abſurdo majori ſarcientes. Ergò vel unus vel tres *Danieles* in leonum lacum ter ſunt projecti ab *Evilmerodacho*, *Dario* & *Cyro*, diverſis temporum intervallis, quod

nemo

nemn ad Apocryphi ſcriptoris auctoritatem ſuſtinendam facilè admiſerit.

QUÆSTIO XLVIII.

An Tobiæ *liber Apocrypſeos ex Chronologia poſsit convinci?*

QUæſtio 48. An *Tobia* etiam liber Apocrypſeos ex Chronologiâ poteſt convinci? Reſp. Ita quidem apparet, ſi caput primum verſ. 2. & 11. conferas cum cap. 14. verſu 15. Ex his enim ſimul junctis ſequitur *Tobiam* Jniorem non tantùm natum ſed eò etiam ætatis provectum, ut potuerit transferri de Iſraëlitide Niniven diebus *Salmanaſſaris*; neceſſarium eſt ergo ſupponere, *Tobiam* Jniorem fuiſſe bimulum in ultimâ clade quâ *Salmanaſſar* Iſraëlitas affecit, anno ſcilicet ſexto *Hezekia*, quando Samaria exciſa, decemque tribus & unà cum iis *Tobias* ſenior cum uxore & filio captivi traducti ſunt. Ab eo tempore vixit uſque dum *Nebuchadnezar* Niniven deſtruxit, quod accidiſſe ſupponas *Nebuchadnezaris* primo ſeu *Ioakimi* tertio; ergo vixit *Tobias* Junior ab anno quarto *Hezekia* ad annum quartum *Ioakimi*, id eſt, aliquammultis ſupra centum, quouſque eo ſeculo nullus mortalium ſolebat vitam producere. *Hezekias* poſt ſuum quartum regnavit viginti quinque, *Manaſſes* quinquaginta quinque, *Amon* duos, *Iosias* triginta unum, *Ioakim* quatuor, hi juncti faciunt centum & ſeptemdecim. Ex Pontificiis multi plures adhuc addunt: longævitas hæc abſque causâ extraordinariâ, unà cum multis aliis quæ hic afferri ſolent argumentis, *Tobiæ* librum Apocryphum demonſtrant.

QUÆSTIO XLIX.

An Judithæ *hiſtoria per Chronologiam refutetur?*

QUæritur; An ex Chronologiâ quidquam produci poſſit quod libri *Iudith* vitium coarguat? Reſp. Noſtrâ parum refert ad quæ tempora referatur Apocrypha *Iuditha* fabula, tantùm confirmamur in nugarum iſtarum rejectione, dum Pontificiorum doctiſſimos fruſtrà deſudare videmus in conciliatione hujuſce ſabulæ cum ſacrâ Chronologiâ. Duæ ſunt eorum primariæ ſententiæ, altera *Saliani*, *Bellarmini* & aliorum, quæ *Nebuchadnezarem* in *Iudithâ* memoratum qui *Arphaxad* Regem Medorum occidit, & in urbe Ninives Aſſyriorum Regnum adminiſtravit, vult fuiſſe *Merodach* Regem Babylonis, qui diebus *Hezekia* & *Manaſſis* Regnum Judæ vixit: Secundum hos ante Babylonicam captivitatem hiſtoria *Iuditha* geſta eſt: ſed *Torniellus*, *Henricus Philippi*, & alii, poſt reditum iſtius captivitatis *Iuditham* collucantes, *Nebuchadnezarem* vel ipſum *Xerxem*, vel Aſſyrium aliquem Principem diebus *Xerxis* ſuiſſe contendunt. Geminæ hujus ſententiæ auctores alii aliorum placita rectè refutant, ſed ſua nequaquam valent ſtabilire. Poſteriores rectè demonſtrant nullum *Hezekia* tempore *Nebuchadnezarem* vel in ſacrâ vel in profanâ hiſtoriâ comparere, & tum temporis nondum everſum templum, nec abductos Judæos, nedum ut à captivitate redierint, nec à *Manaßis* temporibus gaviſos eſſe Judæos profundâ ſuprà centum annos pace, quæ omnia conſarcinator Apocryphæ ſabulæ nugatur. Priores non minùs fortiter poſteriorum ſententiam elidunt, veriſſimè afferentes diu ante *Xerxem* Perſam Niniven fuiſſe deſtructam, nec ullum *Xerxis* temporibus *Nebuchadnezarem*, nullum etiam in Aſſyria tum temporis Principem, qui tantum exercitum in ditionibus Monarchæ Perſarum conduxerit, neque ullum etiam unquam apud Medos regnâſſe *Arphaxad*, nugator ille rudiſſimus omnis tam hiſtoriæ quàm Chronologiæ ſeu ſacræ ſeu profanæ, à plurimis erroribus putidiſſimis non poteſt defendi.

QUÆSTIO L.

Quæ tempora Hoſeæ, Joëlis, Amoſi, *&* Obadiæ?

QUæſtio quinquageſima, Quomodo diſtribuenda ſunt tempora quatuor primorum ex duodecim minoribus Prophetis, ſcilicet *Hoſea*, *Ioëlis*, *Amoſi* & *Obadia*? Reſp. De *Hoſeâ* etſi non audeamus affirmare cum aliquibus tam veterum quàm recentiorum ex verſ 3. cap. 1. Verbum Domini ad eum veniſſe in primordio omnium aliorum Prophetarum, qui ſuas deſcripſerunt Prophetias; adeoque anteceſſiſſe hunc (etſi non *Eliam*, *Elizæum*, *Gaddum*, & alios qui non ſcripſerunt libros) *Eſaiâ* tamen & aliis Prophetiarum ſcriptoribus fuiſſe priorem. Hæc nobis nimia videtur iſtius loci contorſio, qui nihil aliud innuit, quàm quod ſequitur capite illo primum fuiſſe vaticiniorum, quod Dei Spiritus revelavit huic Prophetæ: lubentes tamen admittimus ex cap. ejuſdem verſ. 2. *Iſaia* fuiſſe omnimò contemporaneum, utpote cum ſub iiſdem Regibus vixerit, *Uzziâ*, *Iothamo*, *Achazo*, & *Hezekiâ*: quo autem *Uzzia* anno cœperit, & quo *Hezekia* deſierit, non magis de *Hoſeâ* conſtat quàm de *Iſaiâ*: hoc tantùm de *Hoſeâ* patet incepiſſe eum ante finem *Ieroboami* ſecundi cap. 1. 2, *Ieroboami* filius *Zacharias* regnare incepit anno *Uzzia* triceſimooctavo 2 Reg. 15. v.8. hoc eſt, annis quatuordecim ante mortem *Uzzia*; imò verò ſi inter *Ieroboamum*

 & fi-

& filium *Zachariam* ſtatuamus cum pleriſque Chronologis Interregnum annorum duodecim, ita ut annos viginti ſex *Uzzias* poſt *Ieroboamum* vixerit, quod collatio verſus 23. capitis 14. poſterioris Regum cum verſ. 1. & 8. capitis quinti ejuſdem videtur cogere, tum *Hoſeas* Prophetare incepit minimùm viginti ſex annis ante *Uzzia* mortem; tam autem maturum *Iſaia* Propheriarum principium non videtur. Quando ſuum Miniſterium *Hoſeas* finiverit nemo præcisè dixerit; apparet tamen ſupra quinquaginta annos, ſaltem ſupra quadraginta tres in ſuo eum munere duraviſſe.

De *Ioëlis* temporibus nihil habemus expreſſum: Non improbabilis in eo ſaltem *Hieronymi* regula, Prophetam quemque, cujus tempora non ſunt expreſſa, referendum ad ſuperioris Prophetæ terminos, cujus exprimuntur anni. Certè plerique Interpretum *Ioëlem* cum *Hoſeâ* & *Eſaiâ σύγχρονον* faciunt, nec materia Prophetiæ videtur abnuere. Non placet *Auguſtini* ſententia, quæ tamen aliquos ſequaces habet, *Ioëlem Elizæo* fuiſſe contemporaneum, eò quòd famem prædixerit, quam *Elizæus* vidit ſuis diebus Samariæ: nulla enim neceſſitas eſt *Ioëlis* famem cum *Elizei* confundere.

De *Amoſo* clarum eſt *Iſaia* & *Hoſea* contemporaneum fuiſſe, cum capite 1. verſ. 1. diſertè dicatur Prophetâſſe diebus *Uzzia* & *Ieroboami*, duobus annis ante terræ motum: quo autem anno terræ motus iſte contigerit, num, ut *Auguſtinus* & multi alii, anno *Uzzia* viceſimo ſeptimo, in momento quo leprâ Rex in templo percuſſus eſt, non audemus abſque Scripturâ affirmare.

De *Obadia* temporibus nihil expreſſe in literis ſacris: plerique ſecundum *Hieronymi* regulam, *Amaſo*, adeoque *Ioëli*, *Hoſea*, & *Iſaia* faciunt *σύγχρονον*. Quidam eundem volunt cum *Obadiâ* ſervo *Achabi*, qui cum *Eliâ* colloquutus eſt. Sed calamitas Idumæis inflicta, quæ Prophetiæ hujus materia eſt, non permittit vatem hunc eſſe tam antiquum. Cur enim alias Judæorum calamitates tacuiſſet, quæ poſt *Achabum* ante Chaldæorum arma ſæpiùs contigerunt. Veriſſima nobis videtur *Iunii* calculatio, referentis *Obadiam* ad *Ieremia* & *Ezechielis* tempora, eò quòd clades ab ipſo Idumæis denunciata eſt, ob eorum operam Chaldæis locatam in everſione Sionis, de quâ *Obadias* non tam Prophetat quàm hiſtoricè diſſerit, ut de re jam geſtâ, ob quam Idumæis internecionem comminatur.

QUÆSTIO LI.

Quid de temporibus Ionæ, Nahumi *& exciſione* Ninives *ſtatuendum?*

RESp. Hæc tria in quæſtione conjunximus, eò quòd *Ionæ* & *Nahumi* Prophetiæ, *Ninives* everſionem pro ſubjecto habeant. *Ninive* Aſſyriacæ Monarchiæ caput, fuit urbium prioribus ſeculis in terris multò maxima & munitiſſima: ſed divinâ vindictâ tam horribiliter everſa eſt, ut dudum etiam inter doctos de ejus loco & ſitu vix quidquam certi habeatur. Demonſtrare quidem conatur perdoctè, ut omnia *Boſhartus* in ſuo Phaleg. lib. 4. cap. 20. ſitam fuiſſe ad Orientale latus Tigridis infra Lycum, è regione hodiernæ *Muſal*. Sæpius hæc capta & malè mulctata civitas eſt, ſed tandem à *Cyaxare* Medo & ejus genero *Nebuchadnezare* anno ſuo primo, adeoque *Ioakimi* quarto, quando ſubjugatis Aſſyriis Ecbatana Medorum, & Babylon Chaldæorum Imperii capita facta ſunt. *Ionas* Propheta *Quæ tem-*
multò ante *Nahum*, *Ninives* ruinam prædi- *pora Ionæ.*
xit: *Ionas* enim vel ante vel initio *Ieroboami* ſecundi Prophetiam agebat; ut habemus expreſſè 2 Reg. 4. verſ. 25. ubi *Ionas* filius *Amittai* *Ieroboami* contra Syros victorias prædixiſſe nunciatur: Oportet ergò vixerit, vel ante vel initio Regni *Ieroboami*, cujus anni ultimi cum primis *Uzzia* Regis Judæ coinciderunt, in quibus nec *Iſaias* nec *Hoſeas* adhuc agebant Prophetas, unde ſequitur Prophetam *Ionam* iſtis & omnibus eorum *συγχρόνοις* antiquiorem eſſe. Nequaquam tamen cum *Epiphanio* poſſumus concedere, ut *Ionas* hic fuerit *Sareptanæ* filius, quem *Elias* à mortuis reſuſcitavit; præterquam enim quòd tempora non quadrent, vidua illa Sareptana fuit Sidonia ex Gentibus, *Ionas* verò filius *Amittai* cap. ſuo ſecundo diſertè profitetur ſe gente & genere Hebræum.

Quòd ad Prophetam *Nahum*, in ejus li- *Et Na-*
bro nulla temporis circumſtantia memo- *hum.*
ratur, ſed ex Prophetiæ materiâ colligimus poſt, decem tribuum deportationem & ante *Ninives* everſionem vixiſſe, loquitur enim de *Ninive* ut evertendâ, nondum eversâ, idque ob Aſſyriorum in Iſraëlitas deportatos crudelitatem: hinc *Ieremia* contemporaneus & *Iſaiâ* poſterior habendus eſt.

QUÆSTIO LII.

Quomodo Michæ, Habakuki *&* Zephaniæ *tempora diſtribuenda ſint?*

RESp. De *Michâ* res eſt clara, etſi enim *Quando*
de præciſo anno quo Prophetare vel in- *vixit Mi-*
ceperit vel deſierit, non conſtet, tamen ſui *chа.*
Miniſterii terminos Regnis *Iothami*, *Acha-*

zi,

zi, & *Hezekia* circumſcribit, ita ut *Iſaia*, *Hoſea*, & aliorum qui ſub iiſdem Regibus ſervierunt, contemporaneus fuerit, adeoque non potuerit eſſe *Michas* ille, qui *Achabi* & *Ioſophati* temporibus contra omnes Pſeudoprophetas, Regis ad Rameth Gilead interitum denunciabat. Eſto enim nomina eadem, temporum tamen tantum eſt intervallum, ut idem diebus *Ioſophati* & *Hezekia* non potuerit Prophetam agere.

Et Habakuk.

De *Habakuko*, etſi in ejus ſcripto nulla temporis nota exprimatur, tamen ex materiâ colligitur, ſua eum vaticinia effudiſſe, non tantum ante everſum per Perſas Chaldæorum imperium, ſed etiam ante deſtructa Hieroſolyma, de utrâque enim iſtâ hiſtoriâ loquitur ut futurâ non præteritâ: *Ieremia* ergo contemporaneus videtur. Nec, fatentibus ipſis Pontificiis, is *Habakuk* eſſe potuit, qui annis ſeptuaginta & quod excurrit poſt everſa Hieroſolyma meſſoribus in vigore ætatis ſuæ pultem afferens, ab Angelo ad *Danielem* alendum in puteo leonum deportatus eſt, prout fabulantur Apocryphi.

Et Zephanias.

Zephanias profitetur ſe vaticinatum diebus *Ioſia*, itaque *Ieremia* fuit æqualis & *Ezekiele* ac *Daniele* ſenior.

QUÆSTIO LIII.

Quid de temporibus trium poſtremorum Prophetarum ſtatuendum Haggæi, Zachariæ *&* Malachiæ?

Cæteri Propheta ad ſequentem Epocham ſpectant.

RESP. Hæc & cæteræ omnes quæ ex iſtorum ſcriptis naſcuntur quæſtiones Chronologicæ, ad ſequentem Epocham ſpectant, quò illas remittimus.

CAPUT IX.

Res geſtas continens Epocha quinta, ab everſione templi primi, ad Alexandri Magni *mortem.*

Iudæorum captivitas.

POſtquam indignatio Divina reliquas Iſraëlitarum tribus, contra *Ieremia*, *Ezekielis*, & aliorum Prophetarum diſertiſſima monita obſtinatè rebelles, contriviſſet; & in Hieroſolymorum ac omnium Judææ urbium ruinâ ſepeliviſſet; in Divini furoris pelago demerſus jacuit miſerrimus ille populus, durante toto (ut quidam volunt) Divini beneplaciti ſeptuaginta annorum termino. Extorris & captiva ad Babylonis flumina conſedit tota Dei in terris Eccleſia viſibilis, non minori temporis intervallo. Magna quidem populi multitudo, quæ Babylonici gladii metu in gentium vicinarum latibula confugerat, poſt *Nebuchadnezaris* diſceſſum cum ſuis captivis, rediit domum, & ſub *Gedalia* Chaldæorum fiduciarii gubernamine in Judæâ conſtituit vivere; Sed eos quoque omnes ira numinis diſſipavit. Nam cum *Iſmaëlis* proditione *Gedalias* cecidiſſet, *Iohanan* vindicatam ab *Iſmaëlis* oppreſſione turbam, unà cum *Ieremiâ* in Ægyptum abripuit: quæ omnis ibi vel peſte vel gladio periit, vel unà cum Ægyptiis à *Nebuchadnezare* Babylonem abducta eſt, ita ut Judæa colonis omnino vacua integri ſeculi Sabbatiſmo frueretur.

Regio Iudea 70 annis inculta jacuit.

Rarum & ſine exemplo Divinæ juſtitiæ ſpecimen: Regio totius terrarum orbis fertiliſſima, hominum pecorumque feraciſſima, uſque adeo à Deo maledicta, ut nullo hominis, nullo pecoris veſtigio tereretur tam diuturno tempore; etſi in terræ meditullio & ab egenis rapaciſſimiſque gentibus circumſeſſa, Arabibus, Idumæis, Syris, aliiſque, tamen ut cadaver peſte infectum à ferarum alitumve nullo contingeretur.

Nullum ſacrificium, nullus ſolennis cultus ab exciſo templo ad reſtauratum.

Toto eo tempore publicus Dei cultus, ſolennia ſaltem ſacrificia interrumpebantur. Conveniebat aliquando populi pars ad verbum & preces cum *Ezekiele* & aliis; ſed nullum altare, nulla oblatio, nulla ſolennis cæremonia poſt everſum templum: donec altare novum juxta ſecundi templi fundamina reſtauratum eſt.

Perſeveravit populus uſque ad reditum in Rebellione contra Deum.

Populi pars maxima horrendis Dei ſuppliciis licet contuſa, nequaquam tamen ad bonam frugem rediit: erant qui Dei memores ad Babylonis ſalices ſuorum ſolatiorum lyras appenderent, & in deſolatæ Sionis rudera dies noctéſque animos haberent defixos; pleroſque tamen in rebellione & impœnitentiâ perſeverantes Divinâ miſericordia anno etiam ſeptuageſimo reperit & bonitate prævenit.

Iudei à Chaldais immeritò oppreſſi.

Judæorum facinora Divinam quidem juſtitiam meritiſſimè provocârunt ad infligendam omnem quam perpeſſi ſunt, calamitatum Iliada; non tamen à quoquam mortalium tam immanes plagas commeruerunt. Chaldæorum armis Deus uſus eſt ad perdomandam ſui populi in peccatis pervicaciam: non propterea tamen iſtorum ſuperbam & crudelem tyrannidem Deus approbavit, imò verò everſi templi & perfundati populi ſui vindictam in Chaldæorum caput ſeveriſſimè refudit.

Severa Dei in Nebuchadnezarem vindicta.

Dum unà cum Judæis vicinæ omnes gentes, & terra cognita pene tota, ſub duro *Nebuchadnezaris* jugo in ſilentio ingemiſcerent, nec quiſquam eſſet qui contra tyrannum hiſcere auderet, ecce Divina mox adfuit ultio. Mundi Monarcha de ſubactis, ſpoliatis, & triumphatis gentibus, trophæa in ſuis Babylone palatiis erigens, Dei dextrâ præcipitatus eſt, non tantùm in imum humanarum miſeriarum barathrum, ſed infra humanam omnem ſortem ad belluarum ordinem dejectus, inter bruta totos

ſeptem annos ferinam vitam egit, abſque omni cum hominum quoquam commercio. Neque hîc cnnſtitit Dei Judæorum injurias vindicantis iracundia. Licet enim in auditis hiſce ſuppliciis *Nebuchadnezaris* fracta ſuperbia, & cnntritum cor ad veram reſipiſcentiam converſum, Divinam miſericordiam obtinuiſſe videatur, cum ad ſanitatem mentis rediens & Deo cœli gloriam præbens, ad thronum priſtinamque dignitatem reſtitutus mox expiraverit; ejuſque filius *Evilmerodach*, patris ſorſan exemplo & meritis erga *Iecon am* & Judæos benignum ſe præſtiterit, noluit tamen Dominus Chaldæorum in Judæos delicta deleri, donec tota *Nebuchadnezaris* poſteritas ěradicaretur, & jugum à Judænrum collis decuſſum Chaldæorum cervicibus imponeretur, nunquam excutiendum: perpetuam enim poſtcà Chaldæi ſervitutem ſerviěrunt, & tam duros ditoſque Dominns experti ſunt exteros, quam Ipſos olim exteri perpeſſi eſſent; quod hunc ad modnm factum eſt.

Et in gentem Chaldæorum.

Fundatio Regni Medici & Babylonica.

Cum *Arbaces* Mediæ & *Belochus* Babyloniæ Præfecti contra *Sardanapalum* conſpirâſſent, & poſt multa adverſa prælia tandem victnres Monarchiam Aſſyriacam unà cùm *Sardanapalo* perdidiſſent: *Belochus* ac poſteri Babylone regnârunt, *Arbaces* Medis viciniſque gentibus libertatem permiſit, nnde factum nt Aſſyrii, etſi non Mnnarchiam, Regnum tamen ſatis potens mox recuperaverint, & in urbe *Ninive* ſtabiliverint, hîc *Tiglat-peleſer, Salmanaſſer, Senacherib*, *Eſarhaddon* dura Iſraëlitarum flagella, multis annis regnârunt. Medi libertatis pertæſi *Dejoci* ab *Arbace* oriundo, ut ipſis vellet imperare, perſuaſerunt, donec *Cyaxares Phraortæ* filius, *Aſtyagis* pater cum *Nabopolaſſaro* Babylonio affinitate contractâ, data *Nebuchadnezari Nabopolaſſaris* filio in uxorem ſuâ filiâ *Amyatti*, conjunctis copiis Niniven obſediſſent, ac captam deleviſſent unà cum Aſſyriæ tegno: ſicut prius junctæ Babyloninrum & Medorum copiæ Monarchiam Aſſyriacam everterant. Deſtructâ Ninive ctevit valdè res Babylonica, donec ſub *Nebuchadnezare*, ſubactâ Syriâ, Atabiâ, & Ægypto, in Monarchiam excreſcens Medorum Regnum inundavit ſaltem obumbravit, eâ tempeſtate valdè labefactatum adverſis præliis contra Scythas Aſiam pleramque tranſcurrentes: ſed Scythis domum redeuntibus & *Nebuchadnezare* mortuo, ex eclipſi cœperunt Medi iterum emergere. *Aſtyages* eorum Rex (Daniele *Aſſuerus*) data *Cambyſi* Perſæ in uxorem filia *Mandane*, ex eâ nepotem habuit *Cyrum*, cujus auſpiciis filiique ſui *Cyaxaris* ſecundi, qui Daniele eſt *Darius Medus* multa cum vicinis prælia proſperè geſſit.

Ninives & Aſſyriaci Regni ruina.

Regni Babylonici ſupra Medorum incrementa.

Aſtyage mortuo *Cyaxares* cum *Cyro* auſus eſt non tantum in Armenos, Lydos, & inferiotis Aſiæ pleroſque populos, arma movere; ſed etiam *Babylonium* aperto Marte invadere. In præliorum uno *Babylonius* ipſe cæſus eſt; quiſnam ille fuerit inter auctores non convenit, de qun poſteà fuſiùs. Multi *Evilmerodachum* cæſum tradunt anno poſt mortem patris ſecundo, regnumque occupatum à *Neriglſſoro* ſuo leviro, qui ſororem ejus *Nebuchadnezaris* filiam habebat uxorem; hunc verò fuiſſe autumant quem in prælio *Cyrus* occidit. Auctores ſupradicti *Neriglſſoro* ſneceſſiſſe volunt filium *Laboroſoarchodum*, *Nebuchadnezaris* ex filiâ nepotem, quem poſt aliqnot menſium imperium Cbaldæorum nobiles ob indolis pravitatem necârunt, *Balthaſarem Evilmerodachi* filium in paterno & avito thrnnn collocantes. Hunc etiam poſt aliquot annos captâ per vim Babylone, *Cyrus* vitâ ſimul & impetio privavit. Ita ſtirpitùs eradicata eſt omnis *Nebuchadnezaris* ptoſapia, nnn tantùm filius ſed uterque nepos, tam qui ex filio, quam qui ex filiâ quà ſuorum quà hoſtium manibus violentâ morte periêrunt. Nnbilitas etiam Babylnnica totuſque populus, qui perdendis Hieroſolymis operam ſnam locârnnt; eorumque omnes poſteri quibus gladius pepercit, in miſeram ſervitutem, primn Perſis, poſteà Græcis, denique ſequentium ſeculnrum quibuſvis tyrannis abſque ullâ unquam manumiſſione, dediti ſunt: ut Judæorum ſanguis oppreſſioque abundè vindicata, in oculis omnium gentium ad Divinæ juſtitiæ magnam laudem conſpicerentur.

Cyaxares cum Cyro nepote Nebuchadnezaris poſteros eradicavit.

Chaldæorum æterna ſervitus.

Licet in Chaldæorum Monarchiâ ſubvertendâ principes partes *Cyri* fuerint, qnia tamen militia ejus omnis tum temporis fiebat auſpiciis avunculi *Darii Medi* ſeu *Cyaxaris*, idcirco iſti quamdiu vixit imperio Babylonico ſponte ceſſit. Mortuo verò *Medo* poſt biennium, cùm in Judaicæ captivitatis anno ſeptuageſimo *Cyrus* in ſuas manus ſceptrum Monarchiæ Medorum ac Perſarum accepiſſet, inter primas curas habuit exequi, qnod Iſaias Propheta de ipſo nominatim, annis ducentis antequam naſceretur, prædixerat. Edictum de libertate Judæotum promulgavit, & regiâ prorſus munificentiâ adjuvit Judæos omnes, quibus fuit animus redire domum: templumque & urbem reſtauravit.

Libertas Judæorum auctore Cyro.

Verum eſt quod Cuthæorum cæterorumque erga Judæos hnſtiliter affectorum artibus, ædificatio templi & Hietoſolymorum redintegratio ac populi in plenam libertatem reſtitutio retardata eſt: *Cyri* tamen edictum baſis fuit, cui iſta omnia Deus contra omnes omnium malevolorum machinationes ſun tempore ſuperſtruxit. Ipſe *Cyrus* licet tebus Perſicis & etiam Medicis multis annis

annis præfuerit, Monarchiam tamen Babylonicam vix novem annis adminiſtravit, in quorum pleriſque *Cambyſis* filii operâ uti neceſſe habuit.

Cambyſes Iudæis iniquus.

Dato quod multi ſcriptores volunt fabulas eſſe, quæ de bello Maſſagetico narrat *Herodotus*, & veriora quæ habet *Zenophon* de *Cyro*, non à *Tomyri* crucifixo, ſed Perſepoli in pace mortuo ac Paſargadis ſepulto, ubi *Alexander Macedo* longo pòſt tempore herois oſſa inſpectavit: tanta tamen fuit maximorum negotiorum in tam lato & novo imperio copia, & tam pravum *Cambyſis* ingenium, tamque perverſa Perſicorum Aulicorum Samaritanis largitionibus corruptorum indoles, ut non mirum ſit Judæorum de hoſtium injuriis querimonias ad aures *Cyri* non inveniſſe viam. Eo verò ſublato & totius imperii habenis in unius *Cambyſis* manus venientibus, miraculo fuiſſet propius, ſi hujuſmodi monſtro imperante, res ulla ſacra floruiſſet.

Cambyſes Ægyptios facilè debellavit.

Ut primum *Cambyſes* aſcendit thronum, princeps ei ſtudium fuit Ægyptios ad antiquum obſequium reducere. Hi etſi olim cum Aſſyriis & aliis quibuſque vicinorum potentiſſimis de principatu contendiſſent, tamen à *Nebuchadnezare* tam immaniter devaſtati ſunt, ut quanquam ſæpe conari, nunquam tamen valuerint ad priſtinam potentiam aſcendere. Cum his *Cambyſi* facile fuit negotium. Ægypto ſubactâ oculos proxime in Carthaginenſes conjecit. Hi abſque claſſe & maritimis præliis ſubjugari non poterunt, navales Perſarum copiæ in Phœnicum erant manibus, Carthago Tyriorum & Sidoniorum Phœniſſa fuit colonia: noluerint iſtæ metropoles ad perdendam ſuam propaginem ipſorum naves *Cambyſi* præſtare; hac vi coactus eſt ab expeditione deſiſtere.

Irritus Cambyſis in Carthaginenſes & Æthiopas conatus.

Irrequietum ambitioſorum hominum ingenium ipſos non patitur quieſcere, donec in ignominioſæ mortis foveam ipſi ſemet præcipitent. Deſiderium cepit *Cambyſem* ſubjugandorum Æthiopum. Dum ad hanc ſe parat militiam, ſeligit de numeroſo exercitu quinquaginta peditum millia, quæ ad ſpoliandum *Iovis Hammonis* templum dimiſit. Hi per arenas iter facientes ad unum omnes oborto vento arenarum cumulis obruti & contumulati ſunt, pergit tamen in Æthiopiam *Cambyſes*; in viâ commeatus defecit, poſt devoratos equos & omnia jumenta, jactâ ſorte eligebant legiones, certum ſingulis diebus numerum qui ſuis carnibus viaticum commilitonibus præberent. Hac neceſſitate victus *Cambyſes* rediit in Ægyptum: ſed furibundus quod ſuis dentibus non tantùm Carthaginenſes & Hammonii, ſed etiam Æthiopes erepti eſſent, in miſeros Ægyptios ſplenem evomuit: neque homines devoráſſe ſat habens, ipſorum Diis indicit bellum, idola multa confregit, incenſis Idoleis: ipſorum maximo numini ruſo vitulo *Api* ſuâ manu lethale vulnus in femore inflixit, ex quo mox brutus Deus contabeſcens mortuus eſt. Utramque ſororem contra Perſarum leges & mores duxit in uxores, unicum fratrem dedit neci, ſororem & uxorem jam gravidam, quòd lugeret indignam fratris cædem, calcibus inſultans necavit. *Sphendodates* magus *Smerdi*, *Cambyſis* fratri totâ corporis formâ fuit ſimillimus: perſpiciens hic magnum apud multos necati *Smerdis* deſiderium, & ſummum omnium erga *Cambyſem* odium, ſe *Smerdem* adhuc vivum proclamat, offertque in ducem volentibus excutere *Cambyſis* apertam tyrannidem. Dum ad hanc in cineribus ſavillam, priuſquam in flammam erumperet, extinguendam, ex Ægypto in Perſidem properat *Cambyſes*, inſilienti equum excidit vaginâ gladius, & eâ parte femur vulneravit quâ ipſe priùs *Apim*, ex quo vulnere poſt paucos dies expiravit.

In Ægyptios furor.

Suo gladio interiit.

Magi benigniſſimum imperium.

Ejus loco *Magus* pro *Smerdi* fallens, in throno Perſico penè integrum annum ſedit, & optimi Principis famam adeptus eſt ob mite & benignum *Cambiſiſque* diſſimillimum imperium. Sed veritate per tempus erumpente, & jam certis multis non *Smerdin Cyri*, ſed hypocritam *Magum* regnare, ex Perſarum primoribus ſeptem conjurantes *Magum* confoderunt. Ex his *Darius Hyſtaſpis* filius electus eſt qui ſuccederet in imperium, benignum hunc Judæi erga ſe ſunt experti, an verò iis de cauſis quas vel *Uſherius* nuper, vel *Ioſephus* olim tradiderunt, videbimus ſuo loco. Putat ille *Darium Hyſtaſpis Eſthera* maritum, & gratia uxoris ſuæ in Judæos beneficia contuliſſe. In quæſtionibus autem perpendemus, qua hæc *Uſherii* conjectura fundamento nitatur. Certè à vero alienæ videntur *Ioſephi* fabulæ Apocryphæ de *Zorobabelis* cum *Dario* familiaritate & in declamatiunculis aulicis victoriis, quaſi iſtarum præmium fuiſſet edictum *Darii* de reſtaurando templo: nihil opus eſt ad iſtas nugas divertere, cum apud *Eſdram* hiſtoriam certam & perſpicuam legamus, excitatos ſcilicet *Zachariæ* & *Haggai* hortamentis *Zorobabelem* & *Ioſuam*, ad opus diebus *Cambyſis* interruptum renovandum, regnante *Dario*: de quo facto cum ad *Darium* querimoniam detuliſſent Judæorum hoſtes, hac occaſione ad *Darii* manus delatum eſt edictum *Cyri*. Tunc temporis *Cyri* veſtigia in omnibus premebat *Darius*, ad conciliandum novo ſuo & inexpectato imperio populi favorem, ergò & in hoc *Cyrum* æmulatus, novo reſcripto Judæos animavit ad

Darius in Iudæos bonus non ob cauſas quas vel Uſherius vel Ioſephus fingit.

extruendum templum. Huic illi operi ſtrenuè incumbentes, ſucceſſu planè divino anno *Darii* ſexto colophonem impoſuerunt.

Craſſum Ioſephi ſphalma.

Præterire hîc non ſinit animus magnum (ut vobis videtur) *Ioſephi* ſphalma antiquitatum 10. cap. 4. quod ex recentioribus quidam ab ipſo mutuantur, nimirum *Zorobabelem* & *Ieſuam*, ex hoc *Darii* edicto adduxiſſe ſecum Babylone in Judæam præter priores tempore *Cyri* reduces, non pauciores quàm quadragies centies mille ſexcenties vicies octies mille virorum, idque ex tribubus tantùm *Iuda* & *Benjamini*, ſumma omninò incredibilis. Putâſſem ſphalma hìc haberi aliquod typographicum, niſi ad editionem Græcam Palatinam, ex optimis manuſcriptis factam, correcta fuiſſet Roveriana noſtra Genevenſis impreſſio; & verò ſuprà dictum numerum diſertis verbis expreſſiſſet non tantùm doctiſſimus *Gelenius* Latinus Interpres, nimirum quater mille millia, ſexcenta viginti octo millia, ſed textus ipſe Græcus ſuos numeros poſuiſſet non tantùm in literis, ſed etiam in ſummâ dilatatâ ad hunc modum μυριάδες. υ. ζ. β. κ. ὀκτακισχίλιοι. Vaſta adeò fuit hæc hominum multitudo, ut nulli humanæ auctoritati de eâ fidem adhibere valeamus. Quin etiam *Ioſephi* locum penitiùs introſpicientes alia ibi reperimus, quæ auctoris oſcitantiam & dormitationem ſi non demonſtrent, certè ſuſpectam valdè reddant: ſcilicet eundem prorſus numerum ad unum fuiſſe cùm ſervorum tùm camelorum redeuntium ex edicto *Darii*, qui fuerat priùs redeuntium ante aliquot annos ex edicto *Cyri*. Prætereà tam vaſtæ virorum multitudini adjungit puerorum & mulierum ſolum quadraginta millia ſeptingenta quadraginta duo, cùm pueri ac mulieres ſemper ſoleant viros numero longè ſuperare.

Deinde ab his poſterioribus vult non tantùm jacta templi fundamenta, ſed extructum eſſe etiam altare, idque anno ſecundo & menſe ſecundo poſt ſuum reditum. Iſta omnia in primo reditu à *Zorobabele* facta, non erant abſque neceſſitate repetenda. Profectò tantùm abeſt ut *Ioſepho* credamus tot ex *Darii* edicto rediiſſe, quorum decimæ parti alendæ terra tota Judæorum eâ tempeſtate deſolata, non ſuffeciſſet, ut nemo quiſquam eo temporis Babylone in Judæam commigrâſſe videatur, quantum ex *Eſdra*, *Nehemia*, aut *Eſthere* apparet, qui res Judæorum iſtius ſeculi multò quàm *Ioſephus* accuratiùs ac certiùs deſcripſerunt.

Ut in Hieroſolymam Divinâ bonitate *Darii* benignitas eluxit, ita per Divinam ob *Zionem* vindictam ejuſdem ſeveritas in Babylonem exarſit, quam omnibus belli calamitatibus afflixit, & tandem in villam redegit.

Darii in Babylonem ſeveritas.

Babylonii animadverſâ per aliquot annos in *Cambyſis* & *Magorum* Regnis, etiam in *Darii* auſpiciis, magnâ Perſici regiminis confuſione, animos erigunt ſpe recuperandæ priſtinæ libertatis & imperii: urbem ſuam tantâ arte tantaque vi communiunt, ut *Darium* penè toto biennio cum omni ſuo exercitu obſidentem ſpreverint. Sed cùm *Zopyri* artibus ac proditione aditus in urbem patefactus eſſet poſt magnam obviorum ſtragem, muros (mundi miraculum) quibus *Cyrus* pepercerat, *Darius* ſolo æquavit. Ex primariis civibus ter mille crucibus affixit: ipſi ante obſidionem tantam ſuarum mulierum ſtragem ediderunt, ut ad relictorum virorum connubia *Darius* ex locis viciniis quinquaginta millia fœminarum colligere neceſſe habuerit.

Infelix Darii contra Scythas bellum.

Babyloniorum urbe in villam redactâ, proxima cura animum *Darii* invaſit ſubjugandi *Scythas*: ab India uſque ad Thracas, & à Caucaſo ad Oceanum longè lateque *Darius* imperabat; hiſce tamen finibus noluit ſe coarctari immenſa viri cupiditas; *Scytharum* ſubjugandorum magna ipſum cœpit ambitio: neque tamen orientales *Maſſagetas*, qui *Cyri* vitam exercitumque perdiderunt, tentare auſus eſt, ſed in occidentales, bodie *Tartaros Præcopenſes*, ultra pontum Euxinum & Danubium flumen degentes, arma movit. Binos conſtruxit pontes ex ratibus ligneos, altero Boſphorum Thracium quatuor ſtadiorum mare ſtravit, altero Danubium. Nullæ tum inter *Scythas* urbes, mobilia omnia ipſorum in tentoriis domicilia. Perſarum illi arma flocci facere, in Regionis interiora movere caſtra, vacuos *Dario* campos relinquere. Poſt multorum dierum ſine fructu diſcurſationem, Perſas commeatûs inopiâ propemodum enectos, magno cum metu nec minori periculo ad pontes Iſtri recurrere coëgerunt: Perſarum nemo, niſi feſtinato pontes tranſiviſſent, cruentas *Scytharum* manus evaſiſſet; ſed divina bonitas *Darii* in Judæos beneficentiam, & in Babylonios vindictam ab ingenti hoc & præſentiſſimo periculo liberatione voluit remunerari.

Uſherii paregoriæ.

Quî fiat ut *Iacobus Uſherius* (qui in multò minoribus accuratius eſſe ſolet) utrumque hoc *Darii* bellum Babylonicum & Scythicum, ab *Herodoto* aliiſque antiquis fusè deſcriptum, ne verbo quidem memoret, nullâ queo conjecturâ aſſequi.

Tertium *Darii* bellum cum Græcis fuit, quod Græcorum propemodum & Perſarum potentiam omnino tandem evertit. Maximas Græci Colonias in omnes

Græci extra quam

Archi-

intra Græciam potentiores.

Archipelagi (ut nunc vocantur) inſulas olim deduxerunt, in Siciliam etiam & Italiam, in primis verò in Aſiæ littora Ioniam dicta. Certè non minor nec numerus nec potentia, iſtarum in Coloniis propaginum fuiſſe videtur quàm reliquæ totius Græciæ.

Græci in Aſiâ licet liberi, Perſis tamen ut ſuis ferè Regibus inſerviebant.

Licet Ionum in Aſia atque inſulis urbes vel omninò liberæ vel à tyrannis occupatæ ſuis legibus adminiſtrarentur, ea tamen Perſarum in Aſia potentiæ magnitudo fuit, in primis Satrapæ *Lydi* Ionibus vicini commorantis Sardibus; ut Græci illi Aſiatici & Inſulares quà metu quà amicitiâ, Imperii Perſici majeſtatem ad ſubditorum propè morem revererentur. In bello Scythico magnus ipſorum numerus *Darii* caſtra ad Iſtrum uſque ſecutus, hic ſubſiſtere juſſus ad ſervandos pontes ſub *Hiſtiæi* Mileſiorum tyranni imperio, dum per Scythiam vagarentur Perſæ, nullo hoſte, imò nec ullo ferè animali conſpecto. *Indathyrſus* Scytharum Rex cum ſuis copiis ad Iſtri pontes inſciis Perſis occurrerat; à Græcis poſtulat enixè ut pontes vellent abrumpere, certam faciens fidem omnes ſe Perſas vel fame vel ferro deleturum: Græcorum multi ad ſuam à Perſarum metu libertatem quà recuperandam quà confirmandam, patulas ſatis aures *Scythis* præbuerunt. Sed *Hiſtiæus* & alii urbium Græcarum domini, metuentes ne ruente Perſarum Monarchiâ ipſorum quoque throni corruerent (populo ubique ſe in libertatem vindicante) fidem Perſis in tempore admodum opportuno ſervavere. Agnovit tum temporis *Darius Hiſtiæi & Ionum* ſummum beneficium, malè tamen conſultus *Hiſtiæum* ſecum Suſa deduxit.

Hiſtiæus Darium ab internecione ſervat.

Belli Perſarum contra Græcos origo Hiſtiæus.

Maximâ hic honoris opumque copiâ *Darius Hiſtiæum* cumulavit, nihilominus pro innato Græcis omnibus miro patriæ deſiderio, aulæ Perſicæ vir pertæſus, ſuper omnia Miletum in domum ſuam redire ſtudebat: cujus voti cùm compos aliter eſſe non poſſet, clancularijs ſuis artibus ſeditioſos inter *Ionas* tumultus contra Perſas excitavit. Ad hoſce ſedandos prout providerat, ipſe mittitur à *Dario* in Ioniam, ille verò ne in aulam Perſicam procul à pátria retraheretur, ſeditionem Ionum tantùm abfuit ut ſopiret, ut in bellum, quàm potuit, diuturnum curaret effervescere, amicorum operâ Athenienſium populo in armorum ſocietatem pellecto.

Mardonius ex Græciâ fugit.

Ionum copiæ à multo majoribus Perſarum facilè ſunt obrutæ, & quicquid in Aſia Græcis ſuperfuit libertatis, Infauſtis *Hiſtiæi* inceptis oppreſſum. Sed non hîc conſtitit *Darii* in Græcos ira, implacabile in Athenienſes in primis odium concipiens, magnas terrâ marique copias contrahit, ut totam Græciam mitteret ſub jugum. Iterum ad Boſphorum Thracium ligneo ponte plus centum millibus militum, duce *Mardonio* genero trajicit, magnamque ſimul claſſem mittit Helleſpontum. Cum ad montem Athon locarentur caſtra, & ſtaret in vicino claſſis, magna de Cœlo tempeſtas permultas navium, & virorum viginti millia mari demerſit: nocturnis quoque excurſionibus Thraces Perſarum caſtra adeò malè malctârunt, ut territus *Mardonius* quàm potuit properè copiarum reliquias in Aſiam reduxerit.

Perſæ à Miltiade Marathone fuſi.

Calamitates hæ *Darii* animum ad perdendos Græcos magis accenderunt, novis ergo & multo majoribus copiis comparatis, in ipſam Atticam cum toto exercitu incubuit, Duce *Date* Perſâ, & *Hippiâ* ac *Damarato* Græcis. Athenienſes à reliquis Græcis deſerti, ſi unum mille Platæenſium excipias, in campis Marathonis decem ſuorum millia, Duce *Miltiade* Perſis objecerunt: tanta hâc virtus Græcorum enituit; ut Perſæ, licet decuplo plures, terga vertentes ad naves confugerint, totaque etiam claſſis terrore Panico confuſa in Aſiam properaverit.

Neque tamen ſic labaſcit *Darii* animus, ſed irarum in Græcos incendium harum cladium frigidâ ſuffuſum, in majores adhuc flammas erupit.

Verum enimverò dum in Græcos victores furit, Ægyptii ab his Perſarum cladibus ſpe libertatis erecti deficiunt. Contra utroſque *Darius* ipſe ſtatuit exercitum ducere.

In tertio contra Græcos apparatu Darius moritur.

1 Sed ut ſuo interim Regno contra incertos militiæ caſus proſpiceret, antequam *Suſis* proficiſceretur, commodum exiſtimavit ſucceſſorem deſignare. Erant ipſi ex ſeptem uxoribus varii filii; natu maximus *Artabaſanes* ſibi deberi putavit poſt patrem Perſiæ thronum, ſed *Xerxis* jus etſi natu minoris *Darius* prætulit; eò quòd is ex *Atoſſâ Cyri* filiâ ſibi Regi primus natus ſit, etſi *Artabaſanes* ſibi privato primus natus fuerit. Lite hac domeſticâ periculoſâ valdè amicè compoſitâ, dum in apparatibus belli contra Græcus & Ægyptios totus immergeretur, ecce fatum cœpta omnia abrumpit viro magnanimo, Epitaphio meliore digno, quàm quod ipſi *Athenæus* ſimul & *Strabo* aſcribunt poſt 36. annorum imperium.

Reges Româ ejecti.

Hoc regnante Reges Româ ſunt ejecti, & *Pythagoras* relictâ Samo patriâ Crotonem in Magna Græcia, hoceſt, Italiæ Calabria, migravit. Exules quidam Sybaritide vicinâ urbe Crotonem fugientes, non ſunt redditi repetentibus *Sybaritis*, iniquam exiſtimante *Pythagorâ* traditionem profugorum, qui à tyrannorum domeſticorum vi in vicinorum æquitate quærebant

bant aſylum : hinc ſtatim *Sybaritæ* trecenta bellatorum millia contra *Crotoniatas* educunt : occurrunt *Crotoniatæ* cum millibus centum, & triplo majorem *Sybaritarum* exercitum ingenti ſtrage debellant, urbemque deviƈtorum æquant ſolo.

Sybaris deleta.

Gelo Pœnorum trecenta millia fugat.

Circa eadem tempora *Hamilcar* Carthaginenſis contra *Syracuſanos* trecenta millia Afrorum & Hiſpanorum in Siciliam adducit ; hos omnes tyrannus *Gelo* internecione delet.

Xerxes Ægyptios facilè domat.

Cum *Darii* vitâ Perſarum in Græcos odia non expirârunt : ut primùm *Xerxes* ſolium aſcendit, ſtatim paternis inſtitit veſtigiis. Prima ipſi cura fuit Ægyptios ad prius jugum retrahere, facilis cum imbecilli hac nunc gente Perſis fuit labor, ſed ex alio prorſus metallo Græcorum pectora repererunt.

Poſt trium annorum apparatum ingentes copias *Xerxes* Abydi ad ripam Helleſpunti orientalem luſtravit, quæ donec ad *Thermopylas* Theſſaliæ ventum eſſet, ſemper creſcebant, confluentibus in via à vicinis gentibus multis millibus.

Ad Thermopylas ſequebantur Xerxem ſupra quinquagies centena millia.

Licet in numero Xerxiani exercitûs multùm varient auƈtores tam nunc quam olim, tamen quod ex *Herodoto* & aliis affert *Uſherius* de viginti ſex centenis millibus, quadragies uno mille ſexcentis & decem militibus, totidemque aliis qui caſtris & claſſi miniſtrabant, ita ut non pauciores viri *Xerxem* in Theſſaliam ſequerentur, quàm quinquagies bis centies mille, oƈtogiester mille ducenti viginti, non omninò videatur improbabile, licet iſtius numeri tertiam partem uſquam in terris una caſtra ſequutam, nullus meminerit, ſi unum *Semiramidis* exercitum excipias.

Omnium pulcherrimus ipſe Xerxes ac μικροψυχότατος. Et fortiſſima Artemiſia.

In tam prodigioſâ multitudine nemo quiſquam ipſi *Xerxi* vel proceritate vel formâ corporis par inveniebatur, neque animi magnitudine cum ad vera pericula deventum eſſet, quiſquam minor : nec in tot virorum myriadibus ullus mulierc *Artemeſiâ* Halicarnaſſi Dominâ verâ fortitudine præſtantior ; illa enim in ardentiſſimo claſſium certamine triremium ſuarum trium duƈtrix pugnacitatis gloriâ Perſas omnes, ipſo *Xerxe* pugnam inſpeƈtante tam longè ſuperavit, ut Rex pronunciaverit viros ſuos in fœminas & fœminam in virum evaſiſſe.

Ad Europæ Imperium aſpirabat Xerxes.

Non mirum à tam vaſto tamque inſtruƈto exercitu circumdatum *Xerxem* ſoli Perſarum Deo libaſſe, ut benigno ipſum oculo eo uſque intueretur, donec ad extremas Europæ, non Græciæ tantùm oras victor pervaderet. Omninò veriſimile quod de Scamandri majorumque Scamandro fluminum à *Xerxis* exercitu deſiccatione ſolet narrari. Et tamen quo in humanis divina dextra potentiæ ſuæ illuſtre daret documentum, ter maximus hic & longè potentiſſimus qui unquam in terris exiit, exercitus, in paucis menſibus facillimo negorio totus eſt diſſipatus & perditus.

Solis ſine eclipſi defectus.

Hibernavit *Xerxes* Sardibus Lydiæ, à mari Ægæo trium dierum, ſed à Suſis trium menſium itinere. Donec Veris initio Sardibus moveret caſtra, Sol claro & ſine nubibus mane eouſque defecit, ut conſpicerentur ſtellæ, neque id (ut vult *Uſherius*) ob Lunæ interpoſitionem, quæ ordinariarum omnium eclipſium eſt viſibilis cauſa. Utrunque prodigium hoc mali ominis loco acceptum eſt, & tanto multos timore perculit, ut *Pythius* Lydus, qui toti exercitui ſuis ſumptibus benignum præbuerat convivium, & *Xerxi* inſuper ingentem auri maſſam obtulerat, ſuppliciter uni ex quinque ſuis filiis à militia vacationem imploraret, ſupplici conceſſit *Xerxes* ſuum votum, ſed ut filiorum *Pythii* natu maximum, quem deſiderabat pater ſibi relinqui in ſeneƈtutis ſolamen atque ſubſidium, medium mandaret diſſecari, & diſſeƈti partem alteram exercitui dum tranſiret ſpeƈtandam hinc à dextrâ, alteram à ſiniſtrâ collocari.

Xerxis in Pythium crudelitas.

Dum metarentur caſtra ſub *Idâ Troja*, licet heroibus juxta ſepultis libamina ſint effuſa, noƈturnus tamen terror totum pervaſit exercitum, multò ergo mane properè inde diſceditur. Cum *Abydum* eſſet perventum, hodie *Dardanellos*, hic ſtravit geminum pontem ubi ſeptem ſtadiis latus eſt Helleſpontus : ſicut *Boſphorus Thracius* inter *Byzantium* & *Chalcedonem*, hodie *Conſtantinopolin* & *Peram* ſeu *Scutari*, ubi pater ſuum ſtravit pontem, quatuor tantum ſtadia ſeu milliare Italicum medium latus eſt.

Hiſtoriæ prioris accuratior enarratio.

SEd ne tam ſicco pede pulcherrimam Perſicæ Monarchiæ hiſtoriam percurramus : age paulò fuſiùs ex fontibus Græcis hiſtoriæ antiquæ patribus tradamus, quæ ex iis omnium gentium hiſtorici pro ixè ſolent enarrare, inprimis de *Cyro, Cambyſe, Dario*, & *Xerxe*.

Quibus artibus Aſſyriorum Monarchæ tot ſecula imperium retinuerint.

Cùm *Ninus* & *Semiramis* vicinos armis latè perdomuiſſent, poſterorum Monarcharum unum erat votum tueri parta, nil amplius quærere. Quod ſi ipſorum intueare mores impoſſibile videatur, ſin artes quibus uſi ſunt, multò facillimum. Ingens extruxerunt *Ninives* palatium, in hoc ſe recondidere poſt patres continuò filii per ſecula triginta, ad annos mille quadringentos. In publicum nunquam prodibant,

dibant, ſed ſecluſi velut à rebus humanis, ut totidem inviſibiles Dii diffundebant ſuæ majeſtatis Religionem longè lateque in ſubditorum pectora; ipſi interim in altiſſimis omnium voluptatum gurgitibus obruti. Habebant ſemper in armis ingentem militum vim, caſtra erant *Ninives* pomœria, milites certo numero quotannis ex ſingulis lecti provinciis, Duces à Rege per internuncios nominati, cum excurriſſet annus, redibant ſemper priores domum & ſuccedebant novi; prudentiæ ſingularis inventum. Si quid à quoquam moveretur præſens ſtatim comprimebat exercitus, nec ullus tamen à milite perpetuo metus, ut enim diverſiſſimæ gentes in mutuam notitiam nedum conſpirationes devenirent, unus annus non fuit ſatis: præterquam quod in ſingulas quotannis dimiſſi provincias, populares quique ſuos, utut in ſeditionem pronos, cohibebant terrore ingentium ad *Ninivem* caſtrorum, quæ ipſi nuper ſpectâſſent ſuis oculis.

Arbaces & Belochus conſpirantes Aſſyrios ſubjugârunt.

Valuit hoc ſatis contra vires humanas commentum, ſed contra Deum nulla conſilia, nullum valet robur, omnium rerum ſtatæ ſunt periodi. Cùm ad *Sardanapalum* deveniſſent regnandi vices, accidit ut in caſtra venirent cum Medis *Arbaces*, cum Babyloniis *Belochus* duces: hic Chaldæorum princeps ex Magiæ quam habebat notitiâ, *Arbaci* clam ſignificat. Imperium Aſſyriorum ipſi aſtra portendere, aggrediatur ergo fortiter quæ ſibi ſint fatalia: fit conjuratio, conjungit *Arbaces* Medis Perſas, & *Belochus* Arabes Babyloniis; intereà tacent, ſed anno ſequenti redeunt quaſi ſuccedanei milites in caſtra, cum comitatu quadraginta myriadum. Pervolat in Regiam ad *Sardanapalum* fama; abjicit ſemivir muliebrem mundum, prodit in campum, induit arma, &, quod mirere, conjuratos profligat, quin & arma reſumentes ſecundò debellat. Non patitur ſuos *Belochus* animum deſpondere, certiſſimam ex aſtris victoriam prædicat, nihilominus tamen tertiò fugantur & funduntur penitus: deſperâſſent hic prorſus, ni quintum præfixiſſet diem *Belochus*, intra quem certum pollicerentur auxilium ſydera, ni ſua vana ars eſſet. Intereà adventantes nunciantur Bactriani Regi contra rebelles in opem, obviam procedit *Arbaces* quà minis quà promiſſis pellicit in fœdus. Hoc ſupplemento recreatus, concubiâ nocte Regem in caſtris ſecurum invadit, maximam edit ſtragem, ſuperſtites in urbem compellit, concluſos obſidione cingit. Nihil dum ſibi metuebat *Sardanapalus*, nam oraculo ſcivit urbi cautum quamdiu maneret amicus Tigris; nulla de fluminis inimicitiâ formido; factum eſt tamen ut poſt biennium magnâ imbrium vi auctum flumen bonam mœnium partem ſubruerit. Hoc nuncio *Sardanapalus* ad ultimam deſperationem redactus confugit non ad reſtim ſed rogum.

Semivir Sardanapalus in fortiſſimum evaſit virum.

Herodotus Cteſiâ fide dignior.

Quæ ſequuntur perplexiſſima fecêre Hiſtoricorum principum diverſiſſimæ ſententiæ; *Herodotus* & *Cteſias* primi fontes adverſis concurrunt frontibus, poſteriores omnes horum alter poſt ſe trahit: licet antiquiores tam *Xenophon* quàm *Siculus Cteſiæ* magis faveant; quiſquis tamen hujuſce viri fragmenta cum *Herodoto* contulerit, vix putabit *Cteſiam* prælatum jure: difficulter ex utroque liquida colligitur veritas, mihi tamen quæ habet *Herodotus* quàm quæ *Cteſias*, veriſimiliora videntur. Etſi in *Cyri* morte *Xenophontem* maximè ſequendum putem, referam tamen communem eâ de re ex *Herodoto* ſententiam.

Deſtructo Aſſyriorum imperio, non ſe dixit *Arbaces* Regem, ſed Medos, Perſas, Armenos, reliquoſque ad Septentrionem populos, libertate permiſit frui: aliter *Belochus* qui Babylone in Aſſyriâ Monarchiam continuavit, cogendo quos potuit ad meridiem & occaſum potiſſimum ſitos ſubire jugum.

Medi pertæſi libertatis Dejocem cogunt regnare.

Medi per aliquot annos de novâ libertate gratulantes invicem, competêre tandem licentiam popularem non minus tyrannide malum eſſe. Dum in uno majeſtas imperii non reſidet, facinoroſi quique pro libitu in vicinos graſſari: afflicti regem qui tueatur imbelles, qui caſtiget ſontes, efflagitare: omnium oculis *Dejoces* ex *Arbace* prognatus, Medorum potentiſſimus ſimul & juſtiſſimus expetitur: ſuis ille demum humeris imperii onus imponi patitur, eâ lege ut populus Regiam ſibi urbem & domum extrueret, ſuiſque mandatis obſequium in omne tempus alacre pollicerentur. Nulla in populo mora, extruuntur multò magnificentiſſima *Ecbatana*, hodie *Tauris*, in ipſo Mediæ meditullio: hic *Dejoces* & poſteri exercere cœperunt imperium in vicinos omnes, quà volentes quà invitos, donec tandem latiſſimi Regni gubernacula deveniſſent ad *Aſtyagem*.

Aſtyagis ex Mandane nepos Cyrus in infantiâ ægrè ſervatus à pernicie.

Nulla huic maſcula proles (*Herodoti* profitemur inſiſtere veſtigiis) ex filiæ (quam habuit unicam) *Mandanes* utero videt in ſomnis enaſci vitem, quæ totam Aſiam umbrâ contegeret. De inſomnio conſulti vates, reſpondent ſuum ex *Mandane* nepotem non in Mediam tantùm ſe vivo videnteque, ſed & in Aſiam totam arrepturum imperium. *Aſtyages* (ut irrita redderet fata) viro inter Perſas quieti ingenii & mediocris fortunæ *Cambyſi* gnatam dat nuptum; & ut primùm apparuit uterum ferre ad ſe vocatam detinet in ipſum partûs articulum; infantem prorſus regium quam primùm

edirum *Harpago* Præfectorum fideliſſimo tradit, primo quoque tempore necandum. Non tulit hunc animus innocuo Regii ſanguinis cruore manus commaculare, ſed facinus perpetrandum ſeveriſſimis verbis mandat cuidam *Mithridati Aſtyagis* bubulco; ſuſceptum ille puerum deducit domum, mox ad lanienam ferarum exponendum: ſed rem ut erat, antè narrat uxori *Spaconi*, abhorrere mulier facinus, maritum ne fieret obteſtari, docere quo facilè falleret modum; edidit illa nuper infantulum, ſed cui in ipſo partu vitam fata eripuiſſent, hunc, inquit, ſupponamus pro Regio, Regium alamus pro noſtro. *Mithridati* commentum placet, demortuum involvit Regiis quas ab *Harpago* faſciis acceperat, involutum poſt triduum ad *Harpagum* reduxit, quaſi enectum in ſylvis fame ſecundum ſua mandata: veriſimilis fabula non difficulter creditur.

Cyrus puer innoteſcit avo.

Intereà adoleſcit *Cyrus* in ruſtico pago, facie & moribus inter parvulos ſodales regium aliquid ſpirans, colludentes aliquando pueruli eligunt ſibi in Regem *Cyrum*, quo munere demandato ſtrenuè defungens, alios creat ſatellites, alios conſiliarios: huic unum, illi aliud imperat, cæteri parent dictis; nobilis quidam puer ſpernit imperia: hunc ſtatim rebellem lictores jubet corripere & duriter cædere loris; flagris totus lacer currit ad patrem lachrymabundus puer, & ad Regem cum filio pater, iratum plenus demonſtrat quàm ab infimâ plebe ſerviliter habeatur nobilitas; advocatur in regiam cum patre ſuppoſititio *Cyrus*, puerum interrogat *Aſtyages*, quî tanti viri filium auſus ſit tam indignis modis accipere, intrepidè reſponſat puer, mei me ſodales communi ſuffragio dixere Regem, unus hic juſſa reſpuit, propterea plectendum duxi, ſi quid peccatum, adſum qui feci, luam ut voles: pueri ſermonem, vultum, & indolem totam admiratus *Aſtyages*, venit in memoriam amiſſi nepotis, & leviuſculum ſuſpicatus in interiora domus bubulcum ſeducit, tandemque ex eo minis veritatem extorquet, agnitum nepotem amplexus deoſculatur, de ſemine ſecurus, cui per puerile hoc imaginarium regnum ſatisfactum arbitrabatur.

Harpagus ab Aſtyage atroci injuriâ affectus Cyro Medis tradit regnum.

Harpagum tamen noluit mandatorum ſuorum neglectum impune ferre, adeſſe jubet cum filio, qui in aula maneret cum iuvento colluſurus nepote. Ad certum diem cum proceribus *Harpagus* ad Regium invitatur convivium, conciditur filius patri in dapes, caput & artus reponuntur in ſportâ, cùm ſuis ſe carnibus ſatis repleſſet *Harpagus*, interpellatur à Rege nunquid convivaretur bellè, belliſſimè reſpondit, Regi gratia: mox proponi jubetur bellariorum ſporta, reteguntur filii reliquiæ, & jam (inquit) agnoſcis *Harpage* quæ te ferina repleverit: agnoſco, regerit, & mihi quæcuque Regis voluntas perplacet. Non diu viro defuit inſignis vindicandæ injuriæ occaſio, mittitur ad Patrem in Perſas *Cyrus*, ibi omnis virtutis genere cunctos in ſui admirationem rapit. Poſt aliquod tempus ad ipſum ab *Harpago* venit nuncius ſine aliis mandatis, quàm ut ſuis manibus allatum à nuncio leporem ſemotis arbitris diſſecaret; in diſſecti medio libellum reperit, in quo ad vivum *Harpagus* depingebat antiquas *Aſtyagis* tum in ſe tum in *Cyrum* injurias: advenisse monet tempus vindictæ, efficaciter hortatur implere vellet prædicta fata; accurrat modò cum quovìſcunque in Mediam exercitu, ipſi ſe traditurum in manus abſque teli jactu cunctas Regis copias. Monenti paret *Cyrus*; *Aſtyagi* nunciatur adventare cum armatâ manu nepotem, *Harpagum* ille jubet ire obviam cum copiis, dum ſtat in procinctu utraque acies, ante pugnam ad *Cyrum* tranſfugit *Harpagus*, Ducem ſequitur omnis miles. Quid vis amplius? *Aſtyages* cum toto imperio venit in nepotis manus, *Harpagus* illudit & inſultat captivo Regi, ſed *Cyrus* avum amanter habet, & provinciarum primariâ, quoad viveret, permiſit frui.

Ambitio Cyri.

Humanæ cupiditati nullum poſuit naturæ terminum, opes, honores, acuunt non ſedant ſitim: non citiùs Deus Medos ſubjecit *Cyro* quàm is ulteriora ſpectârit, terrarumque orbem totum animo volvere cœperit. Tres tum in terrâ celeberrimi florebant Reges, in Aſſyria *Labynitus*, *Amaſis* in Ægypto, & in Lydiâ *Crœſus*, iſtos omnes ſpe jam devorabat *Cyrus*; ſed prima cum *Crœſo* bella.

Candaulis uxor maritum, ſe, Lydiamque Gygi tradit.

Seculis aliquot Lydiæ imperitârunt *Heraclydæ*: ex his unus *Candaules* nomine pulchritudinis ſummæ habebat uxorem. Delirus Rex non ſatis habens *Gygis* ſatellitum ſuorum principis aures quotidie obtundere uxoris formâ, ſed quò major fieret rei fides ſimul & admiratio, voluit oculis luſtrare virum quæ aſſiduè auribus ingeminabantur. Renuit *Gyges* Dominam propinquius ſpectare, ſed fatuus *Candaules* nolentem compulit in thalamo latitare, ut Reginam dum decumberet, ſeminudam conſpiciens, ſe qui tali frueretur, ſciret beatum: tanta non fuit in latendo *Gygis* cautela, quin diſcedentis umbram obſervare ſibi videretur mulier: certò rem totam ex marito expiſcata, non priùs illuxit dies quam vocatum ad ſe *Gygem* juſſit eligere, ipſe ne vellet quam primum mori an verò manus inſerre Regi. *Gygi* viſum *Candaulis* vitâ ſuam redimere, nocte ergo intempeſtâ nullâ fabuloſi annuli virtute, ſed muliebri fraude ſecurus

ſter-

ſtertentem obtruncat Regem, Reginaque ſimul & Regno in poſterum potitur.

Crœſus Gygis abnepos filium Atym ab Adraſti telo non poteſt ſervare.

Gygis abnepos *Crœſus* fuit, huic duo filii, mutus alter ab ortu, alter fortitudine, virtuteque omni ſodalibus longè præſtans, *Atys* habebat nomen, docetur in ſomnio *Crœſus*, filium *Atym* ferreâ mox perimendum cuſpide; armat ſe Rex contra Deorum effata, retrahit in vitiſſimum filium ab omnibus armis, in thalamo cum novâ nuptâ cogit deſidere, nullum in domo ſpiculum vult conſpici: hæc meditanti ſupervenit infelix *Adraſtus* Phrygiâ juſſus exulare; quod malâ fortunâ fratrem incogitans necâſſet, ſupplicem accipit benigniſſimè *Crœſus*, & quàm poteſt amanter fortiſſimum utut infauſtum Principem apud ſe retinet. Intereà concurrit ad regiam frequens populus clamans ab immani apro regionem vaſtari, lacbrymis efflagitant fortiſſimam *Atyos* dextram, quæ una valeret belluam perdere, ſuam hìc *Atys* operam offerre, ſed pernegare pater; filius contra inſtare, narranti tandem oraculum *Crœſo*, demonſtrat *Atys* nihil ab aprugno dente ſibi eſſe periculi, cujus ſint fata occumbere ferro; victus *Crœſus*, venationis concedit filio licentiam; ſed *Adraſtum* unà mittit cuſtodem, qui ab omni periculo ferri, quantum in ſe eſſet, juveni caveret: cuſtodiam in ſe recipit *Adraſtus*, itur in campum, vexatur aper, ſed ecce in ipſo venatus fervore mittit in feram *Adraſtus* ſpiculum, effugit illa, ſed *Atyos* pectus cuſpide trajicitur. Feralis omnes invadit lamentatio, fertur exanimis ad patrem filius, poſt mortui corpus mœſtiſſimus conſiſtens *Adraſtus* fatetur noxam, *Crœſum* obſecrat velit pœnas expoſcere, *Adraſti* miſerans fortunam *Crœſus* ſolatur ut poteſt, verum is infauſtis infenſus Diis vivere recuſat, & ad *Atyos* rogum ſe necat.

Crœſus à Cyro metuens ab Apolline fallitur.

Dolorem à *Crœſo* depulit metus, gnarus motis humani ſibi perſuadebat luxuriantem adoleſcentis *Cyri* fortunam in viciniorum circa circa perniciem mox erupturam: commodum ergo ſuis rebus exiſtimat præoccupare. Sed quò melioribus moveret avibus, Deos conſultum mittit; vir ſi quis unquam *δεισιδαίμων*, nullum negligit oraculum; ad euncta quæ ullum habebant nomen ſana mittit, qui hoc unum primò quærerent tentandi gratiâ, quid rerum in articulo quæſtionis ageret *Crœſus*; ex omnibus unum placuit *Delphorum* reſponſum: nam *Pythia* legatis ante quæſtionem eccinit in iſto temporis momento concoquere *Crœſum* in lebete æneo oviculam, cum teſtudine ſuperimpoſito lebeti operculo, etjam ex ære: cùm meminiſſet *Crœſus* id ipſum iſtâ horâ ſe agitâſſe, nihil amplius de *Apollinis* dubitans veracitate, ſecundò Delphos mittit legatum, cum donariis ex auro argentoque pretii cunctam ſuperantis fidem. Sciſcitatur Deum legatus, num Perſas poſſet evertere *Crœſus*, ambiguo deludit virum reſponſo mendaciſſimus Deus:

> Κροῖσος (inquit) *ἅλυν διαβὰς μεγάλην ἀρχὴν καταλύσει.*
>
> *Crœſus Halym penetrans magnam pervertet opum vim.*

Non cogitabat *Crœſus* ſuæne an *Cyri* pervertendæ eſſent opes. Confeſtim quantas poteſt maximas contrahit copias, de victoriâ certus ipſius ore Dei. Mediam invadit prior, adeſt cum exercitu propugnaturus *Cyrus*, die toto pugnatum eſt ancipiti marte, ſed nocte cogiturâ ſuis *Crœſus* relictis caſtris domum remeare: renunciato in quartum menſem reditu: verùm ecce præter opinionem ad *Sardium* mœnia conſidentem *Cyrum*. Inexpectato licet adventu territus *Crœſus*, animos tamen aſſumit urbis munitiſſimæ fiduciâ, quam facile defenſum iri confidebat, donec ex Aſſyriâ, Græciâ, Ægypto vires adventaſſent promiſſæ: diu fruſtrà aſſedit urbi *Cyrus*, donec aliquando ex ſuis quidam animadvertiſſent *Lydum* militem ut galeam reciperet, quæ manibus excidiſſet forte fortuna, deſcendentem ſimul & aſcendentem ab urbis parte, quæ naturâ loci ita putabatur munita, ut ab obſidentibus pariter & obſeſſis tanquam inſuperabilis negligeretur: hac urbi irrumpunt Medi ab ipſis lydis præmonſtratâ viâ, obviorum fit cædes promiſcua.

Capiuntur à Cyro Sardes unà cum Crœſo.

Periculum Crœſi muti filii vocem rumpit.

Conjecerat ſe in turbam *Crœſus* ne agnoſceretur, obſcuram & facilem mortem deſiderans; illi dum enſem intenderet Medus quidam miles obtruncaturus, ſtatim exclamat qui erat à latere mutus filius, homo ne interficias *Crœſum*; linguæ retinacula rupit terror, muto metus dedit vocem, agnitus *Crœſus* damnatur ad ignes, aſcendens jamjam arſuram pyram exclamat altâ voce ô *Solon, Solon, Solon*, & præterea nihil admirante *Cyro* narrare vix inducitur, moriturus (ſic loqui liceat) *Crœſus*: accepiſſe ſe inquit dum fortuna floreret *Solonem* hoſpitio, & oculis ſubjeciſſe viri quicquid haberet opum, potentiæ, felicitatis: quæſiſſe quemnam in terris cognoviſſet beatiſſimum, memorare *Solonem Tellum* quondam Athenienſem, & poſt hunc Thebanos quoſdam fratres, qui in mediocri fortunâ cum laude viventes integrâ occubuiſſent famâ, cum indignarer nec primas mihi nec ſecundas in felicitate virum attribuere, docet is quod dici beatus ante obitum nemo ſupremaque funera poſſit. Iſta cum ut deliri ſenecionis ſomnia ſpernebam, ſed præſentes me res admirandam viri ſapientis veracitatem cogunt agnoſcere. His dictis caſuum humanorum cogitatione perculſum *Cyrum* miſeret *Crœſi*, jubetque de pyrâ deſcen-

Solon & Apollo Crœſum ſervant.

ſcendere, ſed ſera fuit miſericordia, hactenus enim ſubjecto igne ardebant extrema pyræ, violentia flammæ non admittebat reſtinctorum manus: quod unnm hoc caſu potuit *Crœſus*, ſublatis ad cœlum oculis, invocat *Apollinem*, audit Deus, & immenſâ imbrium vi perdomat flammas. Hoc beneficio nondum ſibi ab *Apolline* ſatisſactum putavit *Crœſus*, poteſtatem à *Cyro* poſtulat mittendi Delphos ad Deum, quæ captivum ligâſſent vincula, quo ſic ingratam *Apollinis* perfidiam exprobraret, ſed à ſe rejecit *Apollo* culpam in fata, quæ Medis ſubjicere Lydos decrevíſſent, ſuſpendiſſe ob amorem *Crœſi* fatorum decreta ad annos tres, ultra non valuiſſe ne ipſum Jovem.

Crœſi cum Apolline jurgia.

Cyrus Babylonem capit.

Proxima movet *Cyrus* in Babylonios arma, hoc ad ſe, ſi quem alium pertinere putabat imperium jure, ex cujus ſcilicet majoribus *Arbaces* multò majorem quam *Belochus*, operam locâſſet in perdendo *Sardanapalo*. Regnabat tum Babylone *Balthaſar*, contra hunc movet *Cyrus*, nullum valet ingruentem ſuſtinere robur: Objicit flumen *Gyndes* pro patriâ ſuum corpus, ſed ob audaciam peſſimè mulctat *Cyrus*, diſſecans miſerum in partes ſupra trecentas ſexaginta ſex; moventur hinc ad urbem caſtra, obſidentes rident Aſſyrii, invictam putantes urbem cujus mœnia capiebant ambitu millia paſſuum minimnm ſexaginta, latitudine cubitos regios quinquaginta, altitudine ducentos. Sed miſeri non meminêre veniſſe vocatum à Deo *Cyrum* ad manumittendos Judæos: oppugnanti Deo propugnacula cuncta ſunt paleæ. Diſſecabat urbem in duo interfluens Euphrates, derivat *Cyrus* flumen in foſſas quas excaverat *Semiramis* olim, itaque per alveum ſemiſiccatnm ſubennt intempeſtâ nocte Medi ſecuram urbem, occupant portas, ferro flammáque ſæviunt, donec urbani victas darent manus.

Impoſito *Medis*, *Lydis*, *Aſſyriis* jugo, nondum armorum ſatietas *Cyrum* capit, ardebat Ægyptiorum celebre Regnum prioribus addere, ſed ante voluit ſuperbos compeſcere *Maſſagetas*, ne quid ſe abſente moveret à tergo indomita Scytharum rabies.

Movet in Maſſagetas.

Imperitabat Maſſagetis Regina *Tomiris*, ad hanc mittit *Cyrus* qui ambirent in uxorem; ſagax mulier Regnum non Reginam ambiri ſentiens, repudiat conditionem: irritatus quaſi contumeliâ *Cyrus* exercitum ducit ad mare *Caſpium*. Mihi quidem hic videtur *Herodotus*, utut aliàs inter Chorographorum primos, neceſſariò relinquendus; Maſſagetas ponit ad Orientale maris Caſpii latus, ad ortum etiam Mediæ, & in hoc ſequacem habet Geographorum principem *Ptolemæum* ſed addit Maſſagetis ad meridiem fluvium Araxem, quem vult æqualem Iſtro. Iſta ſtare non poſſunt, nam ſi *Ptolemao*, ſi *Straboni*, ſi Geographicis quæ nunc teruntur tabulis, ulla ſit fides, Araxes Armeniæ fluvius eſt Mediæ ad occidentem, ſextuplo minor Iſtro, ad quem hodie habitant *Georgiani*; dicerem in voce ſolùm erraſſe *Herodotum*, *Araxem* vocando qui nunc & olim etiam *Oxi* nomen babet, niſi quæ de *Araxe* refert etiam *Oxo* non convenirent. *Oxi* quidem fontes longiſſimè diſtant vel ab *Euphratis* vel *Gyndis* vel *Tigridis* fontibus, & oſtium utrumque Maſſageticæ genti jacet ad meridiem, mare *Caſpium* ad occaſum, *Iaxartes* fluvius ad Boream.

Errat in Araxis ſitu Herodotus.

A Tomiri necatus ſecundum Herodotum Cyrus.

Cùm ad Oxi ripas veniſſet *Cyrus*, obviam habet à *Tomiris* legatum qui Regi daret optionem, velitne ipſe ad tridui iter in regionem Maſſageticam procedere, an verò Maſſagetas mallet regionem ipſius tanto intrare ſpatio, vocat in Concilium *Cyrus* duces: *Crœſus* qui poſt captas *Sardeis* Regi fuit ab omni ſecreto, Maſſageticum ab initio bellum diſſuadebat, ſed quandoquidem eò eſſet perventum, unde ſine infamiâ retrahi non potuit pes, conſultius putabat tum rei tnm famæ in hoſtico pugnare quam domi: trajicit ergò, ſed ſiniſtris avibus, flumen *Cyrus*, remiſſo ad regni gubernacula unà cum *Crœſo Cambyſe* filio. *Tomiris* ſecundum pacta recedit ab Oxo triduanum iter, ſequitur aliquandiu *Cyrus*, ſed ex procerum conſilio quaſi territus, recurrit ad flumen, relictis caſtris, paratarum epularum & generoſiſſimi vini refertis. Reginæ filins cum tertiâ copiarum parte vacua occupans caſtra, inſueto vino & epulis indulget cum exercitu toto avidiſſimè; facili ergo negotio ſemiſepultos crapulâ *Cyrus* obtruncat ad unum Reginæ filium, qnem captivum in vinculis retinuit; hic cum precibus impetrâſſet laxas manus, ſemet ipſe dedit neci: irritata magis quàm territa *Tomiris* hac clade, iterum per legatos ad ſua ſedire juſſit *Cyrum*, & abſtinere ab alieno; cùm non paruiſſet, accedit cum copiis Dux fœmina; cruenta fit, ſi qua aliàs unquam pugna, occumbit unà cum *Cyro* Perſicæ nobilitatis flos, conquirere mandavit Regina victrix cadaver *Cyri*, & ab inventore ſcindi caput, quod illa ſuis manibus vaſi humano ſangnine pleno injiciens; Satia te, *inquit*, quem ſitîſti ſanguine.

Invadit Ægyptum Cambyſes.

Nunciatâ *Cyri* cæde Regnnm capeſſit filius *Cambyſes*, urget ille patris cœpta; Ægyptiis denunciat bellum, injuriæ prætexens contumeliæ ſibi ab Ægyptiis illatæ ſpeciem. Poſtulaverat ab *Amaſi* Rege ſiliam in uxorem, metuens hic ne Perla filiam concubinæ loco tantùm baberet, pro ſuâ ſuppoſuit *Niteten Apryis* à ſe depoſiti throno; hæc nt ad *Cambyſem* venit, in paternæ vindictam

cædis

cædis *Amaſis* aperit fraudes : non amplior mora, quæſitum nacti Perſæ prætextum movent ingenti cum exercitu per Arabiæ deſerta, occurrit ad Peluſium *Pſammenitus*, *Amaſi* patre priùs defuncto; fit pugna, victi Ægyptii confugiunt *Memphim*, obſidione premunt urbem Perſæ, & tandem deditione capiunt. Conjicitur cum Regni primoribus in vincula Rex, in ordinem ſervorum redigitur populus, tranſire jubetur per ora *Pſammeniti* ancillæ habitu cum hydria aquatum filia. Ad hoc tam triſte ſpectaculum vultum non commovet Rex, mox prætergredi videt in nobiliſſimorum Juvenum turbâ filium ore frænato, colloque revincto fune; etiam hîc ſtat immotus *Pſammenitus*, ſed ecce dum quidam ex priſcorum numero amicorum accedit emendicans ſtipem, hîc Rex erumpit in fletus. Interroganti *Cambyſi* quid fleret externorum mala, qui immotus proximorum conſpexiſſet clades? Reſpondet miſerrimus Rex, amici calamitatem poſtulare lamenta, liberorum ſuperare. Hoc dicto *Cambyſi* mota miſeratio, jubetur *Pſammenito* reſtitui bona rerum ſuarum pars, mittitur ad filium ſimul & filiam liberandos nuncius, cujus tamen iter non prævenit infelicis adoleſcentis præproperum ſupplicium.

Pſammeniti calamitates.

Fruſtraneus Cambyſis conatus in Pœnos, Hammonios & Æthiopas.

Suavis devictæ Ægypti bolus, *Cambyſis* plura quærendi famem exacuit : ad perdomandum Africæ reliquum adjicit animum, in Carthaginenſes adornari jubet claſſem, ſed audito copiarum nauticarum florem *Phœnices*, expeditionem contra conſanguineos *Pœnos* abhorrere, ab incepto deſtitit, in *Æthiopas* ad Africæ meridiem verſurus vires. In hos dum pergit ad dextram devaſtandis *Hammoniis*, & *Iovis* incendendo fano quinquaginta dimittit militum millia : hi cùm diſcumberent ſub dio pranſuri, tantam arenarum vim venti violentia congerit in miſeros, ut ad unum omnes vivi ſint contumulati.

Caſtra Regis mediam vix dum ad Æthiopes emenſa viam, conſumpto prorſus omni commeatu, coguntur decimum quemque ſortiri militem ad eſum, iſta comperiens *Cambyſes* in Ægyptum revertitur, ubi in omnia ruit ſcelera pleniſſimo gradu, ſeu morbo facto ſibi à puero familiari infatuante mentem, ſeu *Iovis Hammonis* furiis exagitantibus animum.

Miſerat ante ſuſceptum in Æthiopas iter, ad ipſos ſpeculandi gratiâ legatum, ſuſpicatus id quod erat Æthiopum Rex, revertenti legato *Cambyſi* ferendum dedit arcum cum hoc nuncio ; ne tentarent Perſæ in Æthiopas arma movere, priuſquam ex ipſis aliquis dictum arcum valuiſſet intendere, cùm rem tentâſſent Perſarum fortiſſimi, fruſtra fuere omnes, unus *Smerdis Cambyſis* frater non plus duobus digitis ab intendendo fuit, verùm adoleſcenti infeliciſſimè ceſſit hæc fortitudo, nam invidiâ æſtuare *Cambyſes*, non ampliùs ferre fratrem, remittitur igitur in Perſidem *Smerdis*, quò minori negotio de medio tolleretur : *Prexaſpi* res peragenda committitur, ſuis ille manibus *Smerdin* in mare præcipitavit. Habebat *Cambyſes* uxorum loco ſororem utramque, cum quibus aliquando ſpectabat ferarum certamina, cum leone decertabat fortiſſimus canis, qui tandem victus concidit à leone devorandus, aſtabat revinctus loro catuli frater, hic fraternam conſpiciens lanienam, ruptis impetu loris in victorem inſilit leonem, viſum hoc minorem Regis ſororem ſtatim ſolvit in fletus, cauſam mirato *Cambyſi* reſpondet, dum canem leo dilaniat advolat in ſuppetias frater canis, ſed meum, ah! *Smerdim* violante cane nullus tulit opem : efferatus dicto *Cambyſes* tamdiu prægnanti ſorori calcibus inſultavit, donec ipſa cum fœtu ſimul efflâſſet animam.

Smerdis virtus ſe primùm, poſteà ſororem, denique fratrem perdidit.

Poſteà factum eſt ut è *Prexaſpe* quæreret quæ de ſe eſſet Perſarum opinio : regerit ille Perſas in omnibus admirari Regem, niſi quòd paulò magis deſiderarent abſtemium : ſiccine igitur (inquit) ebrioſus à meis habeor? taliſne ſim tuo ſtatim experiar periculo ; hac ſi ſagittâ trajecero tui præ foribus ſtantis filii ipſum cor, injuria delirantis ebrii titulo notor ; ſin aberrem, nil defugio notam : cum dicto ſpiculum emittit, quod in medio diſſecti juvenis corde repertum eſt.

Prexaſpis filii cor ſagittâ Cambyſes trajicit.

Cùm aliquando nobilium duodecim uno die juſſiſſet necari, à *Crœſo* crudelitatis eſt monitus : ad liberam vocem excanduit Tyrannus, Crœſumque juſſit quàm primùm mulctari morte : prævidentes miniſtri Regem utut in præſentia furentem, mox *Crœſi* tactum iri deſiderio, virum aliquot dies occultant, donec Regis deferveſceret ira ; poſteà cum obſervarent *Crœſi* mortem moleſtiſſimè ferre, renunciant in vivis adhuc eſſe: illum quidem Rex accipit in priſtinæ locum gratiæ magno cum gaudio, ſed miniſtros qui ſervaſſent, ſpreti imperii crimine morte jubet luere.

Crœſum ſervatum gaudet ſed ſervatores necat.

Noluit tantum in homines *Cambyſes* furere, invaſit libido virum violandi Deos : Ægyptiorum ingreſſus templa, omnia profanavit ſacra ; proximi Regis *Amaſis* ſolitum cadaver aciculis pungi, loris cædi, omnique juſſit excipi contumeliâ, dum tandem flammis redegiſſet in cineres.

In Ægyptiorum Deos furit

Ægyptiis olim maximi Dei loco erat vitulus quem nominabant *Apim*: hunc voluit videre *Cambyſes*, ut vidit, confeſtim inſiluit in magnum Deum trajecturus gladio ventrem, ſed aberrante ictu, tactum tantùm

eſt femur, ex quo tamen vulnere contabeſcens *Apis* expiravit.

Cambyſes moritur Ecbatanis Syriæ.

Iſtos in Ægypto furenti furores tyranno nunciatur *Smerdin* quendam Magum, *Suſis* in Perſide regnum occupâſſe nomen ſub perſona *Smerdis* à *Cyro* geniti. His acceptis quàm poteſt feſtinè domnm properat, ſed in via dum equum conſcenderet, excidente vaginâ nudus jam gladius femur perſtringit ad eam partem, quâ ipſe vulneràſſet *Apim*.

Oraculo olim *Cambyſi* prædictum fuit moriturum ſe Ecbatanis, hoc fretus reſponſo expectabat ſecurus, ſeram domi in Media mortem, ſed jam ad vulneris curam in Syriæ vicinam urbem digrediens, dum audit præſens vocari oppidum Ecbatana, non amplius dubitat de præſenti fato. Convocat igitur primores Regni, aperit prius occultatam fratris cædem, docet in ſomnis aliquando vidiſſe ſe *Smerdin* in ſolio ſedentem, vertice cœlum tangere, hujus dum cauſa inſomnii à rebellione fratris ſibi formidaret, imperaſſe cædem quam nunc animitus perpetratam doleret; qui in præſentia fratris mentiretur nomen, nihil minus eſſe quàm *Smerdin Cyri*, ſatis ſe noſſe Medum *Magum*, cunctis imprecatur miſerrimam mortem, ſi viliſſimi homuncionis audaces fraudes impunitas dimitterent. His dictis infauſtum ſpiritum exhalavit.

Narranti vera de rebelli Mago Cambyſi non credunt Perſæ.

Non habuere fidem moribundo Regi Perſæ, nam quæ dixit ad invidiam fratris arbitrabantur conficta, maximè cùm celebratus cædis auctor *Prexaſpes* graviſſimè dejeraret, nullas ſe unquam intuliſſe *Smerdi* manus, nam ſi fateretur, metuebat mortuo jam *Cambyſe*, magni quod admiſit ſceleris vindices Perſas: ſtrenuè ergo negabat factum, quod pauciſſimorum perpetraſſet conſcientiâ, hinc accidit ut totos ſeptem in pace menſes imperitaret Perſiæ *Magus*, pro fratre *Cambyſis* fallens, tandem tamen ita res emanavit.

Otanes operâ filiæ de Magi fraudibus fit certus.

Unà cum Imperio *Cambyſis* etiam uxores Mago ceſſerant, inter has filiam habebat *Otanes*, vir nulli Perſonarum ſecundus potentiâ: obſervabat hic imperatorem novum contra quàm ſolerent Reges Perſarum domi ſe tenere clauſum, nec unquam magnatibus ſui copiam libenter facere, ſuſpicatur inde veram eſſe poſſe quæ ferretur fama de Regno *Smerdis* non *Cyri* ſed *Magi*: ut verum exploraret, ad filiam mittit qui moneret, dum unà cum Rege dormiret palpare ſtertentis aures; meminit enim à *Cyro* dum viveret *Smerdi* Mago ob grave ſcelus præſciſſas aures, renunciat *Otani* gnata, auritum non eſſe qui regnaret.

Liqnidà jam veritate, quinos Primorum rem tutam docet, Conſultantibus ſeptimus ſupervenit *Darius Hyſtaſpis* filius: hunc viderat in ſomnis *Cyrus* trajecturus *Araxem* ad fata, imperitantem Aſiæ: experrectus, advocat qui erat in caſtris, *Hyſtaſpem*; narrat quæ de filio vidiſſet in ſomnis, jubet confeſtim volare in Perſidem, juvenemque comprehenſum ad ſe quam primùm adducere, ſed iſta rupit conſilia *Cyri* cædes.

Conſpirant ſeptem primores.

Deliberant dicti ſeptem proceres de tollendo Mago, rem cupiebat *Otanes* per aliquot differri dies: *Darius* verò ni illicò aggrederentur, denunciat propalaturum ſe conſilia, ſcire enim ſatis, non poſſe viros ſeptem ſecretum tanti momenti diu tenere compreſſum, nolle igitur à quoquam in afferendo Magis nuncio ſe præveniri, in viâ diſcunt conciliaſſe ſibi Magos *Prexaſpem*, illumque magnis muneribus majoribuſque promiſſis induxiſſe, populo ut perſuaderet genuinum *Cyri Smerdin* regnare, nec ullam ſe vim unquam intuliſſe *Cyri* filio, pollicetur egregie *Prexaſpes*, jubet convocari Perſas, & altum ſibi poni ſolium, in hoc aſcendens longè contra Magorum ſpem auditoribus multis verbis declarat, verè mactaſſe ſe *Smerdin Cyri*, regnique fræna tenere non alium quàm viliſſimum Magum: cum dictis præcipitem ſe mittit in caput, expiratque cervice confractâ. Nuncium hoc currentibus conjuratis addidit calcar, ventum eſt ad Regiæ fores, vitorum majeſtas per medios ſatellites viam aperuit, non item ad conclavis aditum per eunuchos, qui ſuſpicantes quod erat, ad arma conclamavere, ſed fruſtra; nam facile ſemiviros enſibus ſummoventes proceres, irrumpunt in conclave, hic Magi fratres, alter arcum, alter lanceam corripit: arcus in proximo telum inutile. Fugit ergo qui eo ſe armaverat in interiora domûs, ſequitur *Darius* & *Gobrias* fugientem, *Gobrias* brachiis continet, reluctatur ille, mutuis implicantur amplexibus, ſtat animi anceps *Darius*, ferire non auſus ne noceret amico. Hîc *Gobrias*, quid agis (inquit) *Dari*? vel per meum latus Magum transfigito: hac voce confirmatus *Darius* ſorte fortuna tranſverberat Magum intacto *Gobriâ*.

Magum in Gobriæ brachiis confodit Darius.

Darius equiſonis ſui arte Perſarum imperium adipiſcitur.

Sublatis de medio Magis magnâ diſceptatum eſt inter ſeptem pertinaciâ de forma futuri imperii; *Otani* Democratia, *Megabyſo* Ariſtocratia, *Dario* Regnum placebat: tenuit *Darii* ſententia. Proxima de Rege eligendo cura, proteſtatur *Otanes* neque regere, neque à quoquam ſe regi velle: reliqui ſex condicunt mane ſequens ad ortum Solis, ut in *Suſorum* ſuburbano convenirent in equis, eum adoraturi Regem cujus equus primam emiſiſſet vocem. Interea *Darius* digreſſus domum equiſoni ſuo pacta conventa ſignificat, monet ſeriò

vellet expedire ſi quam haberet artem: ſtatim equiſo, hæc ſi conventa ſunt, inquit, Domine de Regno ſis ſecurus, cætera mihi erunt curæ. Poſt aliquot horas ad locum quem condixêre proceres, adducit equarum pulcherrimam, equumque cui inſeſſurus erat *Darius*, aliquandiu circumducit & admittit tandem; hinc factum ut poſtridie quam primum eo loci perveniſſent proceres in memoriam heſternæ libidinis rediens *Darii* equus, horrendùm hinniret; auditaque voce, deſilientes illicò cæteri, *Darium* quaſi cœlo delapſum Regem adoràrunt.

Babylon rebellat.

In hiſtoriâ *Darii*, mittentes cætera, tria explicabimus in primis digna quæ memorentur, expugnationem *Babylonis*, infelix ad *Scythas* iter, & *Marathoniam* pugnam. Babylonii Perſicæ ſervitutis pertæſi, commodas ſibi ad rebellionem exiſtimant frequentes quæ paucis annis acciderant, mutationes Imperii: qui jam tenerer regnum juvenem eſſe, rudem imperandi, non amplius ferendum ſibi jugum, qui aliis olim imperitare ſolerent: creantur duces, fabricantur arma, paratur ad obſidionem urbs, convocantur in unum quotquot intra muros eſſent fœminini generis, pelluntur in agros matres, ex cæteris quiſque miles unam ſibi legit in ſervam, cætera turba ut inutilis bello & rei frumentariæ damnoſa ſtrangulatur.

Mulieres ſuas pleraſque ſtrangulant.

Ad rebellionis famam adeſt cum copiis ad portas *Darius*, ſuadet ad obſequia priſtina redire, monentem rident rebelles, rédituros ſe ad obſequia dicentes cùm pareret mula, id eſt, nullo unquam tempore. Ab undeviginti menſibus quibus fruſtra mœnibus aſſidebat *Darius*, accidit in caſtris, ut inter *Zopyri* jumenta mula quædam partum reverà eniteretur, hoc cum ſpectâſſet oculis *Zopyrus* portentum, in urbis potiundæ ſpem erectus eſt: id ut per ſe daretur effectum, iſta commentus eſt, aures ſibi præſcindit & nares, infligitque multa cruenta vulnera, in hoc habitu ſe oſtentat Regi, edocet non alio quàm hiſce vulneribus Babylonem poſſe capi. Cùm explicaſſet conſilium, præcipiti fugâ ſe dat in pedes ad urbis muros, intra admittunt obſeſſi, quis ſit narrat, quæque paſſus à *Darii* ſævitiâ, quòd ſuaſiſſet obſidionis ſolutionem: revelaturum ſeſe pollicetur quæ probè ſciret cuncta regis conſilia. Credunt Babylonii, & virum notæ virtutis alicui copiarum parti præficiunt, quibus comitatus ſeptimo ab adventu die mille Perſas, prout cum *Dario* convenerat, internecione delet: poſt decem dies bis mille necat, & aliquo pòſt tempore millena quatuor. *Zopyrus* tres continuò victorias adeptus, unus volat per ora vulgi, ab uno

Zopyri artibus capitur Babylon.

pendêre putatur civitatis ſalus, in unius manus, arces, muri, milites traduntur: ita ſpei votique compos ad præſtitutum tempus *Belidas* portas Perſis aperit, quibus potiti ſtatim victâ dominantur in urbe. Babylonis mœnia (unum ex mundi miraculis) *Darius* victor adæquat ſolo, civiumque illuſtriſſimorum tria millia crucibus affigit, cæteris in uxores mulierum quinquaginta millia contribuere vicinos imperavit, Babylonem totam vectigalibus immunem *Zopyro* in ditionem ad vitam tradidit, ſæpe dictitans malle ſe unum *Zopyrum* ſanum & integrum, quàm mille Babylonas.

Aſia flagellum Scythæ.

In Scythas *Darium* movit una vanitas animi, vanitati tamen hancce prætexuit juſtitiæ ſpeciem. Ante aliquot ſecula tranſcenſo Caucaſo deſcendentes in Mediam *Scythæ*, inſtar rapidiſſimi torrentis, ſecum omnia per totam Aſiam rapuere, neque quicquam ipſorum impetum ſufflaminare valuit præter una *Pſammenitis* Regis munera, ipſis ad Ægypti limites occurrentis amicè. Hanc Aſiæ, & inprimis Mediæ illatam contumeliam vindicatam voluit *Darius*, quanquam nil opus fuit vindictam ſumere de his qui domi per ſuos ſcelerum omnium pœnas abundè luerunt. Nam hæc vaſtatorum orbis colluvies, cùm per annos vigintiocto Aſiæ penè toti fuiſſet dominata, per Medos ſepulta vino, maximam partem ferro deleta: qui ſupererant domum verſus corripiunt viam, ſed tranſmiſſâ *Armeniâ* & *Colchis* antequam ad Mœotidem veniſſent, reperiunt ſibi objectam in os ingentem foſſam, cui aſſideret infinita robuſtiſſimorum juvenum acies.

Scythæ reduces à ſuis ſervis vexantur.

Domo diſcedentes in Aſiam *Scythæ*, ſervos omnes oculis orbârunt, ne in diuturnâ Dominorum abſentiâ ad ipſos uxores ſe ſuæ converterent; non tamen ars hæc crudelis ſuperavit libidinem: nam cùm perexiguam maritorum reditûs ſpem conſpicerent *Scytharum* mulieres, potiùs quàm interiret genus, cæcis ſe ſervis dabant. Hinc nata nova ſoboles, quæ ut redire domum accepit matrum maritos, patrum dominos, metu ne malè mulctarentur patres ſervi, matres adulteræ, & ipſi quoque ſpuria proles, corripiunt arma, currunt obviam, repulſuri pro viribus à patriâ ſenes *Scythas*: fit cruentum prælium, nullâ vi foſſam valent trajicere ſenes, dònec eorum aliquis ita cæteros compellaret. Quid agimus (inquit) viri cum armis contra ſervilem ſanguinem? abjiciamus enſes, arripiamus flagra; eum non hoſtes ex æquo, ſed dominos animadvertent, illicò diffugient metu. Laudatur oratio, exuunt ſenes hoſtium faciem, induunt dominorum, dextras armant fuſtibus & flagris; iſta non

ferunt

ferunt tela qui tulerunt enſes: diſſipantur juvenes, ſuâ ſibi ob oculos propoſitâ conditione; ſed prius tantâ dominis datâ clade, quæ ipſius Aſiæ animo poſſet ſatisfacere.

Darii in Cebaſum crudelitas.

His non obſtantibus *Dario* viſum ulterioribus de novo pœnis antiquas injurias plectere. Indicit longiſſimum in *Scythas* iter, multum contra prudentiſſimorum ex ſuis animum. Habebât *Cebaſus* nobiliſſimus ſenex & amiciſſimus Regi tres in caſtris filios, horum unum obſecrat Regem ut velit ſibi relinquere ad ſenectutis ſolamen; quin & tres inquit Rex, ut veteri gratum fiat amico, tibi relinquentur, eum dicto ternos fratres cædi mandat & mortuos tradi patri.

Boſphorum & Iſtrum Darius pontibus ſternit.

Cum ad Boſphorum Thracium eſſet perventum, ibi ligneo ponte quatuor ſtadiorum fretum ſternens, Aſiam Europæ continuat, Thraciam pervagatur ad Iſtri oſtia, novos hic jungit pontes, & Ionas cum claſſe cuſtodes relinquit, poteſtatem faciens eundi domum, ni ante ſexageſimum diem totius *Scythiæ* victor in triumpho rediſſet; venit præſtitutus dies, ſed ſine ullâ de *Dario* famâ, niſi quam ſerrent *Scythæ*.

Perſarum in Scythiâ ingens periculum.

Ad primum Regis adventum indictum eſt à *Scythis* non orientalibus Maſſagetis, ſed occidentalibus, hodie *Tartaris Præcopenſibus*, commune Concilium: pars magna non ſe peti putans, ſed eos tantùm arbitrata perſequi Perſas qui olim invaſiſſent Aſiam, negant pugnare ſe velle contra Perſas, priores: cæteri quibus armorum placuit ſocietas, commodum exiſtimant abſtinere prælio, donec huc illuc fugitantes per inhoſpita ſaxa laſſâſſent hoſtem, & ſimul ad commeatûs inopiam redegiſſent, ita *Darium* poſt ſe duxerunt ultra *Tanaim* fluvium ſine omni profectu, niſi quod eorum qui belli reſpuiſſent ſocietatem ab utriſque caſtris vaſtarentur agri: feſſi tandem ſequendo Perſæ mittunt ad Scythas legatum, qui hortaretur vel ad pugnam vel ad confeſſionem infirmitatis: reſpondit *Indathirſus* Rex, nil ſe morari *Darium*, nam urbes ſibi nullas, nullos eſſe agros quos tueatur armis, una curæ eſſe ſepulchra majorum, iſta ſi violare tentârint Perſæ, experientur quid valeant Scytharum dextræ.

Intereà in caſtris *Daris* invaleſcere fames, venire ab *Indathirſo* legatus abſque mandatis, ſed doni loco ferens *Dario* murem, ranam, avem, & quinque ſagittas: hæc ſibi quid vellent jubere Perſas pro ſua ſolertiâ conjectare: exiſtimat *Darius* ad ſe in ſubmiſſionis agnitionem mittere Scythas, non terram modo & aquam ſed inſuper etiam aërem, & quicquid haberent roboris, utpote quod in terra mus, in aquis rana, in aëre viveret avis, & in ſagittis omnis ſtaret Scytharum vis: ſed propinquius multò Scytharum mentem *Gobrias* aſſequitur ſic exponens, *O Perſa! niſi in mures converſi terram ſubeatis, aut ranæ facti aquis demergamini, aut aves voletis in aërem, malè peribitis hiſce ſagittis confecti.*

Gobrias commentationem hanc veriſimillimam *Darius* habens, decernit quàm fieri poteſt propere, de Scythis fugiendum; eâdem igitur nocte, caſtra cum infirmis relinquens hoſtibus, raptim capeſſit iter, premunt ad talos Scythæ, notitiaque viarum longè præveniunt Perſas ad Iſtri pontes; hic Græcam nacti claſſem ad pontis cuſtodiam ultra præfixum diem præſtolantem, eam adoriuntur benignis verbis ſuadentes diſceſſum, & monentes arripere libertatem, ſibique relinquere Perſas, quos pollicentur ad eum habituros ſe modum, ut nemini poſt eum diem ſint injecturi metum. Ex Græcis permulti utilia ſuadere Scythas exiſtimare, ſed *Hiſtiæus*, Mileti tyrannus ob oculos proponens regulis cæteris, in quo ipſi deſtructo *Dario* verſaturi eſſent periculo, quos procul dubio populus quiſque ſuus (libertatis ad furorem anians) ſublaturus eſſet de medio, ſemoto *Darii* metu. Hoc argumento retinuit ad tutelam pontium *Ioniæ* regulos: quò tamen magis falleret, Scytharum ſe ſimulat ſequi conſilia, pontem quaſi reſciſſurus, eam ejus partem quæ Scythicam ripam attingeret retrahens, ſuſpendit vinculis, remiſſurus quando commodum eſſet in priorem locum, intereà extra Scythicorum telorum jactus ſua omnia ſubducens.

Hiſtiæi in Darium fides.

Hac ex parte ſecum Scythæ veſtigia relegunt inquiſituri Perſas; ſed hi inopinatum vaſtatatum viarum tramitem inſiſtentes, eluſis Scythis evadunt noctu tandem ad Iſtri ripas. Hîc dum nullam reperiunt pontium umbram penè delirant metu; jubet tamen *Darius* Ægyptium quendam Stentoreâ voce virum *Hiſtiæi* nomen ad ripam inclamare, accipiens *Hiſtiæus* vocem reponit feſtinus ſublatam pontis partem, lætuſque Perſas tranſmittit in alteram *Danubii* ripam, olim *Getarum* nunc *Moldavorum* terram.

Veniunt nunc ad manus famoſiſſimi Perſarum contra Græcos belli prima principia: nullum in Europa pedem tenuerunt Aſiatici Reges; priuſquam ad expeditionem Scythicam trajeciſſet Boſphorum *Darius*. Hic licet ex Scythiâ coactus ſit cum ignominiâ ſeſe proripere, adjecit tamen imperio quicquid inter Iſtrum & Macedoniam jacebat ſoli: Macedonibus quidem permiſit libertate frui, ea tamen lege ut terram ſibi & aquam ſubmiſſionis inſignia

ſignia darent: iſta petitum ad *Amyntam* Macedonum Regem venerunt magno cum comitatu legati Perſiæ; non abnuebat *Amyntas* omnia poſtulata præſtare, quin & epulis lautiſſimis legatos accipiebat: dum ſerveret compotatio, occipiunt deſiderare Perſæ mulierum præſentiam, ſine quibus in Aſiâ nullum ajebant haberi convivium: adſunt igitur in hoſpitum gratiam ſpecioſarum mulierum numerus, ſed è regione virorum non à latere poſitus; mox Perſæ, removete quæſumus viri Macedones magnos oculorum dolores, aſſideat cuique viro, ut in Perſiâ moris eſt, mulier: in hoc etiam eſt obtemperatum. Sed quando propinquas jam ſibi mulieres familiariùs quàm pateretur honeſtum, Perſæ contrectarent: magnam concipiens irarum molem *Alexander Amyntæ* filius, ſic ad patrem inſit, non te patitur ætas mi pater prolixiùs convivari, ad nocturnam quæſo ſecedas quietem, mihi hoſpitum relinque curam: paruit ſenex, & de triclinio conceſſit cubitum. Semoto patre ad Perſas ſe convertens *Alexander*, Hoſpites (inquit) nobiliſſimi, quandoquidem placere vobis videamus noſtrarum præſentiam uxorum, ut intelligatis quantum nobis ſit ſtudii vobis facere gratum, ecce poteſtatem facimus totâ nocte fruendi, ſed exeant pauliſper ad balnea, quo, ut decet, ad vos nitidiores revertantur. Dulciſſimus ad aures Perſarum accidit hic ſermo, exeunt fœminæ, ſed earum redeunt loco totidem fortiſſimi juvenes glabri, muliebri veſte tecti, occultantes arma; ad hos cum indecentius accederent Perſæ, quàm modeſtos deceret hoſpites, temeritatis acerbas pœnas præſenti morte luunt. Ceſſiſſet hæc *Alexandri* crudelior audacia in Macedoniæ proculdubio perniciem ultimam, ni maturè prudentiſſimus juvenis placaſſet Satrapas, uni ſororem in uxorem, aliis ingentia largiens munera.

Alexandri Macedonis contra Darii legatos audax facinus.

Belli Græci parva initia.

Maximarum rerum minima ſunt principia, bellorum quæ Græcos penè contrivere, & magnitudinem Perſicam redegerunt ad verè nihilum, contemptibile fuit initium. Inter Ioniæ tyrannos *Hiſtiæus* erat Mileti dominus, ſingularis vir prudentiæ, & cui uni *Darius* ad Iſtri pontes ſalutem debuit: tantæ virtutis atque potentiæ virum non exiſtimant Regi commodum Satrapæ in Ioniâ relinqui, ne quid procul abſente in Perſiâ Rege tentaret novi: *Darius* ergo ſuorum ſuaſu *Hiſtiæum* Suſa ſecum ducit in honoris ſpeciem, quaſi qui ſuâ prudentiâ in rebus omnibus magni momenti Regi fieret à conſiliis. *Hiſtiæum* hic honor habuit peſſimè: Græcis enim olim uſque adeo innatum erat deſiderium patriæ, ut eorum viliſſimi præoptarent in minimâ degere fortunâ domi, quàm honorificentiſſimè peregrè in aulis Barbarorum principum. Certè *Hiſtiæus nullum* non movebat lapidem, ut quovis modo dilectam recuperaret patriam.

Hiſtiæus in ſuam perniciem Ionas contra Darium concitat.

Mileto diſcedens Suſa, in Principatu vicarium reliquit fratrem *Ariſtagoram*, ad hunc profugere *Naxii* quidam exules ut ejus operâ reducerentur domum: non valuit ſolus *Ariſtagoras* ſubigere *Naxum*, in ſocietatem armorum pertrahit *Artaphernem*, *Darii* Sardibus legatum, ab hoc ducentas egregiè inſtructas naves accipiens, pergit in *Naxios*, urbem obſidet, ſed nullo cum fructu: indignantes Perſæ fruſtra ſibi periiſſe labores & ſumptus, convertunt in *Ariſtagoram* expeditionis auctorem iras: ille trepidare, circumſpicere quo ſe poſſet modo contra Perſarum vim tueri. Hæc agitanti ſupervenit ab *Hiſtiæo* nuncius, ſine aliis mandatis quam ut deraſum nuncii caput inſpiceret. In capitis cute ſcripſerat *Hiſtiæus*, placere ſibi ut *Ariſtagoras* concitaret *Ionas* in Regem: nam erat certus, ſi quis in Ioniâ motus oriretur, illi comprimendo ſeſe dimiſſum iri domum. Nutantem priùs *Ariſtagoram* impulit hæcce legatio; omnia ad rebellionem ſedulò comparat, & quò magis benevolum haberet populum, ipſe Mileti depoſuit tyrannidem: vicinoſque tyrannos partim conſilio, partim vi movet ſubditis libertatem dare. In ſocietatem trahit non modò totam in Aſiâ Ioniam, ſed inſulas Ægei pleraſque, etiam Cyprum, quin & ipſos Athenienſes: horum conſiliorum hic fuit exitus, dimittit *Hiſtiæum Darius* ad parandam Ioniam, jungit ille ſeſe rebellibus, franguntur iſti à Perſis variis præliis victi, cadit *Ariſtagoras*, cæditur *Hiſtiæus*, ferro flammaque fœdatur Miletum, permultæ Cycladum vertuntur in diſerta, implacabile concipit in *Athenas* & *Eubœam Darius* odium, ſervorum uni mandat quotidie ſibi de lecto ſurgenti mentionem Athenarum facere.

Piſiſtratus Athenis dominatur.

Perſarum in Græciam adventum maturavit *Hippiæ* & *Demarati* ad *Darium* fuga. Statim ut *Solon* Athenis Democratiam fundavit, *Piſiſtratus* occupavit tyrannidem hac arte. Duæ erant in urbe familiæ principes ſibi invicem inimicæ, neutraque populi ſatis amans. *Piſiſtratus* maximum populi ſtudium præ ſe ferens, cum utrâque capitales exercuit inimicitias; quodam die prodiit hic in forum, plenus quæ ſibi inflixiſſet vulneribus; iſta, populo clamat, fero præmia mei in concives amoris, has qui dederunt plagas mox proculdubio mortem inferent, niſi vos ipſorum inſolentiæ obviam eundum curetis. Credulus popellus *Piſiſtrato* decernit magnum ſatellitium, quod à nobilium injuriis præſtaret immunem: hujus ſatellitii ſpecie magnam armatorum vim

circa ſe tenens, vir ſubdolus inimicos urbe vi pellit, & in cæteros volentes nolentes exercet imperium. Bis urbe pulſus *Piſiſtratus* toties rediit, ſemel armatâ manu, alias ſolus in curru comitante nobili ſcorto habitu *Minervæ*, certè ſreodentibus inimicis mortuus eſt capolaris ſenex in plurimâ pace Dominus Athenarum, poſt ſe relinquens tyrannidis ſucceſſorem filium *Hippiam*, qui cum aliquandiu imperâſſet, urbe tandem ejectus ad Perſas conſugit.

Demaratus fugit ad Darium.

Demaratus regnabat Spartæ unà cum *Cleomene*, cùm *Darius* in Græciam miſiſſet qui terram & aquam poſcerent, cæteris negantibus, uni *Æginetæ* dederunt, quapropter in eos ducunt Athenienſes copias, facit ſe belli ſocium alter Spartarum Rex *Cleomenes*, alteri *Demarato* bellum non placet, quapropter omnes adhibet *Cleomenes* machinas, ut *Demaratum* moveret regno: aſſeqoitur votum: nam *Pythia* muoeribus corruptæ probat oraculo ſpurium eſſe *Demaratum*, nec poſſe legitimè tenere Regnum: hac ille incenſus contumeliâ fugit ad Perſas hoſtes patriæ.

Mardonii claſſe tempeſtate disjectâ Perſæ ex Græciâ fugiunt.

Cùm ſingulis diebus *Darii* auribus intonaret odioſum Græcorum nomen, non modo ſervus ad id conſtitutus, ſed etiam hinc *Hippias*, illinc *Demaratus* pro viæ ducibus ſemet offerentes, non amplius cunctandum ratus Perſa, *Mardonium* ſibi generum adornare jubet ingentem claſſem, copiaſque terreſtres maximas. Conveniendi locus ad Helleſpontum indicitur, transfretantur ibi ex Aſiâ in Europam terreſtres copiæ, procedit pari paſſu exercitus uterque, ſed dum ad *Athon* ſtaret claſſis & in Macedoniâ figerentur caſtra, tanta tempeſtatis vis ingruit, ut ad ſaxa allidererentur pleræque naves, virorumque perirent ad millia viginti. Non melior caſtrorum fortuna fuit, invadit noctu tanta Thracum manus, ut omnia tumultu repleta ſint, multi cæderentur, ipſe *Mardonius* ferret volnera: aſpera adeo hæc viſa ſunt *Mardonio* fortunæ ſpiramina, ut neceſſarium putârit, rejectâ in tempus fauſtius Græcorum curâ, redire domum.

Redeunt anno ſequenti in Atticam.

Nihil hæc fortunæ iniquitas *Darium* turbavit; anno inſequenti majores ille copias comparans, pro *Mardonio* duces miſit *Datim* Perſam, *Hippiam*, & *Demaratum* Græcos. Rectâ illi, devitato *Atho*, per medias vadunt Cycladas: *Naxon*, & ſi quæ aliæ regem non agnoſcerent, in viâ mittentes ſub jugum. In Eubœâ minus ſpe fuit negotium, facilè capitur *Erythræa*, plenis hinc velis tenditur in Atticam, exponontur ad Marathonem copiæ, *Hippiâ* præmonſtrante viam: ponuntur in latâ planitie caſtra, è regione ſe locat Athenienſium myrias & Platæenſium mille. Fidem fecerant *Lacones* auxilii, ſed dum promiſſorum præſtationem peteret Athenienſium legatus, reſpondetur fas non eſſe *Spartanis* ante plenilunium iter ingredi. Dum redit Athenas legatus, in viâ obviam habet cornutum *Pana*; qui licet quereretur, ab Athenienſibus nimis ſe hactenus inter Deos neglectum, pollicetur tamen in præſentiâ benignam opem: ſparsâ hac divinâ voce per caſtra, mira milites invaſit ad pugnam alacritas, quam fovit inprimis *Miltiadis* virtus. Decem à populo electi erant duces, penes quos viciſſim ſingulis diebus ſumma eſſet imperii, horum pars media abhorrebat à pugnâ: media *Miltiadem* ſequens avebat prælii aleam. tandem cùm *Polymarchus* ad *Miltiadis* acceſſiſſet partes, decernitur eſſe pugnandum cum præſentibus copiis, non ultra expectato *Laconum* adventu: die prælii *Miltiadis* erant imperandi vices, educit ille copias; Platæenſes in cornu ſiniſtro, Athenienſes in dextro ſrequentes locans, mediam aciem rariorem habuit, diſponuntur contrà Barbari in acie numero ſuperantes Græcos plus decies: ſigna canunt, erumpunt in hoſtem Græci curſu, excipiunt immoti Perſæ: funditur media Athenienſium acies, ſed utrumque cornu fugat oppoſitos, quo facto contrahunt ſe in unum, Perſaſque qui mediam premebant aciem, concludunt conciduntque penitùs; quin & tota Barbarorum turba terga vertens trepidè ſugit ad naves, ſequuntur Græci, incendunt quas poſſunt naves, quaſdam ſubtrahunt in littus, *Cynegirus* unam navem dextrâ prehendit eo uſque, dum amputata bipenni manus caderet in mare, privatus dextrâ admovet navi ſiniſtram, hac quoque reſciſſa infigit dentes, nec prius dimittit quàm capite truncatus caderet exanimis. Captus eſt oculis in fervore pugnæ ſine alio dolore Græcus quidam miles, cujuſdam ſpectri, ut ajebat, afflatu: vidit contra ſe ſtare ingentem quendam virum, qui menti umbrâ totum ſuum contegeret clypeum, ad cujus præſentiam cecidiſſe exanimem unum ex ſociis & ſemet oculorum uſu privatum.

Deſertos à Lacedæmoniis Athenienſes Pan adjuvat.

Splendida Miltiadis ad Marathonem victoria.

Cynegiri virtus & ſpectrum.

Licet in prælio perdidiſſent Perſæ ad ſena tantum millia, uſque adeo tamen eos perterruit Græcorum mira fortitudo, ut ad novam pugnam non auſi redire, in Aſiam quàm primum remearent. Verùm hacce victoriâ, ut novo titione, majores in *Dario* irarum flammæ accenſæ ſunt: triplo majores quam prius unquam, in Græcos parari jubet vires: Ægyptus intereà rebellat, utraque hæc dum vexat animum cura, cogunt quieſcere fata, qui in triginta ſex imperii annis quieviſſet nunquam.

Fœda Athenienſium

Democratiis ſemper ſolenne fuit, optimè de ſe meritis peſſimam referre gratiam:

Mil-

enſium erga Miltiadem ingratitudo.

Miltiades ſuâ virtute ad Marathonem Barbaricam ſervitutem ab Athenis depulit, ſplendidiſſimam victoriam de Perſisretulit, uihilominùs leviſſimâ de causâ fœdiſſimè mori virum Athenienſes cogunt. Statim à Marathoniâ pugnâ promittit *Miltiades*, quò duceret ipſe ſequentibus opima ſpolia & ingentem prædam. Hac ſpe clariſſimum virum ſequitur magna populi turba: itur in inſulam *Paron*, obſidetur aliquandiu urbs fruſtra, quin & ipſe, dum per *Cereris* templi muros conatur in urbem irrumpere, lapſus confringit femur, non ſatis expeditionem hanc temerariam fuiſſe virum putant Athenienſes graviſſimo vulnere, niſi inſuper mulctaretur quinquaginta talentis, hæc cum non haberet in bonis, præſtare jubent corpore. Conjiciunt in carcerem, ubi vulneris dolor locique pedor, & vinculorum novitas optimo viro animam extorquent. Mirandum ipsâ morte viri non expletam popelli inſaniam, nolunt aliâ lege ad ſepulturam demortui tradi corpus, quàm ut in patris locum ſuccederet filins *Cimon*, in carcere eouſque remanſurus in vinculis, donec mulctam perſolveret ad ultimum quadrantem: accepit conditionem *Cimon*, ſuaque pietate Athenienſium voluit ingratitudinem ſuperare.

Præfert Darius Xerxem majori fratri Artabaſani.

Parante *Dario* in Ægyptum id iter, quod non ſiverunt capeſſere fata, nata eſt in regiâ domo magna controverſia: quidam *Dario* fuerunt ante Regnum filii, alios jam regnans ſuſcepit ex *Atoſſâ*, *Cyri* filiâ: horum maximus fuit *Xerxes*, *Artabaſanes* iſtorum. Æquum rebatur *Artabaſanes* ad ſe poſt patrem devenire Regnum, utpote cui primogenituræ jus tribuiſſet natura; contrà *Xerxes* fratri privata patris bona non invidebat, quippe qui *Darii* privati primus fuiſſet filius; ſed ſibi regnum jure deberi contendebat, qui *Dario* regnanti primus obveniſſet: ſecundum *Xerxem* judicare *Darium* fecit ſeu jus ſeu gratia matris *Atoſſæ*.

Xerxes numine impellitur ad Græcum bellum.

Ut primùm in regio throno conſedit *Xerxes*, nihil illi potius fuit quàm patris incepta perficere, Ægypto ad obſequium reducendæ minima ſuffecit opera, ſed ad eluendam à Græcis impreſſam in pugnâ Marathoniâ maculam, majori nitendum fuit induſtriâ. Magnopere diſſuadebat *Artabanus*, *Darii* frater omne cum Græcis bellum, traxitque rationum pondere in ſuam ſententiam ipſum *Xerxem*, utut initio pronum ad Græcum iter: ſed Principum conſiliis præeſt divina mens, ſemel & iterum in ſomnis *Xerxi* pariter & *Artabano* graviſſimas interminatur clades nocturnum ſpectrum, ſi non quamprimum conſilia in Græcos abjecta reſumerentur. Non audet Rex repugnare Deo.

In Pythium hoſpitem Xerxis crudelitas.

In faciendis apparatibus triennium inſumit: ex omnibus imperii angulis convenire jubet *Sardeis* exercitum, recenſentur hìc peditum decies ſepties millia, equitum octoginta millia; his omnibus Regium præbuit ſuis ſumptibus convivium vir quidam in Lydiâ privatus, nomine *Pythius*, pecore & pecunia, ſi quis unquam, dives. *Xerxi* hic gratis obtulit auri argentique præſentem ſummam multò maximam, de quâ ſtipem unam attingere renuit Regia magnanimitas, ſed pro ſuâ liberalitate ſupplere juſſit, quod *Pythio* deſuit auri, ad quatuor milliones. Non ita bellè tamen *Xerxi* cum *Pythio* mox convenit: ſequebantur Regem ex *Pythii* liberis quinque filii, horum maximo poſtulavit ſupplex pater immunitatem ab armis; ad eas preces excandeſcens *Xerxes*, diſſecari mandat iſtum filiorum *Pythii*, pro quo pater oráſſet vacationem à bello, diſſectique partes in publicâ, quâ copiis tranſeundum fuit, viâ collocari, à dextris unam, alteram à ſiniſtris.

Helleſponto iratus Xerxes reconciliatur.

In Europam trajicere *Xerxi* viſum eſt, non ubi pater ad Boſphorum, ſed infrà ad Helleſponti anguſtias, ibi Troadis Abydum & Seſton Cherſoneſi conjungit gemino ponte: quas primùm connexuit rates, eas Helleſpontus tempeſtate commotus diruit. Ob hanc audaciam inſaniens Rex pelago juſſit infligi verbera & injici compedes, qui furentem Helleſpontum quaſi compeſcerent, ſed in hujus inſaniæ pœnitentiam mox deveniens ut placaret inimicum mare, cum libaminibus in id projicit ſuâ manu phialam auream, craterem argenteum & enſem.

Deflet Xerxes ſortem humanam.

In novorum pontium uno tranſeunt ordine militari copiæ in armis ſeptem integris diebus, abſque ulla vel noctu intermiſſione itineris; in altero jumenta, lixæ, & quicquid fuit impedimentorum: cum ex Prætorii ſummo deſpiceret *Xerxes* infinitam quæ ſe ſequeretur multitudinem virorum, lachrymas fudiſſe fertur, quærentique cauſam *Artabano* reſpondiſſe, flere ſe ſortem humanam, cùm cogitaret, ex tot qui adeſſent virorum fortium millibus, ne unum ad annum centeſimum ſuperfuturum.

Secundâ luſtratione plures in ſuis caſtris Xerxes reppcrit, quàm quivis unquam alius habuit vel milites vel lixas.

Crevit in itinere ſemper Perſarum exercitus, nam ut in Europam venere, junxerunt ſe Regi non modo variæ Thracum nationes ſed etiam Theſſali, Macedones, Thebani, & maximus aliorum Græcorum numerus, ſecundò igitur invaſit libido *Xerxem* exercitus luſtrandi, cùm ad *Samothracen* ſtaret claſſis & *Doriſci* ad Hebri oſtia figerentur caſtra.

Apud multos *Herodoti* auctoritas parvi eſt ponderis, mihi tamen ſemper viſus eſt

inter primos fide dignus auctor: habet ille quidem ſabulas ſat multas, ſed eas profert fabularum nomine, imò verò vix quicquam minus veriſimile narrat, quin ſemet iſta vix credere ſateatur, reſerre ſolùm quæ ſamâ ſeraotur. Ad ejus elevaodam fidem adduci aote alios ſolet, quem præ manibus habemus, locus de numero *Xerxiani* ad *Doriſcum* exercitus, io eo enim fuiſſe putat animarum non pauciores quinquagies centeois millibus; incredibilis hominum turba, eò quòd non legamus vel antè vel retrò ſeculis iſtius numeri dimidium in unum unquam conveniſſe locum, ſed legat qui volet rationes quibus nititur auctor, non putabit aberraſſe prorſus à vero.

Nullam volunt Græci imperii partem Geloni Syracuſano concedere

Multis jam ſeculis Græcorum facilè priocipes erant Lacedæmonii, Athenienſes tum quidem ſecundi, ſed io Siciliâ reguabat Syracuſis *Gelon* oeutris ſecundus potentiâ: ad hunc commune mittit Græcorum Concilium, qui contra publicum hoſtem poſtularent opem: copioſam ille pollicetur, triginta ſcilicet militum millia quamdiu duraret bellum, modò ſe vellent io Imperatorem eligere Græci, cooditionem reſpuunt Spartani, ad ſe pertinere doceotes imperium; tùm *Gelon*, coocedite ſaltem claſſis ductum, neque id ſe admiſſuros Athenienſes reſponſant. Ob hæc reſponſa noluit arma ſociare *Gelon*, vel potiùs quòd ſuis ipſi rebus tum neceſſariò vacandum eſſet, ad hæc enim reſertur tempora ingens Carthaginenſium claſſis, quæ contra *Gelonem* expoſuit *Hamilcare* duce trecenta armatorum millia, quos tamen omnes ſudit, fugavitque *Gelon*.

Athenienſes urbe desertâ fugiunt ad naves.

Ea fuiſſe dicitur Græcorum magoaoimitas, ut conſuetis vacarent ludis etiam tum temporis, cùm in Macedoniâ caſtra metarentur Perſæ: Verùm ut acceperunt in Pieriâ jam ſtare *Xerxem*, animis trepidantes Athenienſes miſêre Delphos conſulcum, quid in tam deſperato periculo capieodum eſſet coosilii. Primum *Pythia* reſpooſum tantas urbi minabatur clades, ut eo rejecto aliud ſupplices à Deo poſtulârint legati: ſecundum oraculnm obſcuram ſalutis umbram urbi dabat, modò ſe tuerentur cives mœnibus ligneis. Quid rerum eſſent lignei hice muri multùm eſt diſceptatnm: tandem *Themiſtoclis* probata ſententia, quâ perſuadebat ille jubere Deum deſerere civitatem, extruere claſſem, navibus ſeſe cootra Perſas tutari: iſtam *Apollinis* fuiſſe mentem comprobavit eveotus, & in præſentiâ perſuaſit colubri de templo deſcenſus, cui meoſtrua de melle libamina fundebantur Athenis, ut nequaquam minimo Deorum.

Athenienſium Deus ſerpens.

Ad Thermopylas

Decrevêre primùm occurrere Perſis Græci ad anguſtos aditus Theſſaliæ; ſed qui huc cum *Themiſtocle* venerunt, ab *Alexandro Macedone* moniti de multitudine Perſarum trepidè inde deſugiunt: poſteà tamen redeunt ad propinquas anguſtias in exitu *Phthiotidis* Theſſaliæ ad Octam montem, nbi vix dimidium jugeri ſaxa ſe pandunt. Hìc cum Spartaoorum trecentis & aliorum tribus millibus coosedit *Leonidas* Spartæ Rex; loco Thermopylæ nomen non procul à littore, ubi ſtabat Græca treeentarum triremium claſſis, in Euripo Eubœam à Bœotiâ divideote ad Artemiſium.

Leonidas toto biduo Xerxem ſuſtinuit.

Cùm ad Thermopylas veniſſet *Xerxes*, parvulam illam, quæ aute anguſtias ſedebat, Græcorum manum ad ſe mandavit adduci vivam. Verùm iſti ſtreouam adeò in pugnâ navâruot operam, ut ipſe Rex ter de ſede deſiluiſſe dicatur ſormidine, ne pauculi iſti totas ſuas copias debellarent. Suſtinuerunt certè integro biduo omne Perſarum robur, ut habet vetus Epigramma, trecentas militum myriadas; tradentes necei cum binis Regis fratribus virorum fortium ad millia viginti; ſed die tertio cùm jam de tranſitu deſperaret *Xerxes*, quidam Phocenſis proditor per ignotum callem Perſarum agmen (immortale dictum) circumducit ad Græcorum terga: *Leonidas* circumventos animadvertens ſuos, cæteris dimiſſis domum, ipſe cum trecentis Spartaois tuetur locum, donec tandem multitudioe obruti opprimerentur omnes ad duos, qui cùm rediiſſent Spartam, quod pro patriâ recuſaſſent mori, alter ſupplicio affectus eſt, alter tantâ cumulatus eſt ignomioiâ, ut ipſe ſibi ſuſpendio vitam fioiverit.

Græcorum claſſem ægerrimè valuit Themiſtocles à fugâ cohibere.

Ioterеà ſtabat ad *Magneſiam* ſuperba Perſarum claſſis navigiorum ſupra quinquies mille, in quibus mille ducentæ roſtratæ triremes. Victimas cædunc Athenienſes Boreæ, oritur impetuoſus turbo, quatriduo vêxatur Perſica claſſis, quadriogentæ corrumpuntur naves, ſed levis hæc in tanto numero jactura; cum cæteris invadere parant Perſæ Græcos ad *Artemiſium*. Præerat Græcæ claſſi Spartanus *Eurybiades*, buic multi ſuadebant ſociorum, Eubœâ relictâ, ad Iſthmum ſe conferre, ſed meticuloſum virum cohibuic *Themiſtocles*, datis aliquot talentis quæ ad id ipſum ab Eubœanis corraſerat. Ut ad pugnam Græcos cogerenc Perſæ, circum Eubœam miſerunt ducentas triremes, quæ à tergo cohiberent ſi ex Euripo conarentur effugere: ſed iſtas ita tempeſtas afflixit, ut nulla ad claſſem iocolumis reverteretur: novi bujuſce naufragii accepto Græci ouocio ioeunt alacriores pugnam, pugnaotes diremit nox: ante lucem ad Græcos pervenit ſama cladis ad Thermopylas; quâ pervulgatâ, nullis verbis,

his, nullâ vi *Themiſtocles* ultrà valet ſociorum diſceſſum prohibere. Hoc tantùm obtinuit, ut ad *Salaminem* inſulam aliquandiu conſiſterent, donec uxores & liberos tranſmiſiſſent Athenienſes in Æginam, vel aliò quovis.

Perſas Delphis Apollo depulit.

Dum in his eſt Græca claſſis, in intima Græciæ viſcera caſtra movet *Xerxes*; ipſe properat Athenas, altera caſtrorum pars Delphos tendit, ut ingentes *Apollinis* Theſauros diriperet, quos omnes accuratiùs deſcriptos habebat *Xerxes*, quam quæ domi ſuæ reliquerat bona. Cum Delphos eſſet allatum adventare Perſas, interrogatus *Apollo* num occultari vellet res ſuas, reſpondit ſua ſibi fore curæ; certè fert fama, dum appropinquarent fano Perſæ, tum de cœlo fulmina & de fano mugitus intonuiſſe; ut Perſæ metu ſe conjicerent in pedes, bonam partem cæſi à Parnaſſi ſaxis, quæ in ſubjectos ruiſſent.

Xerxes Iconomachus.

Hoc in Græcorum aliarumque gentium Deos bellum continuavit *Xerxes*; nam in Aſiam reverſus multa multorum Idolorum fana mandavit everti, & Babylone *Beli* ſtatuam ex ſolido auro duodecim cubitis altam ſuſtulit, rectè hoc quidem & regiè, ſi ex vera Dei notitia & Zelo, non ex mera avaritia & atheiſmo. Ab eo non legimus læſa Judæorum ſacra, & ſi quæ *Flavius Ioſephus* habet de ipſius in templum Hieroſolymitanum beneficentiâ, ad filium *Artaxerxem* apertè ſpectent: quæ autem *Ioſephus Bengorion* fabulatur permulta, Talmudicæ & putidiſſimæ mihi quidem videntur næniæ.

Xerxes Athenis dominatur.

Cùm veniſſet Athenas *Xerxes* vacuam reperit urbem, tantùm in arce pauculi remanſerant ligneis oraculi muris pertinaciter adhærentes, donec numeroſi Perſarum enſes à pertinacia ſimul & vita miſeros traxiſſent. Cùm jam Athenis in pace ſederet Perſa, domum *Artabano* mittit nuncios qui plenam ſuam referrent victoriam, ſed mox ſuo comperit periculo nondum debellatum.

Themiſtocles Græcam claſſem cogit ad pugnam.

Græcorum ad *Salaminem* claſſis, ut primùm ſequi ſe Perſas animadvertit, terrore repleta fugæ proxima fuit, niſi *Themiſtocles Eurybiadi* planis denunciâſſet verbis, ſtare ſibi ſententiam ad Perſas cum ſuis transfugere, niſi ibidem locorum iniretur certamen: hic metus ſocios continuit uſque dum allatum eſſet à *Xerxe* captas Athenas: omnes hæc fama certiſſimus fecit ad ſua ſe conferendi; retinuit tamen quantum libet invitos *Themiſtoclis* prudentia, & coëgit ad pugnam. Miſit is qui Perſis clam ſignificaret inter ſe rixantem Græcorum claſſem parare fugam, facilè ante fugam circumveniri totam poſſe, & ita debellari, ut navis evadat prorſus nulla. Dicto citiùs circumvallantur à Regiis Græci, nullus amplius defugiendæ pugnæ locus, initium fit prælii, ſingula ſpectat in littore *Xerxes*, in quinque Barbarorum navium millibus nemo pugnacioris palmam præripuit *Artemiſia* Dominæ Halicarnaſſi, ſed nulla Barbarorum fortitudo Græcæ valuit reſiſtere virtuti, terga vertunt Perſæ ſub ipſius aſpectu *Xerxis*, maxima fit cædes virorum, depreſſio navium, *Xerxi* tantus incutitur metus, ut licet infinitas in terra copias haberet intactas, præſentis tamen fugæ conſilium ceperit.

Sinit Xerxem Themiſtocles fugâ elabi.

Non poteſt perſuadere ſociis *Themiſtocles*, ut fugientes perſequerentur, nedum ut Helleſponti diſſolverent pontes, parati quidem ad iſta tentanda fuerunt Athenienſes vel ſoli, ſed à conatu *Themiſtocles* abſtinuit, vel quod non putaret, tutum omnem omnino poteſtatem fugæ *Xerxi* intercludere, cui tot copiarum myriades adhuc integræ ſupererant: vel quod aliquem apud Regem ſibi parari cuperet gratiæ locum: certè nuncios miſit, qui *Xerxi* in aurem dicerent, debere illum *Themiſtocli* ſalutem, qui Athenienſes ad pontes ſolvendos paratos avertiſſet à facto in unam Regis gratiam.

In Helleſponto Xerxes propè ſubmerſus navarchum occidit.

Dum totus ad fugam propenderet *Xerxes*, ab eo impetravit *Mardonius* ex totis copiis ſelectas triginta myriadas, quibus reliquum Græciæ perdomiturum ſe pollicetur. Cum cæteris pergit ad pontes Rex, tantâ feſtinatione, ut infirmorum permulti relinquerentur in viâ, multi perirent inopiâ commeatuum, cæteri cum in navibus transfretâſſent in Aſiam (nam pontes ruperat maris æſtus) ad primam ciborum copiam bonam partem exanimati ſunt. Apud quoſdam obtinuit fama Regem ad oſtia *Strymonis*, quo citius à Græcorum formidine fieret ſecurus, Sidoniam conſcendiſſe navem, huic cum in medio freto ingruiſſet turbo, ſignificat Regi gubernator parvam eſſe ſalutis ſpem, niſi magna vectorum pars ejiceretur in mare: declarat præſentibus Perſis ſuum *Xerxes* periculum, ſtatim nobiliſſimorum magna manus ut Regis proſpiceretur ſaluti, præcipitem ſe dat in fluctus: cùm ad littus appuliſſet ſalva navis, ſalvati Regis præmium aureum torquem gubernator tulit, ſed in amiſſorum Perſarum pœnam decollatus eſt.

Contra Mardonii trigintâ myriadas undecim Græci contrahunt.

Hæſit aliquandiu Thebis *Mardonius*, donec per legatos tentâſſet, num in Regias partes Athenienſes poſſent pertrahi: quidam Athenis ſenator non ſpernendas putabat à Regiis urbi conditiones afferri: verùm ob eam vocem ab aſſidentibus ſtatim lapidibus obrutus eſt, quin & in uxorem liberoſque malè conſulti viri mulieres

Atticæ involant unguibuſque diſcerpunt. Cùm nulla jam *Mardonio* conciliandorum Athenienſium ſpes ſupereſſet, movet in Atticam caſtra; ſecundò capitur urbs, & deformatur incendio; ſed ante in naves ſe conjecerat tota gens, miſeratque Spartam qui poſtularent opem: una illîc cura fuit perficiendorum in Iſthmo murorum & ſolennibus vacandi ludis. Cum nullam ſui curam Athenienſes à Spartanis haberi viderent, ad ſuos reditum parant, minantes cum Perſis ſociaturos ſe arma, hic metus Spartanos cum ſociis extrahit in campum, conflatur exercitus quà gravis, quà levis armaturæ ad undecim myriadas; nuſquam Græcorum major in unis caſtris apparuit numerus, & quod mirere, pedites pugnâſſe cuncti videntur.

Spartani declinant cum Perſis pugnam, quam Athenienſes ambiunt.

Mardonius accepto Græcos adventare, recedit ab Attica ut regione minùs planâ, in Bœotiam ad ulteriorem Aſopi fluminis ripam: ad citeriorem conſident Græci, undecim flumini diebus aſſident ſine mutuo maleficio, neutri priores audentes transgredi; utriſque pulchrè litantibus ad ſui tutelam, neutris ad invaſionem hoſtium. Tandem *Mardonio* decretum eſt ſpernere Græcorum ſacra, ut poſſet devenire ad manus. Iſtud de pugnando Perſarum decretum, tranſmittens flumen intempeſtâ nocte *Alexander Macedo* Ducibus Athenienſium patefecit: rem illi communicant *Pauſaniæ* Imperatori: ſtatim is cum Spartanis trepidare quòd craſtino die cum Medis pugnandum ſibi foret, quos in prælio nunquam experti fuiſſent, Athenienſes qui iſtos ad Marathonem fudiſſent orare, commutare vellent ſecum ſtationes quò ſibi contingerent adverſarii Thebani & Theſſali, illis verò cum Perſis & Medis res eſſet: Athenienſibus gratiſſima fuit Spartanorum petitio, tranſeunt igitur mane primo Athenienſes in dextrum aciei cornu, ſuccedunt in ſiniſtrum Lacones: iſta obſervantes Medi de ſiniſtro in dextrum cornu ſe pariter conjiciunt, ut cum unis Spartanis conſererent manus, ſed ut iſtorum congreſſum declinarent, iterum ad priſtinam ſtationem Lacones redeunt, & Medi quoque ad ſuam, miſſo ad *Pauſaniam* legato qui exprobraret metum, quòd ipſi Græcorum fortitudine celeberrimi horrerent cum Perſis miſcere manus. Redeunte ſine reſponſo legato tranſire jubet in hoſtem *Mardonius* equites, hi totum diem Græcos vexant, & fontem, ad quem unum ſecurè licebat aquari, perturbantes, prorſus corrupêre: hinc viſa eſt Græcis neceſſaria caſtrorum tranſlatio ad urbem *Plataas*, abſentem ad ſtadia decem.

Mompheretus non vult retrocedere.

Moventibus cæteris *Mompheretо* tribuno Laconi nullis rationibus perſuaderi poteſt, ut unum pedem cohortem ſuam moveri pateretur, cum iſto dum altercatur *Pauſanias*, illuceſcit dies: Athenienſes in itinere procedebant, cæteri Itineris prætextu pergebant in fuga; inſtant diſcedentibus equites Perſæ, Lacedæmoniis ingruunt tota Medorum caſtra, deſerti hi à cæteris ſociis ad Athenienſes mittunt oratum ut vellent in auxilium accurrere, ſed his ſatis negotii dabant qui cum Rege militabant proditores Græci. Erant Spartanorum ad millia quinquaginta tria, hi cùm poſt miram patientiam pulchrè tandem litâſſent, convertunt ſe ad Perſas, obvios quoſque proculcant, ipſum necant *Mardonium*, cæteros ad caſtra propellunt; eadem Athenienſium virtus & fortuna fuit: ex Regiis conſtitit nemo, fugerunt omnes ad caſtra, quæ muris ligneis egregiè muniverant: iſtos muros Athenienſium virtus tranſcendit, fit cædes horrenda; eo die periêre Græcorum infra centum, ſed Barbarorum ſupra ducenta quinquaginta millia: ex triginta *Mardonii* myriadibus ſeduxit ex prælio, dum primam fortunæ Perſis adverſantis auram ſenſiſſet *Artabanus*, quadraginta millia, quæ rapto itinere prævertens infauſti prælii famam, magnam partem ad Helleſpontum duxit, cæterorum vix tria ſuperfuere millia.

Platæenſis inſignis victoria.

Ad Mycalen Perſæ tam terrâ quàm mari funduntur.

Eodem die nauticæ Græcorum copiæ inſignem de Perſis retulere victoriam; nam Samiorum ſuaſu ductæ ad regiam claſſem eam profligârunt; hæc enim ut primùm Græcos aſpexit terrore perculſa littori ſeſe applicuit, ſupra Epheſum ad urbem Mycalen, ubi ſtativa habebant terreſtres *Xerxis* copiæ ad continendos ſiquid moverent, Ionas, huc ſubduxere claſſem, & ſeſe cum terreſtri conjunxerunt exercitu, utroſque invadunt Græci, acceptaque quaſi divinitus famâ Platæenſis pugnæ, quæ ipſo hoc mane commiſſa fuit, involant alacritate mirâ in hoſtem & ingenti ſtrage debellant, naves urbemque Mycalen incendunt, magnam Ioniæ & Helleſponti partem à Perſica ſervitute liberant. Hanc habuit cataſtrophen expeditio ab orbe condito multò terribiliſſima.

Fugit Xerxes in Mediam.

Cùm non in Græcia modò ſed in ipſa Aſia ſuorum ſtrages fieri *Xerxes* acciperet, novo territus metu Sardibus Ecbatana ſe contulit, quò longius à ſævis abeſſet manibus Græcorum: cæterum ante diſceſſum Sardibus triſte fecit initium novæ tragœdiæ. Calamitates belli nil emendarunt viri vitia: fratrem habebat *Maſiſtem* Sardiæ & Lydiæ Præſidem, hujus uxorem inſano deperibat amore, intereà dum omnibus belli cladibus Græci Perſas obruerent: quò deſiderii fieret compos, *Darium* filium cum mulieris filiâ jungit matrimonio, accidit

ex

ex frequenti conſuetudine, ut de matre in in filiam jam ſuam nurum vitioſiſſimus vir affectum transferret, ſuſpicari rem occipit *Ameſtris Xerxis* uxor, tacet autem donec pellucida veritas ſic comperta fuit; promiſerat *Xerxes Artainta* nurui in obſequii præmium quicquid tandem poſtulâſſet: ferebat ipſe dum iſta polliceretur inſigne amiculum, *Ameſtris* manu magnâ depictum arte, hoc voluit & aliud nihil *Artainta* donum, quod & tulit, licet ab invitiſſimo *Xerxe* præſagiente jam effectum. *Artainta* quò cunctis manifeſtum daret, quantâ floreret apud Regem gratiâ, in publicis cœtibus veſtem oſtentabat. *Ameſtris* jam certa ſtupri in *Artainta* matrem, quam malorum fontem rebatur, evomuit iras. Perſarum regibus in ſolenni natalitiorum ſuorum feſto nefas eſt cuiquam quicquam negare, hoc captans tempus ſupplex *Ameſtris* dedi ſibi poſtulat *Maſiſtis* uxorem. Rex licet ægerrimè, concedit tamen: accerſit fratrem, ſuadet ab uxore divortium, ſuam ipſi in novas nuptias affert filiam, negare *Maſiſtes*, obteſtari ne ſuaviſſimam ſibi conjugem deſerere cogeretur, inſtare Rex, minari: intereà per ſatellites in Regiam raptaverat miſeram *Ameſtris*, & fœmineâ crudelitate effodiens oculos, detruncans aures, nares, labia, dimittit ad maritum: fugere is ad Bactrianos, quorum ope de fratris ſævitiâ vindictam conſequeretur, ſed in via retractus cogitur mori.

Ameſtris in Artaintam matrem crudelitas.

Herodoti finis.

Plura non habet *Herodotus*, ſed ab eo lampadam accipit *Diodorus Siculus*; is nobis in ſequentibus præferet facem. Nexu adeò arcto cum Perſicis Græca conjuncta ſunt, ut qui velit ſeparare, laceret neceſſatiò in fruſta conjunctiſſimum corpus: detur ergo venia ſi iſta ſimul proponamus quæ nequeunt ſine vi ſeparari.

Plataenſis & *Salaminia* pugna magnis in Græcia mutationibus principium fecere; à Lacedæmoniis ad Athenienſes tranſtulere principatum, novis tam intra quàm extra Græciam motibus dedere materiam. Unius ortus alterius eſt interitus. Spartani in Perſico bello adoleſcentem eminentes Athenienſium potentiam, eam ipſo ortu deprimere niſi ſunt, ne ſi ſumpſiſſet incrementum, ipſorum principatui perniciem afferret; ſed quò plura Athenienſium incremento impedimenta Lacones objecere, eò iſti majores in auctoritate & potentiâ quotidie progreſſus facere.

Spartani ſua invidia Athenienſium incrementa promoverunt.

Cùm in communi Græcorum Concilio agitaretur, cui primæ fortitudinis laudes in pugna Salaminia deberentur, etſi ad Athenienſes iſtas pertinere nullus dubitaret, ne iſtorum tamen luxurians jam ſponte nimiùm efferret ſe gloria, effecere Lacedæmonii ut Æginetis prima deferrentur ſpolia: cæterùm ne *Themiſtoclis* offenderent animum, cui uni debebatur victoria, vitum Spartam accerſunt, honoreque & donis ampliſſimis accumulant; iſta quod accipere dignatus eſſet *Themiſtocles*, ab his qui publicæ Athenienſium gloriæ invidiſſent, exuitur à populo præfecturâ navium, quam in *Ariſtidem* æmulum conferunt.

Pauſanias Spartani Regni tutor communi Græcorum claſſi tum præfuit, ſtrenuam illic navavit operam in liberandis Ioniæ tum inſulis tùm continente à Perſarum jugo: ſed tanta viti ſuperbia, & in ſocios faſtus erat, ut abhorrere plerique inciperent à Spartanorum principatu, & ad Athenienſes multo ſtudio ferri: tanta enim *Ariſtidis* cùm juſtitia tum humanitas fuit, ut in ejus manus tota penè Ionia ſe daret, ejuſque conſilio imponi ſibi pateretur tributum, quod in Delo depoſitum adminiſtrarent pro ſua prudentia Athenienſes, ne communi contra Perſas bello deeſſent impenſæ.

Pauſaniæ ſuperbia ab Ariſtidis æquitate victa.

Furere Spartani, manifeſtè ſibi de manibus Præfecturam maris extorqueri, ſed tanta ipſos malorum moles oppreſſit domi, ut non vacaret foris cum Athenienſibus agere. *Pauſaniam* inſana cepit libido prodendæ *Xerxi* Græciæ: hac de re multos miſit tabellarios quorum redibat nemo, ab epiſtolarum redditione ſtatim omnes necati, ſic jubentibus quos ferebant codicillis: accidit ut tabellariorum unus ſuſpicatus in ſinu ſuam ſe ferre mortem, tabulas audacter reſignârit, ibique legens proditionem patriæ & ſuum interitum, ad Ephoros rem totam detulerit; nullam iſti adhibere fidem, donec delator hac arte dedit confitentem reum: Tabellarius quaſi reus criminis confugit ad aſylum, accedit *Pauſanias* cogniturus cauſam; latebant poſt periſtromata Ephori, adoriri hic tabellarius *Pauſaniam* quaſi ſolus ſolum, quòd ſe miſiſſet ad apertam mortem, oſtendere refractas tabulas: *Pauſanias* non diffiteri factum, ſimulare de eo dolorem, orare vellet tegere ſua conſilia: iſta ſuis haurientes auribus Ephori deferunt populo Spartano. Emanante ad *Pauſaniam* famâ confugit is ad *Minervæ* Sacrarium, circumſedit ædem populus, non audent violare ſanctitatem loci, ſed ne ſceleratus evaderet patriæ proditor, omnes templi aditus lateribus obſtruunt, ipſâ matre *Pauſaniæ* primum ponente laterem, ita miſerum necavit fames.

Pauſanias ob conſpirationem cum Perſis Spartæ necatur fame.

Dum in iſtis eſſent Spartani ſedulò extruebant Athenienſes, monente *Themiſtocle*, ſuæ urbis dirutos à Perſis muros: adſunt ſtatim Lacedæmone legati revera qui vetarent factum, metuentes iſtius incrementa populi,

Mira Themiſtoclis virtus Athenienſis muros & portum invi-

tis Spartanis comparat.

populi, ſed præ ſe ferunt tantùm diſſuadere, ne ſcilicet ſi rediret in Græciam *Xerxes*, munitionibus iſtis uteretur ut arcibus contra Peloponneſum. Conſilia potentiorum Athenienſes non auſi repudiare, *Themiſtoclem* ſinunt ſuis artibus uti; vadit ille Spartam legatus, pollicetur quando ſic videatur Spartanis, non ultra proceſſum iri in ſtructurâ murorum; interim tamen diu noctuque totus populus ardebat in opere. Accipientes Spartani facta *Themiſtoclis* contraria dictis, conveniunt iterum virum, narrant audita: ille pernegare vera, orare mitterentur inſpectum viri fide digni, cæterùm ante iſtorum ſpeculatorum reditum operi penè Colophon eſt impoſitus, legati tamen dantur in cuſtodiam, donec ſalvus domum rediſſet *Themiſtocles*.

Pergit vir optimus conſulere patriæ, poſtulat à populo poteſtatem perficiendi quæ cogitaret animo, utiliſſima quidem illa, ſed ſi propalarentur impoſſibilia factu, mirari populus viri ſolertiam, jubere communicare mentem *Xanthippo* & *Ariſtidi*, iſti ſi probarent habiturus plenam poteſtatem: renunciant illi tale *Themiſtoclis* eſſe inſtitutum, quale ipſemet prædicaret, honeſtum, utile, & poſſibile factu. Ne ſic quidem audebat populus in viri manus facultates conferre, metuens nequid in urbis libertatem tanti vir ingenii moliretur: jubent ergo proferre in publicum ſua conſilia, ille recuſare, ſenatui ſaltem probare cupiunt, id cùm præſtitiſſet abundè, faciunt quicquid luberet, agendi poteſtatem. Statim ille adhibere cunctas urbis operas ad conſtruendum *Piræi* portum: locus hic erat maximæ accipiendæ claſſi idoneus, abſque quo fruſtra omnis Athenienſium ad maris dominium aſpiratio, quòd ſi reſcîſſent Spartani conſilium, totis procul dubio viribus incubuiſſent ne perficeretur; ſed inopinata *Themiſtoclis* feſtinatio, tam in portu *Piræi* quam in mœnibus Athenarum, omnes hoſtium antevertit conatus. Stabat aliquando in propinquo Athenis portu Spartana claſſis, ſignificat populo *Themiſtocles*, ſi per ipſos liceat, poſſe ſe urbi utiliſſimum præſtare (habebat enim in animo dare flammis Spartanam claſſem) jubetur *Ariſtidi* ſua probare conſilia, *Ariſtides* renunciat urbi eſſe utile quod cogitaret *Themiſtocles*, ſed injuſtum, propterea vetat populus factum. Certè *Themiſtoclis* virtus navales patriæ copias eò magnitudinis provexit, ut ipſis Spartani neceſſarium putarent ſponte cedere mari.

Ingratus populus oſtraciſmo Themiſtoclem pellit in exilium.

Sed ecquid vir maximus à civibus tulit bene meritorum præmii? in ejectione *Piſiſtratidarum* oſtraciſmi lata lex eſt, quâ liceret in exilium ad quinquennium pellere ſine omni culpâ, cujuſcunque nomen in conventu publico ſex millia civium ſuis teſtis (quas ὄστρακα vocabant) inſcripſiſſent: reſtulato hoc exilio primus ejectus eſt *Themiſtocles*, abſque omni ullius criminis prætextu, ſed vel invidiâ vel metu, ne præeximia virtus invadere aliquando ſuaſiſſet virum in concives imperium. Afflictum jam *Themiſtoclem* Lacedæmonii ſtatim eunt perditum, memores quantum unius virtus rebus ſuis dediſſet damni, metuentes ne reſtitutus patriæ ſuis conſiliis ipſos prorſus everteret, jubent ergo cauſam dicere coram communi concilio quod Spartæ ſedebat, proditæ Perſis patriæ & communicati cum *Pauſaniâ* conſilii. Spartam vir ab omni purus ſcelere, ſibi capitalem hoſtem horrens accedere, ad Moloſſorum confugit Regem; ſequuntur Spartâ legati qui proditorem jubent Græcis dedi. Spartanos Moloſſus metuens, & innocentem miſeratus, *Themiſtoclem* monet clam fugere, regiâ prius inſtructum pecuniâ ad viam ſatis copioſè.

Fugit ad Xerxem Themiſtocles.

Pervenit ille poſt multos labores & pericula ad divitem in Lydia *Pythium*, ſuum olim hoſpitem, à quo ad *Xerxem* Ecbatana perductus eſt, in curru clauſo quaſi pellex Regi, quam nemo in via audebat inſpicere. Accepit virum *Xerxes* perbenignè, ſervorum atque pecuniæ magnâ copiâ cumulavit, uxore inſuper nobili donavit, & tribus in Ionia civitatibus amplis in dotem, *Lampſaco*, cujus generoſiſſimum vinum ad potum, *Magneſiâ*, ubi præſtantiſſimum frumentum ad panem, *Miunte*, in qua ſapidiſſimi piſces in obſonium. Ægrè tamen hi regis favores ſervare *Themiſtoclem* à præſenti exitio: Regis ſoror, cujus gemini filii in pugna *Salaminiâ* periiſſent, audiens adeſſe illius cladis auctorem, advolat in aulam pleniſſima furiarum: convocat infinitam populi manum, cujus aliqui in bello Græco neceſſarii occubuiſſent, circumſiſtunt Regem, ſeditioſe clamant, dederetur ſibi *Themiſtocles*, quem vivum jamjam dilaniarent; vix impetrat *Xerxes* ut audiretur, dicturus cauſam ad certum diem coram ſenatu Perſarum: cum adveniſſet dies, *Themiſtocles* jam Perſicum edoctus ſermonem, ita peroravit ut ſuam cauſam probaret judicibus etiam Perſis.

Ægrè à moleſtrum Perſicarum vi Themiſtocles eripitur.

Mavult mori Themiſtocles quàm in patriam arma ferre.

Fidem *Xerxi* dedit *Themiſtocles* de ducendo in Græciam exercitu, ſed cum ad dicendum Regi contra patriam ſacramentum veniſſet, inter ſacrificia ſumptum in manus taurini ſanguinis calicem exhauſit, & ab hauſtu mox expiravit, eligens in ſemetipſum potius vir optimus injurius fieri, quàm vel in amicum Regem, vel in dilectam, utut ingratam, patriam.

Sanguinariorum mors ſolet eſſe ſanguinaria: *Xerxis* culpâ infinitorum hominum

num violentum erat fatum, nil ergo mirum ſi ipſi vis eripuerit animam. Satellitum habebat Præfectum *Artabanum*, & hic conſanguineum *Mithridatem* primarium Eunuchorum, intromittit Eunuchus Præfectum ad Regis lectum, hic ſine mora ſtertentem obtruncat, utque de medio ſimul cum patre tolleret etiam filios, accedit ad *Artaxerxem*, ei ſignificat fratrem majorem *Darium* necâſſe patrem, offert adoleſcenti totum patris ſatellitium, quo de parricidâ ſupplicium ſumeret, hac calumniâ inflammatus irâ & odio frater minor involat in majorem, *Darium Artabani* fraude confodit *Artaxerxes*, *Artaxerxi* denique inhiat *Artabanus* omnium proditor, ſed dum adoleſcentem leviori vulnere perſtringit, ipſe repercutitur lethali plagâ.

Confoditur in lecto Xerxes ab Artabano.

Et Artabanus poſt Darium ab Artaxerxe.

Malè *Rhalegus* contra Veterum fidem *Artabanum* hunc *Xerxis* avunculum, & *Darii Hyſtaſpis* filium autumat.

Raleghi error.

Hæc caduut in annum mundi ter milleſimum quingenteſimum triceſimum quintum, ante Chriſtum quadringenteſimo ſexageſimo quinto, ſecundum *Calviſium*.

Intereà præfecerant Athenienſes mari *Miltiadis Cimonem*, hic ad Cyprum Perſicam trecentarum triremium claſſem debellat, cujus ſpolia Athenas implent opibus. Eodem die *Cimon*, cum in navibus captis ſuorum aliquot ſelecta millia, ſub armis & habitu captorum Perſarum, miſiſſet ad terreſtrem Regis exercitum, iſtorum opera victoriam ſecundam priori illuſtriorem ante lucem conſequitur.

Cimonis virtute florent Athenæ.

Cùm in omnibus benigniſſimam ſentirent Athenienſes auram fortunæ, ibat contrà peſſum Spartana res, urbs ipſa Lacedæmon horrendo adeo terræ motu concuſſa eſt, ut in ruinis ædium præter bona perirent hominum ſupra viginti millia. Hanc à tergo cladem ſecutum eſt ſervile bellum: *Helotæ* duriſſimâ ſervitute preſſi contra dominos jam afflictos inſurgunt; iis ſe jungunt Meſſenii, variaque cum Spartanis fortunâ depugnant, nec ante decimum annum debellantur.

Spartana miſeria.

Artaxerxem in primis Regni auſpiciis excepit rebellio Ægyptiaca, levis ille populus, dum proditor *Artabanus* graſſaretur in regiam domum, ſibi ſumpſit in regem *Inarum* genere Libya; pellexit ille ad ſe ex vicinâ Cypro magnis pollicitationibus Athenienſes, quorum operâ fudit aliquoties *Artaxerxis* copias, miſit Lacedæmona Rex *Megabiſum* plurimo gravem auro, qui ſuaderet Spartanis Atticam invadere, quò ſic ex Ægypto revocarentur Athenienſes, ſed nullas Barbaro præbuit aures princeps Græcorum civitas. Hac igitur ſpe Rex falſus ſe convertit ad veras vires, duci jubet ad Nilum exercitum maximum, territi Ægyptii ſe dedunt, ita deſeruntur à ſociis Athenienſes, non tamen ipſi ſibi deſunt: ſtabant ſupra Memphim ipſorum triremes, iſtas inutiles cùm feciſſent Perſæ, deſiccantes in quo ſtabant alveo incendunt ſuis manibus, ſeipſos conjiciunt in orbem, ad pugnam ſimul & mortem paratiſſimi. Barbari cogitantes, quanto ſibi ſanguine fortiſſimorum virorum mors conſtitura eſſet, paciſcuntur deſperatis non vitam tantùm, ſed & diſceſſum liberrimum: hi magna pedibus itinera facientes verſus Cyrenem, perveniunt incolumes plerique domum.

Difficile Perſis in Ægypto cum Athenienſibus bellum.

Benevolo admodum animo *Artaxerxes* fuit erga Dei populum, cujus anno ſeptimo *Eſdras*, & viceſimo *Nehemias* venerunt Suſis Hieroſolymam, ubi regiis literis & donis inſtructi, in templo adornando & urbe muniendâ multum inſumpſerunt operæ. Benignitatem hanc *Artaxerxis* multis magniſque beneficiis Deus remuneravit, in multâ pace ad profundam ſenectutem pervenit. Quæ de *Megabiſi* rebellione & præliis recitat ex *Cteſiâ Uſſerius*, cùm alii auctores prætereant, mihi fabulæ quàm vero ſimiliora videntur.

Artaxerxis in Iudæos benignitas.

Cum Græcis ſummam pacem coluit, Ionibus libertate conceſſâ, verum Græci averſa à Perſis arma in ſe mutuò converterunt. Poſtquam *Cimonem Miltiadis Pericles* de medio ſuſtuliſſet, Athenienſium cum Lacedæmoniis penè ἄσπονδον bellum Græcos omnes in partes traxit, donec mutuis vulneribus tantundem ſunt confecti.

Et cum Græcis pax.

Peloponneſiacum bellum, quo nullum Græcis inter ſe majus fuit, accidit annis poſt Perſicum quinquaginta: habet fusè *Diodorus* complures Græcorum inteſtinos motus, qui in hanc tandem erupêre flammam; iſtos etiam omnes attingit perquam breviſſimè *Thucydides*, nos tamen intactos tranſilimus ut minoris momenti negotia, ſtatim ad rei caput nos conferentes. In ſequentibus premenus unius *Thucydidis* veſtigia, quanquam, quod nos habet malè, graviſſimum hunc hiſtoricorum Græcorum paſſa non ſunt fata aliquam multo viæ ſpatio nos comitari.

Peloponneſiacum bellum ex Thucydide.

Honores mutare ſolent mores in pejus, Athenienſes qui ſe in ſocios, reliquamque Græciam initio geſſerunt æquiſſime, mox ad faſtum vergentes occipiunt crudeliter & avarè dominari, & in reliquam Græciam affectare principatum. Multi ipſorum impetum ſufflaminare conati ſunt fruſtra, nam ei operi nemo fuit par, antequam Corinthiorum ſuaſu id in manus ſumpſiſſent Spartani.

Duxerant olim Corinthii coloniam Corcyram, & Corcyrenſes Epidamnum in Illyrici orâ, cùm inter Corcyram & Epidamnum ortum fuiſſet bellum de reſtituendis

Corinthiorum Corcyra & Epidamni colonia.

cxulibus, Epidamnenſes confugiunt ad Corinthiorum opem, & Corcytenſes ad Athenienſium: Corintbii hoc in bello ab Athenienſibus læſi, Spartanis, quibuſcum fœdere jungebantur, querelas deferunt: hac de re mittunt Athenas Lacedæmonii, ſed cùm reſponderetur ſuperbiùs, decernunt communiter Peloponnenſes perſequendas injurias armis, it Græcia tota in partes. *Archidamus* Spartanorum Rex numeroſo cum exercitu ingreditur Atticam: conſilio *Periclis* (qui unus tum in urbe fuit omnia) non occurrunt Athenienſes terrâ, ſed claſſem interea mittunt, quæ Peloponneſum depopularetur: ipſi ex agris quicquid erat mobile ferentes in urbem, intra muros ſecuri conſidebant. Iſta belli ratio fuit, quotannis ineunte æſtate veniebat in Athenienſium agros populabundus *Archidamus*, & in Peloponneſum mittebat vaſtatricem claſſem *Pericles*.

Lacedæmonii terrâ in Atticam, Athenienſes claſſe in Peloponneſum quotannis graſſantur.

Mira peſtis.

Anno belli ſecundo epidemica peſtis Athenas penè convertit in deſerta; ex Æthiopiâ pervaſit Ægyptum, Syriam, Aſiam, Græciam pleramque ſingulare morbi genus, invadebat ſaniſſimos, petendo primum caput, pòſt pectus, denique alvum, donec ardoribus internis exſiccando viſcera pepuliſſet vitam. Si qui convaleſcerent, priorum omnium perdebant memoriam. Dum extra muros Athenarum ferro flammáque ſæviret hoſtis, intra multò majori rabie furebat peſtis; tanta in viis, in templis, in navibus, & ubique mortalium ſtrages fuit, ut ſpectanti magna moveret miſeratio, eoque major, quò pene nullus qui morbidis propinquius acceſſiſſet, evaderet à malo. Certè ipſæ rapaces feræ à mortuorum cadaveribus cautiſſimè abſtinebant; quod ſi quæ auſa fuiſſet attingere, ſtatim rapacitatem ſuam luebat morte. Mirandum nullam hujuſce morbi ſcintillam in Peloponneſum devolâſſe.

Licet hiſtoriæ Græcæ celebretur princeps *Thucydides*, ex plurimâ tamen illius lectione pauciſſima vobis dictare ſinit animus, rationes enim & obſervationes politicas, in quibus ille ſcriptores omnes tam ante, quam poſt ſe videtur ſuperare, noſtrum nos inſtitutum non patitur attingere. Res geſtas habet ille quidem plurimas, ſed in quibus pauca ſunt ſingularia, quæ in univerſalis hiſtoriæ breviſſimâ ſynopſi locum mereantur, hæc tamen memoratu non indigna.

Græci quibuſvis Barbaris, feritate non cedunt.

Bellum quod præ manibus eſt abunde demonſtrat, nihilo Græcorum indolem quàm Barbarorum mitiorem fuiſſe, in victos enim utraque bellantium pars ſæviit quàm barbariſſimè, Mitylenæi totam prope Leſbon ab Athenienſium ſocietate averterunt; ob hoc facinus cùm poſteà dedere ſe cogeretur Mitylene, primariorum civium mille miſſum Athenas morte ſtatim mulctatum eſt, quin & obtinuit *Cleon* de necandis ad unum, quotquot in urbe remanſiſſent mortales, decretum. Miſſa triremis quæ decretum indigniſſimum Græco nomine ſignificaret exercitui, iſtius revocationem ſententiæ plurimo cum labore *Diodotus* extorſit populo, ſed fruſtra, niſi ſecunda triremis poſtridie vela dans maximâ remorum contentione priori inſtans à tergo, Mitylenen veniſſet in ipſo articulo, cum pararet Prætor decretorum prius exequi: hæc feſtinatio tutos à morte Mitylenæos præſtitit, ſed neque ipſos neque reliquam inſulam à ſervitute, quæ Perſicam imò Scythicam omnem gravitate ſuperaret.

Nihilo Athenienſibus humaniores Spartani, iſti cùm poſt diuturnam obſidionem Platæenſes fame compuliſſent ad deditionem, benè meritam de totâ Græciâ civitatem, non modò funditus everterunt, ſed & in omnes incolas crudeliſſimè ferro ſæviêrunt. Mirari deſinimus Græcorum in Græcos hoſtes barbariem, dum ob oculos veniunt civium in concives geſta. *Corinthii* navali quodam prælio centena aliquot *Corcyrenſium* viva cepere, horum plurimos præſenti dedere neci, aliquos ſine pretio dimiſere domum, qui rem Peloponneſiacam in Corcyrâ contra Athenienſes promoverent. Iſti ſuis artibus eam ſeditionis flammam excitârunt, cui reſtinguendæ maximi civium ſanguinis rivi non fuere ſatis. Dum populus *Athenis*, nobilitas *Corintho* & *Spartæ* ſtudet, eæ fiunt cædes, ea oboritur lerna malorum, ipſe quæ vix *Thucydides* valet enunciare.

Athenarum maxima vires.

Non injuriâ mirere unius urbis Athenarum vires; octo continuis annis vaſtârant hoſtes ipſorum agros, abſumpſit peſtis multa civium millia, in variis adornandis claſſibus impenſarum plurimùm periêrat; ipſi nihilominùs diverſis locis complures alebant exercitus, in *Thraciâ*, in *Peloponneſo*, ad *Corcyram*, modò in hac, modò in illa *Ægæi* inſulâ, in *Siciliâ*, & alibi cùm terrâ tum mari ſine ullâ pacis mentione, imò oblatam repudiare concordiam.

Aſpirant Athenæ ad orbis imperium.

Leontini In Siciliâ cum Syracuſanis depugnantes inferiores ſe viribus ſentientes, advocârunt in auxilium Athenienſes, amplectuntur iſti ſocietatem, exiſtimantes apertum ſibi viam id bellum non modò ad Siciliam, ſed Africam quoque & Italiam ſubjugandam: nam populus iſte inopinatis proſperæ fortunæ flatibus ebrius, nil minùs animo volvebat quàm orbis imperium. Profectò Siculi cùm ſatis ſeſe mutuis colliſiſſent cladibus, metuentes ne utriſque jam afflictis Athenienſes irruerent, in amicitiam red-

redeunt, ſed cum Athenas rediſſet claſſis, pellit in exilium populus duces, quòd non tamdiu ſuis artibus in bello continuiſſent Siculos, donec tota Athenienſi imperio ſubjecta fuiſſet inſula.

Ab Athenienſibus Pylus in Peloponneſo munita Spartanos fregit.

Siciliam aliquando petente claſſe ex ducibus unus *Demoſthenes* (non Orator) cum relictâ à tergo Maleâ è regione ventum eſſet Pylo, ſignificat habere ſe à populo poteſtatem utendi per aliquot dies pro libitu circa Peloponneſum exercitu, commodum ſibi videri communire Pylum, offendendæ Spartæ locum inprimis idoneum: cæteri ridere voluntatem viri, non ſibi eſſe otium dicere ſumendi labores in communiendis deſertis promontoriis: nullis verbis efficere poteſt *Demoſthenes* ut cuiquam ſua placerent conſilia. Intereà oboritur tempeſtas, coguntur ſubire Pyli portum, cùm in otio aliquandiu ſediſſet exercitus, ipſa loci natura (non jam ultra conante *Demoſthene* verba perdere) injicit militibus cupiditatem faciendæ munitionis, ſponte igitur ſine ullius imperio omnes congerunt lutum & ſaxa, & ante ſextum diem propugnaculum perficiunt, quod Peloponnenſes ad deſperationem adegit, & penè ſupplicem petitionem pacis. Spartani primùm ſpernere Pylum ut rem parvam, mox reputantes ſitum loci, occurrunt terrâ marique oppugnaturi, remanſerat in loco *Demoſthenes* cum quinque navium præſidio, diſcedente in Siciliam reliquo exercitu: hic, ut vidit adeſſe magnum hoſtium numerum, mittit qui ſuos ex viâ revocarent ad opem. Intereà tam à terrâ quàm mari conantur irrumpere fortiſſimi Spartanorum duces, ſed ea natura loci fuit, ut munitionibus licet recens & tumultuariò extructis, parva manus tuendis ſuffecerit uſque ad Claſſis adventum.

Portus faucibus objiciebatur inſula, in quam trajecerunt Spartani quadringentos cives, quò arctiùs obſideretur locus, hinc atque hinc diſpoſuerant naves, ut nullus ad obſeſſos pateret aditus: ſed commiſſâ navali pugnâ, Spartanam claſſem Athenienſes non modo depulerunt de loco, ſed etjam inſulam totam circumſiſtentes navibus, habebant quaſi concluſos reti, quotquot inerant milites.

Capta *Pylus* velut acutiſſima ſpina, altè fodicabat Spartanorum pedem, ex hac enim excurrere poterant Athenienſes in ipſa Peloponneſi viſcera; gravis etiam ipſis jactura fuit primariorum in inſulâ civium, ſed ante omnia perterrebat occupatio *Cytherorum*, ipſi oppido Spartæ objacentis inſulæ. His cladibus etſi non fracti, plurimùm tamen à priori retracti ferociâ, induciis ad Pylum factis, Athenas mittunt qui de pace agerent. Cæterùm Athenienſes recentibus fortunæ favoribus inflati, nolunt niſi conditionibus iniquiſſimis pacem: hujus ipſos mox pœnituit ſuperbiæ, nam ad Delum magno prælio à Thebanis fracti, & in Thraciâ multoties à *Braſidâ* malè mulctati demiſere criſtas, tandem ſic coiie concordia. Cum præcipuæ belli faces *Braſidas* Spartanus, & *Cleon* Athenienſis eodem prælio in Macedoniâ cecidiſſent, Athenienſes vertentem jam fortunæ rotam metuentes, & Spartani Cytherorum Pylique quotidie ſentientes incommoda, præterquam quod ſervitiorum transfugia, & civium captorum periculum verſaretur ob oculos, utrique decem annorum belli tædio affecti, primùm pacem, pòſt ad annos 50. fœdus pepigere.

Pacem ſeſſi bello amplectuntur.

Recrudeſcit bellum.

Pax hæc novi belli ſementis fuit: Corinthii & Peloponnenſium permulti Spartanorum in pacificando puſillanimitatem habentes contemptui, novam inter ſe ſocietatem contra Spartam ſimul & Athenas inire parant, cujus caput ſit Argos; ſed hoc non tenuit conſilium, quod Thebani & Megarenſes ex ſociis non minimæ potentiæ, abhorrent ab Argivorum Republicâ quam regeret populus; cùm ipſi ad Spartanorum formam ab optimatibus gubernarentur. Quanquam nil opus fuit contra Spartam & Athenas fœderibus, inter quas mutuum mox ſæviturum bellum appareret, nil vetante quæ nuper facta fuit malefidâ pace.

Ex pacto debebant Spartani quæ in bello cepiſſent, Athenienſibus reddere, id inveniunt præſtitu impoſſibile; in Thraciâ tenebant *Amphipolin* cives, in Bœotiâ *Panacten* Thebani: neutris perſuaderi poteſt, ut eas urbes in Athenienſium veterum dominorum manus traderent, impetrant tamen à Thebanis ut *Panacte*, ſed jam æquato ſolo, reſtitueretur. Erat adoleſcens Athenis maximi cùm animi tum potentiæ *Alcibiades*, abhorrebat is à pace quam plurimùm, animitus bellum exoptabat; utpote quod unum ad gloriam ſibi & imperium viam pandere rebatur; ſuis ille conſiliis Athenienſem populum taliter circumagit, ut nullâ ab iis arte extorquere potuerint Spartani, vel Pylum, vel aliud quicquam in fœdere promiſſum. Hinc nova bella, quæ tamen in apertum Martem ante ſexennium non erupere.

Argivorum Malis refloreſcit Sparta.

Intereà Argivi, qui modò principatum Peloponneſi ſpe devorârunt, cernentes pleroſque qui ſuam ambiebant ſocietatem, ad Spartanos iterum veteres amicos ſe contuliſſe, *Alcibiadis* monitu propè ſupplices mittunt Athenas, ut ipſis in fœdere contra Lacedæmonios eſſet locus. Impetrant poſtulata, poſteà verò cùm ad ipſos oppugnandos maximæ veniſſent Spartâ copiæ,

inter ſocios ſtabant aliquot Athenienſium centuriæ: ſed in prælio vicerunt ſplendidè Spartani, quo ſucceſſu ipſorum refloruit fama, frequentibus infortuniis, & inprimis ignominioſâ cum Athenienſibus pace plurimùm nuper imminuta. Victoria hæc Peloponnenſes omnes fœdere conjunxit Spartæ, & Argivorum Democratiam in Optimatum convertit Principatum: cæterùm nihil violentum durabile. Contra Optimates inſurgit Argivus populus, alios tradit neci, alios pellit in exilium, reſtituitur Democratia, nova cum Athenienſibus fœdera panguntur.

Ægeſtanorum fraude pelliciuntur Athenienſes in bellum Syracuſanum.

Nihil habent hæc tempora Syracuſano bello celebrius, in Siciliâ *Ægeſtani* prælis aliquot à *Selinuntiis* victi, petunt Athenis ſuppetias: qui venerunt ad urbem Ægeſtâ legati, offerunt ingentem pecuniæ ſummam,& magna commoda ad ſubjugandas non *Syracuſas* modò, ſed & totam *Siciliam*: nihil Athenienſes decernunt antequam legatorum oculis luſtrâſſent ſociorum vires: cùm Ægeſtam veniſſent ab Athenienſibus miſſi,conſpiciunt in ſingulis ædibus argenti facti copiam ſuprà fidem: ſed ea Siculorum fraus erat, à vicinis ad fallendos Athenienſes mutuantium vaſa: redeuntes legati & viſa pro veris renunciantes maximum in populo iſtius belli deſiderium concitant; quod factu perfacile fuit *Alcibiade* continuò plebem inflammante ad nova negotia: unus *Nicias* totis nititur viribus demonſtrare, fruſtraneam eſſe ſpem de tantâ & tam longinquâ ſubigendâ provinciâ, à quâ ipſi Carthaginenſes immensâ licet ingruentes vi, ſummo ſemper cum damno ſimul & dedecore rejecti eſſent.

Sed ratione non agitur furioſa plebs, decernitur eundum Syracuſas: *Nicias*, *Alcibiades*, *Lamachus* eliguntur in duces; inſtruitur præter onerarias & alius generis maximo numero naves, triremium centum & quadraginta claſſis, eo apparatu quem nulla priùs unquam Græcorum civitas viderat.

Alcibiades exilium perdit Athenas.

Stabant in Athenarum compitis ad viarum indicia aliquot ſimulacra ſacra *Mercurio*, *Hermæ* dicta; dum dare vela parat claſſis, nocte quadam mediâ *Hermæ* omnes aures, nares, labia truncantur: graviſſimè commovet populum hoc facinus, exiſtimabant ab eo perpetratum qui ad tyrannidem aſpiraret, magna proponuntur indicibus præmia, quædam in *Alcibiadem* oriuntur ſuſpiciones, offerebat ille ſemet judicio, deſiderabat unicè cognitionem cauſæ fieri prinſquam ſolveret claſſis, ne ab exercitu poſteà retraheretur in jus, ſed non exiſtimant adverſarii commodum in præſentiâ virum accuſare, jubetur in militiam pergere cum claſſe: urbe tota deducit exercitum ad Piræi portum, hinc datis velis circumcurritur Peloponneſus, recipiuntur ad Corcyram ſocii; trajecto Ionio appellitur ad Græcas Italiæ in mari inſero civitates, recenſent iſtæ omnes ſocietatem armorum, ipſi Ægeſtani non poſſunt ultra triginta talenta corradere. Hæc auſpicia taliter *Niciam* commoverunt, ut extemplò ſuaderet repetendas Athenas: verum incepti auctor *Alcibiades* in itinere perſuadet procedendum. Intereà adeſt ab urbe Salaminia navis, quæ ſine morâ jubeat *Alcibiadem* revolare domum, ad cauſam capitis dicendam de violatis *Hermis*: parere vir haber neceſſe, redit in ſuâ triremi, ſed in viâ relicta in Salaminiâ legatis, dilabitur Spartam. Ea hujuſce viri virtus erat, ut inter ipſos Spartanos plurimi ſtatim fieret, hujus conſilio rumpunt apertè Lacedæmonii fœdera: ducit in Atticam *Agis* Rex copias, *Decelium* urbem non procul Athenis communit, & inde ſine novi quotannis exercitus impenſis (ut anteà ſolitum erat) ad urbis portas quotidie excurritur.

Athenienſes Syracuſani animos recipiunt.

Ea Syracuſanorum ſupina ſuperbia fuit, ut cum increbeſceret fama propemodum in conſpectu eſſe hoſtem, ex civibus quoſdam mulctârint, quòd aſſererent Athenienſes adventare: ſi qui venturos admitterent, facillimo negotio repulſum iri arbitrabantur. Sed cùm in portu jam ſederet claſſis Attica, certaminum aliquot navalium victrix, concidentibus animis protſus deſperare Siculi: ipſos tamen mox fortuna ſupra ſpem benignè reſpexit. Adeſt *Gilippus* cum aliquali Spartâ & Corintho claſſe, tantis hic Syracuſanos animis implet, ut terrâ ſimul & mari ſemel atque iterum Athenienſes acceperint uſque adeò malè, ut neceſſarium putârit *Nicias*,*Lamacho* collegâ duce jam cæſo, ceſſare à præliis, donec ab urbe veniſſent novæ copiæ: advenit *Demoſthenes* cum maximo trecentarum triremium apparatu. Quos perdere vult numen, eos nulla virtus, nulla conſilia ſervare valent. Majores hic Athenienſibus copiæ quàm quibus ipſum *Xerxem* debellârunt, duces iſtius ſeculi celeberrimi duo *Nicias* & *Demoſthenes*; nihilominùs omnia ipſis retrò ſublapſa referri. In certamine navali à paucioribus Siculis vicuntur, peſtis invadit caſtra, ſuadet *Demoſthenes* reditum in patriam, diſſuadet aliquandiu *Nicias*, prædicens morte mulctatum iri ab inſanâ plebe qui rediſſent duces; cæterum cùm invaleſceret mala, fit de diſceſſu decretum: conclamantur vaſa, conſcenduntur naves, ſed en in ipſo articulo deficientem lunam, *Nicias* ſuperſtitioſior ex hariolorum conſilio didicit ad tres adhuc dies permanendum. Intereà ſublatis animis Syracuſani obſtruere parant portum, ne ul-

Athenienſium ad Syracuſas ſumma clades.

lus

lus miſeris pateret exitus, conantur omni oixu Athenienſes tefringere repagula, fit in ipſo portu atrox ſi quod unquam, navale prælium: victi Athenienſes fugiunt ad caſtra: eadem nocte ingredi ſtatuunt iter pedeſtre ad amicas in Inſula civitates, id à transfugis diſcentes. Syracuſis duces, non poſſunt populo perſuadere jam ex pugna laſſo, ea nocte extra urbem proferre pedem; hoc tamen ſtratagemate retinent in caſtris hoſtem. Ipſis ſignificandum curant præoccupatas jam à Siculis cunctas viarum anguſtias: mira hic miſertimos Athenienſes invadit deſperatio; peſtis, fames, vulnera vexabant: ingrediuntur nocte ſequenti viam: unum ducebat agmen *Demoſthenes*, *Nicias* alterum: dici non poſſunt hujus itineris clades, cùm maximam partem in difficilibus locis fuiſſent cæſi, qui ſupererant undique circumcincti ſe dedunt, ad ſeptem millia: duces confuſi, milites miſſi in lapicidinas. Periêre Athenienſibus in expeditione hac vix pauciores quadraginta millibus. Minimùm in urbe ſuperfuit vel virorum, vel pecuniæ, vel navium: ſtatim omnes deficiunt ſocii; Eubœa, Samos, Leſbos, maxima Ioniæ & Thraciæ pars, accedunt fœderi Spartano: tota Græcia conſpirat in Athenarum ultimam perniciem. Populus metu jam delitans tradit optimatibus regimen, jubent quadringentos civitatem regere: ſed hi factioſi & imprudentes viri, quod Reipub. ſupererat ſpei profligârunt. Quadraginta naves vix & ægrè comparat populus, iſtis binos præficiunt duces, qui ſuis diſcordiis victoriam hoſtibus prodiderunt. Iterum recentis Oligarchiæ piget populum, ipſi reſumunt in manus imperium, & in rebus deſperatis in *Alcibiadem* conjiciunt oculos: miſerebat virum ruentis patriæ, quà potuit afflictas ejus res adjuvabat. Promiſerat Spartanis *Darius* ad extirpandas Athenas triremes trecentas: legato Regis *Pharnabazo* perſuaſit clàm *Alcibiades* ne traderet naves, docens è re Regis plus futurum, ut utriuſque populi æquaretur potentia, quàm ut alteri funditus everterentur. Certè *Alcibiadis* ad ſuos reditus totam Græcarum rerum faciem commutavit. Nuper contritæ Athenæ abſque reſurgendi ſpe; ſed mox *Alcibiadis* vel virtute vel fortunâ priſtinæ reſtituuntur gloriæ.

Alcibiades perditas Athenas reſtituit.

Non priùs vir in urbem venit, quàm tres ſplendidiſſimæ de Spartanis in mari victoriæ relatæ fuiſſent; captivas ſecum Piræo intulit hoſticarum triremium ſupra ducentas, & ſpolia infiniti pretii. Deſcendenti de claſſe tota ſe projicit civitas in occurſum, cuncti avidiſſimè conjiciunt oculos in virum, cujus fuga eam Atticam præcipitaſſet in ima miſeriarum, & cveixiſſet reditus ad ſummum gloriæ. Convocat in forum concionem, priorem omnem criminum ſuſpicionem de cunctorum abſtergit animis oratione ſuâ: in ejus deponitur manus quicquid erat vel mari vel terrâ imperii.

Aurâ populari nihil inconſtantius, *Alcibiades* hodie Athenis alter *Iupiter*, in diebus paucis ſine magno demerito cacodæmone odioſior evadit. Exit cum claſſe in Ioniam, *Lyſandrum* navarchum Spartæ qui in propinquo erat, ad pugnam provocat: non audet ille congredi, mox tamen audiens cum magna militum parte abeſſe *Alcibiadem*, invadit *Lyſander* reliquos & profligat: ob hoc infortunium mittit peſſimè conſultus populus *Alcibiadi* in imperio ſucceſſores. Sentiens magnanimus vir nuperos patriæ favores in novos verti furores, ſponte concedit in Thraciam iterum exul.

Ingratus populus ſecundo Alcibiades exilio ſundetus ſubruitur.

Pugnatum poſthac eſt prope Leſbon ab Athenienſibus cum Spartanis, maximis utrinque copiis: inſignis penes Athenienſes remanſit victoria; ſed à prælio oborta tempeſtas non patitur in mari demerſos recolligere ad ſepulturam: ob hoc crimen cùm claſſis triumphabunda rediſſet domum, fortiſſimi ducum luunt capite. Intolerabilis hujuſce dementiæ meritiſſimas ſtatim pœnas luunt Athenæ: mittitur ad Helleſpontum quicquid urbi fuit virium: convenitur hoſtis in Propontide, juxta locum ubi remanebat *Alcibiades* exul; ad pugnam laceſſitus *Lyſander* prodire recuſat, infirmitatis conſcius; poſtulat ab Athenienſium ducibus *Alcibiades* aliquam imperii partem, repromittens certam ſuis victoriam, ſed cum faſtidio rejicitur exul: Attica ſtatim claſſis coacta commeatus inopiâ Spartanam relinquere, verùm *Lyſander* ſolutis in diſceſſu hoſtibus ingruens debellat penitus: & vix relinquit ſuperſtitem qui cladem Athenis nunciaret. Malum hoc prioribus adjectum perdidit in perpetuum Athenas.

Statim à victoria adeſt ad muros cum terreſtri exercitu Rex *Agis*, ad portum cum claſſe *Lyſander*, & diuturnâ obſidione graſſatur intra mœnia fames; tradere ſe coguntur Athenæ in Lacedæmoniorum manus. Subrui jubet victor muros, deſtrui propugnacula: vetat ultra decem triremes poſſidere, regimen triginta tyrannis qui à ſe toti penderent, tradit.

Qui recuſant legitimè dominari, meritiſſimè ſervire coguntur. Athenienſis populus, dum ſtaret ſua res, hoſtibus, ſociis, benè meritiſſimis civibus petulanter abuſi ſunt, nemo de fortunæ erga injurioſos iniquitate queratur.

Merita Athenienſium à triginta tyrannis oppreſſio.

Triginta tyranni, primùm malè mulctare malos, bonorum cum gaudio: mox

cum à *Lyſandro* impetrâſſent Spartanos ſatellites, in optimos involare. Erat ex eorum numero *Theramenes* vir bonus; cùm is collegarum maleficiis obviam ire conaretur, ante alios ipſe duci juſſus eſt ad necem. Voluit *Socrates* Philoſophus injuriam propulſare, ſed perſuaſit *Theramenes*, ne ſe fruſtra objectaret periculo.

Magna Spartanorum crudelitas.

Tot implevere cædibus civitatem tyranni, ut optimi quique fugerent in exilium. Hic mira ſe pandit Spartanorum crudelitas; edicunt capitale fore omni Græco qui reciperet Athenienſem exulem, non ſtatim tyrannis triginta repetentibus redditurus: nihilominùs non Argivi modò, ſed & Thebani infeſtiſſimi olim Athenarum hoſtes, miſericordiâ moti quotquot ad ſe fugerent ex urbe, perbenigne recipiunt.

Intereà miſerrimè perit *Alcibiades*: emanârat ad aures ſagaciſſimi viri parare *Cyrum* cum Lacedæmoniis fœdus contra *Artaxerxem Mnemonem*: rem refert *Pharnabazo* Lydiæ præſidi, erat is ex numero rebellium, non ergo narrat Regi delata. Iſta comperiens *Alcibiades* ad Phrygiæ ſe confert Satrapam, ab eo commeatum ad Regem impetrat, ſed dum eſſet in via, in Phrygiæ quodam oppidulo pernoctans, miſſi à *Pharnabazo* ſicarii circumſiſtunt in quo dormiebat hoſpitium: incenduntur

Miſerrima Alcibiadis mors.

ædes, excitatus flammâ & fumo *Alcibiades* conatur de refractâ feneſtrâ ſe dare in ſtrata: ſed ſpiculis & lanceis retruſus cogitur in incendio mori. Horum maxima pars accidit poſt *Artaxerxem Longimanum*; ſed ne rerum continuarum ſeriem rumperemus, unà contexuimus.

In hiſtoria antiqua de *Dario Notho* nihil invenio, quapropter quæ recentiores habent, prætereo, pleraque minimi faciens, quia fontes ignoro; ſequentia tamen in hiſtoriæ antiquæ monumentis invenio.

Artaxerxi ſuccedit Darius Nothus.

Artaxerxi Longimano ſolus *Xerxes* filius fuit legitimus, præter eum verò naturales ſeptemdecim; quorum maximus *Sogdianus*, Eunuchi fraude necandum curat *Xerxem*. Paucis pòſt diebus, multa nobilitas exoſa facinus *Ocho* ſe jungit ex ſpuriis ſeptemdecim uni: hic necato *Sogdiano* regnum occupavit, in *Darium* commutans nomen.

In annis novemdecim quibus *Darius Nothus* ſceptrum Perſicum tenuit, aulicorum aliquot ſeditiones recitat *Cteſias*: qui tum temporis in *Darii* familiâ artem medicam exercebat; ſed *Thucydides*, *Herodotus*, *Xenophon* & alii eâ tempeſtate hiſtorici uſque adeo in Græcorum bellis occupati ſunt, ut Perſicos motus auſcultare iis non fuerit otium.

Athenienſes &

Qui res geſtas populi Spartani & Athenienſis viginti ſeptem annorum, quamdiu bellum Peloponneſiacum duravit, cum judicio legerit, pronunciabit partium utrivis ſeu Athenienſibus ſeu Lacedæmoniis proclive fuiſſe paucioribus copiis, claſſibus, ducibus, pecuniis, Perſarum Regnum ſubjugâſſe, quàm quibus ſe mutuò impetiverunt, nullo alio fructu quàm ut nunc hi, nunc iſti ad proximas ruinæ oras accederent; & ut utrique ad communem hoſtem Regem Perſarum in Græci nominis dedecus, multoties ſupplices accederent, illius auxilium implorantes quo ſe invicem opprimerent; qui concordes totius Aſiæ imperium non magno negotio occupaturi videbantur.

Spartani multò facilius Perſas quam alteri alteros ſubjugâſſent.

Paryſatis filium Cyrum Dario cupit ſuccedere.

Dario Notho ſucceſſit in Imperio filiorum natu maximus *Artaxerxes Mnemon*, quem *Dario* adhuc privato *Paryſatis* pepererat, imperanti verò eadem uxor *Cyrum* edidit: *Cyrus* ut primùm adolevit maximi vir animi apparuit; *Artaxerxes* ingenii fuit multò mitioris; ille matri charior, hic patri: de *Cyro* hocce minori multa *Xenophon*, verùm ad ejus elegantiſſima ſcripta, tùm prolixa ſint, nobis in præſentia non eſt otium: ſequentia ergò cogimur ex *Diodoro Siculo* & *Plutarcho* minori cum labore depromere.

Deſiderabat *Paryſatis Cyro* parare regnum, conataque eſt perſuadere viro adhuc in vivis, ad *Cyrum* pertinere imperium, eodem jure quo olim *Xerxi*; utpote primo ſui regnantis filio; ſed *Dario* ſtetit ſententia conferendi poſt ſe in *Artaxerxem* regni. Cùm jure cecidiſſet *Cyrus*, ad vim & fraudes ſeſe convertit: dum frater, ut moris erat Perſarum regibus in Regni auſpiciis, ſacratam *Cyri* veſtem parat induere, latens in inſidiis *Cyrus* ipſi vitam molitur eripere; ſed ante ad *Artaxerxem* inſidiarum pervenit indicium. Obtruncandum ob facinus *Cyrum* amplectitur mater, nec priùs à reo abſtrahi ſe paſſa eſt, quam criminis veniam alteri filio lacbrymis extorſiſſet.

Servat Paryſatis Cyrum à præſenti morte.

Victor Cyrus inopinatâ morte vincitur.

Cyrus præſentiſſimo ereptus exitio mittitur procul ab aula in Lydiam Satrapa: hic irrequietus animus nova conſilia coquit, continuò pellicit ad ſe ex tota vicinia fortiſſimos quoſque viros, quorum maximum tum numerum Græcia dabat, finito nuper bello Peloponneſiaco, quod per frequentiam periculorum plurimos adduxit ad ſummam rei militaris peritiam. Iſtorum millia tredecim aſcenderunt cum *Cyro* per Ciliciam & Syriam in campos Meſopotamiæ: hic ipſis occurrit *Artaxerxes* ad ulteriorem Euphratis ripam. In caſtris regiis memorantur myriades quadraginta, in *Cyri* non ſupra novem. Dum conſeruntur manus, pernicioſiſſimo errore ſiniſtrum cornu ad fluminis ripam, ne circumveniret

hoſtis,

hoſtis, ſtationem ſibi eligunt Græci, qui ſi in media acie contra Regem ſtetiſſent, nullum de *Cyri* victoriâ fuiſſet dubium: nam oppoſitos quoſviſcunque facili brachio fudiſſent, ſed Regnorum Modimperator eſt Rex ſupremus. In acie utrinque mediâ ſtabant fratres cum ſelectiſſimis ſuorum, *Cyrus* unum petebat *Artaxerxem*, quem aſſequutus telo minimo minus dedit morti: recipitur tamen Rex ictus in tutum: *Cyrus* indomitâ ferociâ obvios quoſque proſternit, potitur non ambiguè victoriâ, hoſtes terga dant: cæterùm ingruente nocte, cùm generoſitate equi longiùs à ſuis *Cyrus* abriperetur, in hoſtium globum incidit; ubi victoriam inclamantem lethali à tergo plaga quidam *Mithridates* in capite percutit: equo decidit heros, ex ſuis quidam excipiunt, & dum in caſtra conantur reducere, occurrens nova hoſtium turma moribundum cum agnoviſſent, cogunt emori.

Artaxerxis ſitis

Celebrata mortis *Cyri* fama victos retrahit ex fuga: *Artaxerxes* mortuum ardet videre fratrem, certus nulli hic quàm ſuis oculis credere. In via ſiti Rex penè eſt enectus, nihil poculenti ullibi ullo pretio potuit inveniri, tandem aquæ corruptæ puſillum in utre ſordido barbarorum quidam adfert; majorem ex hoc potu voluptatem percepiſſe ſe Rex affirmavit, quàm ex ullo aliàs in vita tota; nil ergo mirum ſi tam ſuave donum largè remuneratus ſit, qui priùs ob aquæ nil profuturæ pugillum inſignia retribuiſſet dona.

Inſatiabilis crudelitas Paryſatidis in Cyri inimicos.

Cùm ad mortuum veniſſet fratrem *Artaxerxes*, imperat Eunucho ut caput & dextram *Cyro* præſcinderet, paret Eunuchus, ſed in ſuam certiſſimam perniciem; nullus enim quiſquam ad *Cyri* mortem quicquam contulit, quem non mater *Paryſatis* involvit exitio. Voluit *Artaxerxes* ab omnibus haberi *Cyri* cæſor, hanc fortitudinis laudem ipſi nullus audebat detrahere; accidit tamen ut benè potus *Mithridates* inter ſocios ſit gloriatus ſuis manibus cecidiſſe *Cyrum*: ſtatim *Paryſatis* ad Regem defert viri jactantiam, & impetrat ut ob hanc regio honori illatam contumeliam ſibi dederetur in ſupplicium, miſerrimum hominem crudeliſſima mulier non contenta morte ſimplici perdere, per multos dies ſæviſſimis excarnificatum tormentis vix patitur mori. Concludit inter geminas ſcaphas exerto capite, palpebras aciculis pungens coëgit adverſum Solem patentibus oculis aſſiduè contueri, faciei inunctæ inſidebat muſcarum examen; acutiſſimis oculorum compunctionibus admittere cogebatur in os eſculenta, quibus invitiſſimo vita continuata eſt; donec ex corruptis quæ exciperent ſcaphæ excrementis inſecta nata reſupini viſcera corroſiſſent & carnem depaſta fuiſſent.

Eunuchum cum aleæ luſu feciſſet ſuum, illicò tormentis dedit, detrahit ad fauces pellem, excoriatumque corpus adhuc viventis tribus crucibus affixit.

Inſatiabilis vindictæ mulier noluit in ſervorum tormentis conſiſtere, ſic tandem ipſi Regis uxori, quæ ſibi & *Cyro* ſemper adverſata fuerat, maturavit fatum. Poſt odia diuturna ſimulavit cum Regina in ſinceriſſimam ſe redire gratiam, quóque ſincerior appareret amicitia, iiſdem uti voluit non menſis modo ſed & cibis. Cæterum ecce muliebris ingenii prorſus Satanícas artes, cultrum habebat ab altero latere præſentiſſimo infectum veneno: hoc *Paryſatis* diſſecuit aviculam, cujus unam ſibi partem ſumens comedit ſine noxâ, alteram quam tetigiſſet infectum cultri latus Reginæ porrexit; hæc ut guſtavit, confeſtim acutiſſimis doloribus, mox ſævâ morte affecta eſt. Ob hæc flagitia nil gravius in matrem *Artaxerxes* ſtatuit, quàm ut ſeſe Babylonem conferret, inde, quoad viveret, non diſceſſura.

Tiſaphernis fraude caſi omnes duces Græcorum.

Redeamus jam ad Græcos *Cyri* milites, iſti victores premebant fugientes hoſtes, ſed acceptâ *Cyri* cæde trepidi in ſua caſtra recurrunt. Noctem eam inſomnem ducunt, metuentes ne totas in ipſos copias *Artaxerxes* immitteret: verùm is ignaviæ ſuorum & virtutis Græcorum ſatis gnarus abſtinuit vim, quin & lubens ſecurum in patriam reditum præſtitiſſet, niſi *Tiſaphernes* ſuſcepiſſet omnes ſine ſuorum periculo perdere. Accedit igitur fraudulentus Satrapa cum ſelectiſſimis copiis, Græcorum caſtris adjungit ſua, declarat quàm ſibi ſit facile tantillam manum delere, cupere tamen pro ſuo erga Græcum nomen amore ſalvare perditos, niſi certum ſit ipſis in voluntarium exitium ruere: multis ſe precibus extorſiſſe Regi poteſtatem cum ipſis æquis conditionibus tranſigendi, proferant ergo quid ſibi velint factum. Illi nihil amplius poſtularunt quàm tutum in patriam iter; convenit facilè, Perſæ Græcis fiunt amiciſſimi, cuncti Græcorum duces veniunt *Tiſapherni* in caſtra; hos ſtatim omnes ille comprehendens, mittit qui ſecuros milites perderent: ſed hi invadentes facilè repellere, nil curare Perſarum arma, hoc uno angi, quòd nullus ſupereſſet ducum qui reduceret domum.

Xenophon milites reduxit in Græciam.

In hac perplexitate animorum ſolatur afflictiſſimos Philoſophus *Xenophon*: hunc omnes expetunt ducem, licet ante nullo in militia publico functum munere. Is dextrè adeo quæ didicerat in ſcholis, redegit in praxin, ut mille longiſſimi itineris vix credibilia impedimenta ſuperans, pleroſque

ſalvos

ſalvos reduxerit in Græciam. Legat cui animus eſt & otium in *Xenophontis* aſcenſu, *Cyri* multa in hoc itinere digniſſima memoratu. Certum eſt quod hac tempeſtate fecere Græci infirmitatis Perſicæ experimentum, Lacedæmonios conciiaſſe ad invadendum Aſiæ imperium, quod nimis jamdiu tenuiſſe fœmineas manus dolebant viri: ſed bella civilia ab hoc eos conatu retraxerunt, ut *Alexandro Macedoni* prædeſtinatus à Deo locus relinqueretur.

Invadens Artaxerxes Ionas attrahit in Aſiam Ageſilaum.

Parabat *Artaxerxes* rebellionis *Cyri* ſocios pro meritis accipere, & ante alios *Ionas*: metuens ſibi Ionia ad cognatos Græcus mittit, qui poſtulent opem: variæ Spartâ veniunt claſſes, tandem ipſe Rex *Ageſilaus* tranſmittens, terrâ marique profligat ubique barbaros. Perſæ quo virum retraherent ex Aſia, conſuetas adhibent artes, in Spartanos concitant cæteram Græciam, quod ipſis factu fuit perfacile; nam in ſocios ſuperbius dominabatur tum Sparta quàm priùs Athenæ: igitur fit conſpiratio. Anteà recuperârant patriam Athenienſes exules, & Thebanorum ope triginta tyrannos ejecerant, ſed urbs ſine mœnibus remanſit, donec *Conon* (cui *Artaxerxes* ob rei nauticæ peritiam & odium in Lacedæmonios ſuam claſſem commiſerat) ea Perſarum ſumptu ſatis magnificè reædificaſſet; quo facto parum abfuit, quin ad priſtinam gloriam rediret ille populus.

Condunt Perſæ muros Athenarum.

Certè parvo pòſt tempore in Peloponneſum emittere valuit triremes ducentas, & terrâ viginti militum millia. Ht cum Thebanis firmam adeò pro libertate Græcorum ſocietatem inierunt, ut Lacedæmonii undique preſſi, hinc à Perſis, inde à Græcis, coacti ſint ſociis, jam ſponte excutientibus ſuperbum dominorum jugum, libertatem dare.

Defecerat ante hæc ab *Artaxerxe* Ægyptus, hanc effœminatiſſimis Perſarum copiis reducere deſperans Rex, quò majorem ex Græcia mercenariorum haberet numerum, miſit ad commune concilium, qui ſuaderent ceſſationem ab armis civilibus. Non difficulter pax convenit, concedentibus cunctis Lacedæmoniis jam pertæſis belli: ſed diu pax non tenuit, iterum enim inhiantes principatui moleſtiſſimè ferebant Spartani, id ſibi extorqueri quod annis prope quingentis tenuiſſent. Igitur occupare inſulas, in Thraciam mittere copias: hæ in via ex inopinato adoriuntur & capiunt *Cadmeam* Thebanorum arcem, captam uno alterove anno injurioſè detinent, cenſentes hoc fræno potentiſſimos jam Græcorum Thebanos ab omni motu cohiberi poſſe.

Spartani Thebanos

Verum enimverò hæc injuria Spartanis ruinæ, Thebanis imperii in Græcos principium fuit: nam cùm Thebani vi & arte ſuam recuperâſſent *Cadmeam*, implacabile contra Spartam odium conceperunt. Erat Thebis præter alios inſignes duces *Epaminondas*: hic Bœotorum robuſta corpora ita exercuit, & aſſuefecit diſciplinæ militari, ut enndctorum mortalium in hac arte peritiſſimi evaſerint. Primos ſumpſerunt animos, cùm *Ageſilaum* ex Aſia contra ſe revocatum, ſenſiſſent declinare pugnam. Venerat cum inſigni exercitu deleturus Thebas *Ageſilaus*, ſine controverſiâ iſtius ſeculi celeberrimus Imperator: occurrunt Thebani, loci captatâ commoditate confident. Ea in Thebanorum caſtris fuit ordinum diſpoſitio, ea animorum contra ingruentes hoſtes ſedata firmitas, ut *Ageſilaus* in iniquo loco ipſos aggredi horrens, primùm tranſiverit ſine pugnâ, & mox reverteretur domum. Hic fortiſſimi viri metus Thebanos fecit certos ſuæ virtutis, cujus mox inſigne toti Græciæ dederunt experimentum, cùm pauciores in æquo loco Spartanorum plures fudiſſent. Exinde nihil parvi ſpirare, ambire vices imperandi Græciæ, quas hunc ad modum adepti ſunt.

provocant gratis.

Non audet Ageſilaus cum Epaminonda congredi.

Secundò perſuaſit Græcis *Artaxerxes* communem pacem, hanc ad mittunt omnes eâ lege, ut cunctæ in Græcia civitates liberæ fruerentur: annuunt cæteri, uni Thebani recuſant iſti ſtare legi, totam Bœotiam à ſe pendere volunt. Cùm obſtinatè perſiſterent in hoc placito, paciſcentibus cæteris, ipſi ſoli excluduntur à fœdere. Oblatam ſtatim occaſionem arripiunt Lacedæmonii vindicandi antiquas contumelias, & opprimendi nudas jam ab omnibus ſociis Thebas. Pergit feſtinabundus Rex *Cleombrotus* maximis cum copiis, exſcindendarum Thebarum certiſſimus. In Bœotiam venit, ad Cheronæam primùm, mox ad Leuctra procedit; *Epaminondas* contrà cum ſenis prærer propter millibus, plures enim in urbe ferendis armis non erant; cæteram imbellium turbam, quò tota ſederet extra belli caſus, mittit Athenas. Multa viro in via obviam fiunt infauſta, ſed omnia is flocci facere, hoc unum ſe à puero didiciſſe fatus augurium, pro patria fortiter pugnantem mori: ne tamen ſuperſtitionibus dedita plebs animis deficeret, efficit ex urbe in caſtra volare nuncium, ſacrata quæ in templis pendebant arma non ampliùs apparere, quod ipſi ea induiſſent heroes, excuntes in aciem Thebanis opem laturi contra Spartanos. Tot hujus generis alia commentus eſt prudentiſſimus imperator, ut tota jam plebs nil aliud magis averet quàm prælium. In pugna hoc uſus eſt ſtratagemate, quotquot erant viri fortes, eos in dextro locavit cornu, infirmos

Thebanorum ſuperbia.

Leuctris Epaminondas ſplendidam de Lacedæmonis victoriam refert.

firmos conjecit in ſiniſtrum, ipſe cum turmâ ſelectorum extra aciem in omnes caſus paratus ſtabat: cornuum ſuorum quod erat infirmum juſſit paulatim retrocedere, nec eum hoſte miſcere manus, donec cornu validius aliquantiſper In opere ſuiſſet verſatum, hac arte victoriam adipiſcitur. Lacedæmonii enim vix ſuſtinent eam exercitus Thebani partem quæ prima venit ad manus, imò verò ut primum cum ſuâ turmâ jam propè feſſis *Epaminondas* ſupervenit, & *Cleombrotus* heroicè dimicans cecidiſſet, non amplius pugna ſed cædes & fuga fuit. Leuctricum hoc prælium toti Græciæ demonſtravit, Thebanos in pugnâ Spartanis, adeoque cunctis mortalibus præſtare.

Poſthæc Spartæ cum Arcadibus res fuit, Arcades advocant Thebanos, hi in Peloponneſum veniunt alacres, comitati non paucioribus ſuorum & ſociorum quàm millibus quinquaginta, non audent occurrere Spartani; Laconiam ergo per quingentos annos intactam ab hoſtili manu, depopulatur *Epaminondas*, quin & ipſam Spartam parat oppugnare. Nulla unquam huic urbi fuere mœnia, nam nullius hoſtis metuebat adventum: eæ tamen locorum difficultates, ea civium tum numerus tum virtus fuere, ut ab oppugnatione neceſſarium Thebani duxerint abſtinere.

Athenienſes Spartam contra Thebanos tuentur.

In his anguſtiis (ut rerum humanarum agnoſcas vices) Spartani mittunt Athenas qui ſuppliciter implorent illorum opem, quorum ante paucos annos mœnia, Rempublicam, & robur totum ſubruiſſent. Athenienſes memores magis liberationis Græcorum à Thebano jugo, quàm injuriarum nuper in ſe commiſſarum, execunt *πανδημεὶ* duce *Chabriâ* in ſuppetias Spartæ: ſed ante eorum adventum retroceſſerat ab urbe cum copiis *Epaminondas*. cùm Spartani recuſâſſent congredi prælio etiam provocati.

Anno ſequenti iiſdem vocantibus Arcadibus cùm in Peloponneſum pararet reducere exercitum *Epaminondas*, ac ſi alter ingrueret *Xerxes*, quotquot rei Spartanæ favebant, concurrunt ad Iſthmum: anguſtias muro & foſſis muniunt, perfectis munitionibus imponunt præſidia: ſed omnia perrumpit *Epaminondæ* virtus, nullus magnanimus vir angulos quærit, apertè in eam muri partem inſilit in quâ ſtabant Lacedæmonii: propulſat præſidia: munitionum fit dominus: per Peloponneſum quaquà luberet diſcurrit armatâ manu, oppugnat Corinthum, tranſcendit urbis muros, proripiunt ſe cives intra ædes, ſed *Chabriæ* & Athenienſium virtus ex urbe captâ Thebanos ejecit.

Ad hæc tempora in pleriſque civitatibus Græciæ graſſabantur ſeditiones graviſſimæ, inprimis Argis; ubi populus per Demagogas concitatus optimatum ad mille ducentos occumbere fecit morti.

Thebani potiuntur etiam mari.

Epaminondas convocato Thebis concilio perſuaſit civibus etiam maritimorum curam gerere; quò ſic non tantum Lacedæmoniis imperium terræ, ſed etiam Athenienſibus maris eriperent dominatum. Struunt centum triremes, quibuſcum exiens *Epaminondas* ita ſuo nomine Athenienſium Navarchas conterruit, ut congredi non ſint auſi: ſed cum *Epaminonda* vitâ omnes hice Thebanorum conatus evanuerunt in auras.

Epaminonda victoria ad Mantineam.

Ultima viri expeditio ejuſmodi fuit: Arcadia civili bello flagrabat, *Mantineenſes* contra *Tegeatas* adduxerunt Lacedæmone copias: *Tegeatæ* acceſſunt *Epaminondam*. Is cùm in Laconiam veniſſet, accipiens juventutem Spartanam ſedere in hoſtico obſidentes *Tegeam*, ſtatuit confeſtim occupare vacuam Spartam: ſed Spartæ Rex *Agis* ut primum in ſuis caſtris didiciſſet *Epaminondam* adventare, ſtatim ſuſpicatus ſagaciſſimi viri conſilium, mittit Spartam qui res viſerent, & populum confirmarent ad pugnam, ſi quid ingrueret inopinati, certiſſimâ ſpe ſui cum totis copiis ante aliquot horas adventûs. Intereà ſe dat in viam, cæterum ante adventum in *Epaminonda* manus urbs tantum non eſt data.

Venerat cum *Agide* Spartam inter cæteras copias *Mantineenſis* populus; hoc obſervato, *Epaminondas* delertâ Lacedæmone ſtatim advolat *Mantineam*, quam nullo negotio cepiſſet vacuam, ni forte fortuna aliquot Athenienſes conjuncturi ſe cum cæteris copiis veniſſent in urbem: ſatis hi feceſſunt negotii Thebanis, donec adveniſſet cum exercitu *Agis*. Non amplior mora, in Mantineæ campis diſponitur utraque acies; habebat *Agis* ſupra vicies mille, ad tricies *Epaminondas*; in ſiniſtro *Agidis* cornu Athenienſes pulſi recipiunt ſe in vicinum collem: inde cum dejeciſſent hoſtium aliquot turmas, pro victoribus ſe habuerunt: ſed in dextro cornu ubi ſtabant hinc *Agis*, illinc *Epaminondas*; cum abiiſſent victores Thebani equites, inter pedites diutiſſimè cruentum, ſi quod aliud, prælium commiſſum eſt, neutrò inclinante victoriâ; donec *Epaminondas* in medios ſemet hoſtes projeciſſet. Non amplius ſuſtinere Spartani valentes dant ſe in fugam; ſed antè lethalè percuſſum plagâ *Epaminondam* reliquere. Hic cum ſuis manibus heroicè perfringeret denſiſſimas hoſtium acies, undique in ipſum quaſi compluit telorum nimbus: ex his unum perrupto clypeo ſimul & loricâ, penetravit altè in pectus, & extorſum poſt ſe reliquit in vulnere ſpiculum:

R non

non ultrà valet ſtare *Epaminondas*, reducitur in caſtra, pronunciant Chirurgi moriturum educto ſpiculo: nil ille moratur mortem, tantùm interrogat armigerum, num ſuum ſalvum eſſet clypeum, quo reſpondente ſalvum id eſſe: iterum penes quos eſſet victoria quærit, cùm tuliſſet reſponſum penes ſuos, tum ab omni quaſi parte ſecurus, ſpiculum juſſit evelli quò tandem expiraret. Ante mortem cum lamentarentur circumſtantes amici tantum ſine liberis virum diſcedere; minimè verò (inquit) duas ego Reipublicæ clariſſimas relinquo filias ad multa victuras ſecula, victoriam *Leuctris* & *Mantineæ*.

Cum Epaminondâ evanuit Thebana potentia, & cum Græcorum pax.

In *Epaminonda* interitu ſua claudit *Xenophon* Hellenica, qui ſequentia det inter antiquos præter *Diodorum Siculum* neminis memini, nam qui magno fuerunt olim numero dudum periêre.

Epaminondâ ſuperſtite non potuit in Græciâ coaleſcere pax, ejus enim virtus implebat Thebanos deſiderio cæteris dominandi; non autem pati poterant dominos vel Athenienſes vel Spartani, priſtinos adhuc gerentes ſpiritus, licet multùm remiſſa antiquâ virtute; verùm *Epaminondâ* ſublato, deponentes Thebani ferociam patulis ſatis accipiebant auribus æquas à cæteris Græcis conditiones concordiæ.

Artaxerxes ſeditiones multas feliciter compeſcit.

Dum mutuis ſe Græci vulneribus confodiunt, *Artaxerxes Mnemon* Rex Perſarum, ſecurè in utramque ſtertit aurem, liber à maximo metu, & primario ſuo periculo, Græcorum armis, nihilominus poſt diuturna Halcyonea tempeſtas horrida in eum incubuit: *Tacon* Ægyptum occupat, multorum juxta Helleſpontum Satraparum fit conſpiratio tanta, quæ dimidium imperii vectigalium eripuit, adeò ut publicei reditûs reliquum non ſufficeret impenſis belli. Ex hiſce malis conatus eſt emergere, cum rebellium Satraparum pleriſque eam privatim operam navavit, ut ſe invicem prodentes omnes ad priſtinum obſequium retracti ſint. Major in Ægypto difficultas fuit, magnitudine ſtipendii multa veteranorum millia ex Græciâ *Tacon* adduxerat ad ſuam militiam: Lacedæmonii publico conſilio miſerunt *Ageſilaum* in profundâ ſuâ ſenectute *Taconi* in auxilium, *Tacon* obſervatâ *Ageſilai* ſtaturæ brevitate & pedis curvaturâ, cultuſque corporis magna pro Laconum more incuriâ, virum contempſit.

Tacon Ageſilaum in Ægyptum attrahit.

Ageſilaus ab omni proditione otiut provocatus excuſatur.

Stolidæ Ægyptii contumeliæ magnanimi viri mentem altè ſatis pupugerunt, ſed nequaquam eouſque ſodicârunt, ut graviſſimum virum in proditionis ſcelus impulerint. Hoc & alia vituperia *Ageſilao Rhalegus* improperat præter meritum, abſque cujuſquam, quantum ſcio, auctoritate. Verum eſt, *Nectanebos Taconis* nepos, dum ipſe contra unos Perſas oculos intenderet, à tergo Ægyprios in rebellionem concitavit, quo factum, ut *Tacon* ob ſui capitis periculum ad *Artaxerxem* conſugerit; à quo benignè, imò & regiè acceptus eſt: nulla tamen hîc *Ageſilai* culpa. Equidem cum *Mendes* magnam Ægyptiorum partem ad centum bellatorum millia contra *Nectanebon* commoveret; egregia *Ageſilai* & Græcorum virtute novi iſti rebelles peſſundati ſunt, ob quam operam magno honore & centenia aliquot auri talentis remuneratus *Ageſilaus* domum remiſſus eſt. Sed in viâ correptus morbo in ipſo littore Africano vir maximus expiravit, corpus cerâ mellis inopiâ conditum, Spartam reportatum ſplendidis exequiis humatum eſt.

Ageſilaus in Africâ moritur.

Artaxerxes Darium filium proditionis compertum necat.

Intereà domeſticæ calamitates *Artaxerxi* tragicum longinquæ vitæ exitum dederunt. Hiſtoriam habet *Plutarchus* in ſuo *Artaxerxe*. Hic in ſenectâ *Darium* filium jam quinquagenarium ſecum juſſit regnare: In more Perſis poſitum fuit, ut Rex deſignatus à deſignante obtineret quicquid tandem poſtulâſſet; *Darius* à patre petiit *Aſpaſiam* concubinam, conceſſit pater licet ægerrimè filio impium ſuum votum, ſed mox invidiâ in pœnitentiam actus, curavit *Aſpaſiam* eligendam *Dianæ* in ſacerdotem. Ut huic illa vacaret muneri, extracta eſt ex *Darii* thalamis in *Dianæ* ſacrarium ad perpetuum cœlibatum: hac contumeliâ irritatus *Darius* animo in patrem æſtuabat: addebat igni oleum Satrapa *Tiribaſus*. *Artaxerxes* quas habuit multas filias variis Satrapis in conjuges diſtribuit: *Tiribaſo* deſponderat *Ameſtrim*, ſed deluſo Satrapa ipſe contra omnia jura eam ſibi duxit in uxorem, licet plures alias haberet uxores, & concubinas non pauciores trecentis ſexaginta: quo tamen læſum *Tiribaſi* animum curaret, alteram filiam *Atoſſam* in matrimonium ei ſpopondit; verùm & hanc quoque inſanus ſenecio, deluſo iterum *Tiribaſo*, ſibi etiam in uxorem duxit. Atrocibus hiſce contumeliis extimulatus currenti *Dario* calcar *Tiribaſus* addidit, inter ipſos fit conſpiratio ut in lecto *Artaxerxes* obtruncaretur: ſed cùm ad *Artaxerxem* certum iſtius conſilii indicium emanâſſet, conjuratos prævertens filium in carcere carnificis manu decollavit, & *Tiribaſum* per ſatellites confodit. Ex reliquis filiis *Ochus* fuit acerrimus, ſed *Arcaſpes* & *Arſames* patri magis grati. Quod de quinquaginta aliis *Artaxerxis* filiis, cum *Dario* contra patrem conſpirantibus, & proptereà necatis habet ex *Trogo Juſtinus*, non credimus; cùm nihil eâde re alii fide digniores auctores referant.

Arcaſpes Ochi artibus conterritus, quaſi pater ipſum ſtatuiſſet dare neci, ut *Darus* conſilio-

ſiliorum participem, ipſe ſibi veneno mortem conſciſcit.

Ochus fratres gladio & patrem nonagenarium dolore necat.

Expiſcatus *Ochi* fraudem, animo in *Arſamem* quàm priùs propenſiori *Artaxerxes* evaſit, illum ergò etiam *Ochus* per ſicarios de medio ſuſtulit: cujus acceptâ morte pater dolori impar ſuccubuit ætatis anno nonageſimo quarto, regni, ut vult *Plutarchus*, ſexageſimo ſecundo, ut alii plerique, quadrageſimo ſecundo.

Ochus ad aliquot menſes patris obitum obtexit, donec per ſictam patris quaſi adhuc in vivis ſyngrapham, ſe Regem per provincias renunciâſſet.

In primis Regni auſpiciis Regiam multis propinquorum cædibus replevit, *Ocham* ſororem vivam tumulavit, patruum cum octoginta filiis ac nepotibus in aream concluſis, militum jaculis transfodit, alioſque multos ex merâ animi libidine nullius ſuſpectos criminis delevit, ut ſic Perſarum impleretur patera, eorumque ſceleribus ad culmen aſcendentibus, in maturam jam Aſiæ meſſem Macedonum falx immitteretur.

Afflicti ab Eunucho Iudæi.

Dum regnaret *Ochus*, *Bagoſes* Satrapa Syriæ Judæos valdè afflixit. *Ioannes* Pontifex metuens, ne frater *Ieſus* Eunuchi familiaris Perſarum viribus ſe ejecto crearetur ſummus ſacerdos, eum in ipſo templo obtruncat. Ob hoc Pontificis facinus totam Judæorum gentem multis malis affecit Eunuchus.

Nectanebo puſillanimitas Ægyptum ſine pugnâ tradit Ocho.

Nectanebos Ægyptius ſuo Regno Phœniciam adjunxerat: ſed dum veniſſet *Ochus* Sidonem cum exercitu, primo Sidon proditione, tum cætera Phœnicia metu ipſi tradita eſt: imò verò *Nectanebos* ignavâ formidine correptus, Ægyptum contra omnem vim optimè munitam deſerens in Æthiopiam confugit. Ita nullo negotio totum ſuum imperium recuperatum ſtabilivit in pace, ſed non diuturnis hujus pacis fructibus divina vindicta frui paſſa eſt.

Ochus aſſum Apim comedit.

Bagoas Eunuchus tribunus militum genere fuit Ægyptius: *Ochus* Ægyptios victos duriter oppreſſit, & ex Ægypto multa Judæorum millia in Babylonem & Hyrcaniam tranſtulit: ſed quod Ægyptiorum bilem in *Ochum* ante alia commovit, fuit: inſolens in ipſorum Deum Apim contumelia. Hunc ille in ſacrificio immolans aſino, ut gregarium vitulum coqui manu diſſectum,& aſſatum menſæ ſuæ apponi ſecit. Hac inter alias iræ cauſas *Bagoas* Ægyptius commotus *Ochum* de medio ſuſtulit, regni anno viceſimo tertio, corpuſque in minuta diſſectum felibus comedendum præbuit, & ex oſſibus gladiorum manubria concinnavit: aliud autem cadaver regio lecto ſuppoſuit, quod pro vero Regum ſepulchris intulit. Iſta *Ælianus*, auctorem prout ſolet, conticeſcens.

Bagoas necatum Ochum & in fruſta conciſum tradit felibus.

Cum *Ocho* omnes quoque filii ſublati ſunt, præter *Arſem* natu minimum, quem in ſolio Eunuchus collocavit: ſed cùm hic adoleſceret, metuens Eunuchus ne paternam eaſdem vindicaret, eum quoque curavit necandum, & *Darium Codomannum* ultimum Perſarum præfecit regno.

Sublatis Ochi liberis Dario Codomanno Bagoas dat thronum. Bagoam tollit Darius.

Num *Codomannus* ex *Cyri* familiâ ortus ſit, & Perſarum Reges ullâ cognatione contigerit, variant auctores antiqui etiam optimæ notæ: utcunque certum eſt *Bagoæ* artibus in throno collocatum; in quo ut conſedit in euris prima ſuit, ut de *Bagoâ* ob ſua in priores Reges ſcelera vindictam ſumeret; metuens ne ſacinoroſus homo, Regum ſanguini ſundendo jam aſſuetus, ſe etiam aliquando deceſſoribus adderet novam victimam.

Dum hæc in aulâ Perſicâ agerentur tragœdiæ, in Græciâ cuncta procedebant ad facilitandam divini decreti executionem, de transferendo à Perſis ad Macedonas imperio. *Philippus* Macedo tum temporis in bello ſacro totus occupabatur, quod hunc ſe habuit ad modum.

Philomelus cum Phocenſibus Delphicum templum occupat.

Amphictyones fuere Synedrium Delphis in *Apollinis* templo ad communes Græcorum lites decidendas conſtitutum: erat in *Phocide* quidam ager *Apollini* quondam ſacratus, hunc quòd *Phocenſes* privatis uſibus applicuiſſent, ingenti pecuniâ ab *Amphictyonibus* mulctati ſunt, Lacedæmoniis etiam ob captæ Cadmeæ injuriam mulcta gravis inflicta eſt: utriſque quòd ad dictum diem mulctam non ſolverent, duplicata eſt ſumma: *Philomelus* apertè vocat Phocenſes ad arma: ipſe delectus imperator proficiſcitur Spartam, cum quâ communis erat Phocenſium cauſa, *Archidamus* Rex clam facit fidem ſociorum armorum: hac inflatus ſpe *Philomelus* armatâ manu Delphos invadit, Amphictyonas ejicit, oraculi & bonorum *Apollinis* ipſe ſibi cuſtodiam ſumit, non quidem attingit donaria, tantam tamen pecuniæ copiam ditiſſimis tum ex longâ pace Delphis invenit, quæ ipſi non modò ad numeroſum militem alendum, ſed etiam ad potentiſſimas quaſque Græciæ civitates in ſocietatem largitionibus pertrahendas, abunde ſuffecit.

Bellum ſacrum gigantomachia.

Quanquam neceſſarium habuere Græci, tum temporis in Ethniciſmi ſordibus altiſſimè demerſi, ſceleſtiſſimum hoc bellum, novamque contra Deos Gigantomachiam exiſtimare, nihilominùs ut primùm *Philomelus* ſuam mentem publicavit, augendi diurna militum ſtipendia ad ſemiſſem, & referendi liberaliter eunctis gratiam, quicunque ſuam nollent amicitiam reſpuere, confluit ſtatim, utut ad impium virum,

R 2 maxi-

Athenienſes & Spartani auri fame ſacrilegorum ſocii fiunt.

maximus undique fortiſſimorum militum numerus: quin & amicitiam amplexi ſunt non Spartæ ſolùm ſed etiam Athenæ, uſque adeo ſacta eſt auri fames. Certè non deſuere Phocenſibus ad belli uſque ſinem vel milites vel ſocii, quamdiu remanſit apud *Apollinem* quod donaretur.

Thebani feſſi Philippum Macedonem in Apollinis patrocinium advocant.

Poſt *Locros* Thebani ſuſceperunt *Apollinis* hoſce violatores extirpare, multas illi quidem intulerunt ſimul & paſſi ſunt clades, varios Phocenſium Imperatores ſuſtulere: ſed is continuò ſuit ad *Apollinis* aurum novorum militum confluxus, ut Thebani ſi non fracti, certè fatigati penitus, poſt octennale ſine omnibus induciis bellum, coacti ſint in *Philippi Macedonis* manus vindicias deponere, apertè ſibi ſumente Spartâ Phocenſium patrocinium.

Philippus Illyricorum Thebis obſes Epaminondæ ſodalis fuit.

Philippi digniſſima eſt quæ conſideretur hiſtoria, ante eum Regem, Macedoniæ deſpicatiſſimum fuit regnum, limites anguſtiſſimi, minimæ vires, Regulorum plurima parricidia. Ex *Amynta* filiis *Philippus* quartus fuit, ſed fratribus mutuâ fraude ſublatis, ad eum pervenit patriæ regimen. Latè tum dominabatur fera Illyriorum gens, ipſi tributum pendebant plerique Thraciæ Reguli, & inter cæteros *Macedo* variis devictus præliis. Habebant Illyrii *Philippum* Macedonici tributi obſidem, hunc, dum ineunda ipſis eſſet cum Thebanis pax, depoſuere Thebis. Thebani puerum hoſpitem educandum tradiderunt *Epaminondæ* patri: hic *Philippum* pariter & *Epaminondam* Pythagoreo cuidam inſtituendos commiſit. In hac Scholâ iſta virtutum principia imbibêre pueruli, quæ utrumque in maximum ſui ſeculi virum evexere.

Macedonia miſerrimum Regnum in florentem fortunam evexit.

Macedoniæ Regnum in ſe minimum, cunctis fortunæ malis quaſſatum accepit *Philippus*: quem unum ſibi reliquerant fratrem domeſticæ manus, hunc de throno ſimul & vitâ moverunt Illyrii. *Pauſaniæ* cuidam regii generis juveni conabatur Rex Thracum Macedoniæ ſceptrum dare. Athenienſes ſuam operam ad comparandum regnum præſtabant *Argæo*, quicquid ipſis Macedonibus ſuit virium crebra bella contriverunt. *Philippus* adoleſcens morabatur Thebis tantumnon captivus; ex hac Iliade malorum divina virum eruit providentia. Acceptâ fratris morte clam fugit Thebis, ut in Macedoniam venit, obrutum malis populum frequentibus orationibus erexit, aſſueſecit Thebanæ in bellis diſciplinæ, minoribus primùm præliis exercens, mox Macedonicam inſtituit phalangem, cujus virtute tota Macedonia propulit *Illyrios*, *Pauſaniam* & *Thracas* placavit donis, ab *Argæo* Athenienſes avertit, permittendo eorum coloniam Amphipolin libertate frui; denique in paucis annis quam afflictiſſimam acceperat Macedoniam, ad florentis ſortunæ culmen evexit: vi & arte pletaſque circumcirca gentes priſtino adjecit Regno. & in his cunctas penè civitates in *Thraciâ, Cherſoneſo, & Pieria*, de quarum imperio multos cruoris rivos cùm Athenæ tum Sparta, poſt tempora *Xerxis* effuderant.

Aureo ſæpe ariete invincibiles arces ſubruebat.

Variis *Demoſthenes* orator invectivis Athenienſem populum in *Philippum* concivit, ſed fruſtra omnis conatus contra virum, quem pleniſſimis velis aura fortunæ (revera providentiæ) impellebat ad maxima. Aureis utebatur frequenter *Philippus* armis, ſi quæ mœnia baliſtas & bellica tormenta tuliſſent, aſinum onuſtum auro iſta jubebat arietare: Ea tum Græcorum fuit φιλαργυρία, ut in omni civitate reperirentur qui patriam auro vellent licitari. Certè *Philippus* per virtutis & pecuniæ vim ad tantum potentiæ pervenit, ut acceptantibus de manu Phocenſium Spartanis ſacrilegorum latrociniorum patrocinium, non alium in Græciâ quàm ipſum Thebani viderint, cui ſuam turò committere poſſent cauſam.

Bellum ſacrum ſine pugnâ perfecit.

Tenues ille initio Thebanis mittebat copias, volebat enim aliquoties perdomitos abjicere ſpiritus, quos ex Leuctrico & Mantineenſi præliis ſumpſerant altiſſimos. Id cùm ſenſiſſet factum, tum ſine morâ dat ſe in viam Delphos ingenti cum exercitu, non audent concurrere Phocenſes, ſine prælio offerunt quaſcunque poſtularet *Philippus* conditiones: ita ſine periculo maximam ſimul & fortitudinis & pietatis opinionem in Græciâ conſequitur. Amphictyonas in templo reponit, Phocenſibus ob ſacrilegia annuam imponit mulctam, cujus gravitate impius ille populus in paupertatis barathra ad perpetuum detruderetur.

Apollinis Theſaurus myriadis talentorum auri à ſacrilegis dilapidatus.

Dilapidâſſe feruntur Phocenſes in belli novennio ſurreptam ex templo talentorum auri myriada; majorem auri copiam non repperit *Alexander* Perſepoli in gazophylacio: mirabilis quidem, ſed credenda ſumma eſt, ſi quis cogitat infinita donaria, quæ illuc quotidie per aliquot annorum centurias ſine ullo effluxu confluebant. Nullum gravius impietate ſcelus, quem colis ſit Cacodæmon, tum tamen ſi pro Deo habeas, nequis ſine profanitatis maculâ violare. Profectò non ſemel demonſtrat *Diodorus Siculus* graves dediſſe pœnas, quotquot *Apollinis* aurum attigerunt.

Perinthum Perſa, Byzantium Athenienſes Philippo faucibus eripuere.

A bello ſacro omnia *Philippo* fuere proclivia; Illyrios, Thracas, vicinos omnes Barbaros perdomuit, latè ſui nominis ſparſit terrorem, non per Græciam modò, ſed & Aſiam totam. Laborioſiſſima ipſi accidit obſidio *Perinthi*, nam cùm cunctis belli machinis vexâſſet mœnia, urbs tamen ejus

erepta

erepta faucibus eſt, non tantùm adventu Satraparum, quos numeroſis cum copiis Rex Perſarum miſerat ad urbis tutelam, quo ſic in ipſa Græcia Philippicæ fortunæ curſus refrænaretur, ſed inprimis Byzantinorum operâ; qui ſua omnia defendendæ *Perintho* contribuerant. Hoc indignatus *Philippus*, relictâ ad *Perinthum* dimidiâ copiarum parte, ipſe cum cæteris feſtinat occupare Byzantium, quod parvo præſtitiſſet negotio, ni denunciâſſent Athenienſes præſens bellum continuanti obſidionem Byzantii civitatis ipſis ſociatæ: hoc metu cum Byzantinis ſimul & Perinthiis paciſcitur, ne, ſi pergeret, Aſiæ ſimul & Græciæ infeſtum in ſe robur attraheret.

In Athenas totum ſuum ex inopinato exercitum convertit Philippus.

Noluit tamen intempeſtivam Athenienſium importunitatem inultam abire: ſtatuit quam maximis potuit copiis imparatam Atticam invadere ex inopinato. Ingreditur viam, nunciatur Athenis non longè *Philippum* abeſſe, properantem ad urbis excidium: maxima fit populi ἀγωνία, primo mane deſcenditur in theatrum; jubentur aliquoties publico præconio oratores dicere, prodit nemo, conjicit mœſtiſſima plebs in *Demoſthenem* oculos, extractus ille populi aſpectibus conſcendit ſuggeſtum, multis verbis docet ſatis adhuc eſſe ſpei, ſi Thebanis perſuaderi poſſit ſocietas armorum, ipſe confeſtim mittitur legatus Thebas, totis hic dicendi fluminibus ſuadet, & tandem perſuadet occurrendam communibus armis *Macedoni*, objicit ſe utraque urbs in unis caſtris *Philippo* ad Bœotiæ *Cheroneam*, pugna fit acerrima de libertate Græciæ, quæ hîc primùm amiſſa, nunquam in poſterum plenè recuperari potuit. Habebat *Philippus* ad tricies mille peditum, Græci vix pauciores; fortiſſimi utrinque viri, in ſiniſtro Macedonum cornu ſtabat adoleſcentulus *Alexander* in medio præclariſſimorum ducum, pugnatur ab omni parte ſumma contentione animorum. Is quidem in *Alexandro* adhuc ephebo pugnandi fuit ardor, ut prima Græcorum fuga dicatur ab ea aciei parte contra quam ille dimicavit, ſed ne *Alexandro* victoriæ tribueretur gloria, *Philippus* pater tantâ vi connixus eſt, ut tota hoſtium agmina dederet in præcipitem fugam.

Demoſthenes perſuadet Thebanis ſe conjungere Athenienſibus contra Philippum.

Ad Cheroneam Philippus cum Alexandro Græcos ſubjugat.

Hac victoriâ cernens *Philippus* acquiſiviſſe ſe certiſſimum Græciæ principatum, ſupra modum elatus gaudio, liberioribus (ut cum amicis frequenter ſolebat) poculis indulſit, etiam vino calens, inſolentiùs incipiebat captivis inſultare; donec ſarcaſtica *Demadis* Athenienſis parrheſia mentem ut ebrio reddidiſſet, non te, inquit, Rex pudet quem hodie fortuna fecit *Agamemnonem*, *Therſitem* agere: altè adeo ſarcaſmi hujus dentes *Philippi* animum momorderunt, ut ſtatim ſine pretio quotquot ex Athenienſibus eſſent captivi, liberos dimitteret, pacemque cum tota Græcia conditionibus æquiſſimis pepegerit, ſolis Thebis impoſito præſidio.

Corinthi conſtituitur Philippus Græcorum contra Perſas Imperator.

Mox Corinthum convocat communem Græcorum Synodum, civitatum legatis memorat multis & efficacibus verbis, quas nuper & olim intuliſſent Perſæ Græco nomini injurias, oſtendit commodiſſimum hoc eſſe vindictæ tempus, modò communibus armis Aſiam tentare vellent, ſeſe dicentes Imperatorem: placet omnibus oratio, creatur *Philippus* Græcorum contra Perſas Imperator, ſingulæ civitates pro viribus aliquid ſaltem opellæ contribuere pollicentur. *Philippus* antiqui jam voti compos totus eſt in Aſia, *Parmenionem* & *Attalum* in Ioniam præmittit cum aliqua copiarum parte, ad liberandum Græcas in Aſia civitates, ipſe ad ſequendum omnia parat.

Pauſanias Philippum necare ſtatuit.

Habebat in familia adoleſcentes duos utrumque *Pauſaniam*, utrumque charum, alter ſatellitum unus, alter Regis invidens favorem exprobrabat mollitiem; impatiens hic contumeliæ *Attalo* ſignificavit injuriam, ſimulque certum ſuum moriendi animum, in proximo igitur contra Illyrios prælio denſiſſimis ante Regem telis ſuum corpus objiciens, penè ſpontaneâ occubuit morte; *Attalus* triſtitiâ obrutus vindictam de altero *Pauſaniâ* ſumere parat: invitat ad pocula, & paulatim ad ebrietatem pellicit, ebriumque objicit ruſticorum libidini: evaneſcentibus vini vaporibus redit ad ſe *Pauſanias*, & cogitans contumeliam Regi querimoniam defert. Rex in *Attalum* iraſci quidem ſatis graviter, ſed non auſus nimium irritare virum, cujus fide & virtute bellicâ ſtatuebat in Aſia plurimùm uti, convertit ſe ad adoleſcentem amicâ oratione & donis placandum: cæterum altiùs vulnerabatur *Pauſaniæ* mens, quàm ut vel verbis vel donis curari poſſet. Ab *Attalo* igitur in ipſum Regem, cujus erat plectere ſontes, convertit odium; occidendi *Philippi* fit certus; in ſententia confirmavit imprudens Philoſophus *Hermocrates*, dum quærenti, quo poſſet quis facto plurimùm nobilitari, reſponderet, cædendo nobiliſſimum. Dum ergo *Philippus* ante ſuum in Aſiam iter toti Græciæ ſolenniter quaſi diceret vale, & in maximâ ſociis & ſubditis ſemet oſtentaret gloriâ, confoſſus *Pauſaniæ* manu cadit exanimis. Celebrabat maximâ cum pompa filiæ *Cleopatræ* cum *Alexandro* Epirotarum Rege *Olympiadis* fratre nuptias; aderant ex omnibus civitatibus Græciæ legati, poſt aliquot dierum convivia indicuntur regia prorſus & *Philippo* digna ſpectacula: confluit multò mane populus in theatrum, intrant perſo-

nati

nati duodecim majorum gentium Dii, & cum his *Philippi* quoque ſimulachrum, quo ſe faciebat decimumtertium Deorum, ipſe dum ingreditur theatri fores in candida veſte, quò liberiùs ſpectaretur à populo, antecedere jubet amicos, & longo ſequi intervallo ſatellites, in hac ſolitudine Regem ex voto nanciſcens *Pauſanias* involat, & latus Gallicâ ſicâ transfodit, expirat ſine voce Rex, trajicitur *Pauſanias* à circumſtantibus in momento mille plagis percuſſus. Ita ruiſſent in nihilum cuncta *Philippi* conſilia, niſi patri filium *Alexandrum* ſuccenturiâſſet divina manus.

Philippus in medio ſolennis pompa confoſſus.

Alexander ab ipſis incunabulis omnibus & animi & corporis & fortunæ dotibus, ſi quis unquam in terris, ad acquirendum orbis imperium inſtructus fuit. Corpore erat admodum robuſto & ſalubri, licet non magno, eàque temperamenti perfectione, ut ſuavem, cùm ſudaret, odorem exhalaret, & aliquot poſt mortem diebus colore vivido & odore fragranti, quaſi adhuc in vivis, floreret.

Alexander ad acquirendum Imperium à natura factus.

Adductus eſt ex Theſſaliâ aliquando ad patrem equus *Bucephalus* pretio tredecim talentorum, librarum noſtratium ſupra tricies mille: ferox hic adeo fuit ut nullâ arte, nullâ vi quenquam pateretur ſeſſorem. Dum *Philippus* indomitæ ferociæ beſtiam pararet ut inutilem abjicere; *Alexander* adhuc puer obſervato maximam Bucephali ferociam accidere ex terrore ab umbrâ ſuâ, eum leniter obvertit Soli, ut umbram non ſpectaret, dein poſt poppyſmos molliter aſcendens, tardiùs aliquandiu fecit incedere, tandem admovit calces, & dimiſſis habenis impulit ad profuſum curſum, à quo paulatim retrahens reduxit morigerum ſatis ad patrem: is gaudio lachrymans deſcendentis de equo caput pueri oſculatus eſt cum his verbis, *Aliud tibi mi fili Regnum para, Macedonia enim te non capit.*

Alexander puer domat Bucephalum.

Ad animi magnitudinem, quæ à natura ſumma propè fuit, multum addidit præceptoris diſciplina, ſcripſit ad *Ariſtotelem Philippus*, non tam ſe lætari de nato filio quàm quòd eo tempore natus eſſet, quo ipſo poſſet magiſtro frui. Videtur ad erudiendum *Alexandrum Ariſtoteles* acceſſiſſe, animo in Perſas ex peculiari injuriâ exulcerato; nam per aliquot annos cum amico *Hermiâ* Eunucho in Ionia Regulo degens, cum contra datam fidem à *Memnone* Ioniæ Satrapâ Eunuchus addictus eſſet morti, vix eruentias percuſſorum manus *Ariſtoteles* cum aliis ſociis Philoſophis celeri fugâ evaſit.

Ariſtoteles Alexandrum contra Perſas movit.

Cùm adoleviſſet *Alexander*, præclariores rei benè gerendæ occaſiones optare non potuit. Perſica aula ſuis flagitiis ruinam minabatur, totam Græciam & vicinos in Europâ Barbaros ſi non ſub ſui imperii jugum compulit, ſaltem in amicum fœdus contra Perſas pater adduxerat; veteranum quoque patris exercitum multis victoriis, & omni artis bellicæ laude florentem habebat ſub ſignis. Omnia tamen hæc blandientis fortunæ præludia evanuiſſent in fumum, niſi maxima ipſius *Alexandri* virtus evidenti numinis afflatu, fugientem à ſe patris fortunam retraxiſſet, & retractam ad ultimum vitæ ſpiritum intra ſua brachia captivam cohibuiſſet: nam ut primùm expiravit *Philippus*, maximæ ſtatim *Alexandri* cœptis objectæ ſunt remoræ.

Adipiſcendi Imperii occaſiones A-lexandro ſe obtulerunt.

Alexandri perpetua comes fortuna.

Codomanus Perſicum nactus ſceptrum omnia ad bellum fortiùs & prudentiùs comparabat, quàm à multis annis effœminati Perſarum Reges ſolebant: In hujus prædominabatur conſiliis *Memnon* Rhodius *Mentoris* frater, ſuadebat hic *Dario* bellum in Macedoniam transferre, ut domi potius Græci quàm in hoſtico decertarent, & quo generoſum illud ac utile conſilium effectum daretur, omnibus ad mare provinciis ipſe *Memnon* præfectus eſt, & magnis tam terrâ quàm mari copiis inſtruitur. Plerique à *Philippo* ſubacti Barbari in rebellionem apertam eruperant, Græcorum omnium nutabat fides, ipſi Macedones ſeditionem ſpirabant.

Multa incipienti impedimenta.

Superinduxerat *Olympiadi* Philippus *Eurydicen*, hujus avunculus *Attalus* Macedonicum in Aſia exercitum ductabat, *Eurydica* ex *Philippo* fuit filius, hinc *Eurydica* cum *Olympiade* frequentes rixæ: Athenienſes *Attalum* ad defectionem ab *Alexandro* ſollicitabant. Dum his ſe vepretis indutum ſentiret *Alexander*, *Eurydicen* matris æmulam ejuſque filium & avunculum *Attalum* de medio tollit. Mox, ut ſuum ferebat ſymbolum, μηδὲν ἀναβαλλόμενος, in Thracas, Illyrios, Pæonas, Triballos, & Getas, etiam ultra Danubium rapidiſſimo impetu Macedonicam phalangem egit, ubique quà arte quà vi omnia ſubjugavit. Cum Germanorum legatis pacem inſtituens ab ipſis quæſivit, quidnam à ſuis domi maximè formidaretur, expectans ab ipſis ſignificationem metus à ſuis armis, ſed reſponderunt Germani unum ſuis metum eſſe ne cœlum rueret: ſarcaſmo nil aliud retulit *Alexander* quàm ſuperbos eſſe Germanos. Dum ultra citraque Danubium cum Barbaris contenderet, accipit in armis pro Perſis contra ſe ſtare Thebanos, Athenienſes, Spartanos, & alios multos Græcorum, non mora; ſtabilitâ cum Barbaris ſubactis pace magnis itineribus in Bœotiam advolat, opinione multò citiùs ad Thebarum portas caſtra metatur, Athenienſes ſtatim cadentes animis pacem petunt

Eurydicen novercam ejuſque filium ac fratrem Attalum ſtatim tollit.

Barbaros domat.

Thebanos invitus excindit.

tunt & obtinent, Thebanis quoque lubens pepercisset ob paternum apud illos hoſpitium: ſed præferoces viri omnia pacifica reſpuentes in *Alexandri* caſtra involârunt, ab his cum rejicerentur unà cum ipſis in urbem Macedones tuerunt, fit promiſcua cædes virorum ad nonaginta millia, ſub haſtá veniêrunt ad millia triginta. *Pindari* Poëtæ & aliquotum *Philippi* hoſpitum ædibus eſt parſum, cætera urbs ſolo æquatur. Diriſſimum hoc ſeveritatis exemplum, in antiquiſſimam propè & fortiſſimam Græciæ civitatem editum, cæterorum omnium Græcorum ſpiritus contudit, ita ut in proximia Corinthi comitiis, conſentientibus omnium ſuffragiis *Alexander*, ut priùs *Philippus*, Græcorum contra Perſas Imperator renunciatus ſit. Hac tempeſtate inviſens *Alexander Diogenem*, Corinthi in ſuo dolio contra ſolem apricantem, à ſe petere Philoſophum hortatus eſt quidquid luberet, deſideratum omne certiſſime relaturum: Nihil aliud petiit *Diogenes* quàm ut Rex paulùm è ſole ſecederet, ne ſuâ umbrâ ſibi radios interciperet, viri magnanimitatem miratus *Alexander*, *Diogenes*, inquit, eſſe vellem, ni *Alexander* eſſem.

A Græcis dicitur in Perſas Imperator.

Diogenem miratur.

Comparvo exercitu & fere nullâ pecuniâ in Aſiam trajecit.

Poſt Græcorum Corinthi comitia anno Regni ſecundo, vitæ vigeſimo ſecundo properavit ad Helleſpontum. Exercitus erat peditum tricies mille, equitum quater, in ærario fertur habuiſſe pecuniæ non ſupra ſeptuaginta talenta, ſed æris alieni ſupra ducenta, pleroſque regii patrimonii agros amicis elargitus eſt, omnes ſuas ſpes in dextrá & armis ferens, *Antipatrum* reliquit domi cum duodecim millibus peditum, & mille quingentis equitibus, ad Macedoniam & Græciam tutandam contra incerta caſuum, infirmo admodum præſidio.

Parmenio in triremibus centum ſexaginta & aliquot onerariis militum pleroſque trajecit *Abydum*, ipſe *Alexander* in navibus longis ſexaginta *Troadem* aſcendit, conjecta in terram ex prætoriâ quam ipſe gubernaverat, ſuâ haſtâ, quò Aſiæ poſſeſſionem ſuis armis caperet. Nullum à Perſia in deſcenſu factum eſt impedimentum. Ut venit *Ilium* ad *Achillis*, *Ajacis*, & aliorum heroum tumulos, hoſtias libavit, ſuaque arma in *Trojanæ Palladis* templo ſuſpendit, alia inde ſumens quæ fuerant heroum. A *Troade* pergebat *Lampſacum* magnâ irarum mole, ut eam erueret ad Thebarum exemplum; quòd ea Græca Ionum civitas contra Græcos cum Perſis auſa fuiſſet conſpirare, mittunt illi ſupplicatum veniam *Anaximenem* Philoſophum, cùm *Philippo*, tum ipſi *Alexandro* percharum. Ut in conſpectum venit *Anaximenes* præveniens *Alexander* juravit conceptis verbis, nihil eorum factutum ſe quæ oràſſet *Anaximenes*: ſubjecit ſtatim acutus vir, orare ſe ut *Lampſacum Alexander* dirueret; hac arte ſervata eſt civitas deſtinata cladi.

Anaximenes ſuâ ſolertiâ Lampſacum ſervat ab excidio.

Dierum aliquot itinere ſupra *Troadem* ſeptentrionem verſus objecerunt ſe *Alexandro* ad amnem Phrygiæ Granicum *Memnon*, *Arſes*, *Spithridates* & alii Satrapæ, cum decem millibus equitum & ſupra centum peditum. *Memnon* pro viribus diſſuaſit Perſis ullam inire cum *Alexandro* pugnam ante adventum *Darii* cum cæteris copiis: *Arſes* & reliqui Perſæ pugnandum decrevere. *Parmenio* etiam *Alexandrum* avocabat à pugna eo loci, ubi altus & vorticoſus tranſcundus erat peditibus fluvius, & præceps ac lubrica ſcandenda ripa, quàm hoſtes parati ad prælium inſederant; *Alexander* furore magis quàm conſilio ardens pugnam, intrat cum equitum primis flumen, jubâ & omnibus armis conſpicuus ſummâ vi adverſam ripam tranſcendens, atrox commovit prælium. *Rhaſaces* ſecuris ictu galeæ dimidium raſá cæſarie abſcidit *Alexandro*, ipſe haſtâ *Rhaſacem* trajecit medium, cùm poſteà confringeretur haſta ejus, trunco pugnare coactus eſt contra multos ſe unum impetentes, tandem novam adeptus lanceam *Mithridatem*, *Darii* generum ſibi inprimis inſtantem, transfodit. Intereà à tergo *Spithridates Alexandrum* ſecuri deſſecuiſſet, niſi *Clitus* præveniens *Spithridati* lethalem intuliſſet plagam. Eâ tempeſtate Phalanx tranſiverat fluvium, iſtius impetum non diu tulerunt Perſæ, cùm cæteri omnes vertiſſent terga, Græcorum mercenariorum viginti millia obſtinatè pugnârunt, hos Macedones circundantes ad unum necârunt, quòd contra commune Græcorum decretum Barbaris contra Græcos locâſſent operam.

Victoria ad Granicum Phrygiæ.

Victoria hæc *Alexandro* Aſiam aperuit, provincias multas & urbes plurimas abſque majori ſanguine aut pulvere tradidit in manus. Prima *Sardium* cura fuit, ubi cum arce Gaza quoque regia ei prodita eſt: ex opimis ſpoliis ſplendida in Græciam donaria, etamplum novo legendo militi ſtipendium miſit: paucæ in *Phrygiâ*, *Bithyniâ*, *Ioniâ*, *Æolide*, *Galatiâ*, *Cappadociâ*, *Paphlagoniâ*, *Lydiâ*, *Lyciâ*, *Cariâ*, *Pamphyliâ*, & *Ciliciâ* in Perſarum manibus civitates remanſerunt: propè omnes metu vel arte vel vi ceſſerunt ſtatim victori. Is civitatibus omnibus Græcis libertatem donavit, à vectigalibus multas fecit immunes, nullis plus tributi impoſuit quàm Perſis ſolebant pendere.

Aſiâ totâ minori potitur.

Diebus aliquot exercitum Epheſi recreavit ſacrificiis & ludis: vectigalia omnia Epheſina *Dianæ* templo dedicavit, quo die ipſe naſceretur *Heroſtratus* ut magnum ſibi

Epheſi reficit exercitum.

nomen

Non permittitur Dianæ templo ſuum nomen inſcribere.

nomen conſequeretur, templum illud in cineres redegerat, id cives magnam partem reſtauraverant, obtulit *Alexander* perfecturum ſe omnia ſupra priſtinum nitorem, modò nomen ſuum operi paterentur inſcribi; conditionem iſtam Epheſii repudiârunt.

Difficilis cum Memnone lucta.

Epheſo proceſſit Miletum quò confugerat *Memnon*: laborioſiſſimam hujus urbis obſidiooem faciebat *Memnonis* virtus, ſed *Alexandri* vim nil valuit ſuſtinere. Cùm machinæ bellicæ disjeciſſent muros, *Memnon* milite navibus impoſito *Halicarnaſſum* Cariæ fugit, inſequitur *Alexander* deditâ Mileto; poſt longinquam & duram obſidionem, *Halicarnaſſum* captam delevit, ſed arcem munitionibus ſuis circuodatam, neceſſe habuit relinquere. Hinc *Memnon* cum Perſica claſſe contenderat Chioo, illam & alias mnltas Inſularum Cycladum parvo negotio capit; inde in Macedoniam parabat trajicere, ubi rationes omnes *Alexandri* valdè conturbarurus videbatur, hujus quidem unius virtutem ſupra omnes alios mortales etſi non metuebat (nam nihil quicquam unquam metuit) ſuſpectam tamen habuit *Alexander*, verùm in ipſo conatu divina manus *Memnonem* de medio ſuſtulit.

Hyemavit in Caria.

Hyemem primam egit *Alexander* in Caria & Piſidia, facultate datâ Macedonibus quicunque nuper duxiſſent uxores, redeundi domum ad inviſendas familias, cum mandatis ut primo vere alacriores redirent ad caſtra: ipſe interim non ceſſabat arces, urbes, & provincias in ſuam redigere ditionem.

Æropi inſidias expiſcatur Parmenio.

Dum hîc eſſet, certis comperit indiciis *Alexander*, *Æropum* Theſſalorum equitum præfectum *Dario* ſuam vitam pactum; pretio regni Macedonici & mille talentorum auri. Cùm expiſcata fuiſſet facinus *Parmenionis* diligentia, ejus etiam operâ *Æropum* ſine ſtrepitu comprehenſum in vincula conjecit.

Occupat parvo negotio anguſtiſſimas Ciliciæ portas.

Primo vere cùm *Darius* tum *Alexander* quanto valebant robore parabant cooenrrere. *Darius* ex ſuperioribus maximè provinciis ſupra ſexcenties mille bellatorom in Meſopotamiæ campis luſtravit. *Alexander* etiam variis tam ex Græcia quàm Aſia delectibus militum habitis, *Darium* verſus movebat. In Aſſyriam properanti transeunda fuit Cilicia per geminas portas: in aditu anguſtæ admodum erant pylæ: ibi pauca millia infirmorum militum in præruptis ſaxis confidentia, ſolis lapidibus totum *Alexandri* exercitnm valebant excludere. Dum appropinquaret iſti portæ ipſe *Alexander*, aſſumptis ſecum ſagittariis & leviter armatis, mediâ nocte cuſtodes invaſit; hi ut primùm audivere præſentem Regem, ſtatim diffugerunt metu, apertas & nudas anguſtias læto valdè *Alexandro* relinquentes. Hinc magnâ feſtinatione *Tarſum* advolavit, ut urbem ab igne, quem *Arſanes* Satrapa accenderat, liberaret. *Tarſum* mediam ſecat *Cydnus* limpidiſſimarum & frigidiſſimarum aquarum fluvius: magnorum in Ciliciâ Solis æſtus, *Alexander* labore & ſudore laſſus, toto inſpectante exercitu depoſitis armis veſtibuſque, ſe nudum in Cydnum conjecit, ſtatim obriguere nervi, tantuſque derepente ſtupor omnes artus occupavit, ut ſemianimis mortuoque proximus, ſatellitum manibus in tentorium correptus ſit. Trepidatum ſtatim in caſtris quaſi expiraſſet, vel ſtatim expiraturus fuiſſet *Alexander*: ut primùm ex animi deliquio ſenſus recepit, magno angore torquebatur, *Darius* adventare ferebatur paucorum dierum ſpatio, Ipſius morbus non modò difficilis, ſed diuturnus à medicis prædicabatur. Imbecillitas militiæ in primis pugnæ laboribus faciebat imparem, ejus unius abſentia exercitum hoſtibus exponebat prædæ, ipſe enim ſuorum verè fuit ſpiritus, à quo omnes in pugna animos haurire videbantur. In deſperato hoc æſtu *Philippus Acarnan*, medicorum ipſius à puero primarius, præſentaneum offert remedium: cæteri omnes medici viri temeritatem abhorrere, *Parmenio* per epiſtolam Regi ſignificare, caveret ſibi à *Philippo*, comperiſſe enim ſe *Darium* iſti ſuam ſororem in uxorem, & mille talenta pepegiſſe pretium mortis *Alexandri*. Nihilominus *Alexander* ex *Philippi* manibus poculum ſumens, & *Philippo* Parmenionis literas legendas tradens, hauſit medicinam, hoc magis ſecurè quòd indignanti non perterrito oculo *Philippum* obſervaret calumnias perlegere. Ut ſpoponderat *Philippus*, in ſociorum omnium ultimâ deſperatione, poſt diem quartum militibus conſpiciendum ſe Rex obtulit, ſed ad confirmandam valetudinem diuturnior mora ipſi in Cilicia neceſſaria fuit.

Cydni ad Tarſum frigore propè enectus à Philippo Acarnano paucis diebus reſtituitur.

Darius ingentem ſuum exercitum in Cilicia anguſta conjicit ad Iſſum.

Darius ſuâ & Aulicorum palponum vanitate dementatus, *Alexandrum* arbitrabatur ſpecie tantum & ſimulatione morbi, ſed revera metu à ſuis armis tempus in Cilicia terere: ergo ne ſibi elaberetur, & in Græciam ſeſe proriperet, tantò ocyùs properat inſanientem illum *Philippi* adoleſcentulum in ſuis latebris comprehendere. *Charidemus* Athenienſis exul, vir fortis & prudens, irreconciliabilis *Alexandro* hoſtis, *Dario* ſuadebat in Aſſyriæ latis & planis campis permanere, & per legatum cum centum tantùm millibus, quorum pars tertia eſſent Græci, cum *Alexandro* agere. Ob hoc conſilium quòd in Perſarum virtutem videretur impingere, juſſit *Charidemum*

mum Darius mori : ſed mox licet ſerò nimis hujuſce temeritatis pœnitentia *Darium* cœpit.

Ut primùm *Alexander* militiæ labores ferre potuit, conclamavit vaſa, ut alteras *Ciliciæ* portas *Amanicas* ad urbem *Iſſum* ante *Darii* adventum occuparet : ſuadebat *Parmenio* caſtra in ipſis portarum faucibus metari, ne parvæ Macedonum copiæ in apertis campis ab infinitâ Perſarum multitudine circundarentur. Utile agnovit *Alexander* conſilium, ſed ne quid videretur metui dare, *Dario* ubicunque locorum primo quoque tempore occurrere decrevit. Pertranſiens ergo *Iſſum*, *Syriam* intravit & errore ductorum *Darium* prætergreſſus eſt. Hic *Alexandrum* non minùs ardenter quàm ipſum *Alexander* quæritans, intra portas *Amanicas* ad *Iſſum* uſque penetravit : qui in urbe ex morbis aut vulneribus relicti erant Macedones, omnes à Perſis crudeliter mactati ſunt. *Alexander* accepto *Darium* in Ciliciæ anguſtias magnas ſuas copias induxiſſe, agnoſcens à numine quam optare potuit rei benè gerendæ anſam, properè regreſſus, in ipſis, quas vocant, portis exercitum ad pugnam luſtravit. *Darius* ſerò agnitum errorem emendare non valens, pro anguſtiâ loci quàm potuit commodè ſuam aciem diſponit : contra Macedonicam phalangem *Alexandri* dextrum cornu in ſuo ſiniſtro triginta millia mercenariorum Græcorum duce *Thymondâ Mentoris*, verum ſui exercitûs robur oppoſuit. In ſuo dextro cornu in littoris planitie equitatûs Perſici florem contra *Parmenionem* locavit, ipſe in mediâ acie inter cornua ſublimis in curru conſedit ad ripam *Pinari*, jactis etiam contra Macedonas in ripâ foſſis, evidens hoc timoris argumentum animos Macedonibus addidit. Cùm circumîſſet ſuas turmas *Alexander*, & variâ oratione ſingulis miram alacritatem indidiſſet, ipſe inſignibus armis inter primos trajecto flumine & foſſis unum *Darium* perſequitur. Poſt acrem pugnam in quâ femur *Alexandri* telo perſtrictum eſt, *Darius* plurimis circum ſe cæſis, relicto curru in celerem equam ſe conjecit, & præcipiti fugâ *Euphratem* verſus contendit. *Alexander* tamdiu moratus eſt dum Græcos mercenarios & Perſas equites vidit fractos, tùm quàm potuit celerrimè *Darium* eſt inſequutus ad ſtadia ducenta, media nox fuit antequam in caſtra rediret. Occiſa ſunt eo die Perſarum centum millia peditum & decem equitum : peditum verò *Alexandri* ad triginta duos, & equitum non ſupra ducentos. In Perſarum caſtris capta eſt *Darii* mater, uxor, filiæ, & concubinæ multæ cum ingentis pretii prædâ. *Alexander* magnam humanitatis, caſtitatis, prudentiæ, omniſque virtutis laudem ſuâ erga captivos benignitate conſequutus eſt. Ante

Darius victus fugit cæſis ex ſuis centum millibus peditum, decem equitum.

pugnam *Darius* miſerat Damaſcum, maximam ſui theſauri & pretioſæ ſupellectilis ac aulicæ turbæ partem. Iſta omnia *Parmenioni Cophenes* Perſa tradidit ſuâ ſponte in manus.

Damaſcus & tota Syria præter Tyrum Alexandro ſe tradit.

Proxima *Alexandri* cura fuit, quam plurimas ubique civitates victori ſibi ſeſe dedentes, in obſequium recipere. *Syria* tota, etiam *Phœnicia* patentibus portis Græcos admittebant. Erant Damaſci præter alios captivos legati à principibus Græciæ oppidis, *Spartâ*, *Athenis*, *Thebis*, & aliis qui occultam cum *Dario* contra *Alexandrum* conſpirationem moliebantur ; hos omnes incæpiros domum liberos dimiſit: ut tamen commercium hoc Perſarum cum Græcis abrumperet, conſultum & viſum ab Helleſponto ad uſque Phœniciam maritimam omnem oram, & quod ſupererat littoris ad uſque Libicam *Cyrenen* occupare. Sidonii nuperarum à Perſis calamitatum memores patulis ulnis *Alexandrum* amplexi ſunt : Regem hîc permiſit *Hephæſtionem* creare *Abdolonymum*, virum etſi pauperrimum, indolis tamen egregiæ & ex antiquorum Regum proſapiâ.

Poſt duram obſidionem Tyrus capta deletur.

Sola Tyrus Macedonum armis ſe objecit, donaria, commeatum, & blandiſſima verba dederunt *Alexandro* Tyrii, ſed dum intra urbem *Herculi* ſacrificare poſtularet, hanc illi facultatem recuſavere : quamobrem iratus *Alexander* denunciare bellum, Tyrii feciales in mare præcipitare, hæc juris gentium violatio ex irato furentem reddidit. Stabat Tyrus in inſulâ quatuor à littore ſtadiis, muris altiſſimis & latiſſimis circundata, milite, commeatu, & machinis bellicis abunde inſtructa: ſui coloni Carthaginenſes certam magnorum auxiliorum ſpem fecerunt. Bellum à *Dario* ingruens non patiebatur *Alexandrum* in urbium obſidionibus commorari, atrox tamen ipſius honori inuſta à Tyriis nota non ſinebat ab ipſis abſque notabili vindictâ diſcedere. Labore immenſo aggerem à continenti uſque ad urbis muros latum & altum in maris profundi ac procelloſi gremio congeſſit : in hoc turribus & machinis locatis muros conquaſſavit, & poſt ſeptem menſium difficillimam obſidionem, vi tandem in urbem irrupit, primoque impetu ſex virorum millia confodit, duo millia primariorum civium crucibus affixit, triginta millia pro mancipiis ſub haſtâ vendidit, urbem denique ſolo æquavit. Obſidionis initio miſerunt Carthaginem maximam imbellis ſuæ turbæ partem : Sidonii qui cum Macedonibus in captam urbem irruerunt, quindecim millia clam ad ſuas naves duxerunt, ex hiſce reliquiis poſt paucos annos Tyrus priſtinam ſuam gloriam recuperavit.

Crudelis Alexander in fortem Batim.

Atrox hoc in Tyrios exemplum Gazam non domuit, Eunuchus *Batis Dario* fideliſſimus Arabico & Perſico milite urbem re-

 plens,

plens, obſidionem toleravit duos totos menſes: geminum *Alexandro* vulnus hìc inflictum excuſat aliquatenus ſummam alioquin in *Batim* virum fortiſſimum crudelitatem. Cùm caperetur urbs, nec minus decem millibus ferrum abſumpſiſſet, juſſit *Alexander Batim* loris talos trajectum vivum poſt currum per urbem raptari.

Alexandrum in Judæos benignitas. Mitiùs multò ut cum Judæis ageret Dei benignitas effecit: cùm obſideret Tyrum miſit ad *Ladduam* Pontificem Hieroſolymis, qui militem & commeatus poſtularent, nunciat Pontifex jurejurando ſe obſtrictum *Dario* in obſequium, cui fidem non poſſet fallere. Ob hanc offenſam captâ Tyro ad perdendam Hieroſolymam cum inſtructo exercitu perrexit *Alexander*: Judæi in ſummo periculo ad jejunia & preces ſe converterunt. Ut appropinquavit *Alexander* urbi, monente oraculo, ſacerdos in veſte ſuâ Pontificali, totuſque Levitarum ordo in ſuis inſulis, *Alexandro* ſupplices prodiêre. Rex, dum è longinquo accederet Pontifex, occurrit, & ad ejus ſe inclinans veſtigia adoravit: miranti hoc inſolens *Alexandri* factum *Parmenioni* reſpondit Rex, non virum ſed Deum, cujus nomen tiaræ inſcriptum gereret Pontifex, ſe colere: vidiſſe enim dum adhuc in Macedoniâ animo volveret expeditionem in Perſas, virum eodem quo Judæus Pontifex habitu ad ſe accedere, & ad hoc iter hortari. In templo Hieroſolymitano ſacra fecit *Alexander*, urbemque & populum ſuâ permiſit libertate frui, & variis honoravit privilegiis, poſtquam *Danielis* Prophetiam de viro Græco Perſarum ad ſe imperium traducente, lætus inſpectaſſet, indicante Pontifice.

Ægyptus ſine ſanguine ſe tradit. In diebus ſeptem profectus eſt Gazâ *Peluſium*, hodie *Damiatam*: Ægyptii jugi Perſici jamdudum pertæſi, lubentes omnes ſuas urbes *Alexandro* tradiderunt, quin & jam Perſicus Satrapa Memphin cum regiâ omni ſupellectile & octingentis pecuniæ talentis *Alexandro* dedidit in manus.

Dum in Ægypto nullum ſuis armis impedimentum inveniret, ad condendam juxta Pharum inſulam ad Nili oſtium Canopicum, Alexandriam ſe convertit. Dum hîc ſurgerent mœnia, ne *Perſeo* & *Hercule* haberetur minor, cum aliquâ exercitus parte per arenoſa Libyæ deſerta ad *Iovis Hammonis* templum iter inſtituit, in viâ multò difficillimâ dum errarent duces, corvos habuit itineris comites, & dum ab aquarum inopiâ, æſtuque & arenis parvo vento mobilibus, maximum eſſet periculum, largus imber iſtis locis infrequens, ſalutem attulit. In vaſtorum deſertorum meditulliis,

Hammonium adulabundum oraculum. Hammonii campi fontium, frumenti, ciborumque copiâ ſcatebant. Adulabundum *Alexandro* oraculum pro ſuo libitu omnia reſpondebat: *Iovis* enim faciebat filium & orbis imperium ſpondebat: exinde in arrogantiam Barbaris magis quàm Græcis tolerabilem degeneravit. In Ægyptum rediens, iſtaque provinciâ (& quod prætereà habebat in Africâ) commiſſâ *Peuceſta*, cum quatuor tantùm millibus militum ad Euphratem, quàm potuit properè, feſtinavit, ultimum cum *Dario* prælium commiſſurus.

Nullas à Dario conditiones vult accipere. *Darius* ſemel & iterum ad *Alexandrum* ſcripſerat, offerens pro captivis decem talentorum millia, & ſi vellet ſecum pacem colere, totam Aſiam cum filiâ in dotem ab Helleſponto ad uſque Euphratem. *Parmenioni* videbantur acceptandæ conditiones, ſed *Alexander Dario* reſcripſit, ut ad ſe accederet jam Aſiæ Regem, accepturus captivos ſine pretio & omnia humanitatis officia: ſin regium nollet nomen deponere, pararet ſe iterum ad pugnam.

Parant ad Arbela Darius & Alexander decernere de re ſummâ. Habebat *Darius* in caſtris ad Babylonem equitum millia centum, peditum ad decies centies mille. *Alexander* peditum tantùm quadraginta & equitum vix ſeptem millia. Trajecit hic Euphratem ad Thapſacum, ubi pontes *Mazæus* cuſtos deſeruerat. Conſederat *Darius* ultra Tigrim ad vicum *Gangamela* ab urbe *Arbelis* ad milliaria viginti, in planiſſimo campo, ne Iſſicum reiteraret errorem. *Alexandro* Tigris tranſmiſſio abſque ponte difficilis fuit, equorum cervices rapidus fluvius premebat, natantes pedites cum ſarcinis penè obruti ſunt fluctibus: debilis hoſtis facilè depuliſſet ab ulteriori ripâ: defectus Lunæ & Panicus terror exercitum *Alexandri* malè habuit, ſed divinus regiæ mentis vigor difficultates omnes ſuperavit, noctem ante prælium egit inſomnem, partim diſtractus curis, partim nocturnis cum *Ariſtandro* vate ſacrificiis intentus, ſed manè in profundo ſumno ad multum diem ſtertebat, ægrè à *Parmenione* & aliis ducibus excitatus: cùm ſurrexiſſet, pleniſſimus ſpei & alacritatis ſtatim exercitum in optimum ordinem diſpoſuit, ita ut, ſi circumvenirentur à Perſarum multitudine, parati eſſent ubique quaſi in orbe facies obvertere. *Darius* etiam ſua omnia quàm fieri potuit commodè ordinaverat.

Solâ virtute certatum in aperto campo. Prælium hoc *Alexander* nullis artibus ſed verâ virtute obtinuit. Initio *Darii* currus falcati Macedonicam Phalangem turbaverunt, equiteſque Perſæ magnâ vi in *Alexandrum* ac dextrum ejus cornu incubuerunt, Bactriani quoque equites *Alexandri* caſtra & impedimenta omnia obtinuerunt. Attamen poſt acrem pugnam *Darium* ejuſque cornu ſiniſtrum *Alexander* in fugam conjecit: proſequentem fugientes aſſequitur à *Parmenione* nuncius, ſignificans in cornu ſiniſtro admodum ſe à *Mazæo* premi, &

ni

ni propere ſuccurrat in non levi periculo verſari: dum redit ad *Parmenionis* opem, obviam habet magnam Perſarum & Parthorum equitum manum, cum quibus multò difficilius quàm cum *Dario* inane fuit certamen. His tamen diſſipatis, antequam ad *Parmenionem* acceſſit diſcuſſum fuit periculum, nam *Mazæus* in dextro Perſarum cornu propè victor, ut primùm *Darium* victum & fugatum accepit, liqueſcente animo terga vertit, Babylonem verſus fugit. Eo die cecidêre Macedonum prope quingenti, Perſarum ſupra trecenties mille: die inſequenti *Darium* *Alexander* perſequutus eſt Arbela, hic regiam ſupellectilem & tria talentorum millia argenti reperit: inde Babylonem digreſſus quam ei *Mazæus* tradidit, cum regiâ pecuniâ & ſupellectile, illic totum menſem magnis deliciis exercitum refecit, imò debilitavit. Hinc viginti dierum itinere proficiſcens Suſa quinquaginta millium talentorum gazam accepit: inde per anguſtiſſimas & difficillimas vias pervaſit in Perſidem: Paſagardis ex *Cyri* theſauria talentorum millia ſex, ſed Perſepoli ad centies vicies mille, præter infiniti pretii prædam, accepit. Ut de Perſarum in Græcos injuriis vindictam ſumeret, Perſepolin delevit præter Regiam: quam etjam poſt paucos dies permotus à *Thaide* Athenienſi ſcorto poſt nimiam compotationem mentis parum compos, ſubjectis facibus in cineres redegit, hujus flagitii à vino experrectus puduit pœnituitque, ſed nimium quàm ſerò.

Difficulter vincit Alexander.

Caſa Perſarum trecenta millia, Græcorum ferè quingenti.

Babylon, Suſa, Perſepolis, Ecbatana cum infinitâ pecuniâ ſe dedunt.

De Perſide verſus Mediæ Ecbatana contendit, ubi bellum reparabat *Darius*, ut *Alexandrum* aliquandiu diſtineret Ecbatanis, quinquaginta millia talentorum & regiam multam ſupellectilem rapienda *Darius* reliquit; ipſe verò in Bactra & Hyrcaniam ad novum exercitum comparandum ſe contulit. *Beſſus* ipſius conſanguineus, Bactrianorum erat Præfectus, & *Nabarzanes* Hyrcanorum, hi contra *Darium* conſpirant. Audet in publico concilio *Dario* ſuadere *Nabarzanes*, quandoquidem ſua contra *Alexandrum* auſpicia infauſta eſſent, vellet imperium in *Beſſi* novi ducis manus deponere; reſumendum cumprimùm felicioribus armis Aſiâ expellerentur Græci. Cùm *Darius* palàm abominaretur, non minùs turpe quàm audax conſpiratorum conſilium, *Beſſus* & *Nabarzanes* ſua Bactrianorum & Hyrcanorum caſtra à cætero exercitu ſeparaverunt. Sed mox quò magis fallerent *Darium* hominem ingenuum & ſimplicem, magnam ſuæ temeritatis pœnitentiam etiam cum multis lachrymis ſimulaverunt. Reconciliati *Dario*, dum in Bactra feſtinaretur iter, quod arte non potuerunt, vi ſtatuunt perficere. Concludunt apud ſe injiciendas *Dario* manus: ex quinquaginta Græcorum mercenariorum millibus quatuor millia adhuc ducebat *Patron*, ipſi alicunde emanârunt conjuratorum molimina, ea is *Dario* curat ſignificanda, ſuadetque ſuam ſibi & fideliſſimis Græcis ſalutem committere. *Darius* ſatis gnarus veriſſimum delatorem *Patrona*, & amiciſſimum conſiliarium, recuſavit tamen oblatam opem, prævidens huic ſuo ſceleri *Beſſum* probabilem arrepturum prætextum, quaſi meritò *Dario* intuliſſet manus, qui ſuorum fidei diffiſus, in exteris mercenariis ſalutis ſpem repoſuiſſet. Sed nihil hæc prudentia *Dario* profuit, nam ſtatim ut ab eo digreſſos Græcos *Beſſus* animadvertit, ipſe cum ſuis circumſiſtit, & aurea vincula captivo Regi injicit, imò verò in ſordidum vehiculum *Darium* vinctum conjicit, attrahendum ſecum in Bactra.

Darius à Beſſo vinctus & necatus.

Alexander audito *Darii* periculo, ut ipſum crudelibus ſuorum manibus eriperet, mirâ celeritate diu noctuque cum expeditiſſimis Macedonum *Beſſum* perſequitor. Hic dum audit appropinquare *Alexandrum*, licet cum multò paucioribus & viæ moleſtiis non ſatigatis modò ſed ſatiſcentibus; tamen *Alexandri* famâ territus, diſſipato exercitu fugit, tantùm ante diſſolutos ſuos *Darium* recuſantem in equo ſequi, multis vulneribus confoſſum in ſordido ſuo vehiculo ſemianimem relinquit. Paucis poſt quam expiravit horis ſupervenit *Alexander*, & ſuam cum lachrymis chlamydem mortuo ſuperinjiciens, cadaver matri ſepeliendum cum regio omni honore Ecbatana vehendum tradidit. *Beſſus* regium nomen & inſignia etiam vivo *Dario* aſſumpſerat, & ſpe contrahendi novi exercitûs in Septentrionales provincias feſtinabundus commeabat. *Alexander* ut ſerpentem hunc in ovo elideret, & horridum *Darii* parricidium vindicaret, *Beſſi* quàm potuit celerrimè veſtigia premebat.

Permultis ſuorum militum & penè omnibus volentibus reditum in patriam tum temporis *Alexander* permiſit, multorum talentorum millibus egregie donatis. Advenerat quotannis novum & amplum ex Græciâ ſubſidium; ſed multùm jam mutatus ab illo fuit *Alexander* qui ſtante *Dario* fuerat: peſſimos Perſarum mores jam erat amplexus; ſcortorum & concubinarum greges ſupra trecentas & ſexaginta, cum Eunuchorum & exoletorum turba regiam publicè ſequebantur, Perſicum in victu & veſtitu luxum totum uſurpabat, eorum in compotationibus ebrietatem longè ſuperabat, & nequid deeſſet dementiæ, palàm voluit *Alexander* pro Deo & *Iovis* filio ſe adorari. Veteres *Philippi* milites & plerique Græci iſta abominari & valde dolere,

Alexander mortuo Dario mutatus in pejus.

triſteſque inter ſe querimonias miſcere. *Parmenio* jam ſeptuagenarius cum exercitûs robore præfectus Mediæ & theſauris fuit, *Alexandro* ſine æmulo ſecundus in omnibus præliis primariis officiis cum laude defunctus erat: cæteris filiis in *Alexandri* ſervitio extinctis, qui ſuperfuit *Philotas* ex *Alexandri* amicis intimis inter primarios toti equitatui præerat. *Dymnus* amaſium ſuum *Nicomachum* ſub jurato ſilentii ſigillo ſolicitavit in ſocietatem conjurationis in vitam *Alexandri*, cum *Demetrio* & aliis ex principibus ſatellitum: *Nicomachus* abhorrens facinus nihil obſtante jurejurando *Ceballino* fratri revelat arcanum, currit is in aulam renunciaturus *Alexandro*, dum non datur ipſi copia adeundi Regis, incidit in *Philotam*: huic rem totam aperit, jubet ſingula narrare Regi; poſtridie *Philotam* conveniens quærit num narrata Regi detuliſſet, ſignificat *Philotas* nondum idoneum ſe hac de re nactum colloquendi cum Rege tempus. Cùm perendie idem repetiſſet *Philotas* reſponſum, *Ceballinus* ſtatuens apud ſe *Philotam* cum conſpiratoribus participare, ipſe in Regiam irrumpit, & Regem quæ à fratre acceperat, quæque cum *Philotâ* egerat, edocet. *Alexander* amicos ſtatim conſulit, *Craterus Philotæ* æmulus periculum *Alexandri* à conſpiratoribus exaggerat, & mali principem fontem ab aliis in *Philota* ac *Parmenionis* capita derivat; ſtatim comprehenditur *Philotas*, & in vinculis in conſeſſu Macedonum cauſam dicere jubetur. Omnia is indignabundè negare; ſed tormentis laceratus quicquid tandem inimici quærerent fateri, hinc unà cum ipſo multi alii publico judicio damnati, pro more Macedonum lapidibus obruti ſunt; *Parmenio* indictâ cauſâ arcanis Regia literis à ſuis ducibus confodi juſſus eſt.

Philotas paterque Parmenio indignè necantur.

Magna Alexandri in tranſmittendo Caucaſo militum cura.

Ut de mœſti exercitûs memoriâ miſerabilis hæcce tragœdia deleretur, denunciatur in Bactra & Hyrcaniam iter ad *Beſſum* comprehendendum. In Caucaſo ſaltem Parapamyſo tranſcendendo multæ militem difficultates à nive & frigore, à fame & laboribus preſſere: ſingularis *Alexandri* in tolerando labore tam animi quàm corporis fortitudo: ipſe cum iis pedibus ingredi; ut ſingulos inviſeret modò inter primos, modò medios, modò ultimos ibat, oratione & exemplo ſemi mortuis infundebat vitam. Tranſmiſſis montibus benignius ſolum cœlumque propè enectum militem recreavit, emenſi aliquot ſtadiorum millia ad Oxum flumen pervenerunt altum ſimul & latum: cum nulla hic ſtruendis pontibus aut ratibus materia inveniretur, ſuper utrea & tentoriorum conſutas pelles ſtramentis impletas, diebus quinque exercitum totum tranſmiſit. Bactriani ſentientes adeſſe Regem, quem nulli neque montes neque flumina remorata eſſent, *Beſſum* comprehendunt & vinctum Regi tradunt: decernitur is parricidii pœnas luere multis tormentis, eo ipſo loci ubi *Darium* confecerat, plenaque ſententiæ executio *Oxyatri Darii* germano committitur.

Bactriani Beſſum tradunt.

Junxerant ſe Bactrianis Scythæ ultra *Tanaim*. *Quintus Curtius* inter primos primæ claſſis Hiſtoricorum Latinorum meritò numerandus, *Tanaim* hunc accipit pro eo fluvio, qui ſupra Danubium Aſiam ab Europâ diſterminat, & ſi credamus ipſi, hæc *Alexandri* & peritiſſimorum apud ipſum Geographorum ſententia fuit. Veruntamen res ipſa & tota hiſtoria ſtadiorum aliquot Myriadibus Aſiaticum illum *Tanaim* (revera *Iaxartem*) ultra mare Caſpium ab Europæo diſtare manifeſtat. Utcunque, fluvium etiam iſtum partim utribus partim ratibus *Alexander* trajecit, & Scythas ab ulteriori ripâ magnâ cum cæde propulit. Reverſo citra flumen multa & cruentiora cum Bactrianis & Sogdianis prælia fuere, quàm in aliâ quavis Aſiæ provinciâ. Iſti ſæpe domiti ſæpe rebellârunt: Cyropolin, ubi propè lethalis Regis cervici inflicta eſt plaga, & alias multas urbea excindens, in exciſarum loco novas Alexandrias condidit: tandem centenorum aliquot millium cæde fracti quievere.

Curtius errat de fluvio Tanai.

Dura cum Bactrianis & Hyrcanis certamina.

Alexander Maracandæ ad Oxum reficiens exercitum in convivio benè potus, cum res ſuas jactaret, & patris deprimeret ſupra modum, *Clitus* nutricis ſuæ frater æquè potus magnâ linguæ intemperantiâ in omnibus contradicebat: unde *Alexander*, irâ tandem exardeſcente, *Clitum* furibundus involat: cæteri convivæ precibus & vi ægrè cohibuerunt primum à maleficio, ſed poſteà cùm *Clitus* ſe furentis manibus objeciſſet, lanceâ ſatelliti ereptâ obloquentis latus transfodit. Evaporato vino cædes hæc altè adeò *Alexandri* animo inſedit, ut diebus tribus omnem conſolationem & cibum rejecerit, ſed die quarto amicorum prope vi & *Calliſthenis* ſuaſu cibum ſumens, poſt duodecim dierum magnum luctum, ad proſequendum bellum animum appulit.

Ob Cliti necem vix tandem admittit Alexander à Calliſthene ſolamen.

Ex Græcis multos egregiè donatos remiſit in patriam, novos delectus aſſiduè ex Græcia & maritimis Aſiæ provinciis accipiens; habebat tum ſub ſignis centum viginti bellatorum millia, cum his in Indiam ire parat. Ad Indum uſque fluvium latiſſimum Perſarum Imperium extendebatur, nullæ ab ullo hoſte eouſque difficultates occurrere, à ſuis verò & ſe non defuerunt. Venationi vacans dum pararet aprum telo ferire, prævenit *Hermolaus* ex nobilibus pueris ipſi inſervientibus unus, ante Regem

Dum in Indiam movet Calliſthenem & nobiles diſcipulos crudeliter necat.

gem belluam necans, ob hanc temeritatem Regis irati juſſu flagris cæſus eſt puer: iſtâ contumeliâ irritatus ſociorum aliquot in conſpirationem attraxit contra Regis vitam: diſcipuli hi erant *Calliſthenis* quos ille Philoſophiâ imbuebat. Admodum jam creverat *Alexandri* ſuperbia, divinos honores ab ipſis Macedonibus exigebat. In multorum fœdiſſima aſſentatione ſtrenuè repugnabat *Calliſthenes* huic inſaniæ, ob hanc conſtantiam Regis gratiâ vir præſtans excidit, eumque puerorum conſpiratio à complicum uno emanâſſet, illi quidem more Macedonum in publico judicio lapidibus obruti ſunt, & *Calliſthenes* tormentis laceratus, quaſi auctor diſcipulis concepti ſceleris, multis menſibus in vinculis circumductus, omnis criminis exors in pedore carceris expiravit.

Vltra Indum Taxiles & Abiſares omnia ad Hydaſpem tradiderunt.

Ut à miſeranda hacce ſuppliciorum quà in noxios quà in innoxios pernicie exercitus liberaretur, in Indiam iter decretum eſt, partim gloriæ partim occupandi quod reſtabat Perſici Imperii cupidine. Donec ad Indum eſt perventum, paucæ & tolerabiles ſe difficultates obtulerunt, ultra Indum quoque omnia ſpe procliviora, *Taxiles* & *Abiſares* præclari Reges ſe & ſua *Alexandro* permiſere, ſed cum ad *Hydaſpem* quatuor ſtadiis latum & profundum admodum flumen veniretur, omninò deſperatum, & alii quàm *Alexandro* inſuperabile periculum ſe obtulit, *Porus* maximi animi corporiſque vir cum elephantis octoginta, & falcatis curribus trecentis, ac magno fortium virorum exercitu, ulteriorem inſidebat ripam. Poſtquam in obſcura & & procelloſâ nocte magnâ cum trepidatione Macedonum pars trajeciſſet flumen, atrox pugna eſt inita, victus tandem *Porus* in *Alexandri* manus devenit: interrogatus quomodo ſe vellet à victore tractari, reſpondit, regiè: iterum interrogatus, num quid aliud peteret, omnia ſe dixit primo reſponſo comprehendiſſe. *Alexander* ſummas viri virtutes ſuſpiciens, regnum & omnia alia amiſſa ei reſtituit, ipſum in amicorum chorum recipiens.

Porus devictus regiè habitus.

Gangem nolunt milites trajicere.

Devictus *Porus* totam citra Gangem Indiam *Alexandro* aperuit, ſed dum Gangem pararet ſuperare, totus exercitus reclamavit: nam præter ingens laboribus feſſorum deſiderium finiendi, quod ſine ullo fructo gerebatur belli, ſi Ducis immenſam vanæ gloriæ avaritiam excipias: Ganges flumen erat totius Indiæ maximum: in ulteriori ripâ Gangaridarum Rex cum tribus millibus elephantium, duobus millibus curruum, triginta equitum, ac ducentis peditum millibus adventantes parabat excipere. Pro militibus *Cœnus* orationem gravem habuit, Regem obſecrans vellet aliquando bellorum finem facere: exoratur nolentiſſimo animo *Alexander*, decernitur cum magno exercitus gaudio reditus in occidentem, ſed in via Meridiem & Oceanum Indicum ac Perſicum voluit luſtrare.

Redit Alexander per India meridionalia.

Ad citeriorem Gangis ripam jubet conſtrui caſtra duplò majora veris, lectoſque militum, & præſepia equorum ac deorum aras, omnia eâ ſpecie & magnitudine, quæ credulæ poſteritati perſuaderent *Alexandri* milites gigantes & hominum monſtra fuiſſe. *Taxiles* & *Porus* inter ſe certabant, uter plures & meliores naves ex ſuis immenſis ſylvis compingeret, hac claſſe ſecundo Hydaſpe navigat *Alexander* ad Aceſinis confluentiam cum Indo: ubi tres hi maximi & rapidiſſimi amnes confluebant, claſſis tota valde eſt conquaſſata: prætoria triremis præſentaneo *Alexandri* vitæ periculo immani vortice tantumnon eſt hauſta. Multoties de navibus in littora deſcendebat exercitus ad ſubjugandas gentes vicinas: cum *Oxydracis* & *Mallis* pugnaciſſimis Indorum, periculoſa fuerunt certamina: dum urbe captâ ad arcis mœnia applicarentur ſcalæ, primus *Alexander* in muri ſummo conſtitit: cùm inſequentium multitudo fregiſſet ſcalam, in ſolum *Alexandrum* omnia hoſtium tela conjecta ſunt. Ut hoc evitaret periculum attraxit majus, intra arcem in medios hoſtes audaciâ tremenda deſiluit, ita librato corpore ut in pedes caderet: appropinquantium ſibi unum aut alterum ex fortiſſimis gladio confodit, dum eminùs plurimorum telis obrueretur, obverſo ad murum tergo aliquandiu clypeo à lethalibus ſe vulneribus tutatus eſt; ſed tandem clypeo ſimul & loricâ trajectis ſagittâ, altum & latum in pectore ſupra mamillam vulnus accepit, ex hoc deficientibus viribus in poplites inclinatur, dum tamen *Indus* accurreret ad detrahendum arma, recolligens ſpiritus ingruentem transfodit. Aliis autem multis parantibus eminùs eum telis conficere, adſunt *Peuceſtes*, *Leonatus* & alii duo ſatellites, hi quatuor in primis *Peuceſtes*, ſcuto jacentem protegens, aliquamdiu omnes impetentes ſuſtinent, donec duo ſatellites necati, *Leonatus* & *Peuceſtes* graviter vulnerati ſunt. Interea perfregerunt murum *Argyraſpides*, & non tantùm obvios ſed omnes omnis ætatis & ſexûs dederunt morti, *Alexandrum* pro mortuo retulerunt in tentorium, ſciſſâ ſagittâ & lato de coſta ſpiculo educto accuratâ chirurgorum curâ vix poſt multos dies ſanitati reſtitutus eſt.

Deſperatum Alexandri in Mallis periculum.

In navigatione hac inſumpti ſunt multi menſes: apparuit tum temporis Græcorum doctiſſimos magnâ in Geographicis ignorantiâ laboraſſe, Navarchorum apud *Alexandrum* peritiſſimi neſciverunt Hyrca-

Peritiſſimi Græcorum Navarchi oceani tum ignari.

num mare terris undique claudi, ſed Septentrionalis Oceani brachium arbitrabantur, *Iaxartem* ultra Hyrcanum mare Europæum *Tanaim* exiſtimabant. Dum ad Indi oſtium accederent, rudes omninò æſtuum Oceani reciprocantis in magnos cum terrores tùm pericula ex imperitiâ conjecti ſunt, iſtumque Oceanum ad Indi oſtia ultimum terrarum terminum reputarunt. Dum Navarrhos cum claſſe littus ab Indo ad Tigris & Euphratis ora ſulcare juſſiſſet, ipſe cum exercitu longinquum per multa deſerta iter in Perſidem perſequitur. Tanta in Gedroſiâ in primis aquæ & cibariorum penuria fuit, ut vix quartam exercitûs partem in Carmaniam reduxerit. Huc ut venit ſuperſtitibus largos nimis commeatus ſuppeditavit: in reliquo itinere quotidie commeſſabundi, diſſolutè admodum quaſi bacchantes incedebant. *Paſagardis* occurrens *Orſines* Perſiæ Satrapa liberaliſſimè Regem & omnes amicos accepit, uno *Bagoâ* Eunucho neglecto: præter complura in vaſis aureis & pretioſâ veſte dona, ad quatuor millia talentorum largitus eſt. Vir hic fuit ut ſummè liberalis, ita ſine omni probro & ex *Cyri* proſapiâ, nihilominus *Bagoæ* calumniis ſuum neglectum vindicantis ſubverſus, ab *Alexandro* traditus eſt neci: quaſi *Cyri* tumulum violaſſet, quod Macedonis cujuſdam, ipſo non conſcio, crimen erat.

In Gedroſiâ exercitum plerumque perdit ſiti & fame.

Nobiliſſimus Orſines Bagoæ calumniis perit.

Temeritati & iracundiæ, ſucceſſibus ebrius, *Alexander* jam indulgentior, ex Satrapis multos non magnorum criminum delatos facile perdebat: ſed omnibus gratum fuit ſupplicium *Cleandri*, *Sitalcis*, & ſexcentorum *Macedonum*, qui *Parmenionem* innocuum ſaltem incogitantem confoderant: miniſterio hoc putantes illi *Alexandrum* uſque adeo ſibi devinctum, ut nihil ab ipſo metuendum eſſet periculi, quæcunque tandem admiſiſſent ſcelera: hos ut primùm accuſatos de ſtupris, rapinis, ſacrilegiis, & aliis quæ ipſo in India abſente commiſerunt in Media, omnes ſtatim necavit.

Parmenionis occiſores occiduntur.

Cùm Ecbatana ventum eſſet, creverunt comeſſationes; *Hephæſtion* ex ebrietate contracta febri, & in febri contra medici conſilia gulæ indulgens, ſeptimo die expiravit: *Alexander* immodico dolore propemodùm inſaniens miſerum medicum affixit cruci, tumulum Babylone ſupra regalem duodecim millium talentorum impenſâ extruxit: & *Hammone* conſulente, templa, aras, & ſolennia vota *Hephæſtioni* ut non minimo Deorum dedicavit.

Hephæſtion intemperantiâ mortuus evadit Deus.

Dum Babyloni appropinquaret, Chaldæi diſſuadent introitum, certiſſimè fatalem denunciantes: horum monitu deterritus, aliquandiu circa urbem vagatur, ſed tandem *Anaxarchi* rationibus de Chaldæorum vanitate perſuaſus, cum pompa ſolenniſſima intravit. Menſes hîc aliquot magnificentiſſimis deliciis diffluxit, nova bella meditabatur: magnâ induſtria mille magnarum navium claſſem parabat, quâ primùm Carthagineuſes & oram totam Africæ, deinde Hiſpanias, Italiam, & Galliam ſubigeret. Macedonum multos ſenio, labore, ac vulneribus confectos, multo cum honore, donis, ac mutuis lachrymis domum remiſit, ducente *Cratero* ac *Polyſperchonte*. In eorum locum Perſarum ac aliorum ex fortiſſimis Aſiæ gentibus triginta millia juvenum ὁμηλίκων ſub duce *Peuceſte* in novam Phalangem compoſuit. Dum hiſce cœptis totus incumberet, ecce ſatum omnia repente ſufflaminat.

Diſſuadent Chaldæi Babylonis introitum.

Nova parabat Alexander bella.

Crebrò admodum tam largiter cum amicis potabat, ut integer qui ſequebatur dies pridianæ edormiſcendæ crapulæ vix ſufficeret: digredientem aliquando à *Bagoa* convivio ſatis ſerò, *Medius* Theſſalus ad novam compotationem deduxit. Viginti erant convivæ, horum ſingulis Rex & ſinguli Regi præbiberunt; his non contentus *Herculis* popoſcit ſcyphum (qui fuit bicongius) *Protea* Macedonem provocans, cum uterque ſcyphum exhauſiſſet, *Proteus* Herculanum poculum reſumens, iterum Regi præbibit, qui illud ſecundò exhauriens in magnum repente morbum incidit. Domum relatus Maji duodecimo lethali ſebre laborans vigeſimo ſecundo expiravit, anno ante natum *Chriſtum*, ſecundum *Uſherium*, trecenteſimo vigeſimo tertio.

Seipſum poculis occidit.

Nihil hîc opus fuit ullo veneno, etſi auctores multi graves, licet contra plurium & gravitate æqualium fidem, hanc de veneno narrationem afferant. Novos *Alexandri* mores, inprimis in *Parmenionem*, *Philotam*, & *Calliſthenem* crudelitatem multùm Macedonibus diſplicuiſſe, *Antipatrum* valde ſibi ſuiſque metuere cœpiſſe, in primis cum *Olympiadis* querelis fatigatus Rex eum vocâſſet in Aſiam, cum novo Macedonicæ juventutis ſupplemento, ſuffecto in ſuam Macedoniæ & Græciæ præfecturam *Cratero*. *Parmenionis* cædes oculis frequenter obverſari: prævertendum ergo ratus præſentaneum venenum, aquam de quadam Macedoniæ petra ab *Ariſtotele* monſtratam, quæ ferrum & alia omnia eroderet præter aſinæ ungulam, *Caſſandro* filio tradit cum mandatis ne cuiquam conſilia communicaret, præterquam unis fratribus ſuis *Iolla* & *Philippo* ac *Medio* Theſſalo,

Ambigua veneni hiſtoria.

Antequam *Caſſander* ex Macedonia proficiſceretur, *Alexander* ab eo ſe necatum ſomniavit, primoque viſum agnovit, ſed vanitate ſomniorum ſpreta, humaniter

Suſpectus Caſſander.

ſatis

ſatis ob patris gratiam accepit, cum tamen cachinnantem animadverteret, dum ſpectaret Perſas eorum more (Græcis inſucto) ſe adorare, ita exardeſcens correptis utraque manu crinibus, caput muro graviter impegit. Hinc irritatus *Caſſander*, non diutius cunctatus *Iollam* Herculano ſcypho venenum fecit infundere, à quo graviſſima ſtatim & lethalia viſcerum orta ſunt tormina. De veneno quidem nihil quidpiam ipſe queſtus eſt *Alexander* in toto morbo, nec ullum vel in mortuo corpore veneni ſignum obſervatum eſt.

Alexandri ultima. Perendie ante mortem in cubito recumbens, unum quemque totius exercitûs Macedonem lectum tranſeuntem, ac ultimò ſalutantem cum lachrymis, immotus conſpexit. Interrogatus quem vellet ſibi ſucceſſorem, reſpondit præſtantiſſimum: reliquias ſuas in *Hammonis* templo juſſit humari, ſepoſitæ tamen ſunt, nec ante biennium Alexandriæ in Ægypto ſepultæ. Cùm defeciſſet vox, annulum quo ſtatuta omnia regia obſignabat, digito detractum *Perdiccæ* dedit. Nihil quicquam tamen hæc ſui placiti ſignificatio retardavit tragicas cædes, & bella civilia de ſucceſſione in ſua regna, quæ mox totum propemodum terrarum orbem concuſſerunt.

CAPUT X.

Ad Epocham quintam quæſtiones & dubia.

QUÆSTIO I.

Quot annos contineat Epocha hac ab everſione prioris templi ad mortem Alexandri? *& unde conſtet eorum annorum numerus?*

In poſterioribus Epochis particulares numeri annorum non tam clari quàm in prioribus. RESP. In prioribus omnibus Epochis ab initiu mundi ad templi *Solomonis* everſionem, dedimus fidenter annorum ſummas; & omnes expreſſis Scripturæ teſtimoniis demonſtravimus, ad magnam fidei confirmationem & multum ſolamen: hujuſce verò & ſequentium Epocharum alia ratio eſt, ſæpiùs in iis Scriptura ſilet, in humanis ſcriptoribus tam antiquis quàm novis magna eſt diſcrepantia: quæ hîc ergo afferri poſſunt, minore certitudine fiduciaque tradere neceſſum habemus, nec in eo grave ullum eſt incommodum. Spiritus S. certo claroque Scripturæ filo nos deducit ab initio mundi ad caput præſentis Epochæ, & inde per *Danielis* in primis hebdomadas, ad mortem *Meſſiæ*. Tota propè hæc præ manibus Epocha ad iſtas hebdomadas ſpectat: in aliquibus partibus hiſtoriæ iſtarum hebdomadarum viſum eſt Sp. Sancto ſilere, quemadmodum in tota hiſtoria quæ iſtas hebdomadas conſequitur, ſi paucorum annorum res geſtas in Apoſtolicis actis ac Apocalypſi excipias. Dei enim ſcopus in Chronologia ſacra eſt, fideles à condito mundo ad *Chriſtum* fide divinâ ducere: poſt ejus mortem ultimus eſt temporum articulus, quem in ſua manu claudens voluit mortales latêre; quò vigilantiori diligentia expectarent, & ardentiori deſiderio expeterent Domini reditum ad judicium. Ad piorum fidem & ſolamen ſatis eſt, ſi de ſummis temporum ab initio mundi ad *Chriſtum* totalibus, ex Scriptura conſtet; etiamſi quædam illarum ſummarum partes non poſſint ex Scriptura evidenter oſtendi: inprimis in poſterioribus temporum articulis poſt *Malachiam* & ultimos Prophetarum: tunc enim prioris Teſtamenti ſcripta clauſa ſunt, & iſtorum ſeculorum cum res geſtæ, tùm ſeries temporum à multis auctoribus humana fide ſatis dignis abundè traditæ ſint, contra quàm in ſeculis prioribus, ubi nulla omninò extant ſcripta humana, adeo ut cum res geſtæ tum ſeries temporum illorum ex ſola Scriptura, nec alibi undecunquè poſſint hauriri.

Inter Chronologos primæ claſſis in hac epochâ diſcrepantia eſt parva & paucorum annorum. Quod verò ad annorum ſummam jam quæſitam attinet, etiamſi inter varios autores magna ſit diſcrepantia, tamen quos nos plerumque ſolemus ſequi paucis tantùm annis, uſque vix ſupra quatuor inter ſe diſſerunt. *Uſherius* & *Emmius* in numero ducentorum ſexaginta ſex concordant, ille enim principium Epochæ templi everſionem collocat in anno ante Chriſtum quingenteſimo octogeſimo octavo; & finem *Alexandri* mortem, in anno ante Chriſtum treceuteſimo viceſimo tertio. Summa hîc intercurrens incluſis terminis eſt ducentorum ſexaginta ſex; hic verò principium Epochæ ponit in anno mundi ter milleſimo treceuteſimo ſexageſimo, & finem in ter milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſexto. Intercurrentes reddunt priorem ſummam ducentorum ſexaginta ſex.

Capellus addit duos, nam principium Epochæ ponit in anno ante Chriſtum quingenteſimo nonageſimo, & finem in treceuteſimo viceſimo tertio, iſtorum intervallum reddit ducentos ſexaginta octo.

Henricus Philippi addit quatuor, dum principium ſtatuit idem cum *Capello* annum ante Chriſtum quingenteſimum nonageſimum, ſed finem treceuteſimum viceſimum quintum, quorum intervallum eſt ducentorum ſeptuaginta.

Petavius Henricum tranſgreditur tantùm uno anno, ſed *Calviſius Emmium* in pluribus, nam *Alexandri* mortem ſtatuit in treceuteſimo viceſimo primo ante Chriſtum. Et licet Babyloniorum à *Cyro* ſubjugationem cum aliis ponat in quingenteſimo triceſimo

ceſimo

ceſimo ſexto ante Chriſtum, tamen edictum *Cyri* de reditu Judæorum differt toto ſeptennio ad quingenteſimum viceſimum nonum, quâ ratione motus non aſſequor.

Utra iſtarum ſummatum nobis eligenda ſit, poſteà videbimus, cum earum membra ac partes explicatæ fuerint: neç ad poſteriorem quæſiti partem commodè poteſt reſponderi, quàm de variis iſtarum ſummarum membris diverſas quæſtiones enucleaverimus. Inprimis tria hæc elucidanda ſunt; Quod ſit verum caput, & quis pes ſeptuaginta annorum captivitatis Babylonicæ. Secundum. Quod principium & quis finis Monarchiæ Perſarum. Tertium. Quamdiu poſt finitum Perſicum Imperium vixerit *Alexander?* Iſta, & alia partim ex Scripturis, partim ex ſcriptis humanis conabimur explicare.

In motibus ſyderum & eclipſibus non ſtabilitur firmus temporum character.

Hìc autem præfabimur neqnaquam locare nos tantum momenti in ſtabiliendis antiquorum horumce temporum terminis ac characteribus, vel in Solis vel Lunæ eclipſibus, vel ſtellarum fixarum motibus, à Chaldæis & aliis in Perſico ac Græco Imperio obſervatis, quantum à variis Chronologis tam Proteſtantibus quàm Pontificiis, in primis à *Petavio* poſt *Scaligerum* collocari video. Certè ſi perfectæ motuum ſtellarum fixarum ac planetarum tabulæ ab initio mundi ad hunc diem eſſent ad manum, adeoque præciſi termini omnium eclipſium oculis objicerentur (quod accuratis Mathematicis hodierno die factu eſſet non perquam difficile) & verò quemadmodum *Ptolemæus* paucas, ita alii antiqui auctores fide digni, multas ſeu Solis ſeu Lunæ eclipſes cum regum & Rerumpub. rebus geſtis contuliſſe invenirentur, elegantiſſimam, clariſſimam, & certiſſimam figendorum fluxiſſimorum aliàs temporum rationem hinc erui potuiſſe fateremur: ſed quandoquidem unius ſemihorulæ, ne dum diei, menſis, aut anni intercapedo magnam in motu ſituque cœlorum, ſtellarum, & eclipſium diſcrepantiam & diverſam admodum faciem conſtituat, & verò Chronologorum pauciſſimos, ſi omninò quemquam, reperire ſit, qui ab aliis in temporum calculatione non totis annis differant, & etiam quæ notatæ ſunt eclipſes cum hiſtoriis conjunctæ admodum paucæ legantur; in celebri hoc à motibus cœleſtibus argumento, nequaquam, quantum multi jactitant, in temporibus ſtabiliendis pondus nos quidem collocandum arbitramur.

QUÆSTIO II.

Quod ſit principium ſeptuaginta annorum captivitatis Babylonicæ?

RESp. Inter Chronologos & Scripturæ Interpretes tam veteres quàm novos, tam Proteſtantes quam Pontificios, magna eſt diſcrepantia de veris terminis annorum captivitatis Babylonicæ, in primis de de eorum principio. Hac de re diximus ad quæſtiones triceſimam primam & triceſimam quartam ſuperioris Epochæ, hic verò plura duximus addenda.

Auctores multi & graves captivitatis initium conſtituunt in urbis excidio anno *Zedechiæ* undecimo, *Nebuchadnezaris* decimo nono. Alii non pauciores neç minus graves undecim annos anticipant, terminum hunc collocantes in *Nebuchadnezaris* octavo, ſeu *Iechoniæ* primo, qui fuit *Ioakimi* undecimus. Alii denique, quibus noſtrum nos addimus calculum, malunt *Nebuchadnezaris* primum, qui in *Ioakimi* partim tertium, partim quartum cadit.

Scaliger à ſeipſo diſſonantia à Petavio prætermiſſa.

Variorum hic diverſitatem minùs miramur, cum eorundem à ſeipſis diſſonantiam intuemur. *Scaligerum* taceo, cujus ubique rerum ſeipſo diſcordiam Jeſuita *Petavius* importuniùs venatur, naſum ad ſanguinis expreſſionem injurioſè emungens, nullo alio fine quàm ut in invidæ ſuæ ſocietatis gratiam de magnâ viri maximi gloriâ detrahat: Hic quidem de Emendatione temporum lib. 6. hujus ſeptuageſimæ principium ponit in primo *Iechoniæ*, quando ſcilicet cum Rege & aliis *Ezekiel* Babylonem deductus eſt, non verò in quarto *Ioakimi*, quando *Daniel* cum aliis migravit Babylonem: idem tamen libro quinto vult *Danielem* & *Ezekielem* ſimul traductos Babylonem, quaſi *Ioakimi* & *Iechoniæ* una & eadem fuiſſet captivitas. Mirum quòd Argi & arguti Jeſuitæ *Petavii* oculatiſſimas manus hæc inadvertentia effugerit.

Quod mutuatur à *Polano Niſbetus* σοφὸν φάρμακον non excuſat erratum: eodem anno vult hic deduci Babylonem & *Danielem* & *Ezekielem*, eò quòd nulla fuerit *Ioakimi* captivitas ante ſuum undecimum, qui fuit *Iechoniæ* primus: quæ autem dicitur *Danielis* primo facta abductio *Ioakimi* tertio, eam accipiendam exiſtimat non de tertio Regni, ſed de tertio ſervitutis *Ioakimi*, quo tributarius Chaldæis evaſerat, qui fuit Regni ſui undecimus & ultimus. Σοφὸν hoc vocavi φάρμακον; præterquam enim quòd hujuſce Rabbinici commenti nunquam meminerit *Scaliger*; expreſſis Scripturæ verbis effugium hoc contradicit. Nam Daniel cap. 1. verſ. 1. diſertis verbis affirmat adductum ſe Babylonem non tertio

tributi,

tributi, ſed tertio regni *Ioakimi*, & licet daremus *Iaakimi* & *Ieconiæ* captivitates in unum annum incidiſſe, non propterea tamen diſtinctiſſima ſunt confundenda; *Daniel* licet non ante *Ioakimi* undecimum Babylonem fuiſſet profectus, non tamen unà cum *Ezekiele* eò commigrâſſet; quandoquidem hic non ante quartum ſaltem *Ieconiæ* menſem eò iter intenderit.

Anglicani Annotatores ſibi repugnant. Sed quod notandum volui de quorundam in hac lite à ſeipſis diſſidio, annotatores Anglicanos tangebat, qui in editione ſuâ utrâque ſibiipſis repugnantia tradunt. Ad Danielis cap. 1. v. 4. & cap. 9. v. 2. voluut ſeptuagiota annos captivitatis initium ſumpſiſſe, non à captivitate *Iecaniæ* & *Ezekielis Nebuchadnezaris* octavo, ſed à *Danielis Ioakimi* quarto & *Nebuchadnezaris* primo: idque probant variis argumentis, reſpondent etiam objectis. Nihilominùs ad Jeremiæ viceſimi quinti duodecimum, & ad 2 Chron. triceſimi ſexti viceſimum primum, annotant captivitatem inchoaram non *Iaakimi* quarto ſed *Iecaniæ* primo, idque multis rationibus conantur aſtruere, & à ſeipſis in *Danielem* annotata reſellere. Verum eſt annotariones eas doctas & utiles non ab nnius ſed variorum manibus profectas; decuit tamen in opere ranti pretii tantæque expectationis tam exactam adhibuiſſe limam, ut ſingulorum laboribus ab omnibus reviſis, communi collegarum conſilio proviſum fuiſſet, ne apertæ prodireut repugnantiæ, in primis in ſecundâ curâ, ubi prioris editionis defectus ſupplere, & nævos eluere profitebantur.

Quod ad quæſitum præ manibus, noo aliud hîc intendimus quam tertiam ſententiam rationibus aliquot ſtabilire, & quæ pro primâ afferuntur diluere, brevitatis causâ prætermittentes ſecundam.

Septuaginta anni captivitatis incipiunt non ab urbis excidia Nebuchadnezaris 19. ſed primo Nebuchadnezaris. Probatur 1. Septuaginta captivitatis annos à *Nebuchadnezaris* primo ſeu *Iaakimi* quarto, non autem à *Zedechiæ* undecimo ſeu *Nebuchadnezaris* decimonono inchoandos patet, primò ex eo quod captivitatis ultimus ſtatnatur penè ab omnibus abſque controverſiâ in primo *Cyri*: Jam verò à *Nebuchadnezaris* decimonono vel etiam octavo ad Perſicum *Cyri* imperium fluxerunt anni vix quinquaginta duo, ſaltem non ſeptuaginta. Nam Judæorum multi qui ſundari conſpexerunt templum poſterius, quando prius deſtructum fuit *Nebuchadnezaris* decimonono, eâ erant ætate quæ prioti ædi videndæ, & cum poſteriori conferendæ erat idonea; hæc ætas, ut minimùm, erat annorum octodecim: Si ergo à primo *Nebuchadnezaris* captivitas non ſit numeranda & ab exciſo templo ad primum *Cyri* ſini anni 70. oportuit omnes iſtos non tantùm vixiſſe ad nonageſimum octavum, quo ſecundæ ædis fundamenta deflebant memores priorum, ſed etiam in ſuâ illâ tam grandi ætate, eo fuiſſe oportuit corporis robore, quod longinquo valdè Babylone Hieroſolymam itineri perſiciendo ſufficiebat, idque pedibus, nam ad equitandum aſini oedum equi aut cameli, ſextæ populi parti noo ſuppetebant. Hoc ſi abſurdum non eſt, certè miraculi non neceſſarii nomen non effugiet.

Præterea ſi vel ſacras vel ſeculares literas quàm poſſumus accuratè revolvamus, à decimonono *Nebuchadnezaris* ad primum *Cyri*, annos ſeptuaginta nunquam excudemus. Si cum quibuſdam, *Cyri* primum de regno ejus Perſico, non Monarchiâ accipiamus, inter nominatos terminos vix annos triginta in ullâ hiſtoriâ fluxiſſe comperiemus. Imperavit *Cyrus* Perſis annos viginti duos antequam Babylonios ſubegit: demus eos omnes coincidiſſe cum Regum Chaldæorum ex *Nebuchadnezaris* proſapiâ temporibus, adeoque intra noſtram ſeptuageſimam incluſos: quomodo tamen etiam hoc conceſſo ad ſummam deſideratam aſcendemus? Nemo quiſquam *Nebuchadnezari* tribuit ſupra quadraginta quinque annos, & pauci ſupra quadraginta tres. Itaque ab ejus decimo nono ad quadrageſimum tertium numerari poſſunt tantum viginti quatuor: *Nebuchadnezaris* filio *Evilmerodacho* dantur à multis tantùm anni duo, & *Nebuchadnezaris* nepoti *Baltaſari* tantum ſex; omnes hi non exceduot trigiota duos.

Canon Mathematicus *Ptolemæi* catalogus eſt Imperatorum omnium Chaldæorum, Perſarum, Græcorum, & Romanorum à *Nabonaſſaro* ad *Antoninum*, magnæ apud omnes Chronologos auctoritatis: qui ſi falſus ſit, ruit, multorum confeſſione, maximum Chronologiæ fundamentum (ſi ſacras literas excipias) obſervationes ſcilicet ſyderum *Ptolemæi*. Secundum iſtum Canonem poſt *Nebuchadnezarem* regnarunt Babylone *Ilvarodamus* ſeu *Evilmerodachus* annis duobus, *Nericaſſolaſſarus* ſeu *Nerigloſſarus* quatuor, & *Nabonidus* (aliis *Darius Medus*, aliis *Baltaſſar*) ſeptemdecim. Omnes hi non conficiunt viginti quatuor, qui additi ad *Nebuchadnezaris* ſuprà dictos, non tranſcendunt quadraginta quatuor.

Sed extendamus calculum quantum ulli ullius auctoritatis ſcriptores prælucent. Secundum annotata Anglicana in Danielis ptimi viceſimum primum, *Nebuchadnezari* poſt decimumnonum dabuntur viginti ſex, *Evilmerodacho* duo, *Nerigloſſaro* quatuor, *Laboraſo-ardocho* novem menſes, *Baltaſſaro* ſeptemdecim anni. *Dario Medo* duo; omnes hi efficiunr tantùm quinquaginta doos, ita ut, in maximo omnium numero, ad ſeptuaginta deſiot adhuc octodecim.

Argumentum ſecundum ſumitur ab Ezekielis qnadrageſimi primo, Jeremiæ viceſimi noni decimo, Danielis primi primo inter ſe collatis. Docet *Ezekiel* captivitatem non ſuam tantum & *Ieconiæ*, ſed ſuorum *Judæ* ſcilicet & populi Dei, antevertiſſe deſtructionem urbis annis minimùm undecim, eo quòd viceſimus quintus captivitatis congruat cum decimoquarto deſolationis: & verò *Ieremias* ſtatim à commigratione *Ieconiæ* ſignificet omnibus captivis Babylone tum remanentibus ſolvendam captivitatem poſt ſeptuaginta annos, quod certè eventurum non erat ante annos octoginta & unum, ſi ſeptuageſima captivitatis non incepit ante undecimum *Zedekiæ*. *Daniel* captivitatem ſuam & *Ioakimi* affirmat accidiſſe *Nebuchadnezaris* primo, & *Ioakimi* tertio deſinente, ac (ut *Ieremias* habet) quarto inchoante. *Ieremias* quidem quarto *Ioakimi* denunciat venturum Hieroſolymam *Nebuchadnezarem* non ſimpliciter, ſed ad ruinam urbis, & imponendum Judæis ac vicinis gentibus jugum, quod non niſi poſt ſeptuaginta annos excutiendum erat: Loquitur, inquam, Propheta eo anno qui fuit *Ioakimi* & tertius & quartus, de *Nebuchadnezaris* adventu non ſimpliciter, tunc enim aderat & urbem obſidebat; ſed de ejus adventu eo fine ut præſtaret ibi prædicta mala, quorum pleraque poſt annos multos erant futura, nec ante ſeptuageſimum annum deſitura.

3. Argumentamur 3. ex Matth. 1. v. 11. & 12. Babylonica captivitas & transmigratio denominatur à *Ieconiâ* non *Zedekiâ*; imò verò ab eo *Ieconiâ* qui habuit fratres, quod à multis & optimis Interpretibus intelligitur de *Ioakimo Ieconiæ* patre, qui verò de *Ieconiâ* filio hunc locum accipiunt, neceſſe habent captivitatem incipere multò ante urbis deſtructionem, ab eo tempore ſcilicet quo commigravit *Ieconias*, antequam ullos liberos genuiſſet, nam *Salathielem* genuiſſe eum dicit *Matthæus* poſt captivitatem Babylonicam.

4. Argumentum ultimum ſit teſtimonium tam antiquorum quàm recentium, tam Proteſtantium quàm Pontificiorum, tùm eorum qui magno numero captivitatem hanc inchoant à primo *Nebuchadnezaris*, & claudunt in primo *Cyri*, tum iſtorum qui à templi deſtructione ad ejus plenam reſtaurationem ſecundo *Darii Hyſtaſpis* numerant annos ſeptuaginta. Nam etiam poſteriores à primo *Cyri*, qui ſecundum adverſarios captivitatis fuit finis, ad primum *Nebuchadnezaris* ejus principium, neceſſe habent ante templi & urbis deſolationem octodecim annos nobiſcum ſupputare.

Solvuntur contraria Saliani & Nisbeti argumenta.

Contra noſtram ſententiam poſt *Salianum* & *Tornielum* Jeſuitas, lex affert argumenta doctus & pius ſenex *D. Niſbetus*. 1. Primum cum quarto coincidit, utriuſque punctum, hoc eſt, principium Babylonicæ captivitatis ponendum eſt in maximè notabili captivitate, atqui maximè notabilis captivitas neque *Ioakimi* neque *Ieconiæ* ſed *Zedekiæ* fuit.

Reſp. Minor poteſt controverti; certum eſt dum deſtrueretur urbs *Zedekiæ* undecimo, majorem fuiſſe deſolationem & vaſtationem quàm unquam prius, non tamen tanta fuit captivitas: captivorum enim iſto tempore numerus ad unum mille non aſcendebat, nec ultimam captivitatem per *Nebuzaradanem*, quam nemo numerat, anno centenario ſuperabat. Sed hoc omiſſo negamus majorem, captivitas Judæorum Babylonica varios habuit gradus, primus fuit *Ioakimi* quarto, ſecundus *Ioakimi* undecimo ſeu *Ieconiæ* primo, tertius *Zedekiæ* undecimo; quartus quinquennio poſt deſtructum templum, cum ſupra ſeptingentos reliquiarum à *Nebuzaradane* Babylonem deducti ſunt. Eſto gradus tertius ob multas circumſtantias fuerit nobiliſſimus, principium tamen captivitatis non à gradu tertio utut nobili, ſed à primo ſumendum eſt.

Captivitatis Babylonicæ gradus quatuor.

Objectio ſecunda. Septuageſima captivitatis fuit tempus in quo tota terra Judæorum fuit deſolata, & fruebatur ſuis Sabbatis Jerem. 25. v. 11. Arqui *Zedekiæ* undecimo & non priùs terra cœpit deſolari & frui ſuis Sabbatis, Ergò *Zedekiæ* undecimo & non priùs incepit ſeptuageſima captivitatis. 2.

Reſp. Minori præteritâ (etſi quinquennio poſt *Zedekiæ* undecimum Judæa per multos colonos impediretur à fruitione Sabbatorum & omnimodâ deſolatione) majorem ſic diſtinguimus: In Septuageſimâ captivitatis ſecundum ſe totam deſolata eſt terra & fruebatur ſuis Sabbatis, falſum: ſecundum maximam ſui partem, verum. Quæ Synecdochicè dicuntur, vera ſunt de ſubjecto toto, etſi non de ſubjecto ſecundum ſe totum & omnes ſui partes. Quod vulgaris hæcce diſtinctio rectè applicetur argumento præ manibus, evincimus ex textu *Ieremiæ*, ubi non magis Judæa deſolatur per iſtos ſeptuaginta annos, quàm Tyrus, Ægyptus, & nationes vicinæ: certum autem eſt, nemine negante, Tyrum & Ægyptum non deſolatas annis totis ſeptuaginta, nam iſtius deſolationis finis ponitur in Babylonis ruinâ, & principio Imperii Perſarum. Ex *Ezekiele* autem & *Ieremiâ* patet, Tyrum non captam niſi poſt tredecim annorum obſidionem, eamque poſt devaſtata Hieroſolyma, cujus calamitatem irriſerunt Tyrii: itaque annus captæ Tyri non ante *Nebuchadnezaris* triceſimum ſecundum, & deſolationis templi decimum tertium potuit inchoari, nec ante captam

Sabbatizavit terra annis 70. ſed non ſecundum omnes ſeptuageſimæ iſtius partes.

Tyrum *Nebuchadnezaris* expeditio in Ægyptum ſuſcepta eſt, ergo deſolatio Ægyptiaca adeoque Hieroſolymitana, quæ vocatur ſeptoaginta anoorum, noo poteſt intelligi de omuibus & ſingulis ſeptuaginta annis, ſed de maximâ parte iſtius ſeptuageſimæ. Spatium hoc fuit *Nebuchaduezaris* & Chaldæorum Monarchiæ, quæ viciuos io ſervitutem redegit, hos citiùs, illos tardiùs: ſed ita ot omnium ſervitus & deſolatio finiretur in exitu iſtius ſeptuageſimæ, & fine Domioii Chaldæorum.

Tyrus, Ægyptus, & vieinæ gentes deſolatæ ſuot, & ſerviêrunt Chaldæis ſeptuagiota aoois, ſicut filii Iſraëlis in Ægypto ſuot commorati quadriogentis trigiota annis Exod. 12. verſ. 40. iſti ad finem illius Epochæ ac portionis annorum ſeptuaginta ſerviêrunt, quæ habuit priocipium aote inceptam ſervitutem variarum ſubactarum gentium: ſicut hi peregrinati ſunt in Ægypto uſque ad exitum iſtius æræ quadringeotorum triginta annorum, qoæ incepit à promiſſione ſactâ *Abrahamo*, diu ante Iſraëlitarum in Ægyptum deſcenſum.

Petavii inconſtantia. *Petavius* qoi *Scaligers* culices ſolet colare, totos ipſe camelos hîc devorat. Diſputans de principio hujus ſeptuageſimæ profitetur in Ratiooario apertè ſuam ioconſtaotiam & diſſidium à ſe in ſuâ doctrinâ temporum; comminiſcitur Chaldaicam Epocham diſtioctam à Judaicâ, per quam *Nabopolaſſaro* concedat bienuium poſt ſui filii *Nebuchadnezaris* inthronizationem, & *Nebuchadnezars* annos ooo tantum quadragiota tres ſed quadragiota quinque: imò verò de *Ptolemai* (quem tantopere ſolet celebrare) Canone, immediatè ante *Cyrum* in ultimo Chaldæorum Rege totos quindecim annos detrahit: pro *Ptolemai* & Chaldæorum triceſimo ſecuodo ſupponens decimumſeptimom; ità cœleſtes omoes *Ptolemai* rationes maoifeſtè coovelleos. Quibus animus eſſet & otium hujoſmodi paroramata *Petavii* ſectari, iovenirer ſatis proclive, quam ille multoties temerè nimis *Scaligero* admeoſus eſt, ipſi ſæpè merentiſſimo meoſuram remetiri.

3. Objectio *Niſbeti* tertia hæc eſt. Priocipium captivitatis Babylonicæ fuit quando tribus Judæ captiva ducta eſt Babylonem; atqui undecimo *Zedekia* hoc factum Jerem. 32. v. 27. 2 Reg. 25. v. 21.

Captivitatis Iuda tres articuli. Reſp. Citati loci manifeſtom ſundamentum ſuppeditant applicandi ad majorem diſtinctionem ſuperiorem, de tribu *Iuda* ſecundum ſe totam, & ſecuodum ſuas partes. Undecimo *Zedekia* in captivitatem ducta eſt tribos *Iuda* ſecundum partes ſuas maximè principales, ſed non ſecundum omnes: imò verò *Ieremias* loco citato diſertiſſimis verbis diſtinguit captivitatem *Iuda* ſecuodum diverſas partes in tres articulos, ex quibus captivitas *Zedekia*, neque primum neque ultimum conſtituit, ſed taotum medium: quaſi expreſſè negaret Propheta articulum iſtum medium, captivitatis *Iuda* principium ſuiſſe.

Arg. 4. Auctor primatium & inſolubile vocat, ipſe tamen illud facillimè ſolvit. Captivitas, inquit, Babylonica incepit cum Imperio Babylonico: Atqui imperium & Monarchia Babylonica oon iocepit ante captas Hieroſolymas. 4.

Reſp. Concedit auctor Monatchiam & Imperium Babylonicum incepiſſe ante captam *Tyrum*, nec eam captam totis annis ondecim poſt *Solyma* caſum: imò verò ſi toti biſtoriæ antiquæ eredimus, non niſi poſt tredecim aonorum obſidionem: quin etiam, ut ſupra diximus, in Ægyptum non movit *Nebuchadnezar* niſi captâ Tyro; nec ſecundum *D. Niſbetum* Babylonica Monarchia incepit aute ſubjugatam Ægyptom. Ergò bonâ ejus cum veniâ, primarium hoc argumeotum eſt nullum. Concedimus nos quidem anoos captivitatis incboandos cum *Nebuchadnezaris* Monarchiâ, ſed ea primo ſuo anno couſtituta eſt, tunc euim tam Syros quàm Ægyptios fregit, ſicut ante ſuus pater *Nabopolaſſarus* eas gentes ſubjugaverat, niſi hiſtoriæ antiquæ velimus auctoritatem omnem gratis detrahere, quas autem de Judæis aut Ægyptiis poſteà retulit victorias, nihil aliod erant quàm rebellium reductiooes, & priùs ſubjugatorum in duriorem ſervitutem redactiones. *Quando inceperit Nebuchadnezaris Monarchia.*

Pro ultimo argumento affert *D. Niſbetus* teſtimonia: aſſereos maximam doctorum partem à ſe ſtare. 5.

Reſp. Si vel ab ipſo nominatos oumeremus, plures eruut contradicentes; nam præter *VVilletum* quem vult ſeptuageſimam noſtram inchoare, & à *Ioakimi* tertio & à *Ieconiæ* primo, largitur nobis *Scaligerum*, *Iunium*, *Capellum*, *Brughtonum*, *Vatablum*, & *Lyranum*. Sed præter hos à oobis ſtant plerique alii, qoos io Cbronologiâ maximi ſacere ſolemus, *Calviſium*, *Emmium*, *Uſherum*, *Hovvaum*, & *Iſaakſonum*. Pro *Niſbeto* etiam video *Funccium*, *Bucholcerum*, *Torniellum*, & *Salianum*. Sed ab alterâ parte ſtant ex noſtris *Beroaldus* & *Alſtedius*; & ex Jeſuitis *Petavius* ac *Henricus Philippi*. Ex antiquis quidem *Euſebius*, *Hieronymus*, *Auguſtinus*, *Theodoretus*, & alii ſeptuageſimam captiviratis incipiunt ab orbis excidio, ſed cùm ejus finem ponant io ſecundo *Darii Hyſtaſpis*, & verò à primo *Cyri* ad urbis excidium, multò pauciores annos quàm ſeptuaginta oumerent, in noſtra potiùs quàm adverſâ parte videotur conſiſtere. *Pro nobis ſtant plures Chronologi.*

QUÆSTIO III.

Quis ſit verus finis 70. annorum captivitatis Babylonicæ?

Theodoreti, non Capelli diſtinctio 70. annorum captivitatis à 70. deſolationis firma ſtat contra Niſbeti argumenta.

RESp. Aliqua eſt inter doctos de fine iſtius ſeptuageſimæ controverſia, etſi non tanta quanta fuit de principio. Plerique eam terminant in primo *Cyri*: ex antiquis tamen multi *Clemens Alexandrinus*, *Euſebius*, *Hieronymus*, *Auguſtinus*, & alii in ſecundo *Darii Hyſtaſpis*. Hi ſententiam ſuam fundant in Zachariæ primi duodecimo (*Iſte eſt ſeptuageſimus annus*) ubi Angelus loquens in ſecundo *Darii* vocat annum præſentem ſeptuageſimum captivitatis: iſte autem primo *Cyri* poſterior fuit, annis minimùm undecim. Reſponderi ſolet à multis huic argumento ea diſtinctione, quam primò apud *Theodoretum* legimus, ſeptuageſimam fuiſſe duplicem, unam Hieroſolymitanæ captivitatis, alteram Hieroſolymitanæ deſolationis, priorem incepiſſe à primo *Nebuchadnezaris* & deſiiſſe primo *Cyri*, poſteriorem incepiſſe *Nebuchadnezaris* decimonono cum urbs & templum deſolarentur, & deſiiſſe *Darii* ſecundo, cum poſt aliquantam interruptionem inſtaurari denuò templum & urbs inciperent. Diſtinctionem hanc Antiquorum à multis recentiorum approbatam non temerè rejiciendam ducimus. Certè *D. Niſbeti* argumenta quibus eam impugnat quaſi à *Capello* inventam, non magni ponderis videntur, & verò ab urbis & templi vaſtatione ad ſecundum *Darii Hyſtaſpis* numerantur exactè anni ſeptuaginta.

Malè tamen applicatur ad locum Zachariæ de anno ſeptuageſimo.

Utcunque, locum *Zachariæ* cum pleriſque recentiorum tam Proteſtantibus quàm Pontificiis, abſque ullâ diſtinctione accipiendum putamus de ſeptuaginta annis captivitatis, à *Daniele* & *Ieremiâ* memoratis; quorum exitum auctor Chronicorum & *Eſdras* apertè locant in primo *Cyri*: imò verò quam *Ieremias* affert ſui viceſimi quinti duodecimo ratio id demonſtrat: ſuam enim captivitatis & deſolationis ſeptuageſimam vult claudi in everſione Monarchiæ Chaldæorum, certum autem captam Babylonem diu ante ſecundum *Darii Hyſtaſpis*.

Mala interpretatio Latina ſeduxit patres.

Latinus *Zachariæ* interpres veteres in ſuam ſententiam adduxiſſe videtur, vertit enim ille Prophetæ locum (*iſte jam ſeptuageſimus eſt annus.*) Sed multò rectiùs *Montanus*, *Tornellus*, & Vernacula omnia (*jam ſeptuaginta anni*) notando ſeptuaginta annos *Ieremiæ* jam præteritos, quod Angelus ponit ut fundamentum ſuarum precum pro removendis deſolationum reliquiis, quæ adhuc poſt exactos iſtos ſeptuaginta annos & reditum populi reſtabant. Id quod Latinum interpretem fefellit, eſt Hebraicæ conſtructionis idiotiſmus, multùm cùm à Græcâ tum à Latinâ Syntaxi diſcrepans; ſic enim ad verbum Hebræus textus *iſte ſeptuaginta annus*, numeralia pluralia apud Hebræos conſtruuntur cum ſubſtantivis ſingularibus, & contrà numeralia ſingularia cum ſubſtantivis pluralibus, ut videre eſt apud *Buxtorfium* Theſauri lib. 2. cap. 2. pag. 10. Ita ergò vertendus erat locus *iſtis ſeptuaginta annis*, non autem *iſte ſeptuageſimus annus*.

Quis fuerit primus Regni & Monarchiæ Cyri.

Sed nondum dubio toti ſatisfactum eſt: Eſto una tantùm ſit ſeptuageſima abſque ullâ diſtinctione captivitatis & deſolationis Babylonicæ, & *Zacharias* ſecundo *Darii Hyſtaſpis* loquatur de eâ ſeptuageſimâ, quæ in primo *Cyri* deſierat: Quæritur tamen ultrà, quis demum ſit primus ille *Cyri*, nam duplex *Cyro* datur à pleriſque gubernandi principium, unum in Regno ſuo Perſico, alterum in Monarchiâ Babylonicâ, vel potiùs Perſicâ.

Quod refert *Scaliger* ex *Tatiano* & *Africano* apud *Euſebium*, conſenſum eſſe apud omnes antiquos primum *Cyri* incidere in primum quinquageſimæ quintæ Olympiadis, accipiunt lubentes non noſtri tantùm ſed & Jeſuitæ *Petavius*, *Tornellus*, *Ribbera*, *Henricus*, & alii: imò verò generalis concordia eſt primum *Cyri* memoratum à Prophetis, ſumendum non de Regno ejus Perſico, ſed de Monarchiâ Babylonicâ: nam ante captam Babylonem certum eſt non clauſam *Ieremiæ* ſeptuageſimam, nec priùs in *Cyri* manus veniſſe liberandorum Judæorum facultatem. Neque etiam inter partes magnopere diſconvenit vel de ſummâ totali gubernationis *Cyri*, vel etiam de ſummis partialibus ſeu regni ſeu Monarchiæ *Cyri*: quod enim *Cyri* regno *Herodotus* dat viginti novem, *Cteſias* triginta, *Scaliger* triginta unum aut triginta duos, & Monarchiæ ejus Babylonicæ Canon *Ptolemæi* aſſignet novem, *Xenophon* ſeptem, conciliari poteſt diſtinctione annorum integrorum & fractorum, in hoc argumento ſatis frequenti. Sed quod *Calviſius* ex *Scaligero*, & hic ex Rabbinis Monarchiæ *Cyri* tres tantùm annos aſſignent, contra priſcorum & recentium pene omnium fidem faciunt. Verum eſt memorare *Danielem* annum *Cyri* primum & tertium: ſed profectò *Danielis* ſilentium de pluribus non probat plures non fuiſſe; ejuſmodi argumentum in *Beltaſhare* ſallè ridet *Scaliger*.

Malè Scaliger & Calviſius Cyri Monarchiæ tres tantùm annos aſſignant.

Verum enimverò quod in *Scaligeri* & *Calviſii* ſententiâ maximè diſplicet, eſt quòd *Cyri* primum neque ad regni Perſici, neque ad Babylonici imperii principium velint referri: ſed dicant primum *Cyri* annum Judæos ærâ novâ à ſeipſis inſtitutâ vocâſſe,

Sed pejus quod negant ejus primum vel à ſuo regno vel à Monar-

ibidum enumerandum.

vocâſſe, quo ipſi ingens ſuæ redemptionis ab eo beneficium acceperunt, ſeu quinto ſeu ſexto ſeu ſeptimo poſt captam Babylonem anno. Iſta non tantùm gratis viri docti aſſirmant, ſed contra expreſſum *Ezra* teſtimonium ſui ſexti ſecundo, ubi non ſolùm apud Judæos ut capite ſuperiori, ſed & apud Perſas in regio edictu Ecbatanis in Regni archivis repoſito finita captivitas Judæorum *Cyri* primo dicitur. Ecquid verò ad Medos & Perſas Judæorum æræ ſpectabant, & quem ipſi Perſæ ac Medi in archivis ſuis maximè authenticis *Cyri* primum vocant, cujus demum audaciæ eſt eum abſque ullâ neceſſitate *Cyri* ſextum aut ſeptimum dictare? Certè *Cyro* maximi animi viro nihil antiquius & prioris curæ videtur fuiſſe, quàm, ut primùm Babylon in ſuam poteſtatem veniſſet, & à *Danielo* accepiſſet, quæ *Ieremias* & *Iſaias* ante tot annos de ſe divino afflati numine nominatim prædixiſſent, ſtatim effectum dare. Ergo finis captivitatis Judaicæ cum turba doctorum ſtatuatur in primo *Cyri*, primo ſcilicet ejus monarchiæ, qui vigeſimus primus vel vigeſimus tertius Regni Perſici, & ſeptimus vel nonus ante ſuam mortem perhiberi ſolet.

QUÆSTIO IV.

Utrum Baltaſar *an* Darius Medus *ultimus fuerit Chaldæorum Rex?*

Quis fuerit Darius Medus.

RESp. Gravis, acerba, & perplexa eſt inter Chronologos & Scripturæ Interpretes quà veteres quà novos hac de re controverſia Primariæ ſententiæ duæ ſunt, prior communis, quæ ſtatuit *Baltaſſarem Evilmerodachi* filium, *Nebuchadnezaris* nepotem, poſt ſeptemdecim annorum regnum eâ nocte, quâ à *Dario Medo* & *Cyro* capta fuit Babylon, hoſtium manibus necatum. Poſterior eſt aliorum, inprimis *Scaligeri* qui *Evilmerodachum* cum duos annos regnâſſet, vult à ſuo leviro *Neriglißoro* cæſum, & *Neriglißorum Nebuchadnezaris* generum, nomine filii ejus *Baltaſſaris* aliàs *Laboroſo-archodi*, *Nebuchadnezaris* ex filiâ nepotis, Babyloniorum regnum nomine tutoris & protectoris annos quatuor gubernâſſe, & poſt eum ſuum filium *Baltaſſarem*, cum novem tantùm menſes ſediſſet in throno, cæſum à factione nobilium Chaldæorum: qui ſtatim à *Baltaſſaris* cæde *Darium Medum* aliàs *Nabonidum* vel *Labinitum* annos ſexaginta duos natum elegerunt in imperatorem. Hic cum ſeptemdecim regnâſſet annos, à *Cyro* dejectus eſt imperio, ad vitæ tamen finem in Carmaniâ permiſſus eſt degere in pace.

Tyrannica nimis Scaligeri in lib-

Imperat alto valdè ſupercilio & auctoritate prorſus Dictatoriâ *Scaliger* nationi toti Chronologorum, ut priori desertâ ſententiâ in ſecundam, quæ ſua eſt, pedibus currant. Sequaces quidem habet *Capellum*, *Reinoldum*, *Calviſium*, &c, quod mirere, ſuorum adverſariorum principem Jeſuitam *Petavium*, qui non minùs quàm *Scaliger* indignatur ſtomachosè Chronologorum & Scripturæ Interpretum gentem non ſatis ductilem ad *Scaligeri* (ſui aliàs ſummi antagoniſtæ) ſententiam ſequendam.

teris Dictatura.

Deodatus in ſuis quidem ad *Danielis* quinti trigeſimum primum notis, utramque hanc affert ſententiam, ſed abſque ulla ſignificatione utram ipſe amplectatur, Annotatores Anglicani editione ſuâ utraque in Danielis quintum, *Iunius* ibidem, *Torniellus*, *Salianus*, *Henricus Philippi*, *Uſſerius*, *Hovvæus*, & alii multi pro priori ſtant, nos inter plebem conſiſtere, & antiquis ac communibus dogmatibus inſiſtere amamus, niſi cum clara admodum neceſſitate inde depellimur.

Scaliger de Emendatione temporum lib. 6. pag. 543. etſi id agere videatur maximè ſeriò, certè ſatis pro Imperio, pauca tamen pro nobis eaque leviora argumenta profert: contra noſtram autem quam vocat pervicaciam multas demonſtrationes. Verumenimverò puſillanimes nimis ſunt, qui ſeſquipedalibus territi verbis non audent conſerre pedem, & rationum hinc inde pondera æquâ judicii lance comparare.

Contra Scaligerum & Petavium pro communi ſententiâ arg. 1.

Pro vulgari ſententiâ ſic argumentamur primò. Babylonicum imperium ad ſui uſque finem perduravit in *Nebuchadnezaris* proſapiâ, idque in manibus filii & nepotis ejus ex filio, ut habetur diſertis verbis Jer. 27. v. 7. *Scaligeri* autem ſententia nihil tale concedit, facit enim *Baltaſſarem* non filium filii, ſed filiæ *Nebuchadnezaris*, & Chaldæorum monarchiam, quam vix ſeptem annis tenuiſſe vult *Nebuchadnezaris* poſteros, totis ſeptemdecim deponit in manibus *Darii Medi*, qui regiam familiam Chaldæorum nullâ propinquitate contingebat. *Petaviana* reſponſionis ad iſta ſumma hæc eſt, *Baltaſſarem* nepotem fuiſſe *Nebuchadnezaris* ex filia, cum ejus pater *Neriglofſoor* fuerit *Nebuchadnezaris* gener: præterea vocem Hebraicam בן non tantùm de filiis ſed etiam de generis, imò de ipſis filiabus uſurpari.

Ad reſponſum Petavii replica.

Replica. Nulli cordato hæc ſatisfacient, concedantur omnia hæc *Petavio*, & ſuo hîc duci *Scaligero*, non tamen attingunt iſta noſtri argumenti punctum, nam vult Jeremias *Baltaſſarem*, aut quiſquis tandem fuerit qui ultimus in Babylonico ſolio ſedit, *Nebuchadnezaris* fuiſſe nepotem, & ut ſæpe legitur apud Danielem *Nebuchadnezaris* filium non quovis laxo & largo modo,

ſed ſtrictiſſimè, ita ut fuerit non filius filiæ ſed filius filii, neque cujuſcunque filii, ſed *Evilmerodachi*, cui gentes ſubditæ ſervierunt poſt *Nebuchadnezarem*. Iſta nullo modo vera ſunt de *Dario Medo*, imò verò neque de ipſo *Baltaſſare*, niſi filius fuerit non filiæ ſed filii, ejuſque filii qui *Nebuchadnezari* immediatè ſucceſſit in imperio. Præcipua noſtri argumenti vis in poſtremis Prophetæ verbis poſita eſt, quam reſponſio non omninò conatur tangere, ſcilicet nepotem *Nebuchadnezaris* ſediſſe in throno Babylonico uſque ad ejus everſionem per Perſas: ἐμφατικώτατα ſunt verba Jeremiæ [*donec veniat tempus terræ ejus, etiam ipſius.*]

2. *Arg.* Secundò argumentamur ex Dan. 5. v. 28, 30, 31. A quo abreptum eſt imperium Chaldæorum ut traderetur Medis & Perſis, is fuit ultimus Monarcha Chaldæorum: & *Medus*, de quo primo verificata eſt Dei denunciatio de ſeparatione Regni à Chaldæis, & ejus traditione Perſis & Medis, non fuit Monarcha Babylonis, ſed caput ſecundæ Monarchiæ Medorum & Perſarum: jam verò prius de *Baltaſſare*, & poſterius de *Dario Medo* affirmat *Daniel*. A *Baltaſſare* abreptum fuit imperium, non ut traderetur ulli alii Babylonio, vel ut remaneret aliquot adhuc annis in manibus Chaldæorum, ſed ut ſtatim traderetur non cuicunque Medo, ſed genti Medorum, nec ei genti ſoli, ſed ipſi ſimul cum Perſis, imò maximè Perſis, nam hoc indicat & vox oraculi *upharſin*, & vox commentarii *Peres*. De *Dario* etiam verificata eſt denunciatio de adventu Perſarum & Medorum ad ſecundam Monarchiam ſtatim à morte *Baltaſſaris*, nam cùm dixiſſet Daniel, (*eâ ipſâ nocte cæſus eſt Baltaſſar*) ſtatim verbis

Ad Scaligeri reſponſum replica. immediatè ſequentibus ſubjicit [*Darius Medus accepit Regnum*] quod omninò excludit *Scaligeri* evaſionem, quaſi ſucceſſiſſent Medi & Perſæ mediatè in *Baltaſſaris* imperium poſt ſeptemdecim *Nabonidi* annos, non ſtatim & immediatè poſt mortem *Baltaſſaris*: quemadmodum *David* non ſtatim ſedit in throno Iſraëlis, ſed aliquot annis poſt quam *Samuel* pronunciâſſet abreptum fuiſſe regnum à *Saulo* ut daretur *Davidi*. Sed locus hic *Samuelis* non eſt parallelus iſti *Danielis*, niſi addidiſſet *Samuel* eâ ipſâ nocte cæſum fuiſſe *Saulum* ejuſque filium *Iſhboſheth*, & *Davidem* filium *Ieſſe* ſediſſe in throno: hæc ſi pronunciâſſet *Samuel* magnæ fuiſſet audaciæ revocâſſe in dubium immediatam & ſubitaneam ſucceſſionem tribûs *Iuda* in ſolium Iſraelis, ſepoſitâ familiâ *Sauli* & *Benjamitide* tribu.

3. *Arg.* Tertiò argumentamur. Qui adminiſtravit Regnum Chaldæorum ſecundum leges Medorum & Perſarum, is ſtatuendus eſt in claſſe Regum Medicorum & Perſicorum non Chaldæorum: Atqui hoc præſtitit *Darius* Dan. 6. 8, 12, 15. Nunquid Chaldæi ante ſuum imperium abolitum à Medis, proprias ſuas leges & Regni ſtatuta ſponte aboleverunt, & jugo legum hoſtilium gratis ſe induerunt? Certè ad finem *Nabonidi* & ultimi Chaldæorum Regis capitales inimicitiæ inter Chaldæos & Medos intercedebant, nec ante *Cyri* regnum vel gentes vel leges Medorum & Perſarum conjungebantur, & verò quid Babyloniis cum ſtatutis Perſarum, priuſquam arma Perſica ſubjugâſſent Babylonem?

Argumentamur quartò. A quo reliqui Monarchæ Perſici numerantur, ille eſt in claſſe Monarcharum Perſicorum non Chaldaicorum: Atqui à *Dario Medo* reliqui Monarchæ Perſici numerantur Dan. 11. v. 1, 2. *Adhuc tres Reges ſtabunt in Perſide* (ſcilicet poſt *Darium Medum*) *& quartus ditabitur præ omnibus*, nimirum *Xerxes*. *Arg.* 4.

Argumentamur quintò. Omninò eſt improbabile voluiſſe Babylonios ſua ſponte totam *Nebuchadnezaris* magni proſapiam eradicare, idque in gratiam extranei ex gente Medica, cum qua capitales inimicitias eâ tempeſtate Chaldæi exercebant: aut voluiſſe ipſos crudeli tympanizationis tormento *Nebuchadnezaris* nepotem necare nono regni menſe, antequam adoleſcentis mores uno anno eſſent experti: inprimis cum ejus pater *Nerigloſſor* pro patria fortiter dimicans nuper cecidiſſet, à Medis (ut volunt hujus hiſtoriæ auctores) peremptus. *Arg.* 5.

Pro ſexto argumento ſint auctoritates non tantùm omnium propemodum recentiorum (quod largitur adverſa pars) ſed etiam multorum antiquorum: concedunt nobis *Xenophontem*, *Ioſephum*, & *Hieronymum*; certè hi auctoritate longè ſuperant teſtes omnes adverſos. Elevant adverſarii *Xenophontis* hîc auctoritatem, quaſi is inſtitutionem ſuam *Cyri* non ad hiſtoriæ fidem, ſed ad Ethices & Politices præcepta ſcripſiſſet. *Arg.* 6.

Verum eſt in eo opere *Xenophontem* magiſtri morum magis quàm hiſtorici officium intendere: ita tamen ut nolit in iis quæ in hiſtoria poſitivè aſſerit, mentiri. Quod pro exemplo hiſtorici erroris in *Xenophonte* adducunt de placidâ *Cyri* morte, quem volunt à *Tomyri* Maſſagetâ trucidatum, non enervat fidem auctoris. Certè pro *Xenophonte* contra *Herodotum* hîc facit firma ſeculorum ſequentium non fides tantùm ſed & ocularis inſpectio. Vult *Herodotus Cyrum* ejuſque ingentem exercitum à Maſſagetis ita internecione deletum, ut nullus cladis nuncius ſuperfuerit. Aſſerit *Xenophon*, *Cyrum* pacatâ morte defunctum domi in Perſide, Paſagardis ſepultum. *Q. Curtius*, & cæteri *Xenophontis hîc auctoritas defenditur.* *An à Tomyri cæſus Cyrus.*

& cæteri poſteriores hiſtorici affirmant *Alexandrum Magnum* multò intra ducenteſimum à morte *Cyri* annum ejus tumulum intrâſſe, & oſſa, ornamenta, & arma viri ſuis manibus contrectâſſe: de veritate ſepulchri nemo tum temporis vel Græcorum vel Perſarum movebat controverſiam. Certè *Xenophon* in deſcribenda *Baltaſſaris* cæde per *Gadatam*, *Gobriam* & cæteros Babyloniorum transfugas, in magni convivii medio, propiùs ad *Danielem* accedit quàm aliorum veterum quiſquam.

Ioſephi & Hieronymi auctoritas defenditur.

Ioſephi etiam fidem hîc elevant, ſed quàm meritò? Eſto in multis *Ioſephi* ſcripta ſint à deſcriptoribus vitiata, ipſe etiam ut homo & Judæus in aliquibus erraverit, quo fine tamen à *Beroſo* & *Megaſthene* in hac hiſtoriâ diſceſſiſſet, niſi ut *Danielis* & Sacræ Scripturæ veritatem potiùs, quàm ulla humana ſcripta ſequeretur? Certè adverſariorum Coryphæus *Scaliger*, *Ioſephi* auctoritatem hoc ipſo in loco contra obtrectatores egregiè defendit.

Hieronymum volunt à *Ioſepho* deceptum, attamen neceſſum habent fateri, *Hieronymum* virum accuratiſſimum, antiquorum ſcripta revolviſſe quantùm alius quiſquam, & *Beroſum* ac *Megaſthenem* à ſe citatos non minùs quàm ipſum *Ioſephum* perpendiſſe, eorumque narrationes liquiſſe, nullo alio fine quàm ut hiſtoricis ſacris adhæreret.

Pro nobis hic ſtat etiam Herodotus.

Ad auctoritates priores addo *Herodotum* in hujuſmodi argumento (ipſâ adverſâ parte fatente) maximi ponderis, ubi cum *Xenophonte* concordat; aſſerit is (citante, licet immeritò improbante, *Scaligero*) *Nabonidum* ſive *Labinitum Nebuchadnezaris* ſeu *Labinitis* magni fuiſſe filium: quod *Megaſthenis* & ſequacium os obturare debuit, aſſerentium ultimum Chaldæorum Regem, familiam regiam nullâ conſanguinitate tetigiſſe.

Refutantur argumenta Scaligeri 1.

Sed perpendamus oppoſita argumenta. Prima & palmaria *Scaligeri* ratio, quam magiſtraliter inculcat, & poſt eum *Petavius*, hæc eſt: *Darius Medus* nullâ vi, ſed populi electione adeptus eſt thronum Babylonicum: *Cyaxares* autem, aut quiſquis cum *Cyro* concivit arma contra Chaldæos, vi, non populi electione, adeptus eſt illum thronum; ergò *Darius Medus* non fuit *Cyaxares* nec quiſquam ex ſociis *Cyri*, ſed *Nabonidus* à populo Babylonico in *Baltaſſaris* locum electus. Majorem probant ex Dan. 5. v. 31. *Darius Medus accepit Regnum* παρέλαβε קַבֵּל voces hæ ſignificant rei adeptionem ſine omni vi, ſed vel jure vel altero ſponte tradente.

Non omnis acceptio eſt ſine vi.

Reſp. Frivolum, falſum, & impertinens, ut nobis videtur, eſt hoc argumentum. Frivolum, quia nominale & grammaticum, fundatum in ſignificationibus vocum: falſum, quia procedit à genere ad unam certam ſpeciem, ab acceptione in genere concludens ſpecialem acceptionem ſine vi, per electionem populi aut jus ſucceſſionis. Si vel naturam rerum, vel uſum vocabulorum in ipſis Sacris literis inſpiciamus; dicuntur accipere qui quovis modo capiunt, ſeu ab aliquo tradente ſeu à nullo. In Hebræis, Græcis, & Latinis ſeu ſimplicibus ſeu compoſitis, nullam ipſi adverſarii ponunt differentiam inter *capere* & *accipere* λαβεῖν & παραλαβεῖν קַבֵּל & לָקַח, unam & eandem actionem iſta omnia ſignificant, ut videre eſt 1 Sam. 21. v. 9. de gladio *Goliæ*, quem à ſacerdote ſumſit *David* אִם־אֹתָהּ תִּקַּח־לְךָ קָח Græcus Interpres εἰ ταύτην λήψῃ σεαυτῷ παράλαβε. Hieronymus, *Si iſtum vis tollere tibi tolle.* Arias Montanus, *Si iſtum ceperis, tibi cape.* Junius, *Si iſtum accepturus es, tibi accipe.* Videmus hîc λαβεῖν, παραλαβεῖν *capere*, *accipere*, *tollere*, & לָקַח eſſe ſynonyma. Quod autem accipiantur etiam rapta per vim, ad quæ nullum eſt jus, & quæ nullus ſponte tradit, patet ex plurimis Scripturæ locis 1 Sam. 5. v. 1. *Et ceperunt Philiſtæi arcam Dei* לָקְחוּ ἔλαβον. Num Philiſtæis quicquam juris fuit in arcam Dei? An quiſquam iis arcam tradidit? 2 Sam. 1. v. 10. *Et cepi coronam quæ erat ſuper caput ejus.* An *Saulus* tradidit *Amalekitæ* ſuam coronam? Vel quicquam juris erat *Amalekitis* in diadema Iſraëlis? Ibidem 2 Sam. 21. *Cape tibi exuvias ejus.* An quæ per vim hoſti detrahuntur à quoquam, ſponte ſunt tradita?

Eadem in Novo Teſtamento eſt phraſeologia, Matth. 4 v. 1. Τότε παραλαμβάνει αὐτὸν ὁ διάβολος *accipit, aſſumit Chriſtum Diabolus.* Joan. 19. v. 16. παρέλαβον δὲ τὸν Ἰησοῦν καὶ ἀπήγαγον *Aſſumpſerunt autem Ieſum & abduxerunt.* Matth 27. v. 27. *Tunc milites accipientes Ieſum in Prætorium* παραλαβόντες. Nullane in hiſce Diaboli & crucifigentium *Chriſtum* actionibus vis erat? Sed ne ultrà tricemur, 1 Sam. 2. v. 16. legimus diſertis verbis accipere per vim, *nunc dabis, & ſi non, accipiam vi.*

Loci hi fortaſſe convicerunt *Scaligerum* erroris. Certè in poſterioribus ſuis ſcriptis agnoſcit *accipere* & παραλαμβάνειν τὴν βασιλείαν de eo dici qui vi regnum invadit. Vide notas in *Beroſi* fragmentum pag. 15. Nihilominus etiam ibi ad Hebræam vocem קַבֵּל confugit, hanc affirmat nunquam uſurpari niſi de acceptione rei ab alio traditæ. Vocabulum illud quidem rarius apud Hebræos uſurpatur, & Chaldaicum potiùs eſt quàm Hebræum, ſatiſque debuit eſſe ad præſens argumentum; quòd probaverimus ejus ſynonyma apud Hebræos, Græcos, & Latinos לָקַח, παραλαμβάνειν, *accipere*, vulgò uſurpari in Sacris literis contra

Scaligeri

Scaligeri placita, ut ipſe tandem fatetur. Quod autem ad ultimum hoc effugium, ſic illud impugnamus. קִבֵּל uſurpatur pro acceptione rei à nullo ſponte traditæ ſed jacentis præ pedibus, vel etiam raptæ per vim. Ita 2 Chron. 20. v. 17, 22. *extulerunt ſordes de templo Sacerdotes, ſuſceperunt ſanguinem taurorum,* ἐδέξαντο קַבְּלוּ. An templum ſuas ſordes vel tauri ſuum ſanguinem tradiderunt Sacerdotibus & Levitis in manus? Dan. 17. v. 18. *Suſcipient ſancti Regnum.* Annon à Septuaginta Interpretibus rectè vertitur hic Hebræo-Chaldaicum יְקַבְּלוּן παραλήψονται, & verò cum priores beſtiæ interfectæ ſint, ut ad ſanctos veniret regnum, an nulla vis in hac acceptione intervenit?

Dixi palmarium hoc *Scaligeri* argumentum non tantum frivolum & falſum, ſed etiam impertinens. Eſto *Darius Medus*, aut quivis alius accipiens Chaldaicum ſceptrum, illud ab aliquo tradente acceperit, ſed quid hoc ad rem? Omnis enim quæſtio eſt à quo tradente illud acceperit. Noſtri à *Cyro* victore, tam Mediæ quàm Babylonis ſceptra *Cyaxari* ſuo avunculo & ſocero conceſſa docent; Sed nunquid *Daniel* à populo Chaldaico ſuâ ſponte abſque vi imperium in ſe *Dario Medo* traditum affirmat? Hoc eſt κεκρύμμενον, quod *Scaliger* ex *Danielis* verbis nullis unquam fidiculis extorſerit.

2. Argumentum ſecundum. Etſi de ejus
Quomodo Darius factus ſit regnare. viribus *Scaliger* nimiùm jactitet, prioti nihilo eſt fortius. Dan. 9 v. 1. dicitur *Darius* הָמְלַךְ [*conſtitui Rex ſuper Regno Chaldæorum.*] Hac voce, velimus, nolimus (inquit) excluditur omnis vis armata, & *Darius* vel populi ſuffragiis, vel Principum factione creatus eſt Chaldæorum Imperator.

Reſp. Vis hujus argumenti fundatur in nativa ſignificatione formarum *Hiphil* & *Hophal* in verbis Hebraicis. Diſputatio etiam hæc tota eſt Grammatica: ſi negaremus conjugationes has ſemper eſſe tranſitivas, liceret multa in hanc rem exempla proferre. Certe ipſum præ manibus verbum הִמְלִיךְ & ejus ſynonymum הֵשִׂיר Hoſ. 8. verſ. 4. tam ſeptuaginta Interpretes quàm *Hieronymus* vertunt intranſitivè ἑαυτοῖς ἐβασίλευσαν, καὶ οὐ δι' ἐμοῦ *ipſi regnaverunt & non ex me, Principes extiterunt & non cognovi.* Sed hanc Grammaticationem *Scaligero* concedamus, locus *Danielis* vertatur, *Darius* non regnavit ſed Rex conſtitutus eſt, An vi vocis ſequitur neceſſariò conſtitutum vel populi ſuffragio vel Principum conſilio abſque omni omnino vi? Quàm hoc eſt à ſacris Scripturis alienum? Quoties immaniſſimus tyrannus *Abimelech* dictus eſt conſtitutus Rex Iſraëlis Jud. 6. Nullane in hac actione vis interpoſita eſt? Iſa. 7. *Rheſin* & *Rhemalia* volunt conſtituere *Tabeel* Regem Iſraëlis, *David* regnare fecit *Salomonem*, *Pharao Ioachazum*, *Nebuchadnezar* primò *Iecontam*, & poſtea *Zedekiam*, eadem in his omnibus locis vox eſt de quâ diſputamus. An ulla hic vel Principum factio, vel populi ſuffragium apparuit? *Abner* regnare fecit *Iſhboſheth*, *Ioab* & cæteri milites *Davidem*, Deus *Saulum* ſuâ ſorte ſine ullâ populi vel electione vel factione, Scripturæ loca ſunt obvia. Certè conjugatio hæc tranſitiva, ſeu in activa ſeu in paſſiva voce, nihil aliud notare poteſt quàm ab aliquo conſtitutum Regem, ſeu ſolus Deus, ſeu totus populus, ſeu factio populi, ſeu exercitus, ſeu Princeps, vel nativus vel extraneus invito populo auctores aut adjutores in hac actione fuerint. Et quidem noſtri volunt à *Cyro Darium* conſtitutum in throno Babylonis, cùm ſibi tam Mediæ quàm Babylonis ſolia deberentur, tamen utrumque thronum conceſſit avunculo & ſocero ad vitam, & ſui exercitûs armis in iſtis thronis à ſe conſtitutum contra omnes inimicos tutatus eſt.

Argumentum ſuum tertium *Scaliger* 3.
vult omnem conjecturam vincere: Quòd *Tempora*
tempora ſint convenientia *Darii Medi* ſci- *Darii Medi & Nabonidi non conveniunt.*
licet & *Nabonidi*, quòd uterque regnaverit annos ſeptemdecim.

Reſp. Sit *Scaliger* ipſe judex & *Petavius* illi aſſeſſor, nullum erit hoc argumentum. Tempora *Darii Medi* & *Nabonidi* omninò non conveniunt: licet falſa eſſent quæ noſtri ex Scriptura & ratione vero ſimillimè affirmant, *Darium Medum* uno tantum anno Babylonicæ rei præfectum, tamen quod *Scaliger* aſſerit in ſuo *Euſebio* pag. 38. & notis ad *Beroſum* pag. 15. *Nabonidi* annos fuiſſe triginta quatuor, tam diſconvenit ut non minùs *Petavius* quàm *Calviſius* hic deſerant Magiſtrum, & *Nabonido* prope dimidium Scaligeriani temporis detrahant, pro triginta quatuor ſeptemdecem ei annos attribuentes: neque ſic etiam tempora conveniunt, nam & hac ratione compingitur *Baltaſſar* in tam arctas anguſtias, ut ne unus quidem annus ei relinquatur, cùm tamen *Daniel* meminerit ejus tertii anni.

Quod affert *Scaliger* effugium quatuor *Nerigloſſori* annos, quibus tanquam tutor nomine filii gubernabat, aſcribendos filio, gratis & ſine ullo teſte dicitur: imò verò contra antiquos qui *Nerigloſſorum* verum Regem Babylonis non tutorem filii affirmant, & cum regiis inſignibus pro regno fortiter dimicantem à *Cyro* necatum.

Præterea *Nabonidus*, ſi *Darius Medus* fuerit, ſecundum *Danielem* regnum adiit ſuo ſexageſimo ſecundo, invaſit eum *Cyrus* ſuo decimoſeptimo, hoc eſt, ut ipſe agnoſcit *Scaliger*,

Scaliger, ſeptuageſimo nono ætatis. Ao tam profunda ſeoectus patiebatur omnia militiæ munera *Nabonidum* obire, exercitum ductare, cum *Cyro* decertare, & cum io campo vinceretur, urbes ac arces communire, ac diu contra totam *Cyri* vim fortiter defendere? Imò verò poſt omoes hoſce militiæ labores ad nonageſimum ſestum, idque in regno vitam producere? Ecquem *Scaliger* vel veterum vel recentium etiam ex maximè ſequacibus in hiſce ſomniis ſocium poteſt nominare?

4.
An ultimus Rex Chaldæorum fuerit Medus.

Ultimum *Scaligeri* argumentum, quod nullum pertinaciæ locum relinquere affirmat, hoc eſt. Ultimus Chaldæorum Rex contra quem *Cyrus* movit arma, fuit Medus, ſed contra ſuum avunculum *Cyaxarem* nulla movit *Cyrus* arma, Ergò *Cyaxares* non fuit ille Medus, ſed *Nabonido* hoc nomen aſcribendum. Majorem probat ex *Megaſthene* citato ab *Euſebio* præparat. Euangel. lib. 10.

Quanta ſit Megaſthenis auctoritas.

Reſp. Totum argumentum nititur teſtimonio *Megaſthenis*, ecquid autem *Megaſthenes* tantæ eſt auctoritatis quantæ vel *Xenophon* vel *Herodotus*? *Megaſthenes* & *Beroſus* ſcripſerunt poſt tempora *Alexandri Magni*; *Xenophon* autem multo antè, & *Herodotus* non multis aonis poſt tempora *Cyri* quæ jam præ manibus. *Scaliger*, licet immeritò *Xenophontis* fidem detrahat in iis quæ ad hiſtoriam ſpectant, quòd multa Ethica ex profeſſo immiſceat, attamen *Herodotum* multis nominibus & *Beroſo* & *Megaſtheni* præferre ſolet: *Herodotus* autem *Nabonidum* ſeu *Labinitum* nobiſcum aſſerit fuiſſe *Nebuchadnezaris* filium, ſcilicet *Baltazarem*. Prætereà *Megaſthenem* ipſe *Euſebius* loco citato in variis erràſſe aſſeverat ex ignorantiâ ſacrarum literarum.

Nihil Megaſthenes contra nos.

Verumenimverò mitiùs agamus cum *Scaligero*, & admittamus *Megaſthenis* quod ex *Euſebio* attulit fragmentum totum veriſſimum, oihil tamen inde oobis accedit damni, ſed multum potius lucri. Verba, quibus *Scaligeri* nititur argumeotum, hæc ſunt: τῦ δὴ συναίτιος ἔσεαι Μήδης τὸ Ἀσσυρίων καύχημα, affirmatur *Medum* adjutorem fore *Cyro* ut Babylonis aſſequatur imperium. Eadem eſt noſtra aſſertio, nam ſocia cum eo arma contra Chaldæos junxit *Cyaxares*. Sed an ullum jota habet hic *Megaſthenes*, quod *Medus* ſuos ſubditos *Cyro* proditoriè tradiderit, ut vult *Scaliger*? Annon omnes antiqui affirmant *Nabonidum*, quiſquis tandem fuerit, *Cyro* pro omnibus viribus repugnâſſe, & cum prælio ſuperatus eſſet Babylonem tam egregiè muniviſſe, ut obſidentem *Cyrum* Chaldæi ſpreverint, & *Cyrum* non niſi poſt multum laborem, idque per ſtratagema, urbe potitum.

Quomodo

Uoum id, quod in *Megaſthenis* teſtimonio videtur contra nos facere, eſt, quod Medus Aſſyriorum dicatur ſpes, *Cyaxares Cyri* avunculus Chaldæorum hoſtis fuit, non amicus, in quo ullam ſpem aut gloriationem poſſent collocare. Sed nodum hunc ex antiquâ hiſtoriâ ab ipſo *Scaligero* agnitâ ſic diſſolvimus: Quæ affert *Megaſthenes*, *Nebuchadnezaris* ſunt moribundi verba, prædicentis ſui imperii ruioam à Perſis & Medis, *Nebuchadnezar* arctum cum Medis iniverat fœdus, idque ſanciverat ſuo matrimonio, *Nitocrin*, *Aſtyagis* Medi ſororem, *Cyri* magnam amitam in uxorem duxerat; quam ad vitæ finem unicè amavit, ejuſque gratiâ magnam Medicæ nationi hooorem ſemper habuit. Io vicinarum gentium nullâ majorem amicitiæ & auxilii ſuis poſteris ſpem collocare debuit quam in Medis: prævidens ergò io ſpiritu Prophetiæ, quem ei moribundo attribuit *Megaſthenes*, Medorum cum Perſis io ſuæ familiæ, Regni, populique perniciem, ingratam & vix credibilem conſpirationem, eam deplorat. Nihil in his eſt quod pro *Scaligero* cootra noſtram ſenteotiam militat.

Spes Chaldæorum Medus.

Quod ſi cum *Scaligero* in hoc argumento conjecturas cudere liceret, quidni Μήδης hoc loco ſit *Nitocris*? *Nebuchadnezaris* uxor Medica, vera Aſſyriorum gloria, quam *Scaliger* vult toto ſeptennio *Nebuchadnezaris* inſaniæ, Aſſyriorum imperium admioiſtrâſſe, Babyloois muros poſt mariti mortem ad miraculum muniviſſe, ad *Semiramidis* gloriam ſuo merito perveoiſſe, & ad *Cyri* tempora in ſummo honore Babylooe vixiſſe: Meda hæc cùm, ſecundùm *Scaligerum*, ſuum filium *Evilmerodachum* vidiſſet à *Neriglaſſaro* crudeliter necatum, & oepotem *Baltazarem* à *Nabonido*: dum *Cyrus* ſuus ex fratre *Aſtyage* nepos, ad Babylonis muros cum Medorum & Perſarum exercitu ſederet, quidni illa ſua inter Babylooios potentia, partim ut ſuorum cædem vindicaret, partim ut coofanguineo ſuo *Cyro* gratum faceret, urbem ei curaverit tradeodam? Sed nolumus nimis audacter ullas, utut probabiles conjecturas, ſine teſtimoniis ingerere.

Fortaſſe Nitocris Nebuchadnezaris uxor fuit illa Μήδης.

Contra hanc quidem conjecturam ſatis probabilem primâ froote militat, quòd loquatur *Megaſthenes*, de viro noo de fœminâ, ſed negari hoc poſſet oon ſine rationis ſaltem aliquâ ſpecie. Apud nullum auctorem legitur Μήδης pro maſculino, ſed Μῆδος, & pro fœminino Μήδις. Ars Critica admittet per librariorum iocuriam tam facilem lapſum eſſe ab (ο) ad (ι) quàm ad (η.) Præterquam quòd quædam tàm in primâ quàm quiotâ declinatione finitâ in ης ſint generis fœminini. Etſi objiceretur Μήδης hoc loco oeceſſariò eſſe generis maſculini, eò quòd conſtruatur cum maſculino συναίτιος, re-

V ſpon-

ſpooſio eſſet facilis vulgari Atticiſmo, adjectiva compoſita iu @- eſſe communia, & frequentiſſimè cooſtrui cum fœmioinis. Sed de criticis & coojecturis ſatis.

QUÆSTIO V.

Quis fuerit Ahaſuerus Eſtheræ *maritus*, *&* *ad qua tempora hiſtoria* Eſtheræ *referenda ſit?*

Quæſtionis difficultas.

RESp. Magna eſt tam iuter Chronologos quàm Scripturæ Ioterpretes, cùm veteres tum novos, Proteſtantes, Pontificios hac de re controverſia; quam etiam poſt multam lectionem, cum plenâ vel oobiſmetipſis vel aliis ſatisfactione, determinare noo pollicemur.

Alii *Aſſuerum* hunc volunt eſſe *Aſtyagem Medum* à Daniele cap. 9. memoratum, *Darii Medi* patrem, alii ipſum *Darium Medum*, alii *Cambyſem*, *Cyri* filium, multi *Darium Hyſtaſpis*, plures *Xerxem*, plurimi *Artaxerxem Longimanum*, beoè multi *Artaxerxem Mnemonem*, quidam *Ochum*. Id quod tantam ſentcotiarum varietatem creavit, eſt altum apud omnes alios ſcriptores ſeu ſacros ſeu profanos de hac biſtoriâ ſilentium: multò ſcilius hic eſt ab aliis allata refutare quàm noſtra confirmare.

Aſſuerus non erat Aſtyages, nec Darius Medus, nec Cambyſes.

De tribus primis ſenteutiis facilis eſt tranſactio, *Aſtyages Cyri* avus nou potuit eſſe *Aſſuerus Eſthera*, nam aotequam *Cyrus* ſuis armis ſubjugâſſet Babylonem & alias multas Aſiæ provincias, Medi procul aberant à centum viginti ſeptem provinciarum dominatu, quot tamen in *Aſſueri* Imperio numeraotur Eſth. 1. v. 1.

Neque *Darius Medus* eſſe potuit *Aſſuerus*, præterquam enim quòd is ab *Aſſuero* Dan. 9. maniſeſtè diſtinguatur ut à ſuo patre, ante occupatam Babylonem, noo multas provincias poſſedit, & poſt occupatam Babylonem paucis admodum annis iu imperio perduravit: *Aſſueri* autem noſtri centum viginti ſeptem provinciarum domini memorantur in libro *Eſthera* annus tertius, ſeptimus, & duodecimus.

Cambyſes etiam nou acceſſit ad annos duodecim in ſuo imperio, & auimo in Judæos ſemper fuit infeſtiſſimo.

Nec Artaxerxes Mnemon nec Darius Ochus.

Duæ ultimæ ſeotentiæ, una de *Artaxerxe Mnemone* quam *Euſebius*, *Hieronymus*, *Beda*, & ex receutioribus *Tornellus* aliique tuentur: altera de *Ocho*, quam *Capellus*, probabiles omoinò non ſunt. Nam primò in vitis iſtorum Regum nihil legitur huic hiſtoriæ affine. Secundò, Canonica Scriptura *Eſdra* & *Artaxerxis Longimani* diebus clauſa eſt, ſecondum *Ioſephi* & plerorumque doctorum mentem, ita ut librum *Eſthera* ea tempora antecedere oporteat. Deinde rejectio *Aſſueri* in tam ſera ſecula *Mardochæum* ejuſque majores ad ætates iis ſeculis iouſitatas provehit. Nam etſi largiremur noo ipſum *Mardochæum* ſed ejus proavum *Cis* abductum cum *Ieconiâ* Babylonem: tameo fatetur *Capellus* pag. 368. oeceſſarium ut *Cis* abductus ſit bimulus, & filium *Semei* genoerit noo ante ſuum octogeſimum, & *Semei* quoque genuerit *Iaer* non ante octogeſimum, & *Iaer* noo minor octogeoario fuerit cum naſceretur *Mardochæus*, *Abichael* etiam octogenarius genuerit *Eſtherem*. Iſta omnia ſopponere gratis ſioe ullâ auctoritate perquam eſt durum.

Nec Longimanus, ut vult Petavius, & Salianus.

Tres medias ſeotentias plures amplectuntur. Pro *Artaxerxe Longimano* ſtaot *Ioſephus*, *Petavius*, *Salianus*, *Henricus Philippi*, *Bellarminus*, & alii. Rationes ab ipſis allatæ iufirmæ adeò nobis videntur, ut iis refutandis immorandum oon cenſeamus, cootrà hoc unum argumentum proponimus. Si *Mardochæus* cum *Ieconiâ* Babylonem tranſlatus eſt, tum *Eſthera* non potuit eſſe *Artaxerxis* uxor, oam *Eſthera Mardochæi* fuit patruelis, eò ætate non multo minor. Sed demus annis totis ſexaginta vel etiam ceotùm minorem fuiſſe, tamen *Aſſueri* ſeptimo oportoit fuiſſe non florenti ætate virginem, ſed vetulam effœtam ſupra centenariam ſaltem ſexagenariam; nam tum temporis oportuit *Mardochæum* annos centum ſexagiota ſuperâſſe, cùm à tranſlatiooe *Ieconiæ* ad *Artaxerxem* plures anni fuerint: jam verò quòd *Mardochæus* cum *Ieconiâ* tranſlatus fuerit apparet Eſtheræ 2: v. 5, 6. Dum locum hunc eludere conantur hoc commento, quaſi tranſlatio Babylonem referenda eſſet non ad *Mardochæum*, ſed ad ejus proavum *Cis*, replico tria. 1. In texto poſt *Cis* eſt *Sophpaſuk* plena periodus & verſiculi clauſura, ita ut actio verſu inſeqoenti memorata non referatur ad *Cis*, licet immediatè præcedentem in ſuperioris verſûs clauſulâ; ſed ad *Mardochæum* ſubſtantivum priocipale io ejus verſus ioitio, ad quem omnes actiooes & paſſiones eo loci memoratæ applicaotur. 2. Si tranſlatio Babylonem applicetur non ad *Mardochæum* ſed ad *Cis*, tum educatio *Eſthera* actio immediatè cohærens ad eundem eſt referenda; atqui hoc maniſeſtè falſum eſt. 3. *Mardochæus* rediit Babylone Hieroſolymam cum *Zorobabele* Eſdræ 2. v. 2. Ergo ipſe non ejus proavus eſt abductus Hieroſolymis Babylonem. Ad antecedeos nihil aliud poteſt reſponderi quàm plores fuiſſe *Mardochæos* ejuſdem oomiois, & *Mardochæum* ab *Eſdra* nominatum, alium fuiſſe à *Mardochæo* qui educavit *Eſtherem*, eò quòd hic non redierit Hieroſolymam, ſed in Aſſyriâ remanſerit cum *Eſtherâ*. Replico non eſſe ſine neceſſitate confingendas plures perſonas ejuſdem nomi-

nominis : facile fuit *Mardochæo* poſt ſuum cum *Zorobabele* in Judæam reditum Aſſyriam repetere.

Nec Xerxes, ut Scaliger.

Septima ſententia de *Xerxe* eſt *Scaligeri*, quem dilectiſſimi nobis auctores ſequuntur, *Iunius*, *Calviſius*, *Deodatus*, *Annotatores Anglicani* utráque editione, *Hovvaus*, & alii. Ab eâ tamen nos depellimur, inprimis nimiâ *Scaligeri* confidentiâ, in magnâ ſuorum argumentorum, ut nobis quidem videtur, infirmitate. Omnes hîc à ſe diſſentientes pronunciat ille homines nullius ingenii, malignos, bardos, aſinos, ceritos; certè qui perſuadere vult, debet mollia verba cum argumentis duriſſimis miſcere. *Petavius* argumenta *Scaligeri* non tantùm falſa, ſed & fœda, abſurda, ſtupida, & ſibi contradictoria affirmat. Maledicentia hæc eſt Jeſuitis peculiaris, quæ minùs hîc decuit *Petavium*, ubi ne unum contra *Scaligerum* argumentum profert, quod à *Capello* non eſt mutuatus, licet id omninò diſſimulet. Utcunque, *Scaligeri* argumenta nequaquam videntur ſtringere.

Primum hoc eſt. *Xerxes* nomen idem eſt cum *Aſſuero*. Reſp. Hujuſce effati probatio juſtam negationis anſam ſuppeditat, nam ſupponit *Scaliger*, *Oxyarem* eandem eſſe vocem cum *Ahaſuero*: demus in deductione unius vocis ab aliâ, maximè in diverſis linguis magnam in literis admitti poſſe variationem, attamen præcipuæ radicalium ſolent retineri, neque addi ſolent novæ radicales: demus *Cheth*, *Shin* non male mutari in Græcum *Zi*, quod quidem ſatis eſt durum, cur tamen *Aleph* radicale initio, mutatur in *Omicron*, & *Vau* radicale in fine mutatur in *Eta*? Deinde cur in nomine *Xerxes* omninò abjicitur radicalis *Aleph*, & in fine additur nova radicalis *Zi* ſecundum; & verò ſi, prout vult *Scaliger*, *Xeſſes* non *Xerxes* legendum ſit, tum abjiceretur altera radicalis (*R*) ita ut Scaligeriana deductio vocis *Xeſſes* ab *Ahaſueros* verè tortiſſima videatur, & meritò neganda. Quid quod ipſe *Scaliger* Perſicum *Ahaſhſheſta*, unde vult *Xerxem* derivari à diverſis omninò ſimplicibus adſerat quam quæ in *Ahaſueros* inveniuntur; in utroque quidem eſt nomen *Ahaſ*, ſed in altero eſt conjunctio *Vau* & nomen *Reſh* dux, caput, & in altero nomen *Shaſta*, bellator, miles, hæc omnia diverſa ſunt.

Secundum *Scaligeri* argumentum. *Xerxis* uxor ab auctoribus omnibus Græcis vocatur *Ameſtres*, à quâ ſi abjiciatur prima pars compoſitionis *Am*, remanebit *Eſther* in omnibus ſuis radicalibus.

Reſp. Quàm infirmum à nominibus argumentum ſit, ubi in rebus eſt diſcrepantia, in hoc ipſo ſubjecto agnoſcit *Scaliger*. Auctores qui *Aſſuerum* probant fuiſſe *Artaxerxem Mnemonem*, eò quòd dilecta ejus uxor nomen haberet *Statiram* (ubi clariùs *Eſthera* radicales leguntur quàm in *Ameſtres*) vult *Scaliger* ridiculos, eò quòd hiſtoria diſcrepet. Nec minùs falſè ridet eos qui *Darium Nothum* volunt *Aſſuerum*, eò quòd ejus uxor *Atoſſa* ſit dicta, quod idem nomen eſt cum *Hadaſſa*, quo vocata eſt *Eſther* cùm adhuc privatim viveret: in utroque nomine radicales omnes ſunt eædem, niſi quod *D* mutetur in *T*: ejuſmodi tamen mutatio in omnium linguarum derivationibus legitima & frequentiſſima eſt, ut ſcilicet litera unius inſtrumenti commutetur in aliam ejuſdem inſtrumenti: jam verò *T* & *D* utraque eſt dentalis. Nihilominus hoc argumentum, nihili facit *Scaliger*, eò quòd res conveniat. Jam verò quantacunque eſt inter *Eſtherem* & *Ameſtrin* in nomine ſimilitudo, tanta & multò major in re eſt non diſſimilitudo tantùm, ſed & repugnantia, ſi ulla hiſtoricis antiquis adhibenda fides.

Ameſtris fuit *Otanis* nobiliſſimi Perſæ filia, quam multò ante ſuum regnum *Xerxes* duxerat, & ex quâ *Darium* & *Artaxerxem* alioſque filios ſuſtulerat; hæc fuit Ethnica fœminarum peſſima & crudeliſſima, iſtorum nihil de *Eſtherâ* quiſquam unquam affirmavit. *Eſtherem* duxit *Ahaſuerus* in ſumma pace *Suſis* ſeptimo ſui regni anno: *Xerxes* verò ſuo ſeptimo & etiam octavo in Græciâ & Ioniâ terribiliſſimo bello implicabatur, & verò tum temporis inceſtis ſuis amoribus ſe totamque ſuam familiam tragicis calamitatibus tantum non obruebat, & procul à novis nuptiis aberat ad vitæ uſque finem. Pluribus non eſt opus contra *Scaligerum*.

Ergo fuit Darius Hyſtaſpis.

Reſtat octava ſententia de *Dario Hyſtaſpis*, quæ eſt *Funccii*, *Broughtonis*, *Uſherii*, & aliorum quam nos ſequimur. Ad hanc confirmandam ſatis eſt quòd cæteræ omnes ſint everſæ, pro immobili enim fundamento ponendum veram & Canonicam *Eſtheræ* hiſtoriam eſſe: ei enim notæ omnes libri Canonici (in quas nunc non licet digredi) conveniunt. Et verò ſummè cavendum à *Melitonis*, *Athanaſii*, & *Nazianzeni* gravi errore, qui *Eſtheræ* libro Canonicam omnem auctoritatem detrahunt. Ergò ſuppoſitâ hiſtoriæ veritate, quod alicui Regi Perſarum *Eſthera* nupſerit, nequaquam verò nupſiſſe ulli nominatorum (ut clarè probavimus) neceſſariò ſequitur fuiſſe *Darium Hyſtaſpis* qui *Eſtherem* duxerat; hujus benignitas in Judæos, commoratio *Suſis*, diuturnitas imperii, uxorum pluralitas & alia, hanc ſuadent fidem. Quæ hic objiciuntur faciliùs eſt refellere quàm quæ contra priores ſententias objecta ſunt. Utrum autem *Atoſſa* an *Artyſtona*, an alia ex quinque *Darii* uxoribus

ribus ab hiſtoricis Græcis memoratis, an verò adhuc alia ab illis præterita *Eſther* fuerit, determinare non poſſumus, nec eſt neceſſe.

QUÆSTIO VI.

De Iejunio Eſtheræ *& Iudæorum Cap.* 4. v. 16. *Num totis tribus diebus & tribus noctibus ab omni potu & omni cibo abſtinuerint?*

Mala explicatio Lyrani.

RESp. Verba textûs expreſſè hoc innuunt, itaque quod *Deodatus* hic affert poſt gloſſam ordinariam, & *Lyrani* commentarium de abſtinentiâ tantum à pane, quem vocat *Daniel*, deſiderii, & cibo delicato, rectè rejiciunt Annotatores Anglicani. Verum quidem eſt Danielem cap. 10. verſ. 3. ſuum trium hebdomadarum jejunium interpretari de abſtinentiâ à vino & pane delicato, & *Iabeſh* Gileaditarum ſeptem dierum jejunium 1 Sam. 31. v. 13. neceſſario ſic interpretandum eſſe. Nam ſecundum *Hippocratis* & medicorum placitum, homines ſani non vivunt poſt ſeptem dierum inediam: morbidi quidam, in quibus abundat pituita, & calor nativus valdè deficit, diutius in jejunio perſeverârunt; & per divinam vel diabolicam potentiam exempla multorum ſunt apud *Hakquellum* in egregiâ ſuâ Apologiâ pro Dei Providentia, qui ad integrum biennium, triennium, novennium, & quatuordecennium ſine omni fraude, ab omni omnino cibo & potu abſtinuerint. Ex hoc genere fuerunt *Moſis* in monte Sinai, & *Chriſti* in tentatione jejunia. Sed extraordinaria hæc miracula ſunt ſupra omnes regulas: loquimur nos de caſibus ordinariis & regularis.

Trium dierum jejunium non eſt ſupernaturale.

Hyperbole Pauli in quatuordecim dierum jejunio.

Quod affirmat *Paulus* Act. 27, v. 33. ſecum navigantes totis quatuordecim diebus jejunâſſe & nihil guſtâſſe, neceſſe habemus interpretari cum *Bezâ*, *Cornelio à Lapide*, & vulgo commentantium tam Proteſtantium quàm Pontificiorum per hyperbolen, in communi ſermone ſatis frequentem: non quòd abſolutè nihil guſtaverint, ſed quod in eo mortis periculo ac animorum agoniâ parum adeò guſtâſſent, ut eſſet quaſi nihil, & omnem ordinariam in prandiis ac cœnis refectionem neglexiſſent.

Sed nulla neceſſitas nos cogit ad locum *Eſtheræ* præſentem hujuſmodi diſtinctionem applicare, nam abſolutum trium dierum & trium noctium jejunium ſtat cum vitâ humanâ, imò & cum ſanitate. Ægyptius adoleſcens 1 Sam. 30. v. 12. ab omni cibo & potu tribus diebus & tribus noctibus abſtinuiſſe à *Davide* eſt deprebenſus, & quâ laborabat infirmitas, non tam ab inediâ quàm à priori morbo fluxiſſe judicatur.

Non eſt quod ad Auſtralium hîc populorum ſupra Septentrionales miram tolerantiam famis confugiamus, de quâ *Bodinus* in ſuâ methodo, ut fructu ipſorum temperamenti melancholici ab externâ Solis aduſtione procurati: nam inter ipſos Septentrionales, jejuniorum ſupra dies tres exempla non deſunt. *David Georgius*, *Familiſtarum* pater, & ex ejus ſequacibus quidam etiam hodie totos quatuor dies & quatuor noctes & ultrà, in Diabolicis ſuis jejuniis perſeverâſſe feruntur. Quidni ergo *Eſtheræ* in caſu valde extraordinario imminentis in totam Judæorum gentem ruinæ, concedamus abſolutum ſine omni limitatione trium dierum jejunium: quod in hoc caſu nolumus nos quidem cum *Lyrano* indiſcretam abſtinentiam appellare. Fatemur ordinaria Judæorum jejunia etiam maximè ſolennia Levit. 23. verſ. 32. non durâſſe ultra unum diem & unam noctem, à veſperâ ad veſperam, ſed *Eſtheræ* caſus omnia illa anniverſaria ſolennia longè ſuperabat.

An Eſther die tertio jejunaverit.

Supereſt hîc adhuc aliquid dubii, jejunium cap. 4. dicitur trium dierum & noctium; atqui cap. 5. v. 1. *Eſther* die tertio invitavit Regem ad ſuum feſtum, non ergò jejunavit illa die tertio. Solutio *Lyrani* non placet, & minùs *Iunii*: vult ille locum accipiendum Synecdochicè pro partibus trium dierum, Concedimus diſtinctionem eam bonam & neceſſariò ad quædam Scripturæ loca, ut iſta de triduano *Chriſti* ſepulchro, applicandam: ſed locus præ manibus eam reſpuit, nam diſertè loquitur de tribus diebus & tribus noctibus, in quibus nihil erat à Judæis guſtandum.

Mala Iunii ſolutio.

Pejor videtur *Iunii* ſolutio, addit enim ille ad textum Cap. 5. v. 1. die tertio [*completo*] Hebræa nihil habent de *completo*. Fatemur rectè aliquando addi ab omnibus Interpretibus ad textum originalem quaſdam voces expoſitorias, ſed alio charactere (ut à textu diſtinguantur) & tales quas textus requirit, ſaltem admittit. Sed *Iunii* hîc additamentum textualibus literis ſcribitur, nec illud textus requirit, imò non admittit, nam quod factum eſt tertio die completo, id fiebat vel die quarto, vel tertii diei tantùm nocte: Sed *Eſtheræ* prima petitio *Aſſuero* propoſita eſt neque die quarto (quia tertio) nec diei tertii nocte; nam clarâ die dum ſederet Rex in throno judicans populum, non noctu, cùm publica judicia ceſſant, intravit atrium regium.

Iudæi, non ipſa Eſther, tertio toto die

Aliter ergò reſpondeamus neceſſe eſt ad hunc vel ſimilem modum: continuatum ſcilicet fuiſſe à Judæis jejunium totis tribus diebus & tribus noctibus, inprimis tertiâ die & tertiâ nocte, ubi preces ad Deum pro *Eſtherâ* in ipſo opere deſignato verſanti maximè erant fundendæ: quòd verò ad ipſam *Eſtheram* attinet, vel ea ſuum etiam

tertio

jejunium continuarunt.

tertio die jejunium continuavit; etſi enim Rex & *Haman* apud eam tertio die epulati ſunt, non tamen affirmatur ipſam ſimul cum eis epulatam eſſe; vel ſi cui ſubtilius hoc videatur, dicamus ipſam ad tertii totius diei jejunium nullo voto fuiſſe obligatam, nam cap. 4. v. 16. verba [*ego & ancilla mea ſimiliter jejunabimus*] accipi poſſunt de re, vero ſcilicet ipſarum jejunio, ſed non de omnibus rei non neceſſariis circumſtantiis, in primis non de tertio die, nam in ipſa obligatione & voto penè disertè indicatur ea exceptio, dum ſignificat ſe ingreſſuram ad Regem ipſis jejunantibus, ut ſimul cum eorum precibus ad Deum, ſuæ ad Regem ſupplicationes offerrentur.

QUÆSTIO VII.

Quomodo concilietur Eſdræ *quartum* v. 6, 7. *cum ejuſdem ſexto verſ.* 14, 15?

Quis Aſſuerus & Artaxerxes qui templi ædificationem impediverunt?

PRiori loco aſſeritur hoſtes Judæorum interrumpentes templi & urbis ædificationem ad *Aſſuerum* & *Artaxerxem* Reges Perſarum querimonias detuliſſe, eorumque Regum mandatis intermiſſum opus. Dubium eſt quiſnam fuerit ille *Aſſuerus*, num *Darii Medi* pater? An *Eſtheræ* maritus? aut quis alius? Et verò quis fuerit ille *Artaxerxes*, *Longimanusne* an *Mnemon*, an quis tandem? Certè loco poſteriori affirmatur templi ædificationem unà cum *Cyro* & *Dario*, *Artaxerxem* promoviſſe non impediviſſe. Et verò qui *Artaxerxes* vel impedire vel promovere potuit templi ædificationem, cùm ea loco poſteriori perfecta dicatur *Darii* ſexto, quando nondum natus *Artaxerxes*, imò vix ejus pater *Xerxes* in cunis tum temporis fuiſſe videatur?

Reſp. Dubia hæc ſolutu ſatis eſſent facilia, niſi magnorum virorum diverſæ admodum ſententiæ perplexa & involuta redderent, quæ in ſe ſatis plana ſunt. *Joſephus* quidem *Scaliger* auctoritate ſuâ, quæ meritò magna eſt, & verbis imperioſis noſtrorum pleroſque, inprimis *Iunium*, *Deodatum*, *Reinoldum*, *Calviſium*, *Emmium*, *Hovvaum*, *Niſbetum*, *Annotatores Anglicanos*, & alios in avia ſeduxit. Sed *Capellus*, *Uſherius*, & alii ab eo errore ſibi caverunt, & cum priſcis Interpretibus callem, qui nobis quidem videtur rectior & expeditior, inſtiterunt. *Scaliger* & ſequaces volunt *Aſſuerum* loco priori nominatum fuiſſe *Xerxem*, *Eſtheræ* maritum, & *Artaxerxem* fuiſſe *Longimanum* ejus filium, ſed *Artaxerxem* poſteriori loco nominatum volunt *Mnemonem*, qui cum patre *Dario Notho* conjunctus in imperio edictum de templo perficiendo unà cum eo edidit.

Quantopere erraverit *Scaliger* conſtituens *Xerxem Eſtheræ* maritum, quæſtione ſuperiori diximus, & quàm immanem temporum confuſionem in ſui ſequacibus cauſaverit, affirmando *Darium Nothum* templi conſummatorem, quæſtione ſequenti videbimus; in præſentiâ paucis contra ejus ſententiam præ manibus argumentamur.

Aſſuerus hic non fuit Xerxes, ut vult Scaliger, Iunius, & alii.

Primò. *Aſſuerus* & *Artaxerxes* ab *Eſdrâ* priori loco nominati primi fuerunt Reges Perſarum, qui contra *Cyri* mandatum ædificationem templi impediverunt: Atqui *Xerxes* & *Artaxerxes Longimanus* non fuerunt primi impeditores iſtius operis, ſic enim uſque ad eorum regna perſeverâſſent Judæi in eo opere abſque ullo impedimento, & templum facile perfeciſſent ante eos reges natos, nam poſt interruptionem opus aggreſſi *Darii* ſecundo, colophonem impoſuerunt anno ejus ſexto, quadriennii ſpatio. Qui ergò factum ut totis annis ſeptemdecim *Cyri* & *Cambyſis*, & quadraginta ſex *Darii Hyſtaſpis* à nullo impediti opus illud non perfecerint ante regnum *Xerxis* & *Artaxerxis*?

Secundò. *Eſtheræ* maritus ejuſque filius, ut volunt, *Artaxerxes* Judæorum erant εὐεργέται non hoſtes, Quis ergo credat utrumque hunc ad finem uſque ſuorum dierum cum Judæorum hoſtibus conſpirâſſe ad templi ſtructuram impediendam?

Tertiò. Si toto regnorum *Xerxis* & *Artaxerxis* tempore ſtructura templi impedita fuiſſet, uſque ad *Darii Nothi* ſecundum, tum à fundato templo ad perfectum fuerunt anni (ut fatetur *Scaliger*) minimùm centum & ſeptem, & toto iſto tempore *Zorobabel* in Principatu, & *Ioſua* in ſummo Sacerdotio perſeverârunt: imò verò uterque in iſto munere tam antè quàm pôſt aliquanto tempore ſunt verſati: nemo autem mortalium poſt filios *Noa* in ullo publico munere ad annos centum appropinquavit.

Quid quod Judæorum multos iis diebus annos ducentos vixiſſe hæc ſententia facit, nam à Monarchiæ *Cyri* primo, ad *Darii Nothi* ſecundum, erant centum ſeptemdecim, & ab everſo templo ad primum *Cyri* numerantur ſi non ſeptuaginta, ſaltem quinquaginta duo, qui autem obſervârunt gloriam prioris templi, oportuit fuiſſe in hac obſervatione annorum octodecim, ex his junctis conſiunt centum octoginta ſeptem: & verò omnes qui templum poſterius viderunt, non ſtatim expirârunt à viſo templo, ſed aliquot annis ſuperfuiſſe potuerunt: utrunque Judæorum multos eo ſeculo ad centum octoginta ſeptem perveniſſe incommodum eſt, quod pauci cordati concedent.

Ut hæc evitet *Scaliger*, negat Haggæi 2. v. 3. affirmari ullos Judæorum utrunique *Scaligeri effugium.*

templum conſpexiſſe, eò quòd iſta non aſſertivè ſed interrogative à Propheta dicantur. Verumenimverò iſtud effugium, *Scaligeri* ingenuitatem non decet, nihil enim manifeſtius quàm iſtis interrogationibus Prophetam ſupponere fuiſſe ex populo qui non tantum utrumque templum ſuis oculis conſpexiſſent, ſed etiam qui poſterioris templi gloriam externam ad prioris deſpicabilem & nullam deprehendiſſent.

Niſbeti inventum miſerim.

Niſbetus aliud quærit latibulum quod à ſe fatetur inventum, illud tamen videtur multo miſerrimum, nam à primo *Cyri* ad ſecundum *Darii Nothi* non vult fluxiſſe ultra quadraginta novem annos, hoc autem pacto de Regum Perſarum ante *Darium Nothum* annis (ſuâ unius auctoritate contra ſcriptorum omnium veterum & recentium fidem) minimùm ſeptuaginta detrahit: abſurdum ipſi *Scaligero* & ſuis ſequacibus omnino intolerandum.

Ahaſuerus & Artaxerxes nomina communia Regibus Perſarum.

Priori ergò ſententiâ relictâ, ad poſteriorem accedimus, *Aſſuerum* & *Artaxerxem* eſſe nomina communia, ſi non omnibus, multis tamen regibus Perſarum. *Ahaſuerus*, fatente ipſo *Scaligero*, nihil aliud ſignificat quàm magnum ducem, ab *Ahaſh* magnus, *vau* et, ac *roſh* caput: *Artaxerxes* fere idem ſignificat, magnum ſcilicet bellatorem, ab *art* magnus & *Xerxes* ἄρειος, bellator. Cognomen hoc *Aſſueri Scaliger* attribuit patri *Darii Medi* ſeu *Aſtyagi*, ſeu alii *Medo*, marito etiam *Eſthera*, ſeu *Cambyſes* ſeu *Xerxes*, ſeu quis alius fuerit, ſicut cognomentum *Artaxerxis* tam *Longimano* quàm *Mnemoni*, imò etiam *Ocho* tribuitur ab omnibus. Nomina hæc Eſdræ quarto ſecundum alteram ſententiam tribuuntur *Cambyſi Cyri* filio, qui ut libet vir malus, magnus tamen fuit dux & bellator, nam totam Ægyptum ſuis armis ſubegit. Judæorum commentatores omnes, ut videre eſt apud *Lyranum* & *Munſterum*, ita locum *Eſdra* interpretantur. Quod autem addunt eorum multi *Cambyſem Eſthera* maritum fuiſſe, non probamus, ſed quod *Cambyſem Aſſuerum* volunt, qui templi ſtructuram primus impedivit, hoc ut verum amplectimur. Hæc eſt *Ioſephi* ſententia, & ſecundum *Lyranum*, vulgaris Chriſtianorum. Certè *Lavaterus* in locum, etiam *Vatablus* & *Munſterus* eam ſequuntur, aliis non indiget probari rationibus quàm quibus priorem oppugnavimus.

Cambyſes & Aſſuerus & Artaxerxes ſuit.

Sed ſi *Cambyſes* impius *Cyri* filius *Aſſuerus* fuerit, qui contra patris edictum Dei templum ſtrui vetuit, quis erat ille *Artaxerxes* cui eadem impediti templi actio ab *Eſdrâ* tribuitur?

Reſp. Et hunc fuiſſe ipſum *Cambyſem*, quod non tantùm Interpretes Judæi, ſed etiam Chriſtiani plerique aſſeverant. In Bibliis Regiis *Hieronymi*, quæ vocatur Latina verſio, loco priori legit diverſis verbis [*Artaxerxes iſte eſt Aſſuerus*] fateor *Lyranum* rectè notare verba hæc addita eſſe textui, nam in originali Hebræo non habentur: ſed etſi *Lyranus* textûs corruptionem per ulla additamenta rectè improbet, non tamen rejicit, ſed amplectitur rem ipſam ut verum textûs commentarium; qui rectè potuit textui ſubjici vel in margine adjici.

Artaxerxes eſſe potuit Tanyoxares Magus.

Si hæc non placuerit reſponſio, eſt alia quam multi etiam tam ex Noſtris quàm Pontificiis approbant, *Aſſuerum* fuiſſe *Cambyſem* & *Artaxerxem Tanyoxarem Magum Cambyſis* ſucceſſorem, quaſi hoſtes Judæorum primam accuſationem de extractione templi detuliſſent *Cambyſi*, & ſecundam *Mago* poſt *Cambyſis* mortem: malè quidem iſtos diſponit *Capellus* (ut notat *Henricus Philippi*) dum *Magum* eſſe vult *Aſſuerum* & *Cambyſem Artaxerxem*: ſic enim *Cambyſes* poſt *Magum* regnâſſet, quod omnibus auctoribus & ipſi etiam *Capello* contradicit. Sed profectò priora textui videntur magis quadrare, ſupponendo enim tam *Aſſuerum* quàm *Artaxerxem* unius *Cambyſis* fuiſſe cognomina, pulchrè omnia fluunt, omniaque ſic fiunt planiſſima. Dum bello Maſſagetico occupatus abeſſet *Cyrus*, ad *Cambyſem* venerunt contra Judæos accuſationes, quæ verſu ſexto proponuntur primum in genere, & poſteà ſeptimo ac ſequentibus ipſæ in particulari querimoniæ deſcribuntur in epiſtola ad *Cambyſem*, qui ibi *Aſſuerus* & *Artaxerxes* dicitur.

Darius Artaxerxes dictus.

Eadem vel ſimilis reſponſio locum poſteriorem explicat: extructum templum mandato *Cyri*, *Darii*, & *Artaxerxis*, ſumendo conjunctionem (*&*) ut loquitur *Lavaterus* ἐξηγητικῶς *explicativè*, quaſi *Darius* etiam cognominaretur *Artaxerxes* ſeu magnus bellator, qualis reverà fuit, ſupra omnes (ſi unum *Cyrum* excipias) Perſarum Reges. Ridet quidem *Scaliger* reſponſionem hanc, & *Cambyſem* cognominare *Aſſuerum*, vel *Darium* appellare *Artaxerxem* vult eſſe monſtrum creare bicorpor. Sed ſarcaſmi iſti ſunt gratuiti abſque omni fundamento. An qui *Solomonem Iedidiam*, *Zedekiam Mattaniam*, *Iehojakim Conian*, *Aſtyagem Aſſuerum*, *Xerxem Artaſhaſta* volunt, cenſendi ſunt creare monſtra bicorpora? Utcunque, ſarcaſmi hujuſce vanum ſatis terriculamentum duas alias ad locum reſponſiones procudit.

Artaxerxes Mnemon non regnavit ſimul cum patre Dario Notho.

Prior eſt nobis hîc adverſantium, qui *Artaxerxem* Eſdræ 6. v. 14. volunt *Mnemonem* intelligi, quem cum patre *Dario Notho* ſimul regnâſſe autumant, & edictum de perficiendo templo unà condidiſſe. Iſta nobis omninò non placent, nam præter ſuppoſitum de *Dario Notho* templi extructore

ctore mox refutandum: ſine ullo teſte conjungunt *Mnemonem* patri in regno, idque regni initio. Certè tantùm abfuit ut *Mnemon* ſimul eum patre regnaverit inprimis regni initio, ut mater *Paryſatis* ſecundum ſuum filium *Cyrum Dario* ſucceſſorem deſtinans, ad patris uſque mortem ſucceſſionis jus totis ſuis viribus *Mnemoni* reddident ambiguum. Utcunque ipſo ſecundo *Darii* anno conjunctum filium omnino eſt improbabile, tam maturè enim vel natum *Mnemonem* non conſtat.

Artaxerxes Longimanus templi exteriora perfecit.

Magis ergò placet quod afferunt alii de *Artaxerxe Longimano*, à quo *Eſdras* & *Nehemias* multa donaria & benigna decreta Judæis impetrârunt: licet ipſum templum anno ſexto *Darii Hyſtaſpis* completè ædificatum fuerit, multa tamen ornamenta & additamenta tam intus quam extra in ædibus adhærentibus & vicinis templo adjuncta ſunt, quæ rectè *Artaxerxi Longimano* aſcribuntur, ut Principi erga Judæos poſt *Cyrum* & *Darium*, Perſarum omnium benigniſſimo.

QUÆSTIO VIII.

Quiſnam ille Darius *fuerit, cujus anno ſecundo templum reædificari & ſexto perfici dicitur Eſdra 4. v.24. & 6. v.15?*

Scaliger novæ ſententiæ noſtris auctor.

RESp. Antiqui fere omnes Hebræi, Græci, & Latini *Darium* eum *Hyſtaſpis* volunt. *Ioſephus* verò *Scaliger* poſt unum *Sulpitium Severum* recentiorum multos, in primis in Eccleſia reformata in novam ſententiam traxit, auctoritate potiùs ſuâ quàm rationibus, quæ, ut nobis quidem videtur, antiquæ ſententiæ fundamentis nequaquam præponderant. Eas *Sethus Calviſius Scaligeri* amanuenſis, Iſagoges ſuæ cap. 42. redegit in ordinem, & pro viribus perpolivit; has partes ſequitur *Iunius, Reinoldus*, & *Emmius*; in eas quoque inclinant *Niſbetus, Hovvaus*, & *Annotatores Anglicani* utrâque editione; ſed eâ hæſitantiâ & ambiguitate, ut animis videantur reluctantibus eò trahi. *Deodatus* hoc ſatis grave dubium omninò præterit (ut videtur) incertus quid in eo determinandum eſſet. Nos cum *Capello, Uſherio, Petavio*, & *Henrico Philippi* ſententiam antiquam & communem amplectimur, idque ob ea potiſſimùm argumenta quæ apud Annotatores Anglicanos ad Eſdræ 4. v.7. & alios adverſæ partis auctores (abſque commodâ reſponſione) videre eſt; quorum aliqua ſubjiciemus.

Contra Scaligerum probatur Darium illum non fuiſſe Nothum.

1. Primò. A *Cyri* ſecundo quo fundatum eſt templum, ad *Darii Nothi* ſextum quo perfectum volunt, ſunt anni, ut fatentur, centum duodecim, toto hoc temporis ſpatio, & aliquandiu tam antè quàm poſt, *Zorobabel* Principatum, & *Ioſua* Pontificatum adminiſtravit, tam diuturnum gubernationis ſpatium vel in Eccleſia vel in Repub. in ullo mortalium, ullo ſeculo non eſt auditum. Calviſianæ reſponſionis ſumma huc redit, quòd idem abſurdum noſtram ſententiam premat, etſi enim à Monarchiæ *Cyri* ſecundo ad *Darii Hyſtaſpis* ſextum nemo plures numeret quàm viginti duos, & hac ex parte expedita ſatis ſit noſtra ſententia, tamen quod illi in *Zorobabele* & *Ioſuâ*, idem ajunt nos cogi ut admittamus in *Nehemiâ, Eſdrâ*, & *Sanballato*; nam *Nehemiam* volunt vixiſſe ad tempora *Alexandri Magni*, eò quod cap. 12. 11. 21. nominet Pontificem *Ialdduam*, quem certum eſt diebus *Alexandri* vixiſſe Hieroſolymis: jam verò ab anno vigeſimo *Artaxerxis Longimani* ad primum *Alexandri* ſunt anni centum quatuordecim.

Reſp. primò. Incommodum non ſolvit argumentum, argumenta ad hominem ſola nullam ſtabiliunt ſententiam, etſi nos vepribus induant, non tamen ipſi ſic extricantur.

Secundò. Permittunt illi nos affirmare *Artaxerxem* ſub quo gubernator Judææ *Nehemias* eſt conſtitutus, fuiſſe *Mnemonem* non *Longimanum*; à vigeſimo autem *Longimani* ad vigeſimum *Mnemonis* ſunt anni minimùm ſexaginta, quot de allegatâ longævitate *Eſdræ, Nehemiæ*, & *Sanballati* (ſecundum eorum placita) debent detrahi.

Tertiò. *Iadduam* juvenem ſpectare potuit *Nehemias* ſenex. Volunt oppugnantes *Ioſuam* adiiſſe Pontificatum præter legem anno ætatis ſuæ vix viceſimo, ſed *Iaddua* ſit factus Pontifex ſecundum legem ſuo triceſimo, & tempore *Alexandri* habuerit annos nonaginta, quod in Pontificibus rarum non fuit. His poſitis deceſſiſſe potuit *Nehemias* annis ſexaginta ante tempora *Alexandri*, imò & ante mortem *Artaxerxis Mnemonis*, etſi cum *Iadduâ* aliquandiu vixiſſet. *De ætate Nehemiæ,*

Quartò. Extraordinaria *Nehemiæ* longævitas utitur uno hoc fundamento, quòd ipſe ſcripſerit verba capite ſuo duodecimo citata: ſed qui hoc probabitur negatum? Licet à *Moſe* ſcriptum ſit Deuteronomium, & à *Ioſuâ* ac *Ieremiâ* libri ſui, tamen in omnibus tribus varii ſunt verſiculi, quos certum eſt nominatos auctores ſcribere non potuiſſe. In *Deuteronomio* verſus octo capitis ultimi, in *Ioſua* quinque ultimi, & in *Ieremia* quatuor, poſt mortuos librorum auctores exarati ſunt. Quid ſi verò negemus ullum in toto libro verſiculum à *Nehemia* ſcriptum? Nonne ſic totum argumentum corruet? Quantâ autem cum ratione negari hoc poſſet, vide annotata Anglicana in Nehemiæ cap. 1. v. 1.

Quod ad *Eſdram*, vult eum vixiſſe *Calviſius* *Et Eſdræ,*

viſus propè ad finem Imperii Perſarum; eò quod Eſdræ 10. v. 6. dicatur intrâſſe cubiculnm *Iohanan* patris *Iaddua*, qni trmporibns *Alexandri Magni* fuit Pontifex.

Reſp. Eo tempore *Iohanan* erat admodum juvenis, adhuc enim ejus avus *Eliaſhib* agebat Pontificem, & actus *Eſdra* ibi memoratus, ejus ultimus fuit de quo Scriptura. Secundum multorum Pontificum ætates à juventute *Ioannis* ad ſenectutem *Iaddua* fluxiſſe facilè poterant ſupra centum annos. Præterea *Iohanan Eliaſhibi* negari poteſt fuiſſe pater *Iaddua*, nam ejus pater fuit *Ionathan* filius *Iojada*, nepos *Eliaſhibi* Nchemiæ 12. v. 10.

Sed argumentum hoc poſt *Brugthonum Niſbetus* urget, inprimis à parte antè: *Eſdras* (inquiunt) filius erat *Seraia* Eſdræ 7. v. 1. *Seraias* autem à *Nebuchadnezare* ante captivitatem necatus fuit 2 Reg. 25. v. 18. Ergò *Eſdras* natus eſt ante deſtructam Hieroſolymam & ſeptimo *Artaxerxis Mnemonis* quo Hieroſolymam rediit, egiſſe oportuit annos ſupra ducentos.

Reſp. De fine hujus calculi decidendi primum ſexaginta, quot ſcilicet à ſeptimo *Longimani* ad ſeptimum *Mnemonis* fluxerunt; nam, ut mox videbimus, *Artaxerxes* fuit *Longimanus* non *Mnemon*, ſub quo *Eſdras* & *Nehemias* Hieroſolymam venerunt. 2. A capite calculi multum abradendum; nam, ut rectè *Reinoldus*. *Eſdras* immediatus *Seraia* filius non fuit, dato enim *Seraiam* Eſdræ 7. memoratum Pontificem fuiſſe, quem *Nebuchadnezar* necavit, de quo tamen dubitari poteſt, cùm *Seraia* plures etiam de genere ſacerdotum ab *Eſdrâ* & *Nehemiâ* nominentur, tamen *Eſdras* proximus ejus filius non videtur, ut rectè in annotatis Anglicanis poſtremis obſervatur ad Eſdræ 7. v. 1. contra prioris editionis temeratiam nimis annotationem. Quidni enim *Eſdra* ſeptimi primum exponere licet, prout omnes fatentur ejuſdem tertium neceſſariò exponendum, ubi dicitur *Azaria* filius *Meraioth*, licet inter *Azariam* & *Meraioth* brevitatis causâ illic omiſſi non pauciores quàm ſeptem interjiciantur 1 Chron. 6. v. 7, 8, 9. *Eſdra* ſcopus eſt proſapiam ſuam ad *Aaronem* referre, & majores ſuos in genere ſacerdotum demonſtrare, hoc præſtat ſignificando ſe à *Seraiâ* prognatum, quod verum eſt, ſeu filius, ſeu nepos, ſeu abnepos, ſeu trinepos, ſeu ex poſteris ejus fuerit in cujuslibet gradûs diſtantiâ. Si autem cum *Niſbeto* requiras à *Reinoldo* fundamentum aliquod ex Scriptura hujuſce diſtinctionis applicandæ ad locum præſentem; dicimus æquè requiri poſſe à *Niſbeto* ſolidam aliquam rationem negandi hancce applicationem. Nobis certè fundamentum hujus facti legitimum ſatis videtur enormis *Eſdra* ætas multò ſupra ducenteſimum, quam ab una parte *Brughtonus* & *Niſbetus* premunt, & ab altera ipſorum æquè abſurda contra omnes doctos antiquos & novos, Imperii Perſarum cum quibuſdam deliris Judæis decurtatio, annis minimùm centum: quo omnes eorum rationes huc tendunt. Sed præter iſta, expreſſum Scriptura fundamentum ſuppeditare nobis videtur diſtinctionis illius applicandæ ad locum præ manibus, eò quod alibi ſemper, ubi *Seraia* Pontificis genealogia deſcribitur, ejus filius nominetur *Ioſadak* pater *Ioſua*, nunquam autem *Eſdras*. Ex iſtis concludimus, nihil apparere quod extraordinariam *Eſdra* ætatem probet.

Et Sanballati.

Quod ad *Sanballatum*, in quo *Scaligeri* & *Calviſii* primaria ſpes eſt. Reſp. Suppoſito *Nehemiam* anno *Mnemonis* viceſimo Hieroſolymam veniſſe (quæ quidem *Scaligeri* & ſequacium ſententia eſt) *Sanballati* ætas extraordinaria non erit. Fuerit vicennis *Mnemonis* viceſimo, inde ad *Alexandri* quintum non ſunt ſupra quinquaginta; quando in obſidione Tyri mortuus eſt *Sanballatus* non major ſeptuagenario. Si verò *Nehemia* adverſarius ſit viceſimo *Longimani* oportuit in obſidione Tyri annos habuiſſe centum triginta. Hujuſmodi longævitatem, ut ſatis ordinariam eo ſeculo, *Scaliger* & *Calviſius* hoc loco tuentur: ſed *Capellus*, *Petavius*, *Tornicllus*, & *Henricus Philippi*, potiùs quàm hoc admittant, geminum faciunt *Sanballatum*: alium qui *Nehemia*, *Longimani* viceſimo ſeſe oppoſuit, & cujus gener à *Nehemia* ejectus eſt templo diebus *Darii*; non *Codomanni*, ut *Scaliger*, ſed *Nothi* Neh. 12. v. 22. Ejus enim diebus Pontificatum inire potuit *Iaddua*, & ad *Alexandrum* facilè perſeverare: alium verò *Sanballatum* volunt prioris filium vel nepotem, cujus filiam *Nicaſonem Manaſſes*, *Iaddua* Pontificis frater, in uxorem duxerat: quapropter non à *Nehemia* ſed à fratre *Iaddua* (ut habet *Ioſephus*) templo & urbe depulſus eſt, & in ejus gratiam *Sanballatus* ſecundus impetratâ ab *Alexandro Magno* poteſtate, templum Samaritanum in monte Garizin extruxit.

Sanballatus geminus.

2. Arg.

Pro noſtrâ ſententia argumentamur ſecundò ut priùs ex Haggæi 2. v. 4. Ibi affirmatur aliquos Judæorum conſpexiſſe ſplendorem templi primi, & eum eo comparâſſe gloriam ſecundi, impoſſibile autem hoc factu fuit, ſi non ante ſextum *Darii Nothi* ſecundum templum ſit ædificatum: nam eâ ratione videntes utrumque templum ultra centùm octoginta annos oportuit vixiſſe; tantum autem incommodum admitti non poteſt. *Haggai* locus de conſpicientibus utrumque templum, ut ſuprà diximus, non poteſt eludi. Contractio etiam temporum à *Cyro* ad *Darium*

Nothum,

Nothum, quam vel *Iudai* vel *Beroaldus*, & poſt eum *Brughtonus* ac *Niſbetus* comminiſcuntur, tam eſt abſurda, ut eam docti omnes abominentur.

3. Unum tantùm aliud proponemus argumentum. A jactis templi ſecundi fundamentis ad operis perfectionem plures non erant anni quam quadraginta ſex, ut habetur Jo. 2. verſ. 20. plerique quidem doctorum pauciores numerant, ſed plures non ſunt admittendi. Si verò *Darius Nothus* non *Hyſtaſpis* fuerat, ſub quo templum ſecundum eſt ædificatum, ab initio ad finem operis numerus ille annorum plus quàm duplicabitur, nam à ſecundo *Cyri* ad ſextum *Nothi* ſunt minimùm centum duodecim, & ſic jacuerit templum in ruderibus, & abſtinuerit populus à ſolenni ſacrificiorum cultu non tantùm ſeptuaginta, ſed propè tribus ſeptuageſimis annorum.

Pro Scaligero primum Calviſii argumentum. Primò pro contrariâ ſententiâ ſic argumentantur. *Darius* ſub quo templum eſt perfectum, ſtat medius inter duos *Artaxerxes*, ut patet ex Ezræ quarti 23, 24. & ſexti 14, 15. ac 7. v 1. inter ſe collatis: Atqui *Darius Hyſtaſpis* non ſtat medius inter duos *Artaxerxes*, nam ante eum regnavit *Cambyſes Cyri* & poſt eum ſuus filius *Xerxes*, *Darius* autem *Nothus* ante ſe habuit *Artaxerxem Longimanum*, & poſt ſe *Artaxerxem Mnemonem*.

Reſp. Negando minorem, nam *Cambyſes* ille quem ante ſe habuit *Darius Hyſtaſpis* Ezræ 4. v. 23. vocatur *Artaxerxes*, ut ſuprà probavimus, & habuit ille poſt ſe licet non immediatè *Artaxerxem Longimanum*, ſub quo *Eſdras* & *Nehemias* Hieroſolymam profecti ſunt; & verò qui cingunt *Darium Nothum Artaxerxes*, non ſunt iſti quos *Eſdras* locis citatis memorat; nam horum prior fuit *Longimanus*, poſterior *Mnemon*: illorum verò prior fuit *Cambyſes* aut aliquis Judæis inimicus, qui templi ſtructuram impediverat (quod de *Longimano* verè non dicitur) & poſterior *Artaxerxes* fuit is qui *Ezram* & *Nehemiam* in Judæam ablegavit. Hoc *Longimano* quidem, qui *Hyſtaſpidi* à tergo ſtabat poſt *Xerxem*, bellè congruit, ſed non *Mnemoni* qui *Nothum* ſequitur, ut mox apparebit.

2. Alterum *Calviſii* argumentum hoc eſt. Tempus à primo *Cyri* ad eum *Darium* ſub quo templum eſt exædificatum, tam fuit longinquum, ut edictum *Cyri* de ſolvendâ Judæorum captivitate & ædificando templo, oblivioni ab omnibus Perſis ſit traditum, nec niſi difficulter magno adhibito ſcrutinio in archivis inventum. A *Cyri* autem edicto ad *Darium Hyſtaſpis* pauci admodum fuerunt anni, non ſupra undecim: & verò *Darius Hyſtaſpis* ex *Cyri* conſiliariis fuit unus, quem recens illud de extruendo Judæorum templo edictum probè meminiſſe oportuit, utpote quod unà cum *Cyro* ipſe condidiſſet.

Reſp. Omnia hæc mera ſunt *Calviſii* commenta, nam à primo Monarchiæ *Cyri* ad ſecundum *Darii* anni erant novemdecim, nec *Darius* ullus fuit ex *Cyri* conſiliariis. Certè in bello Meſſagetico cum *Darii* pater *Hyſtaſpis Cyri* caſtra ſequeretur, ipſe ut adoleſcens in Perſiâ relictus eſt. In Principum aulis annorum novemdecim ſpatio quam altâ oblivione multa ſepeliuntur, quæ Rempub. magis ſpectant quàm templum extraneæ & pauperrimæ gentis Judæorum. Inprimis in temporibus turbulentis, qualia admodum fuerunt in Perſide, à primo *Cyri* ad ſecundum *Darii*: & verò edictum illud de Judæis non uſque adeo oblivioni traditum erat, quin parvo negotio in archivis Mediæ Ecbatanenſibus inventum ſit.

Quod tertiò pro hac ſententiâ *Calviſius* affert ab hebdomadibus *Danielis*, ſuo loco perpendetur. Cætera ejus firmamenta in primo noſtro argumento diſſolvimus. 3.

QUÆSTIO IX.

Quis fuerit Artaxerxes, *à quo* Eſdras *&* Nehemias *Hieroſolymam miſſi ſunt?*

RESp. Eò accuratiore attentione decidendum eſt hocce quæſitum, quod ab *Artaxerxis* hujus (quiſquis tandem fuerit) anno vel ſeptimo vel viceſimo multi ſtatuant celeberrimarum *Danielis* hebdomadarum principium; & tamen pauca admodum ſunt quæ hoc loco ſuperioribus poſſunt addi. Tres ſunt doctorum de *Artaxerxe* iſto ſententiæ. *Ioſephus* cum paucis ſequacibus *Xerxem*, *Darii Hyſtaſpis* filium eum arbitratur: *Sulpitius Severus Artaxerxem Mnemonem*, *Darii Nothi* filium autumat: hunc ſequitur *Scaliger* & ſuperiùs citati ex noſtris, qui *Darium Nothum* templi exædificatorem ſtatuunt. *Euſebius* verò & *Hieronymus* poſt *Iulium Africanum*, *Longimanum* malunt; quos Græci ac Latini Patres, Chronologi Pontificii, *Capellus*, etiam *Uſherus* & alii ſequuntur.

Non fuit Xerxes, ut vult Ioſephus. Contra primam *Ioſephi* ſic argumentor. *Xerxes* ſecundum nullum auctorem triceſimum Regni annum ſuperavit, ſed *Artaxerxes* qui Hieroſolymam miſit *Eſdram* & *Nehemiam*, quadraginta minimùm annis imperium adminiſtravit ſecundum omnes veteres. Certè triceſimi ejus ſecundi *Nehemias* diſertis verbis meminit Cap. 5. v. 14. Præterea *Xerxes* ab *Artaxerxe* ſuo filio ipſo nomine diſtinguitur, nec quiſquam *Xerxem Artaxerxem* nominavit, niſi forte *Artaxer-*

xem cum *Artaſhaſtâ*, & *Artaſhaſtam* cum *Ahaſuero*, & *Ahaſueram* cum *Xerxe* confundas, ſed quanto cum errore ſuprà diximus.

Non Artaxerxes Mnemon, ut vult Scaliger. Contra ſecundam *Sulpitii* & *Scaligeri* non aliis opus eſt argumentis, quàm quibus uſi ſumus contra prius eorundem placitum, quæſtione ſuperiori de *Dario Notho* templi exædificatore; hoc enim præſentis ſententiæ fundamentum eſt: ſupponunt enim (quod & nos lubenter concedimus) *Artaxerxem* eum qui *Eſdram* & *Nehemiam* miſit Hieroſolymam, ſequutum fuiſſe *Darium* iſtum qui edictum de templo perficiendo condidit: & concedunt opus non eſſe aliis argumentis ad ſententiam ſuam evertendam, & tertiam, quæ noſtra eſt, ſtatuminandam, quam quæ probant *Darium Hyſtaſpis* non *Darium Notham* edictum nominatum condidiſſe. *Ergo non relinquetur alius quàm Longimanus.* Illud autem nos quæſtione ſuperiore egimus prolixè cùm rationibus tum auctoritatibus, Crambe bis poſita mors eſt: Itaque ne actum agamus procedimus ad alia.

QUÆSTIO X.

An Septuaginta hebdomadæ Danielis tempus aliquod certum & definitam, an verò incertum & indefinitum important?

Quæſtio de ſeptimanis Danielis eſt nobiliſſima ſimul & difficillima. RESP. In toto Chronologiæ tempore quæſtio nulla eſt vel nobilior vel difficilior, quàm quæ de ſeptuaginta hebdomadis *Danielis* ab omnibus pertractatur. In hoc eſt ejus nobilitas, quod circa multò illuſtriſſimam de *Meſſiæ* morte, & ejus vario fructu Prophetiam verſetur. Difficultas inde apparet, quod licet in multis valde inter ſe Chronologi omnes diſſentiant, nullibi tamen quàm in hacee materiâ eorum diſcrepantia magis emineat: & verò omnes de magnâ hîc obſcuritate quiritantur: ſi paucos excipias, qui de facilitate nodos hîc omnes expediendi à ſe inventâ gloriantur, ſed incaſſum certè eſt hæc gloriatio; nam in iſtorum viâ, quam tam facilem & proclivem volunt, ſcabroſas adeò ſalebras invenimus, quam in aliorum quacunque.

Silentium modeſtia Eccleſiæ inutile & ingrata. Certè *Auguſtinus*, ut ex epiſtolâ 80. ad *Heſychium* videre eſt, nullis unquam precibus à quoquam perſuaderi ſibi paſſus eſt, ut hebdomadarum iſtarum tractationem in manus ſumeret. *Hieronymus* ſuo ad 9. *Danielis* commentario aliorum ſententias prolixè & accuratè recenſet, ſed ſuum ſenſum omnino declinat exprimere, ſuamque etjam de aliorum ſententiis cenſuram. *Annotatores Anglicani* in poſteriori inprimis editione *Hieronymi* tramitem inſiſtunt: aliorum recitant placita, lectori in eligendo liberum permittentes arbitrium, ſed ſuarum mentium ſenſa occultant. In hac ſeu indifferentiâ, ſeu dubitatione, ſeu *ἀδιαφορίᾳ* ſeu *ἀπορίᾳ* Annotatores Genevenſes in Biblia Gallica (citante *Reinoldo*) anteceſſores habent.

Silentium hocce, à nullâ, nec invidiâ, nec negligentiâ, ſed merâ modeſtiâ & errandi timore profectum, improbare non audemus: putamus tamen plus iis Eccleſiam debere qui aliis proficiendi ſtudio ſuas, etſi errantes ſententias, ingenuè exponunt, quàm aliis qui errandi metu ſilent, & hominum vulgus in procelloſo pelago jactari ſinunt: cum eorum multi variâ ſuâ doctrinâ & ingenii ſoliditate (etiam cum in tenebris verſari ſibi videntur) multo plus lucis & ſolaminis, ſuo qualicunque ductu & vel conamine ſequentibus procul dubio præberent, & de literatis meliùs mererent, quàm cum obſtinato ſilentio & detrectatione ducendi ſingulos ſuæ imperitiæ permittunt, & quantum in ipſis eſt ſine ullo ductore in infinitum vagari patiuntur.

Pro noſtræ brevitatis inſtituto ſex tantùm de hiſce hebdomadibus quæſtiones movebimus. *Auctoris hîc inſtitutum.* Primam in titulo præ manibus expreſſimus. Secunda erit de earum principio. Tertia de fine. Quarta de primo membro, ſeptem ſcilicet hebdomadibus ab Angelo nominatis. Quinta de portione earum altera hebdomadibus ſexaginta duabus. Sexta de membro ultimo, ſaltem ab Angelo ultimum nominato, una illa hebdomada in quâ *Meſſias* mortuus eſt.

Qui ſex iſta quæſita probè ſolverit, parum aut nihil in nodo hoc verè Gordiano inexpeditum relinquet. Sed de hiſce omnibus nimis quàm multa eſt diſcordia inter Chronologos & Scripturæ Interpretes, tam veteres quàm novos: procul à noſtris viribus eſt lites has ita componere, ut vel nobiſmet vel aliis animi quietem polliceri queamus, tantum quid in ſingulis meo magis allubeſcat animo, & ob quas rationes id fiat, ſignificabo, ut voſmetipſi ad accuratius aliquando iſtarum rerum ſcrutinium in veſtris privatis ſtudiis exeitemini.

Fateor quædam in dictis quæſitis ad poſteriores Epochas, non præſentem ſpectare, ſed is eſt nexus membrorum *Danielis* Prophetiæ præ manibus, ut ſi illa ſolviſſem diſſolvere, & eorum ultima ad ſua tempora rejicere, impediviſſem cæterorum explicationem, & nimis quamdiu ſuſpendiſſem magnam iſtius lucis partem, quæ ad tenebroſum ſatis huncce textum illuſtrandum omninò eſt neceſſaria.

Quod ad primum quæſitum ſolas partes invenio *Reinoldum* & *Brughtonum*, ejuſque hic aſſeclam *Niſbetum*. *Reinoldus* cum *Calvino* & multis aliis, hebdomadas incipiens à *Cyri* primo & claudens in *Chriſti* paſſione, *Reinoldus hebdomadas ſeptuaginta pro tempore incerto* & verò

indeſinite accipit. & verò in iſto intervallo moltò plures quàm quadringentos nonaginta annos præciſum hebdomsdarum ſpatium fluxiſſe comperium habens, novum & à ſe ſolo tritnm callem ingreſſus eſt: hebdomadas expnnens de tempore nullo certo & definito; quodcunque tandem à *Cyro* ad *Meſſiam* fluxerit. In hoc demnnſtrando multam & ſeriam operam totis ſex prælectiooibus ponit: qui poſteà cnntradixerit neminem invenio præter noſtrum *Niſbetum*, qui id quidem paucis, ſed, ut mihi videtur, rectè & ſolidè, ſi qoid aliud in tnto ſno opere, præſtat. Tanrum deſidero quod *Reinoldum* ipſum prætcriens cum ejus diſcipulo *Pemblio* excerpente de Magiſtri prælectionibus compendiolum, diſputare præ ſe ferat. Num autem *Brughtonus* quicquam poſt editas *Reinoldi* prælectiones ſcripſerit, ignoro.

Contra Reinoldum Arg. 1. Coutra *Reinoldi* ſententiam ſic argumentor primò. Numerus ille eſt certus & definitus quem Spiritus ipſe Sanctus in varia membra diſtribuit, & unicuiq; membro varias hiſtorias aſſignat; fatemur aliqoando definitam annorum ſummam pro indefinitâ neceſſariò accipiendam, ſed nbi numerus definitus dividitur in partes, & ſingulæ partes applicantur ad diverſa in iis temporis partibus eventa, ea ſumma pro incertâ & indefinitâ non poteſt accipi. Hæc autem præſeotis ſummæ eſt conditio. Cum Angelus ex Dei præſcripto ſeptuaginta hebdomadss in ſeptem ſexaginta duas & unam dividat, quidqoe futurum eſſet in ſingolis, ſaltem in ſecundâ & nltimâ parte prolixè edoceat.

2. Secundò. Tempus illud eſt certum & definitom, cojus principium, medium, & finis à Deo definiuntur: Atqui ſeptuaginta hebdomadarum principium, & finis à Deo ſunt definita. Fatentur enim omnes & ipſe *Reinoldus* etiam, incipere hoc tempus ab exitu verbi de ædificandis Hieroſolymis. Magoæ quidem lites ſunt de verâ verborum iſtorum ſignificatione; ſed quod certum principium hebdomadarum eo charactere Deus inſigniverit, nullus unquam dubitavit. Et verò *Reinoldus* verbum illud prn *Cyri* decreto accipiens, hebdomadarum priocipium in *Cyri* primo vel ſecundo figendum credidit. Quod ad earum finem, licet dıfferentia ſatis magna ſit de anois nati & mortui *Chriſti*, exciſarumque Hieroſolymarum primùm à *Tito* ac poſteà ab *Hadriano*, tamen nmnes ſatentur fini iſtarum hebdnmadarum à *Daniele* certos chstacteres imprimi; & verò *Reinoldus* mntte *Chriſti* eas definitè & ptæciſè terminat. Quod ad medium, sb exitu verbi ad caſus à *Daniele* memoratos, Aogelus expreſſe numerat hebdnmadas ſeptuaginta, ſeu ſeptem ſexaginta duas & unam; nnn plures nec pauciores.

Tertiò. Tempus illud eſt certum & definitum, quod Angelus præciſum & definitum expreſſis verbis appellat. Sed tales ſunt ſeptuaginta hebdomadæ, verſ. 24. hebdomadæ ſeptuaginta deciſæ ſunt. Non urgemus ſignificaiionem vocis נחתך primam, *præſcindere*, *decurtare*, & *abbreviare*, unde *Africanus*, & poſt eum *Pererius* & alii multi concludunt veram abbreviationem annorum ſolarium, eorumque contractionem in Lunares, diebus undecim ſolaribus minores: nnde in totâ qoadringentnrum nnnaginta annorum ſummâ quindecim decurtantur, & quadringenti nonaginta in quadringentos ſeptuaginta quinque mntantur. Et verò *Paræus* ex eodem ſignificatn nnius ſeptimanæ dimidinm abradit; contrà quam ejus adverſarius *Scaliger*, ad totalem ſeptuaginta hebdomadum ſummam unius hebdomadæ dimidium annos tres cum ſemiſſe addendos arbitratur; nns tantum nrgemus ſecundam vncis ſignificationem, noo minùs propriam & magis vulgatam quàm primam, *definire*, *ſtatuere*, *determinare*, cùm Deus dicat hebdomadss iſtas definitas & determioatas, nemo debet eas indefinitas & indeterminatas cnnſtituere. 3.

Quod diſtinguit hîc *Reinoldus* inter definitionem rei ipſius, & definitionem circumſtantiarum ſeu temporis, non ſatisfacit: nam res quam Deus hîc determinat & definit, eſt tempus & circumſtantia hebdomadarum.

Confirmatur hoc argumentum ex ſingularitate cnoſtructionis, rectè ab Anglis editione nltimâ annotatâ: dicit Angelus hebdnmadas non definitas in plnrali, ſed hebdomadas defioitam in ſingulari: jam verò ubi nomina numerorum in plurali conſtruuntur cum verbo vel nomine ſingulari, ſignificatnr illius verbi aut nnminis particularis deductio & diſtributin per ſingulas ſuas partes: itaque hac conſtructinne importatur particnlaris determinatio, nnn tantùm tntius ſummæ ſeptuaginta hebdomadum, ſed ſingularium in iſtâ ſummâ partium, qnaſi omnes iſtæ hebdomadæ & ſinguli earum dies ſeu anni determinatiſſimi dicerentur. Vide *Buxtorfii* Theſaurum pag. 342. etiam pag. 425.

Quartò. Prinres omnes temporum Periochæ à mnndi initio ad primum *Cyri*, in verbo Dei expreſſæ, ſunt certæ & definitæ: Ergò etiam hæc præ manibus expreſſa periocha non eſt incerta & indefioita. *Brughtonus* argumentum hoc deſumit à Dei exemplo, tradentis cæteras temporum periochas ab orbe condito numeris certis & 4. *Brughtoni argumentum contra Reinoldum defenditur.*

 defi-

definitis. Ridet multis hujuſmodi argumentum *Reinoldus*, attamen paulùm immutatâ formâ argumentum hoc facile ſuſtinebit, & immotum *Reinoldi* omnes arietes tepellet. Nititur vulgari Maximâ, *Paria paribus conveniunt*, ſi definita determinatio prioribus tempotum periochis convenit, multò magis ultimæ huic periochæ, quæ uſque ad *Chriſti* mortem deducit, certiſſima determinatio convenite debet: nam priorum omnium temporum certitndo fixa fuit à Spiritu Sancto, eo inptimis fine ut à mundi initio ad *Chriſtum* paſſum expedito, & certo filo fideles deducerentur. Poſteriora tempora à *Chriſto* paſſo ſuáque promiſſa implente, ac opus redemptionis conſummante, ad mundi finem deditâ operâ Spiritus Sanctus omninò indeterminata relinquit, ne ulla quotidiano piorum redituri *Chriſti* deſiderio ac expectationi temora injiceretur. Periocha verò immediatè paſſionem antecedens (ſi qua alia) definitam certitudinem requirebat. Argumentum procedit non ſimpliciter (qualiter vult *Reinoldus Brughtonum* pueriliter argumentari) ſed ex ſuppoſitione Deum ultimam hanc περιοχὴν aliquo numero expteſſiſſe, hoc ſuppoſito, argumentum probat firmitet numerum iſtum definitum fuiſſe.

Quod diſtinguit *Reinoldus* intet temporum periochas in hiſtoricâ narratione propoſitas, & in Propheticâ prædictione memoratas, nihil ipſum relevat. Deus enim cui futura æquè præſentia ſunt ac præterita, tam eſt certus & definitus in ſuis prædictionibus futurorum, quàm in narrationibus præteritorum.

Quod ad inſtantias attinet, quibus argumentum infirmare conatur *Reinoldus*, earum nulla facit ad rem præſentem, prætet unam de annis quadringentis, quibus poſteri *Abrahami* dicuntur peregrinati in Ægypto; cùm tamen triginta ſupra quadringentos in eâ ſummâ certò ſint ſubintelligendi. Reſp. Ad inſtantiam hanc ſuo loco reſpondimus geminâ diſtinctione. 1. Rotundatio numerorum pet minutiores exceſſus aut defectus non facit numerum incertum & indefinitum. 2. Anni dicti ſunt præcisè quadringenti, vel quadringenti triginta ſecundum alia & alia numerandi principia. Adde 3. Periocha ab *Adamo* ad populi exitum ex Ægypto, ex aliis Scripturæ locis definitur, non ex eo ſolo quò rotundus ille numerus quadringentorum annorum exprimitur: περιοχὴ autem præ manibus ad *Chriſti* mortem pertingens, nuſquam alibi quàm in dictis *Danielis* hebdomadis exprimitur: iſti ergo numeri non ſunt omnino pares.

Quintò. *Reinoldi* hoc commentum admitti omninò à Chriſtianis non debet; nam tempus adventus *Meſſiæ* facit omninò incertum. Ut enim *Reinoldus*, non obſtante *Danielis* Prophetiâ, ultra ſeptuaginta hebdomadas differt *Chriſti* mortem annis totis ſeptuaginta, quidni cum Judæis Prophetiæ illius finis extendi poterit ad alios ſeptuaginta annos, quando *Hadrianus* gentem Judæorum tantum non excidit? Imò cum *Apollinare*, quidni in finem uſque mundi poſſemna differre incerti hujus temporis finem? ejuſque principium ab ipſo *Adamo* cum *Origene* arceſſere? Procul fuit *Reinoldi* ſumma pietas & eruditio à teterrimis iſtis incommodis, attamen extentio hebdomadarum ad indefinitos terminos ad incertum principium & incertum finem, abſurdis hominibus latam nimis cavillandi portam aperit.

Denique contra *Reinoldum* faciunt omnia doctorum omnium teſtimonia: quantacunque enim intet doctos multos in variis quæ hebdomadas haſce ſpectant, diſcrepantia eſt; omnes tamen uno ore affirmant, certum aliquod tempus iſtis ſignificari: imò verò earum certitudinem non negant qui principium in mundi primordio, & finem in mundi exitu collocant.

Non eſt quod ex hoc doctorum catalogo *Pemblium* (virum ſanè doctum & eruditum) excipiamus; nam ſcriptum illud quod ſub *Pemblii* nomen refutat *Niſbetus*, commodè poteſt ad ipſum *Reinoldum*, nec ad alium quemcunque referri, nam ab ipſo *Pemblio* non eſt editum, ſed tantum inter ejus chartas repertum, quas olim adoleſcens ex *Reinoldi* prælectionibus, excerpſerat in compendio abſque ſui ingenii ullâ operâ, ſi unam abbreviationem excipias. *Pemblius hic idem cum Reinoldo.*

Quæ pro ſuâ ſententiâ *Reinoldus* affert primaria argumenta hæc ſunt. 1. In variis Scripturæ locis numeri dierum & annorum definiti pro indefinitis accipiuntur. Ergò ſeptuaginta *Danielis* hebdomadæ ſic poſſunt exponi. *Reſponſio ad argumenta Reinoldi.*

Reſp. Agnoſcit *Reinoldus* probabile tantùm eſſe hoc argumentum: certè argumentatio à particularibus vitium eſt quod ipſam probabilitatem excludit. Admittimus quidem aliquando tempus definitum pro indefinito accipiendum, ſed rarum id eſt, & plerumque, imò ferè ſemper numeri dierum & annorum propriiſſimè abſque ullo tropo, ullâ Synecdoche accipiuntur: & verò quando Synecdoche uſurpanda ſit Scriptura indicare ſolet, ſaltem clarâ ex quodam loco conſequentiâ, hoc autem in *Danielis* hebdomadis, non obtinet. *Ad 1.*

Secundum ſuum argumentum deſumit *Reinoldus* ex ipſo *Danielis* textu, idque vult neceſſarium & demonſtrativum: tota antem ejus vis huc devenit. Ultima ſeptuaginta hebdomadarum ſumenda eſt Synecdochicè *Ad 2.*

doebicè pro hebdomadæ tantum dimidio, ſcilicet pro tribus annis & ſemiſſe : Ergò ſeptuaginta hebdomadæ non poſſunt accipi in ſenſu proprio pro integris annis quadringentis nonaginta, ſed pro quadringentis octoginta ſex & dimidio.

Reſp. Demonſtratio hæc *Reinoldi* facit contra ſuum inſtitutum, nam diſputationis ſuæ ſcopus eſt ſeptuaginta hebdomadas extendere uſque ad annos ſeptuaginta ſupra numerum communem : hoc autem argumento intra numerum communem eas reſtringit. Sed *Reinoldo* concedamus miram artem contrarium ex contrario deducendi, procudat dilatationem ex contractione, & quidem dilatationem magnam ad annos ſeptuaginta, ex contractione parvâ annorum trium cum ſemiſſe: nihilominus corruet tota hæc argumentatio, ipſo fatente, modò ruat ejus fundamentum in hoc poſitum, quòd hebdomadæ finiantur in morte *Chriſti*, & *Chriſtus* mortuus ſit in medio non fine hebdomadis ultimæ. Utraque fundamenti hujus pars quàm eſt fragilis & ficta? Nullus apud *Reinoldum* Chronologus eſt *Scaligero* major, hic autem cum *Iunio* & aliis permultis negat hebdomadas terminari in morte *Chriſti*, ſed annis triginta ſex aut quadraginta poſt eam in ſecundo Hieroſolymorum per *Titum* excidio. Quum & hoc *Reinoldo* concedamus in morte *Chriſti* ſeptimanas claudi: an ex eo ſequitur ultimam ſeptimanam tribus annis & medio decurtandam? Certè ſi vel in principio ſeptuageſimæ ſeptimanæ *Chriſtus* eſſet mortuus, rectè dicerentur ſeptuaginta ſeptimanæ claudi ejus morte, eò quòd in earum ultimâ ipſe fuiſſet mortuus: quæcunque enim in ullius diei, menſis, anni, aut hebdomadæ annorum principio contingunt, ea iſto die, menſe, anno, & annorum hebdomadâ contingere dicuntur tam propriè quàm ſi vel in medio, vel fine iſtius temporis contigiſſent.

De terminis hebdomadarum contra Paræi, Reinoldi, & Scaligeri extravagantias.

Sed hoc omiſſo. Quid vetat *Chriſtum* in ſeptimanæ ultimæ extremo crucifixum, non enim dicit *Daniel*, *Chriſtum* mortuum ſeptimanæ medio. Legatur textus, nullibi verba hæc apparebunt, ſi autem per conſequentias agat *Reinoldus*, optimi Theologi negabunt hanc ſequelam : hebdomadæ medio defecit hoſtia & ſacrificium, Ergò eodem momento *Chriſtus* mortuus eſt.

Quin pergamus eſſe *Reinoldo* liberales, eodem momento mortuus ſit *Chriſtus* quo defecit ſacrificium, & verò (quod tamen nemo conceſſerit) hebdomadæ medium, ſex toti menſes ad unum *Chriſti* mortis momentum contrahatur : an hinc neceſſariò ſequitur *Chriſtum* mortuum annos tres & medium ante hebdomadæ finem? hac ratione mortuus fuerit non in medio, ſed ante medium hebdomadæ, in priori ſcilicet ejus dimidio.

Prolixè cùm *Scaliger* tum *Reinoldus* de voce *Medii & dimidii* diſputant: quaſi inter iſta duo vera eſſet differentia. Sed tamen concedere coguntur voces eas ſæpe promiſcuè ſumi, & quomodocunque alibi, hoc certè loco interpretes vocem חצי indifferenter pro *medio & dimidio* uſurpant. Propheta quidem qui in *Chriſti* morte accuratus eſſe vult, ut in eventu ab orbe condito ſummè memorabili, non tantùm ejus hebdomadam notat, ſed iſtius hebdomadæ deſignat dimidium: utrum verò dimidium ejus prius an poſterius intelligat, an ipſam inter utrumque medietatem, non ita planum eſt : auctores magni ſunt pro omnibus tribus ſententiis.

Medium hic à dimidio non diſtinguendum.

Nos hîc tres tantùm ſcopulos cupimus declinare, primum *Paræi*, qui ultimam ſeptuageſimæ *Danielis* hebdomadam vult tribus tantùm annis & ſemi anno conſtare, abradens ab eo ſeptennio integrum poſterius dimidium. Secundum *Scaligeri*, qui ultimam eam hebdomadam vult conſtare non tantùm integris ſeptem annis, ſed inſuper tribus & ſemiſſe, illi addens alterius ſeptimanæ dimidium. Tertium denique *Reinoldi*, qui ad medium ultimæ hujus hebdomadæ *Chriſti* mortem reſtringit, ut non tantum poſterius dimidium ab ea hebdomada velit abjici, & prius dimidium totius hebdomadæ nomen per Synecdochen ferre; ſed ex hac unius Synecdochicâ contractione demonſtrari putat ſimili Synecdoche, cæteras omnes hebdomadas extendi poſſe ad quotvis plures, ſaltem ad annos ſeptuaginta. Incommoda hæc tria concocta adeo ſunt difficilia, ut viri hi multò doctiſſimi paucos admodum adhuc reperarint, qui ipſos in hæc avia voluerint ſequi. Sed de ultimâ iſtâ hebdomadâ plura ſuo loco.

Aliâ demonſtratione ex *Danielis* verbis probare ſibi videtur *Reinoldus* hebdomadas Synecdochicè interpretandas. Prima (inquit) earum pars, hebdomadæ ſcilicet ſeptem, extendendæ ſunt ad multo plures: nam vult *Daniel* impeditam Hieroſolymorum inſtaurationem ſeptem iis hebdomadis, conſtat autem extructum Hieroſolymorum murum à *Nehemia* non ante *Mnemonis* viceſimum, plus centum annis à *Cyri* primo : ad quos omnes extendi oportet ſeptem hebdomadas, quibus affirmat *Daniel* extruendam urbem : & verò cum hebdomadum prima portio per Synecdochen ita extendatur, quidem cæteræ portiones & tota ſumma ſimili tropo ad majorem multo numerum annorum extendi poſſint.

Ad 2.

Reſp. Demonſtratio hæc (ut & prius) Pſeudographema eſt in multis peccans, non dicit *Daniel* primis ſeptem hebdomadis vel extructum murum, vel impeditam muri ſtructuram r ntrique ſeptuageſimæ portioni ſeptem hebdomadis, & ſexaginta duabus hebdomadis ſubjicit ſtructuram muri, ſed quâ parte iſtarum portionum vel extructus vel impeditus ſit murus, non dicit. Certè *Scaliger* profitetur ſe omnino neſcire, ob quam cauſam ſeptem iſtæ hebdomadæ à reliquis ſeparatæ ſint. Sed hac de re ſuo loco.

Deinde licet diſertè, & non per longinquas conſequentiarum ambages, affirmâſſet *Daniel* ſeptem hebdomadis impeditam urbis ædificationem, & verò ultra ſeptem ad viginti uſque impeditionem iſtam perſeveráſſe, an propterea per Synecdochen ſeptem hebdomadæ continuiſſent iſtas viginti? Quæ hic mira troporum novitas?

Denique tota hæc argumentatio nititur falſis *Reinoldi* principiis, incepiſſe ſcilicet hebdomadas primo *Cyri*, & extructum murum viceſimo *Artaxerxis Mnemonis*, non *Longimani*. Iſta nos non admittimus.

Ad 3. Ultimum *Reinoldi* argumentum verè primarium quod eum ante omnia, ſi non ſolum in ſua avia ſeduxiſſe videtur, hoc eſt. A principio ſeptimanarum ad earum finem, ab edicto *Cyri* ad *Christi* mortem fluxerunt anni minimùm ſeptuaginta ſupra quadringentos nonaginta (primum & proprium ſeptuaginta hebdomadarum numerum) Ergò ſeptuaginta ſeptimanas neceſſe eſt per Synecdochen extendere ad plures.

Reſp. Nolumus cum *Reinoldi* adverſariis *Beroaldo, Brughtono, Pareo, Hovvæo, Niſbeto*, & aliis negare tot annos fluxiſſe à *Cyro* ad *Chriſtum*, certè hoc eſſet ſecare non ſolvere nodos. Exiſtimamus quidem *Reinoldum* multò doctiſſimè poſt *Scaligerum* & ante *Ubonem Emmium*, demonſtráſſe injuriosè & abſque omni causâ auctores nominatos accuſare falſi veteres omnes Chaldæos, Græcos, Latinos, quaſi regno Perſico annos centum ſupra debitum aſſignáſſent. Sed id quod *Reinoldo* nos reponimus eſt, malè ipſum hebdomadarum principium collocáſſe in primo *Cyri*. Quod ſi cum *Scaligero* (quem fere ſemper, imò etiam in hoc ipſo argumento ſæpe ſequitur) hebdomadas inchoâſſet à ſecundo *Darii Nothi*; vel cum doctorum catervâ cùm veterum tum recentiorum ab *Artaxerxis Longimani* ſeu ſeptimo ſeu viceſimo; facilè ſe ſuis laqueis exuiſſet, & nullâ Synecdoche, nullâ extenſione numerorum præciſorum habuiſſet opus. Sed quod fuerit iſtarum hebdomadarum verum principium jam videamus.

QUÆSTIO XI.

Quod ſit verum principium ſeptuaginta hebdomadarum Danielis?

RESp. Majorem non memini diſcrepantiam inter ſeu Chronologos ſeu Scripturæ interpretes, veteres, novos, Proteſtantes, Pontificios, quàm in quæſito præ manibus. Salvâ Doctorum cuique ſuâ reverentiâ, noſtros hac de re ſenſus, quàm poſſumus perſpicuè & breviter proponemus. *De principio 70. ſeptimanarum magna eſt inter Scriptores diſcrepantia.*

Indubitatum & incontroverſum (ſi paucos Judæos excipias) hebdomadarum principium eſt in exitu ſermonis de reædificatione Hieroſolymorum: hunc enim à parte antè Epochæ hujus terminum Angelus *Gabriel* diſertis verbis ſtatuit. Sed hîc lis omnis oritur, Quando tandem ſermo ille de Hieroſolymis reædificandis exiverit. In Grammatico verborum ſenſu non eſt quod immoremur.

Quòd *Vatablus* & alii premunt ſignificationem verbi שוב quaſi notaret Angelus edictum non tantum de reædificandis Hieroſolymis, ſed etiam de reducendo populo: etſi ad noſtrum inſtitutum faceret, amplecti tamen non audemus. Nam ut multis exemplis probat *Scaliger* verbum שוב actionem antecedens nihil aliud ſignificat quàm nudam iſtius actionis repetitionem: ita ut verbum *ad reverti faciendum & ædificandum* nihil aliud ſit quàm reædificandum: quemadmodum Commentatores fere omnes hoc loco exponunt. Certè Septuaginta Interpretes, etſi verſus viceſimi quinti initio transferant vocem לְהָשִׁיב per ἀποκριθῆναι (quòd non niſi benignâ valde mente in ſenſum ullum commodum poteſt trahi) tamen in verſus fine eandem vocem תָּשׁוּב in *Kal* rectè per πάλιν, ut aliàs ſæpè, vertunt. *Significatio verbo שוב*

Sed Grammaticationibus omiſſis de re ipſâ quæritur. Quis ſit hic exitus verbi, vel quando hoc verbum de Hieroſolymorum reædificatione exiverit? Præteritis extravagantibus nimis & ſingularibus paucorum opinationibus, ſex ſunt ſententiæ celebriores, quarum unaquæque multos & magni nominis ſequaces habet.

Prima eſt *Lyrani, Vatabli, Pauli Burgenſis* & aliorum, qui verbi exitum interpretantur de prophetiâ Jeremiæ cap. 29. v. 10. de quâ *Daniel* capite hoc nono quâ prædicitur reditus populi poſt ſeptuaginta annorum captivitatem anno *Zedekiæ* quarto, ante urbis excidium ſeptimo. Ab hac mente non procul abſunt Rabbinorum plerique, qui hebdomadas inchoant à primo, & claudunt in ſecundò urbis excidio. *Prima ſententia Lyrani de quarto Zedekiæ diſplicet.*

Sententia hæc non placet: certè multò rectior

rectior fuit prima *Lyrani* mens, dum hebdomadas cum *Africano* inchoaret ab *Artaxerxu* viceſimo, δεύτεραι φροντίδες non hîc ſunt σοφώτεραι ſed φαυλότεραι; à ſaniori ſententiâ dimotum ſe *Lyranus* fatetur levi nimis argumento, quòd putaret ſe cogi, ſi in prima mente perſtitiſſet, *Mardochao* ducentorum quinquaginta annorum longævitatem concedere. Quomodo incommodum hoc facile evitâſſet ſuprà diximus: utcunque contra poſteriorem & pejorem ejus ſententiam iſta paucis afferimus.

Primò. Ad eam tempora non omninò quadrant, nam à prima hebdomada ad ultimam non fluxerunt ſupra quadringentos nonaginta annos: Atqui à quarto *Zedekia* ad *Chriſtum* numerantur ſupra ſexcentos. Secundò. Terminus nullus hebdomadum debet poni præcedens viſionem *Danielis*, ſed quartus *Zedekia* diu eam. anteceſſit. Tertiò. Ratio nulla eſt cur verbi exitum potius referamus ad prophetiam cap. 29. quàm ad prophetiam cap. 25. v. 12. ubi primùm *Ieremias* prædicit populi reditum poſt annos ſeptuaginta, ſcilicet duodecim annis ſupra dictum terminum *Ioakimi* quarto & *Nebuchadnezaris* primo. Imò verò ſi hebdomadum principium ſtatuendum ſit in Prophetiis de Hieroſolymorum reſtauratione, quid vetat quominùs ad primam hac de re prophetiam aſcendamus' Iſ. 45. v. 28. ubi *Cyrus* urbem & templum reædificaturus prænunciatur plus quàm ſeptingentis annis ante hebdomadum finem?

Secunda etiam Parei & multorum de primo Darii Medi diſplicet.

Sententia ſecunda eſt eorum qui exitum ſermonis interpretantur de ſermone qui à Deo prolatus eſt Angelo *Gabrieli* deferendus *Danieli* prophetæ, de quo cap. 9. v. 23. Inchoant hi hebdomadas à primo *Darii Medi*. Huc refere eos qui exitum ſermonis ſtatuunt in primo vel ſecundo *Cyri* (parvum enim eſt intervallum) quando ſecundum Prophetarum prædictiones & Angeli hic nuncium, *Cyrus* edicto ſuo Judæis reditum in patriam & poteſtatem tam urbem quàm templum ædificandi conceſſit. In hac ſententia ſunt ex veteribus & recentioribus permulti, *Origenes*, *Clemens Alexandrinus*, *Tertullianus*, *Beroaldus*, *Brughtonus*, *Paræus*, *Reinoldus*, *Hovæus*, *Niſbetus*, Annotatores Anglicani editione priori diſertis verbis, etſi poſteriori huc tantum inclinent, profitentes dubitationem & incertitudinem. Sententiam hanc amplecti nos nequimus, inprimis hac ratione quòd tempora non quadrent, ſic enim contra eam argumentamur.

Exitus ſermonis à quo ſeptuaginta hebdomadæ incipiunt, anteceſſit *Chriſti* mortem annis tantùm quadringentis nonaginta, ſed verbum vel à Deo *Gabrieli*, vel à *Gabrielo Danieli* prolatum, ſeu ejus quæcunque executio per edictum *Cyri* de reditu Judæorum anteceſſerunt *Chriſti* mortem annis minimùm centum ſupra quadringentos nonaginta: Ergò nihil iſtorum eſſe poteſt exitus ſermonis à quo hebdomadæ incipiunt. De minori rota eſt controverſia, eam quidem *Reinoldus* concedit, & majorem eludit commento ſibi proprio, quod ſuperiori quæſtione diſcuſſimus. Sed præter *Reinoldum* cæteri omnes hujus ſententiæ fautores negant minorem, & dum eam probamus conſentiente auctorum omnium exoticorum teſtimonio, Chaldæorum, Græcorum, Latinorum, (de quo Patres Eccleſiæ Græci, Latini, & recentiores Proteſtantes, Pontificii, nullum movent dubium) nihilominùs ipſi mirâ audaciâ contra tantam auctoritatem frontem obvertunt. Certè cùm tot & tantorum conſenſum audeant contemnere, æqui bonique conſulere debent, ſi ipſorum hac de re placita ab aliis parvi pendantur. Ipſis ſemper in ore eſt *Danielis* auctoritas ut umbo contra omnia tela. Equidem Chriſtianus non eſt qui hoc ipſis libenter non concedat, unum *Danielem* omnibus omnium mortalium humanis ſcriptis anteferendum. Sed non debent ipſi petere principium, & id de quo quæritur, emendicare: probent ullo *Danielis* aut cujuſquam alîus Sacri ſcriptoris teſtimonio, à primo *Cyri* ad *Chriſti* mortem fluxiſſe annos tantùm quadringentos nonaginta; vel quod idem eſt, à primo *Cyri* ſeptuaginta hebdomadas ſumpſiſſe principium, & nos dabimus manus: Sin minùs nobis permittant auctores ſacros cum exoticis conciliare, cur enim illi inter ſe committendi & ad pugnam cogendi, qui levi operâ in bellam concordiam perſuaderi poſſunt?

Omnis hîc quæſtio eſt tantùm de primâ eaque parvâ temporum iſtorum parte; concedunt enim exoticos auctores rectiſſimè diſponere tempora Monarchiæ Græcæ & Romanæ, imò verò ab *Alexandro Magno* ad hunc uſque diem totalem temporum ſummam ſupra annos bis mille ab auctoribus profanis exactè traditam fatentur. Tantùm in Monarchia Perſarum digerendâ lapſos volunt: Si de annis paucis, ſi de uno aut altero luſtro, ſi de tribus aut quatuor Olympiadibus quæreretur, non contenderemus, ſed cùm viros graviſſimos in parvo intervallo à *Cyro* ad *Alexandrum*, in annorum ducentorum triginta ſpatio velint omnes antiquos falſos annis totis centum, quærant oportet apellas Judæos qui ipſis credant. Certè crimen hoc nemo mortalium ante noſtra ſecula affinxit præſtantiſſimis viris, qui de hiſtoriâ & Chronologiâ tam benè meriti ſunt, quàm alii quicun-

quicunque ad hunc diem. Verumenimverò ne vel totius generis humani auctoritatibus opprimere velle videamur ullam rectæ rationis & claræ veritatis micam; perpendamus decem instantias quas *D. Nisbetus* contra hoc noſtrum argumentum ex aliis congeſſit.

Imperium Perſarum contra omnium antiquorum fidem non eſt decurtandum.

Diximus eò recidere noſtri argumenti pondus, à *Cyro* ad *Alexandrum* fluxiſſe annos ſupra ducentos; hoc ſi verum eſt, non negabunt, hebdomadas *Danielis* multò ſeriùs *Cyri* primo incipere. In hoc ergo totis viribus incumbunt, ut evincant contra doctorum omnium turbam, Monarchiam Perſarum (ſeu intervallum à *Cyro* ad *Alexandrum*) non ultra annos centum viginti quinque duraſſe. Itaque in hanc rem prodeat argumentorum *Nisbeti* tota decuria.

Objectio Nisbeti 1.

Primum hoc eſt. A primo *Cyri* ad *Christi* mortem fluxerunt tantùm ſeptuaginta hebdomadæ annorum, ſeu anni quadringenti nonaginta, ſed ex his adſcribendos conſtat Græcorum Monarchiæ trecentos præterpropter, & Romanorum ſexaginta. Ergò Monarchiæ Perſarum reliquæ ſunt non ſupra centum quadraginta.

Reſp. Argumentum hoc omninò nullum eſt, nihil enim probat, ſed ſolùm ſumit quæſtionem, nimirum hebdomadas revera incepiſſe à primo *Cyri*. *Reinoldus* quidem hoc concedit *Nisbeto*, qui in hoc argumento ipſi eſt ὁμόψηφος, ſed nihil hoc ad nos, nec ad rem ipſam; etſi etiam *Reinoldus* ſibi ſatisfaciat in neganda quam à ſua conceſſione *Nisbetus* nectit ſequelâ, per ſupra dictam ſuam Synecdochen.

2. Secundum *Nisbeti* argumentum. Quadringenti nonaginta anni ſunt decem jubilæa, incipientia ab exitu ſermonis & deſinentia in morte *Christi*, ſed ſi per extenſionem Regni Perſarum quicquam addatur ad hos quadringentos nonaginta, *Christi* mors non cadet in Jubilæum.

Reſp. Quot in hoc argumento ſunt peccata? quæ neceſſitas vel rationis vel auctoritatis cogit *Christum* mori in Jubilæo? annon omnes dies & anni feſti tam quam Jubilæum referebantur ad *Christum*? Ergone *Christum* mori oportuit in Sabbato, in Neomeniâ, in Paſchate, in Pentecoſte, in Feſto tabernaculorum, tubarum, & in cæteris omnibus temporum ſolennibus, hocne fuit neceſſarium, imò an poſſibile? Deinde an emortualis *Christi* annus verè fuit in Jubilæo? Quibus teſtibus hoc probat *Nisbetus*? Ne uno quidem. 3. Quid verat *Christum* mori in Jubilæo, etſi hebdomadæ incipiant anno ſeptimo *Artaxerxis* vel anno ejus vigeſimo, vel etiam ſecundo, ſeu ſexto *Darii*: nam anni quadringenti nonaginta ſemper faciunt decem Jubilæa? Ergò à quocunque termino hebdomadas incipias, modò in paſſione claudas, mori poterit *Christus* in Jubilæo, primus *Cyri* aliquid forte ad hoc impediendum, ſed nihil omninò ad iſtud præſtandum contribuit.

Tertium *Nisbeti* argumentum. Si regnum Perſarum duravit annos ducentos, tum *Zorobabel* perſeveravit in gubernatione Judæorum annis centum quadraginta ſex, ſcilicet uſque ad *Nehemiæ* initia anno vigeſimo *Artaxerxis Mnemonis*: Atqui hoc abſurdum. 3.

Reſp. Neque in hoc argumento quicquam eſt ſani: nititur enim falſo *Reinoldi* & *Scaligeri* principio, fuiſſe *Mnemonem* non *Longimanum*, ſub quo miſſus eſt Hieroſolymam *Nehemias*: certè inter vigeſimum *Longimani* & vigeſimum *Mnemonis* ſunt anni ſupra ſexaginta. Præterea nullâ ratione probari poteſt *Zorobabelis* gubernamen cum *Nehemia* nexu continuo cohæſiſſe: de *Zorobabele* poſt abſolutum templum *Darii Hyſtaſpis* ſexto, poſt primum Monarchiæ Perſicæ non ſupra viginti tres, Scriptura nihil memorat.

Quartum, quintum, ſextum & ſeptimum *Nisbeti* argumentum ſumuntur ab extraordinariis ætatibus *Ioſua* Pontificis, populi conſpicientis utrumque templum, *Eſdra* & *Nehemiæ*: de his omnibus ſuprà. Omnia hæc nituntur falſis *Scaligeri* principiis, templum ſcilicet ſecundum à *Dario Notho* non *Hyſtaſpis* extructum, & *Eſdram* ac *Nehemiam* à *Cyro* ad *Darium Codomannum* vitam produxiſſe: commenta hæc ſunt nullo teſte, nullâ ratione firmata. 4.5.6.7.

Octavum argumentum eſt teſtimonium *Cteſiæ*, aſſerentis *Darium Hyſtaſpis* tantùm abfuiſſe ut regnârit annos triginta ſex, ut tot annos non vixerit. 8.

Reſp. *Cteſiam* non vidit *Nisbetus*, ſed nos ad *Brughtonum* remittit: *Brughtonus* verò citare ſolet auctorum nomina ſed non locos. *Cteſias* eſt ſcriptor parvæ auctoritatis, ſi *Plutarcho* viro graviſſimo credimus, multa ille falſa & fabuloſa infarcit ſuo ſcripto, quod etiam jamdudum periit, ſi pauca excipias fragmenta. Sed ſit *Cteſias* quantæ vult quiſquam auctoritatis: ſi ejus ſententiæ vult *Nisbetus* ſtare, cadet causâ: quotcunque enim *Dario* vel aliis annos detrahit, tot *Cambyſi* aliiſque addit, ſupra vulgarem calculum, ita ut totam ſummam Monarchiæ Perſicæ omninò augeat; nequaquam imminuat. Quod verò ad *Darium* attinet, *Herodoto* qui proximè ad eum acceſſit, & *Xerxi* ejus filio fuit σύγχρονος, major adhibenda eſt fides: utcunque *Cteſias*, prout eum citat *Hovvæus* & alii *Nisbeto* σύμψηφοι, *Dario* dat, etſi non cum *Herodoto* triginta ſex, tamen triginta unum: & pro quatuor quos *Dario* detraxit, *Cambyſi* ejus præde-

prædeceſſori totos decem addit ſupra octo *Herodoti.*

Dum excerpta illa *Cteſiæ* inſpicio, prout eum *Henrici Stephani* editione Latinâ in fine *Herodoti* excuduntur, prioribus addo varios ibi auctores, *Ariſtotelem*, *Aulum Gellium*, *Tzetzem*, & alios de nugaci *Cteſiæ* mendacitate abunde teſtari. Et verò quis negaverit vanum & mendacem qui confidenter orbi obtrudit integrum populum κυνοκέφαλον, latrantem non loquentem, & gentem unipedem μονοσκελῆ, currentem tamen celerrimè ſaltuatim, quin & populum ſine cervice oculos gerentem in humeris, & alia multa hujuſmodi falſiſſima monſtra? Quod ad locum à *Niſbeto* objectum, rectè fecit *Brughtonus*, quod eum non deſcripſerit. Certè in fronte tam putidam falſationem præ ſe fert, ut *Henricum Stephanum* (nimis quam alioquin *Cteſiæ* ſtudioſum) puduerit Latinè transferre. Aſſerit quidem *Darium* unum & triginta annos in regno egiſſe, ſed ante regnum annos tantum habuiſſe duodecim. Omiſit hoc *Stephanus* in ſuâ interpretatione, non enim eâ fuit fronte, ut *Darium* duodecennem puerum *Magum* interfeciſſe, & à Perſis in Regem electum affirmare cum *Cteſiâ* auſus fuerit.

9. Nonum *Niſbeti* argumentum. *Dario Notho* (inquit) vulgò attribuuntur anni novemdecim, Scriptura autem ei largitur tantùm ſex, nam ſexto ejus anno abſolutũ eſt templum, & poſteà de eo tacet Scriptura. Prætereà *Artaxerxis Mnemonis* ſeptimo miſſus eſt *Eſdras* Hieroſolymã, hic autem annus memoratur proximè à *Darii* ſexto, nam Eſd. 6. 4. dicuntur Iudæi proſperâſſe in ædificatione templi juxta decretum *Cyri, Darii,* & *Artaxerxis.* Itaque *Artaxerxes* unà cum *Dario* regnavit, & unà cum eo templi ſtructuram promovit.

Reſp. Multa peccat hoc argumentum. Demus *Darium Nothum* templi extructorem, & *Artaxerxem Mnemonem* miſiſſe *Eſdram* Hieroſolymam (quod utrumque falſum) quî tamen probabitur gemina hæc ſequela? Primò, Scriptura meminit ſexti anni *Darii*, Ergò *Darius* non habuit plures. Secundo mentio fit ſeptimi *Artaxerxis* poſt ſextum *Darii*, Ergò primus *Artaxerxis* fuit *Darii* primus, & filius cum patre regnavit omnibus annis patris, etiam primo. Putidiſſimæ ſunt hæ conſequentiæ, quibus addi poteſt tertia prioribus nihilo minùs vecors. *Cyri, Darii,* & *Artaxerxis* decretis promota eſt templi extructio: Ergo *Cyrus, Darius,* & *Artaxerxes* ſimul regnârunt, & primus *Cyri* fuit primus non tantùm *Darii*, ſed & *Artaxerxis.*

10. Decimum *Niſbeti* argumentum hoc eſt. Templi extructio duravit à primo *Cyri* ad ſextum *Darii Nothi*. Inter hos terminos fluxerunt ſecundum nos anni centum duodecim, ſacra autem Scriptura eos contrahit ad quadraginta ſex Joan. 2. v. 20.

Reſp. Et hoc argumentum nititur falſo principio, *Darium* extructorem templi fuiſſe *Nothum* non *Hyſtaſpis*: vera quidem Chronologia templi ſtructuram à primo *Cyri* ad ſextum *Darii Hyſtaſpis* contrahit non tantùm ad annos quadraginta ſex, ſed ad hujus ſummæ dimidium viginti tres, non propterea tamen vel unus annus de vulgari ſummâ Monarchiæ Perſicæ ſubducendus eſt.

Ita reſpondimus ad decem *Niſbeti* inſtantias contra noſtrum argumentum; videamus quæ ipſe adferat pro ſuâ ſententiâ. Primum ejus argumentum eſt à teſtimonio *Hieronymi* & *Euſebii*, qui hebdomadas à primo *Cyri* incipiunt. *Argumenta Niſbeti pro ſuâ ſententiâ.*

Reſp. In citandis teſtimoniis percommoda ſemper eſt αὐτοψία, ſi ſuis hic oculis 1.
citatos auctores inſpexiſſet *Niſbetus*, utrumque ſuum teſtem dimiſiſſet inauditum. *Hieronymus* in 9. Dan. quæſtionis difficultate deterritus profitetur audere ſe nihil omninò pronunciare, aliorum ſententias tantùm recitat, liberum lectoribus permittens eligendi arbitrium. Sententia autem quam primo loco & prolixiſſime refert, eſt *Africani*, qui hebdomadas non à primo *Cyri* ſed vigeſimo *Artaxerxis Longimani* inchoat.

Quod ad *Euſebium*, aliquando quidem ille hebdomadas inchoat à primo *Cyri*, aliquando à ſecundo *Darii Hyſtaſpis*; ſed cùm à *Cyro* inchoat, ex hoc ipſo fonte in putidos valdè errores dilabitur, nunquam quidem *Euſebio*, nec antiquorum cuiquam in mentem venit Monarchiæ Perſicæ prope dimidium, annos integros centum abradere; ſed eò tamen devectus eſt *Euſebius* vecordiæ, ut ex eo quod ſtatuiſſet hebdomadum principium primi *Cyri*, putaverit ſibi neceſſarium *Chriſtum* ducem à *Daniele* memoratum exponere non de *Ieſu Chriſto*, ſed de ultimo ex Maccabæis Pontifice: claudere etiam hebdomadarum penultimam ſexageſimam nonam in captis à *Pompejo* Hieroſolymis, annis centum ante *Chriſtum*: ſeparare etiam hebdomadarum ultimam à penultimâ toto iſto centenarii ſpatio. Nihil puto iſtorum *Niſbeto* placebit.

Secundum ejus argumentum hoc eſt. 2.
Exitus verbi à quo hebdomades incipiunt Dan. 9. v. 25. eſt verbi exitus de quo agitur ibid. verſ. 23. Atqui exitus verbi de quo verſ. 23. fuit primo *Cyri*, eo ſcilicet tempore cum precaretur *Daniel*, nimirum primo *Darii Medi* qui cum primo *Cyri* coincidit. Confirmatur major ab Eſdræ 6. v. 14. ubi reparatio templi dicitur facta mandato Dei, nulli autem Perſarum Regi, ſed ſoli Angelo *Gabrieli* factum eſt Dei mandatum.

Reſp. Negatur major ferè ab omnibus Chronologis & Interpretibus: non tantùm iis qui ſtant pro cæteris ſententiis, ſed

etiam à pleriſque eorum qui tuentur hanc præ manibus: verbi enim exitum etiam iſti interpretantur non de mandato facto *Gabrieli*, & ſignificato *Danieli*, ſed de aliqua parte rei iſto *Gabrielis* nuncio expreſſâ; ita ut verbum quod à Deo exiit ad *Gabrielem*, quo ſtatim is ſignificaret *Danieli* divinum beneplacitum, non ſit idem cum iſtius beneplaciti eâ parte, quâ divino inſtinctu Reges Perſarum impulſi ſunt ad mandandam Hieroſolymorum reſtitutionem. Verbum prius fuit ſolius Dei, verbum poſterius etiam hominum; verbum prius ſoli *Gabrieli* inſpiratum fuit ut uni *Danieli* ſignificaretur; verbum poſterius Regibus Perſarum erat inſpiratum, ut publico edicto Iudæis & gentibus promulgaretur.

Locus ad majorem confirmandam adductus eam evertit. Fatemur edictum Regum cum divino mandato coiviſſe & quemadmodum Eſdræ 7. verſ. 28. edictum Regum circa res templi divinum mandatum dicitur, ita c. 6. v. 14. edicta *Cyri, Darii*, & *Artaxerxis* circa ſtructuram etiam urbis, ut multis placet, juſſum divinum nuncupatur. Inſtinctus quoque is quo Regum illorum Spiritum Deus ad opera divina excitavit 2 Chron. 36. v. 23. & Eſd. 1. v. 2. diſertis verbis divinum mandatum dicitur, non propterea tamen verbum illud quod exiturum prædicitur à Deo & Regibus Daniel 9. v. 25. de reſtauratione Hieroſolymorum, idem verbum fuit cum eo quod ibidem dicitur jam exiviſſe à Deo *Gabrieli*.

H vvai pro ſecundâ ſententiâ arg. 1. *Hovvaus* pro hac ſententiâ, ſaltem ut probet hebdomadarum principium in primo *Cyri*, diſputationem *Paræi* contra *Scaligerum* & *Calviſium* in quinque redegit argumenta. Primum hoc eſt. Hebdomadæ ſumpſerunt initium ab exitu verbi abſoluto, atqui ſolus primus exitus verbi ab edicto *Cyri* fuit abſolutus, ſecundus autem exitus in edicto *Darii*, & tertius ac quartus in edictis *Artaxerxis* non fuerunt verbi exitus abſoluti.

Reſp. Negamus minorem, nam exitus primus in edicto *Cyri* tam fuit limitatus quam vel ſecundus vel tertius, vel quartus, exitus autem ille de quo *Daniel* abſolutè loquitur; ad quem verò in particulari determinandus ſit, rei ipſius eventus à poſteriori declaravit, is certè neceſſariò exitus intelligendus eſt, à quo ad *Christum* fluxerunt non plures anni quàm quadringenti nonaginta, hoc autem de *Cyri* edicto non eſt verum.

2. Secundum *Paræi* argumentum hoc eſt; Ab eo exitu verbi, ſeu eo edicto Regum inceperunt hebdomadæ, quod ipſe *Daniel* diſtinctè intellexit, & de quo ipſe fuit certus ac conſolationem accepit in ſuo luctu: Atqui ſolum *Cyri* edictum non alia aliorum Regum fuerunt talia.

Reſp. Negari poteſt utraque propoſitio: Major, quia multa Prophetis revelata ſunt futura, quorum ipſi tempora diſtinctè non cognoverunt. De quibus tamen fuerunt certiſſimi & magnam conſolationem acceperunt. Minor quoque vera non eſt, nam tempore revelationis, & precum; edictum *Cyri, Darii*, & *Artaxerxis* æquè fuerunt nota & ignota, omnia ſcilicet futura nondum revelata, niſi quantum tum fuit revelatum de verbi exitu aliquando futuro, de reſtauratione Hieroſolymorum & morte *Meſſiæ*, intra quadringentos nonaginta annos, non in præſenti, ſed mox inchoandos tempore Dei opportuno. Iſta ſcivit *Daniel* diſtinctè, & de iis certus factus conſolationem cepit: magiſque diſtinctam & particularem notitiam non putavit Deus ipſi neceſſariam.

Tertium *Paræi* argumentum. Niſi hebdomadatum initium in publico *Cyri* edicto ſtatuatur, veteris Eccleſiæ fides de tempore mortis *Meſſiæ* incerta vacillâſſet. 3.

Reſp. Vetus Eccleſia non agnovit certitudine fidei ipſum annum morituri *Meſſiæ*: tam diſtinctam enim illius eventûs notitiam non putavit Deus commodum Eccleſiæ indulgere. Præterea nil vetat Dei populum *Christi* mortem in hebdomadarum extremo æquè diſtinctè cognoſcere, quodcunque tandem hebdomadarum principium fuerit: tam enim iis cognitum erat edictum *Darii* & utrumque *Artaxerxis*, quàm primum *Cyri*.

Quartum, mihi quidem cæteris omnibus gravius, hoc eſt. Niſi hebdomadæ à primo *Cyri* incipiant, in ſacrâ Chronologiâ erit hiatus. Ab initio mundi ad primum *Cyri*, temporum continuata ſeries in ſacris literis apparet. Incommodum autem eſt, ſi à primo *Cyri* ad ſeptimum vel viceſimum *Longimani*, annis propè centum temporum ſupputatio quaſi interrupta non poſſit in ſacris literis inveniri. 4.

Reſp. Nullum hîc eſt incommodum, cum eo ipſo anno qui cum prioribus temporibus ab initio mundi manifeſtè continuatur, publicata ſit Epocha ad *Christum* pertingens, licet non ſtatim inchoanda. Præterea ſecundum diſputantium principia contrahuntur anni Regum Perſarum, & eorum tempora ad annos ſolos in Scripturâ memoratos, & tum nulla eſt cujuſquam hiatus apparentia, ita enim facilè conjungemus ultimum ſeptuaginta annorum captivitatis cum primo ſeptuaginta hebdomadum, per ſummam annorum in Scripturâ memoratam regnantium in Perſide, à primo *Cyri* ad ſeptimum *Artaxerxis*.

Poſtremum *Paræi* argumentum ſumitur ab abſurdis de nimiâ *Zorobabelis* & *Ieſua* longævitate, ſi hebdomadæ non incipiant ante

ante *Darii Nothi* ſecundum, quando ipſi templum extruxiſſe dicuntur.

Reſp. De iſtis abſurdis ſuprà: nec ea quidem ad nos ſpectant, ſed potius ad oppugnantes, qui hac in parte cum *Scaligero* contra nos militant.

L'empereurs via ſingularis improbanda.

Antequam ab hac ſententiâ tranſiero, lubet obſervare quæ vir multò doctiſſimus *Conſtantinus L'empereur* in ſuïs ad Rabbini *Iacchiada* commentarium in 9. Dan. annotatis ad eam illuſtrandam affert, modum ille comminiſcitur ejus defendendæ omninò novum & ſingularem, in quo ipſe ſibi ſatis videtur placere. Certè mihi uſque adeò improbabilis eſt (ne ineptum dicam) ut ei refutando non putem neceſſarium immorari; tantùm nudè recitabo, ut documento ſit quàm latè parvus error in principio deviet in fine, & quò tandem abſurditatum deductio hebdomadarum à primo *Cyri* viros doctiſſimos & cordatiſſimos etjam hodie abripuit.

Vult *L'empereur* Danielem numerare ſolos annos quibus in opere proceſſum eſt, omiſſis omnibus in quibus ceſſatum eſt: ab initio autem *Cyri* ad ſeptimum *Artaxerxis Mnemonis* etſi fateatur fluxiſſe annos ſupra centum quadraginta, tamen vult *Danielem* numerare tantum quadraginta novem, ſcilicet hebdomadas ſeptem in hunc modum: A primo *Cyri* ad primum *Xerxis* ait extructionem templi continuatam annis quadraginta ſex (de quibus putat loquutos Judæos ad *Chriſtum* Joan. 2.) deinde primam operis interruptionem factam arbitratur *Xerxis* primo, adeo ut omnibus *Cyri*, *Cambyſis*, *Smerdis*, *Darii Hyſtaſpis* diebus in opere perſeveratum ſit, nec tamen toto eo tempore templo Colophon impoſitus: poſteà totâ *Xerxis* & *Artaxerxis Longimani* vitâ vult opus intermiſſum, & *Darii Nothi* ſecundo reſumptum proceſſiſſe ad ejus ſextum, tribus annis ſed incompletis. Sexto enim *Nothi* Judæorum ipſorum negligentiâ, non ullâ ab extrinſeco vi iterum ceſſatum ait ab opere ad *Artaxerxis Longimani* ſeptimum, annis octodecim: quando ab *Eſdra* paucis menſibus templum abſolutum eſt: ita ut hi menſes in *Artaxerxis* ſeptimo additi, ad eos qui *Darii* ſexto deſuerunt, unum tantùm faciant annum, eumque quadrageſimum nonum ac ultimum ſeptimæ hebdomadæ in quâ templum exædificatum eſt: cæteros ſexaginta tres vult numerari continuè à ſeptimo *Xerxis* ad *Chriſti* paſſionem: ubi tamen annos ſolùm quadringentos triginta quatuor reperit: qui ad ſuperiores quadraginta novem additi faciunt tantum quadringentos octoginta tres: ita ut de totâ ſummâ quadringentorum nonaginta deſint adhuc ſeptem. Hos ſupplet, non ut *Africanus* & alii comment ſuorum annorum Lunarium, ſed ex *Scaligero* & *Seldeno* per annos Ægyptiacos (quibus aliquando etſi perrarò utebantur Judæi) ex duodecim menſibus dierum triginta conſtantes: hujuſmodi annos Ægyptiacos in quadringentis octoginta tribus, vulgares & rectos annos ſolares ſeptennio ſuperant. Quàm multa in doctiſſimi viri ſententiâ hîc ſint deliria, ſine ullo teſte dictata, jam non dicam.

Tertia ſententia Ianſenii de ſecundo Darii Hyſtaſpis improbanda.

Sententias duas ſequentes tertiam & quartam paucis perſtringam. Utraque vult hebdomadas inchoari à ſecundo *Darii*, ſed prior *Hyſtaſpis*, poſterior *Nothum* intelligit. Pro *Dario Hyſtaſpis* ſtant *Euſebius*, *Cyrillus* Hieroſolymitanus, *Driedo*, & *Ianſenius* in cap. 122. ſuæ Harmoniæ Sententia hæc non conſiſtit cum temporibus: nam à ſecundo *Darii Hyſtaſpis* ad *Chriſti* mortem fluxerunt multò plures anni quàm quadringenti nonaginta. Ut hoc conciliet incommodum *Euſebius* hebdomadum ſeptuageſimam & ultimam, incipientem ſecundum hunc calculum diu ante *Chriſtum* natum, exponit per annorum denarios; hoc pacto eam unam hebdomadam extendens ad annos ſeptuaginta intolerandâ abſurditate.

Ut etiam quarta de Darii Nothi ſecundo.

Qui à *Darii Nothi* ſecundo volunt hebdomadas inchoari, ſunt *Scaliger*, *Iunius*, *Deodatus*, *Polanus*, *Calviſius*, & *Ubbo Emmius*, viri omnes honoratiſſimi: iſtorum tamen ſententiam non poſſumus amplecti, inprimis ob hanc geminam rationem. Prior, *Darius Nothus* nullum vel de templo vel de urbe tulit edictum. Errorem hunc *Scaligeri* ſuprà confutavimus. Poſterior, huic ſententiæ tempora non quadrant, nam à *Darii Nothi* ſecundo ad *Chriſtum* paſſum non fluxerunt anni quadringenti nonaginta, imò vix quadringenti quinquaginta, quod fatentur hujus ſententiæ auctores: & ad incommodum hoc vitandum ac ſupplendum, annorum quadraginta vel triginta ſeptem defectum, hebdomadas non in *Chriſti* morte, ſed in Hieroſolymorum excidio cum Judæis coguntur claudere; quod quantum abſit à vero, ſuo loco videbimus.

Quinta quoque de Artaxerxis Longimani viceſimo non eſt ſequenda.

Reliquæ duæ ſententiæ hebdomadas inchoant ab *Artaxerxe Longimano*, Quinta ab ejus viceſimo, ſexta à ſeptimo. Pro quinta ſtant perquam multi, *Iulius Africanus*, *Theodoretus*, *Chryſoſtomus*, *Beda*, *Torniellus*, *Salianus*, *Pererius*, *Uſherius*, & alii. Neque hanc nos poſſumus amplecti: nam, ut fatentur omnes ejus fautores, non exhaurit hebdomadas ſeptuaginta, ſeu annos quadringentos nonaginta: *A Longimani* enim viceſimo ad *Chriſti* paſſionem non niſi quadringentos ſeptuaginta quinque numerant, aut incluſis terminis quadringentos ſeptuaginta ſeptem, ita ut de ſummâ deſint tredecim.

Hoc incommodum ſalvare conaotur σοφῶ nimis *Africani* φαρμάκῳ, *Danielis* annos exponentes de Lunaribus non Solaribus. Lunarem volunt Solari minorem diebus undecim, qui in quadringentis nonagiota ad tredecim annos perveniunt. Sed admittenda non eſt hæc medicioa, nuſquam enim S. Scriptura Lunares annos uſurpat, licet menſes Lunares ſæpè. Anni hi Lunares abſque intercalatione in paucis annorum centuriis Paſcba de vere in Autumnum, Pentecoſten de Æſtate in hyemem transferret, & ſacra omnia temporum ſolennia contra expreſſum Dei mandatum conturbaret. Certè, ſi *Lyrano* & *Galatino* utrique Judæo, fidem adhibeamus, Judæi nunquam annis Lunaribus uſi ſunt: & verò quicnnque Lunares annos uſurpârunt, ſemper ſecundo aut tertio quoque anno per emboliſmum & intercalationem unius menſis Lunarem eum Solari coæquârunt, ita ut unaquæque hebdomada annorum Solarium cum hebdomadâ Lunarium oeceſſe fuerit convenire.

Sexta de Artaxerxis Longimani ſeptimo eſt veriſimillima.

Rejectis jam aliis quinque remaoet ſexta ſententia. Hanc propugnant ex antiquis, ſi *Nicolao Abraham* Jeſuitæ docto & eloquenti credendum, *Baſilius*, *Euſebius*, (qui plures habet ſententias) *Cedrenus*, & ex noſtris *Gualterus*, *Bullingerus*, *Funccius*, *Bucholcerus*, *Capellus*, *Helvicus*, & ex Jeſuitis *Cornelius à Lapide*, *Sanctius*, *Henricus Philippi*, *Tirinus*, & *Nicolaus Abraham*. Eam non opus eſt aliis argumentis ſtatuminare, quam eo uno quo cæteras omnes evertimus: quadrare ſcilicet eam ſolam cum decurſu temporum. A ſeptimo *Artaxerxis* ad *Chriſtum* præciſè fluxerunt ſeptuaginta hebdomadæ annorum ſeu anni quadringenti nonaginta, ut paſſim fatentur omnes qui ſcriptis humanis ullam fidem adhibent, quique veteres Chaldæos, Græcos, Latinos, Hiſtoricos, & Chronologos omninò omnes contra Patrum Eccleſiæ etiam omnium mentem falſi nolunt accuſare.

An Septimo Artaxerxis ullum edictum de reſtaurandis Hieroſolymis.

Quod contra objiciatur nihil invenio conſideratu dignum, præter hoc nnum ſatis grave dubium; hebdomadas incipere ab edicto de reædificandis Hieroſolymis: Atqui in *Artaxerxis* ſeptimo nullum edictum legimus de reædificandâ urbe.

Reſp. 1.

Reſp. Auctores nominati varia hîc reſpondent. Primò, edictum *Artaxerxis* ſeptimo *Eſdra* conceſſum, licet reædificandi templi mentionem expreſſam ferat, importare tamen & reædificationem urbis; prout edictum *Cyri* 2 Chron. 36. & Eſdræ x. licet templum ſolum nominet, tamen urbem etiam neceſſariò ſubintelligere, pront ex Iſai. 44. v. 28. & ex Eſdræ 4. v. 12. liquidò patet. Ubi ſecundum *Cyri* edictum Judæi non tantùm templum, ſed & urbis muros ædificare cœperunt. Certè qui dat eſſe, dare etiam cenſendus eſt conſequentia ad eſſe, qui decrevit finem, ſupponitur decreviſſe media neceſſaria ad finem. *Cyrus*, *Darius*, *Artaxerxes* qui expreſſis verbis ad Dei cultum templum Hieroſolymis ædificari mandârunt, ſupponendi ſunt urbem etiam ædificari voluiſſe, nam niſi urbs & ea quoque munita, templum circumſtitiſſet, Sacerdotes & Populus Dei cultor, neque commodum neque ſecurum ab hoſtibus domicilium habuiſſent, ſine quibus templum eo loci fuiſſet fruſtraneum & parvo uſui.

2. Præterea *Eſdras* à Rege tulit omne ſuum poſtulatum, in quo quidni urbis ædificatio contenta ſit? Cum templum diu ante abſolutum ſit. Prolixè *Nicolaus Abraham* Hieroſolymorum ædificationem referri probat ad civitatem civibus repleodam, quod ab *Eſdrâ*, ſecundum *Artaxerxis* edictum & *Danielis* Prophetiam, egregiè præſtitum conſtat; *Nehemia* autem murorum extructionem noo tam ad urbis ædificationem quam munitionem ſpectare vult, quâ non tantùm urbes, ſed potentiſſimæ civitates Lacedæmon & Athenæ in ſummâ ſuâ gloriâ caruere: Licet veriſimile videatur *Eſdram* muris etiam Hieroſolymorum conſtruendis incubuiſſe: nam plurimum pecuniæ & commeatûs non tantùm ad ſacrificia, ſed ad quos inſuper volebat uſus acceperat, magnam etiam hominum multitudinem ſecum adduxerat nt Hieroſolymis habitarent, poteſtatem etiam nactus eſt Magiſtratus civiles conſtituendi Hieroſolymis & per totam Judæam, qui ſontes pnnirent, vel morte, vel exilio, vel bonis, pro qualitate delicti: & verò in ſuis ad Deum precibus agnoſcit datum fuiſſe populo à Deo murum Hieroſolymis.

3. Tertiò. Muri & portæ quæ tantopere lnget deſtructa *Nehemias*, non videntur iſta quæ *Nebuchadnezar* diu ante ſenatum deſtruxerat, ſed alia recentiùs extructa quæ Judæorum hoſtes nuper everteraot.

4. *Petavii & Nicolai Abraham de duplici Artaxerxis principio commentum vanum.*

Quartò. Excogitavit aliud callidum commentum *Gerardus Mercator*, quod diſſimùlato auctore plurimis inculcat iterum atque iterum Jeſuita *Petavius*; qnaſi *Artaxerxes* geminum habuiſſet regnandi principium, alterum *Xerxis* duodecimo; ita ut cum patre ſimul regnaverit annis decem, alterum poſt patris mortem. Per hunc computum *Artaxerxis* viceſimus & decimus coincident. Quàm facile eſt inventis addere? *Nicolaus Abraham* pronunciat *Artaxerxem* annis quindecim ſimul cum Patre *Xerxe* regnâſſe, quaſi *Xerxes* in Græciam movens anno ſuo quinto *Artaxerxem* filium tum temporis collegam in imperio nominâſſet, hac ratione *Artaxerxis* viceſimus coincidet cum ſuo quinto quo regnavit ſolus, & diſtan-

diſtantia inter ſeptimum & vigeſimum *Artaxerxis* perpuſilla fuerit unius tantùm biennii: quæ vulgari diſtinctione incluſionis & excluſionis terminorum facile poterit ſalvari.

Sed omninò diſplicet malè conſultorum hominum audaciſſima temeritas quâ ipſius Scripturæ calculus omninò confunditur. Annon *Artaxerxis* ſeptimus viceſimus, & triceſimus ſecundus in Scriptura memorati in uno ſunt ordine, & ab eodem principio numerandi? Secundum hanc verò Jeſuitarum protervam audaciam triceſimus ſecundus erit viceſimus ſecundus, & viceſimus decimus, & *Artaxerxis* ſeptimus erit patris decimus octavus; imò verò ſecundum Jeſuitam *Abrahamum* viceſimus erit quintus, adeoque quod homo audaculus apertè profitetur, & prolixè conatur probare, viceſimus *Artaxerxis* quo miſſus eſt Hieroſolymam *Nehemias*, erit etiam ejus verè quintus, toto biennio ſeptimum antevertens: quaſi integro biennio *Nehemias* muros Hieroſolymorum perfeciſſet, antequam Ecbatanis *Eſdras* moviſſet pedem.

Utrum Themiſtocles fugerit ad Xerxem an ad Artaxerxem?

Totum hujus figmenti fundamentum eſt, quod *Thucydides* & *Plutarchus Themiſtoclem* Athenis exulantem fugiſſe volunt ad *Artaxerxem*; *Diodorus* autem *Siculus* & alii ad *Xerxem* fugiſſe dicant. Contradictionem hanc Jeſuiticum acumen conciliat per ſynarchiam: quaſi eodem tempore & *Xerxes* & *Artaxerxes* in Perſide regnâſſent, ſed ſubtilitas hæc hoc loco peſſimè uſurpatur; eam *Pererius* & *à Lapide* rejiciunt; & verò conceſſo *Xerxem* cum filio aliquandiu regnâſſe, quî tamen audet *Petavius* huic Synarchiæ annos decem, & *Abrahamus* quindecim attribuere? Ecquem hujuſce commenti teſtem nominare poſſunt? Imò verò hiſtorici omnes non tantùm hanc Synarchiam repudiant: *Diodorus* quidem *Siculus* in computatione temporum hîc lapſus eſt contra *Thucydidem* & *Plutarchum* graviſſimos auctores, ad *Xerxem* patrem, non filium *Artaxerxem* perveniſſe *Themiſtoclem* autumans. Sed tam hic quàm iſti perſpicuè ſignificant *Artaxerxem* vivo patre nunquam aſcendiſſe thronum. Cùm in Græciam primùm moveret *Xerxes*, filius *Artaxerxes* vel non natus vel in cunis fuiſſe videtur: nulli alii notabili bello poſt Græcum *Xerxes* implicatus fuit, ut collegam aliquem Regni declarare neceſſe habuerit: *Pauſaniæ* enim contra patriam conſpiratio priùs detecta & eliſa fuit, quàm ut *Xerxes* ullam et expeditionem ſu perſtruere potuerit. Prætereà dum contra Græcos *Xerxes* bellaret, & inde uſque ad vitæ finem, ſemper ad latus habebat filium natu maximum *Darium*, quem ſolum in Regni ſpem educabat *Artaxerxes*, in morte patris adoleſcentulus fuit nihil de regno cogitans, cùm non tantùm *Darius* fratrum maximus, ſed etiam *Hyſtaſpis* fratrum ſecundus jam Bactrianæ provinciæ à patre præpoſitus, eum ab hac ſpe excluderet. Sed nulla hiſtoricorum fides Jeſuiticam impudentiam intra modeſtiæ & veritatis clauſtra valet continere.

QUÆSTIO XII.

Quis ſit finis hebdomadum Danielis?

Utrum in morte Chriſti, an Hieroſolymorum excidio hebdomada deſinant.

Reſp. Non hîc inquirimus de minutiis, num in *Chriſti* baptiſmate, an morte, an triennio poſt mortem, hebdomadæ claudantur: nec de puncto mortis *Chriſti* quo anno mundi contigerit: de omnibus iſtis ſuo forte loco, in præſentia de eo ſolum dubio agimus, Num hebdomadæ ultra paſſionem *Chriſti* ad Hieroſolymorum excidium extendantur. *Sulpitius Severus* olim, & noſtro ſeculo poſt cum *Ioſephus Scaliger*, *Iunius*, *Deodatus*, *Polanus*, *Alſtedius*, & alii, qui hebdomadarum principium in ſecundo *Darii Nothi* collocant, ex hoc fundamento coguntur eorum finem in Hieroſolymorum ruinâ cum pleriſque Judæorum figere. Sed cæteri Chriſtiani undecunque eas ordiuntur, in *Chriſto* duce terminant.

Annotatores Anglicani editione ultimâ profitentur nihil ſe ſtatuere certi de hebdomadarum fine; ſignificant tamen ſuum deſiderium collocandi principium hebdomadarum in primo *Cyri*, & finem in excidio urbis, licet hæc omnino ſint ἀσύςατα.

Argumenta contra Scaligerum & ſequaces pro urbis excidio.

Contra *Scaligerum* ſic argumentamur. Primò. Si in urbis excidio terminentur hebdomadæ, tum earum principium non poteſt referri ad ullum edictum de reparandâ vel urbe vel templo. Nam ſecundum ſuperiùs diſputata *Darius Nothus* nullum tale edictum condidit, cùm ante eum natum & urbis & templi ædificatio abſoluta fuerit: 1. & verò temporum ſeries non patitur, ut ab Hieroſolymorum excidio, vel ad *Cyrum* vel ad *Darium Hyſtaſpis*, vel ad *Artaxerxem*, vel ullum alium à quoquam auctore nominatùm annos quadringentos nonaginta, ſeu hebdomadas ſeptuaginta numeremus. Fatentur enim Scaligerani in hoc computo quadraginta aut triginta ſeptem minimùm annos defuturos, quot ſcilicet à *Chriſto* paſſo ad exciſam urbem fluxerunt.

Secundò. Poſt publicum *Chriſti* adventum ad hebdomadarum finem erat tantùm una annorum hebdomas: Sed poſt publicum *Chriſti* adventum ad excidium urbis non una tantum annorum hebdomas, ſed quinque & ultra fluxerunt, anni ſcilicet triginta ſeptem aut quadraginta: Ergò excidium urbis non fuit hebdomadarum

darum finis. De majori tota lis eſt, eam probamus ex Dan. 9. v. 25. *Ab exitu ſermonis ad Chriſtum ducem ſunt hebdomadæ ſeptem, & hebdomadæ ſexaginta duæ*: hîc à *Chriſto* nominato aut paſſo, ſed publicè per baptiſmum initiato muneri mediatorio, numerantur hebdomadæ ſexaginta novem: poſt quas in ſeptuageſimâ una tantùm remanet.

Ut hoc evitet argumentum *Scaliger*, utrâque editione hebdomadas miſerrimè involvit, earum partes diſcontinuat, unam, ſeptem, & ſexaginta duas hebdomadas huc, illuc conjicit, antè, retrò, confuſione inexplicabili. Sed vertat ſurſum, deorſum, & quoquò vult hebdomadarum partes, non effugiet argumenti nodum; nam Propheta diſertiſſimis verbis affirmat fluxiſſe ſeptem & ſexaginta duas hebdomadas ante *Chriſtum*, utrum natum, an baptizatum, an paſſum, nihil ad rem præſentem, dummodo poſt *Chriſtum* una tantùm ex ſeptuaginta hebdomadibus ſuperſit ad perioches finem: hoc dato (quod in Prophetiæ verbis ſatis eſt manifeſtum) non poſſunt poſt *Chriſtum* hebdomadæ claudi ſeriùs ſeptennio. Clauderentur autem ſeptenniis quinque, & quod excurrit poſt *Chriſtum* paſſum, ſi eorum finem in urbis excidio ſtatuamus.

Ad argumenta Scaligeri reſponſio. Pro ſua ſententia hæc affert *Scaliger* argumenta. Primum, non finiuntur hebdomadæ ante completas res ab Angelo in hebdomadum hiſtoriâ memoratas. Atqui Angelus diſtinctè tractat de calamitatibus populi & excidio urbis in hebdomadarum hiſtoriâ.

Ad 1. Reſp. Diſtinguendo, alia tractantur in hiſtoria hebdomadum, alia cum hiſtoria hebdomadum: fatemur hebdomadas non finiri ante perfecta priora, ſed ut compleantur poſteriora ante hebdomadarum finem non eſt neceſſe. Hoc quidem loco ſimul cum adventu *Chriſti* memorat Angelus urbis excidium, ſed iſtum diſertè præponit Angelus hebdomadarum fini, hoc verò tam diſertè poſtponit. Quod ergò hebdomadas & earum hiſtoriam, omniaque iis contenta claudamus diu ante urbis excidium, id facimus Angelo præeunte & præferente nobis facem.

Ad 2. Secundum argumentum hoc eſt. Subjectum hebdomadarum erat populus & civitas Dan. 9. v. 25. *Septuaginta hebdomadæ determinatæ ſunt ſuper populum tuum & ſuper ſanctam civitatem tuam*: Ergò ante exciſum populum & everſam civitatem hebdomadæ non ſunt finiendæ.

Reſp. Negando conſequentiam, nam hebdomadæ non erant determinatæ ſuper populum & civitatem abſolutè: multa enim ad populum Judaicum & civitatem Hieroſolymam ſpectantia tam antecesſerunt quàm conſequuta ſunt ſeptuaginta hebdomadas: ſed determinavit Deus ſeptuaginta hebdomadas ad ea præſtanda iſti populo & urbi quæ Angelus ſubjungit, ſcilicet pertinentia ad *Chriſtum* ducem & deſolatæ urbis reparationem, quorum tam initium quàm finem verſu ſequenti Angelus figit in exitu ſermonis & *Chriſto* duce. Et verò cum Angeli ſcopus eſſet *Danielem* & Judæorum fideles optimis nunciis conſolari, nequaquam verò præſentem eorum luctum futurarum calamitatum denunciatione cumulare, ut hebdomadas incepit à magnæ conſolationis materiâ, urbis reædificatione, ita eaſdem voluit claudere in majoris gaudii argumento, peccati ſcilicet omnis & iræ abolitione per *Chriſti* mortem, & fœdus ejus ſanguine ſancitum. Quæ autem de urbis excidio ut pœnâ *Chriſtum* crucifigentibus, ejuſque fœdus aſpernantibus inflictâ narrat, ea ut minùs conſolatoria, adeoque minùs ad præſens ſuum inſtitutum facientia, commodè extra hebdomadarum terminos ſepoſuit.

Tertium argumentum. Ad *Scaligeri* computum tempora bellè quadrant. *Ad 3.*
Reſp. Minimè omnium: præterquam enim quod neceſſe habet *Scaliger* ſingulari invento, ut ad urbis excidium hebdomadas deducat, tres annos & dimidium contra Scripturam, quadringentis nonaginta ſuperaddere; *Artaxerxis* etiam edictum de mittendo *Eſdra* ad ejus quintum non ſeptimum, ut ipſe *Eſdras* & omnes interpretes, referre. His, inquam, omiſſis à vero hebdomadarum principio *Artaxerxis Longimani* ſeptimo ad urbis excidium, multò plures ſeptuaginta hebdomadibus decurrerunt. Ita ut ad *Scaligeri* calculum tempora omninò non quadrent, niſi ejus falſa principia largiamur, fuiſſe *Nothum* qui extruxit templum & *Mnemonem* qui *Eſdram* & *Nehemiam* miſerat Hieroſolymam.

Quartum *Scaliger* argumentum ſumit à Matth. 24. v. 25. *Chriſtus* dicit Hieroſolyma excidenda, quando abominatio deſolationis, de quâ *Daniel*, collocabitur in templo, Ergò hebdomadæ finiendæ in urbis excidio. *Ad 4.*

Reſp. Nulla hîc eſt conſequentia, citat quidem *Chriſtus* locum *Danielis*, & urbis excidium à *Daniele* prædictum aſſerit, ſed nullum verbum profert de hebdomadibus, quaſi illæ vel ad urbis excidium, vel ad illius βδελύγματος in loco ſancto collocationem extenderentur.

Ultimum *Scaligeri* argumentum, quod ipſe validiſſimum telum vocat, hoc eſt. *Ad 5.* *Darius* qui *Zachariæ* Prophetæ temporibus extruendi templi Judæis poteſtatem conceſſit,

ceſſit, oportet fuerit *Nathui* non *Hyſtaſpis*, quia ſeptuaginta anuis ante hujus *Darii* quartum populus Babylone redierat Hieroſolymam, nam ante tot annoa iuſtituerunt jejunia Zach. 7. v. 5. quæ non potuerunt ioſtituere Babylone, nec ullibi extra Hieroſolymam: annis autem ſeptuaginta ante *Darium Hyſtaſpis* Babylone non Hieroſolymia populus commorabatur.

Reſp. Subtile nimis eſt hoc argumentum, multaque præconceſſa requirit, & multos proſyllogiſmos, priuſquam concludat negatum. Sed brevitatis cauſa peto rationis jugulum, falſum eſt non potuiſſe populum Judaicum inſtituere ſolennes cultus extra Hieroſolymam & abſque altari: infirmæ ſunt hujuſce aſſertionis *Scaligeri* probationes. Eſto non licuerit celebrare Paſcha, nec ulla alia ſacrificia niſi ad altare Hieroſolymitanum, eadem non erat ratio jejunioium; ea licuit ubique celebrare, quemadmodum ſolennes preces: & verò *Mardochæus* in Media extra Judæam feſtivitatem *Purim* inſtituit. Quod autem ad jejunia de quibus *Zacharias*, apparet ea Babylone fuiſſe ioſtituta mox poſt urbis & templi deſolationem: quàm enim fuiſſet alienum, ut qui ab omni jejunio abſtinuiſſent totis ſeptuaginta annis captivitatis, compluribus etiam annis poſt reditum, voluerint viceſimooctavo demum *Darii Hyſtaſpis* publica jejunia inſtituere, ob vaſtatum ante tot annoa templum & urbem.

QUÆSTIO XIII.

Unde incipiant & ubi deſinant Danielis *ſeptem hebdomadæ, & quamobrem à reliquis hebdomadis dividantur?*

Ubi collocandæ ſeptem hebdomadæ.

RESP. Septuaginta hebdomadaa dividit Angelus in portiones tres Dan. 9. v. 25. ſeptem, ſexaginta duas, & unam; de portionum harum ſingulis moventur ſat arduæ quæſtiones. De primâ ſeptem hebdomadarum portione quæritur & de earum terminis, & quam ob cauſam à reliquis diſtinguantur. De illis magna eſt inter auctores veteres, novos, Proteſtantes, Pontificios diſcrepantia. Plerique ſeptem hebdomadis primam totius ſummæ partem faciunt: quidam tamen malunt in ultima ſeptuageſimæ hanc Septenam rejicere. Jeſuita *Sanctius* in 9. Dan. *Tertullianum* & *Theodoretum* in hac facit ſententiâ. *Suarez* in tertiam *Thomæ* quæſt. 1. jungit *Chryſoſtomum*, & ipſe illuc inclinare videtur, etſi hic vir modeſtiſſimus ob multas quas undique perſpexit difficultates, nihil auſum ſe determinare profiteatur.

Malè à Suareſio ponuntur in fine ſeptuageſimæ.

Hæc nobis omnino non placet ſententia. Nam primò, ordinem *Danielis* ſine ullâ neceſſitate invertit, quòd propheta primum ſeptuageſimæ membrum, hi poſtremum faciunt gratis. Secundò, ſeptem hebdomadas poſt ſexaginta duas, & unam collocantes, extendunt terminos ſeptuageſimæ ultra paſſionem *Chriſti* ad urbis excidium, quod perperam fieri quæſtione ſuperiore probavimus. Tertiò, non tantùm uſque ad urbis excidium, ſed novennium etiam ultra hebdomadas extendunt, nam à morte *Chriſti* ad everſa Hieroſolyma fluxerunt tantùm anni quadraginta, ſeptem autem annorum hebdomades, quas illi poſt *Chriſti* paſſionem numerant, faciunt annos quadraginta novem. Ipſe *Suarez* ſeptennium, ſeu unam hebdomadam redundare fatetur; neque tamen hac exceptione volunt ſeptuageſimam ad tertium urbis excidium, imperante *Hadriano*, pertingere; ſtatuatur ergò ſecundum verborum *Danielis* ordinem manifeſtum, ſeptem hebdomadas in ſeptuageſimæ capite, non calce conſiſtere.

Quæritur deinde, quam ob cauſam hæ ſeptem hebdomades à cæteris ſeparatæ ſint? Videas hîc viros magnos non tantùm ab aliis ſed à ſeipſis diſcedere. *Ioſephus Scaliger* editione priori hanc diviſionis cauſam aſſignavit, quòd in fine iſtarum ſeptem hebdomadarum, anno ſcilicet quadrageſimo nono, à ſecundo *Darii Nothi*, in triceſimo ſecundo *Artaxerxis Mnemonis* ædificationi Hieroſolymorum à *Nehemiâ* finis impoſitus ſit. Licet concederemus à ſecundo *Nothi* ad triceſimum ſecundum *Mnemonis* fluxiſſe annos quadraginta novem, ſeu annorum hebdomadas ſeptem, licet etiam anno *Artaxerxis* viceſimo paucis diebus muri Hieroſolymorum fuiſſent perfecti, urbique & ſtatui Judaico adornandis *Nehemias*, ad annum uſque *Artaxerxis* triceſimum ſecundum, allaboraſſet, tamen quòd ſeptem iſtæ hebdomades à ſecundo *Nothi* inceperint, & in fine triceſimi ſecundi *Artaxerxis* clauſæ ſint, concedere non poſſumus ob rationes ſupra allatas.

Quare ſeptem ſeparentur à reliquis.

Scaligeri inconſtantia.

Iunius quidem, *Deodatus*, *Polanus*, *Alſtedius*, *Calviſius*, *Emmius*, & alii *Scaligeri* ſequaces in hac perſeverant ſententiâ: attamen ipſe *Scaliger* editione ſuâ poſteriori (ut non malè obſervat *Petavius*) ab hac ſuâ ſententiâ diſceſſit, & apertè fatetur neſcire ſe quo ſeptem iſtæ hebdomadæ ſint referendæ, nec quam ob cauſam à cæteris ſint ſeparatæ, pronuncians nullum majus in hac ſeptuageſimæ diviſione latere myſterium, quàm in Ezechielis 45. v. 12. in diviſione minæ in viginti Siclos, viginti quinque, & quindecim; arbitrariâ prorſus & non omnino μυςηριώδει ſectione.

Sed neque hæc *Scaligeri* ſententia poteſt admitti, ſaltem ſecundum ſe totam; nam licet

An in ſeptenario myſterium.

licet fortaſſis in ſingulis ſeptuageſimæ partibus myſterium non appareat, tamen in membris aliquibus myſterium magnum Angelus indigitavit, ſcilicet in ultima hebdomadâ, quam, ob ſummè inſignem eventum *Meßiæ* mortem, à reliquis pattibus expreſſe ſeparavit: ſed an tale ullum myſterium in parte prima, ſeptem hebdomadibus inveniatur, diſquiratur à doctis. Certè quod à mnltis hactenus notatum eſt myſterium oon facilè concedetur.

Hieronymi & Sanctii falſa de numeris regula.

Quod *Sanctius* ex *Hieronymo* affert de Hebraiſmo in numeris, ſemper præferente minorem ſummam majoti, hìc non habet locum: oam ot ſeptem præponunsur ſexaginta duabus, ita uoa ſummarum minima ſequitur hìc ſexaginta duas. Præthereà ubi xegulatiter præponitur numerus minor majori, id fit in certo otdine & ptopottione unitatum ante deuarios, denariorum ante centenarios, & horum ante millenarios: quod neq; in hac ſeptuageſimæ, neque in *Ezechielis* Sicli diviſione locum habet. Hoc igitur omiſſo, inquiramus in alias, quæ allegantur hujus membri ſeparati cauſas.

Chronologici errores Theologis antiquis indulgendi.

Qui hebdomadas à *Cyro* inchoant, ſeptem primas in templi perfectione plerique volunt claudi, ctaſſum hoc in Chronicis ſphalma facilè indulgemus viris maximis *Ioanni Calvino*, *Theodoro Bezæ*, *Martino Chemnitio*, & *Roberto Rolloco*, qui majora & meliora meditantes, io Chronicis minùs ſunt accurati, nec verò ipſis erant ad maoum mulia quæ hodie ad Chrooologiæ ſtudia ſuppetunt egregia ſubſidia.

Error Calvini.

Calvinus io Jo. 2. v. 20. exiſtimat quadraginta ſex annos ædificationis templi referendos ad ſeptem *Danielis* hebdomadas, quaſi in ſeptima hebdomada poſt medium, tribus annis ante finem, templum fuiſſet ædificatum: hos ita ſupputat *Beza* *Beza.* in eundem locom, ut *Cyro* triginta, *Cambyſi* octo, *Magis* duos, *Dario Hyſtaſpis* ſex annus tiibuat, ſed anachroniſmis manifeſtis. Nam templi ædificatio & ſolutio captivitatis Judæorom ſoleot deduci non à regno *Cyri* Perſico, ubi triginta quidem anni oumeraotor, ſed ab Imperio Babylonico, nbi non ſupra novem dominatus eſt. Hæc perpendens vir oon magis doctrinæ quàm ingennitaiis exoſculaodæ, ſtatim agnoſcit errorem, & profitetur ἐπίχειν ſe, & ampliorem lucem à laboribus Chronologorum expectare.

Chemnitii.

Tanta oon erat doctiſſimi *Chemnitii* hoc loco modeſtia, ille enim io ipſiſſimo *Bezæ* calculo perſeveravit ſine ullâ retractatiooe, templi fundamenta pooens in *Cyri* primo, cui aſſignat annos 30. & *Cambyſi* octo, & *Magis* duos.

Rolloci.

Major hic ſanctiſſimi *Rolloci* deviatio eſt, *Cyro* & *Cambyſi* annos aſſignat tantùm novem, *Magis* unum, *Dario Hyſtaſpis* viginti (en Annianas nænias quibus multi viti docti aliquandiu deluſi ſunt) poſt *Darium Hyſtaſpis* vult *Darium* quendam *Longimanum* imperâſſe (qui tamen nunquam fuit in rerum natura) in hujus anno ſexto ait exædificatum templnm. Sed cum *Cyri, Cambyſis,* & *Magorum* decem, ac *Darii Hyſtaſpis* viginti, & *Darii Longimani* ſex ooo faciant oiſi triginta ſex, aliud addit vir doctus inventum de perfectione domûs diſtinctâ à perfectione additamentorum ad domum, illam vult perfectam *Darii Longimani* ſexto, à primo *Cyri* trigeſimo ſexto, iſtam oon ante decimnm nonum & ultimum *Darii Longimani*, quadrageſimo oono à primo *Cyri*. Sed lippis jam dudum hæc *Annii* deliria pelluxerunt.

Ianſenii.

Doctiſſimus *Ianſenius* in ſua ad locum præ manibns barmoniâ tam latè quàm quiſquam errat: nam ut ædificationis templi quadraginta ſex annos compleat, *Cyro* dat viginti, *Aſſuero* ejus ſucceſſori viginti, tertium Perſarum Regem vult *Darium-Longimanum*, cujus ſexto templum ait exædificatum. *Cartvvrightus* cautior eſt qui quæſtiooem hanc omoino intactam tranſiliit.

Hovvai & Niſbeti.

Iſta viris doctis, ſed in Chronologia eo rempore minùs exercitatis faciles indulgemus: non tamen æqoè ferimus oſcitantiam *Hovvai* & *Niſbeti*, qui in Chronologia accurationem profitentur. Iſti hebdomadas *Danielis* à primo *Cyri* inchoantes, & templi perfectionem io ſexto *Darii Nothi* finientes, & ſeptem *Danielis* hebdomadas in templi Colophone claudentes. Ex bis tribus gravibus erratis quartum deducuot maximè erroneum πόρισμα, à primo *Cyri* ad ſextum *Darii Nothi* fluxiſſe tantùm quadraginta oovem annos, contra hiſtoricorum omnium, ut ipſi fateotur, expreſſam fidem.

Rectè Gualterus.

Iſta omnia abſutda evitat *Gualterus*, hebdomadas inchoans ab *Artaxerxis* ſeptimo, & templi ædificationem ab hebdomadis omuino excludens, ac templo ſecundo perficiendo aonos tantùm viginti tres aſcribens. Quod autem ad annos quadraginta ſex Judæorum Io. 2. eos non malè cum *Calvino* & aliis appropriat *Ioſepho* auctore, templo extructo ab *Herode* ante annos quadragiota ſex, veteri enim *Zorobabelis* æde maximam pattem exciſâ, *Herodes* novam ſummo labore & impenſis octo continnis annis erexit, cui aonis triginta octo ſequeotibus aliqoid ſemper oovi ornamenti addebatur.

Supra diximus de novo paradoxo, ac valdè irrationabili *L'empereurs* ioveoto, quo ſeptem hebdomadas à primo *Cyri* ad ſextum *Darii Nothi* computat.

Non

Lyrani deviatio.

Non magis probamns *Lyrani* poſtillatoris, *Burgenſis* additoris, & Anonymi replicantis placita, qui ſatis hîc unanimes hebdomadarum ſeprem initium in quinto *Zedekiæ* & finem in principio *Cyri* ponunt. Tetri hi aoacbrouiſmi: ſed ipſorum allegorias quibus *Nebuchadnezarem Chriſti* typum efficiunt, & ob ſuas ad *Chriſtum* varias relationes ſeptem iſtas hebdomadas à cæteris ſeparatas volunt, ſummè incommodas putamus.

Quid ergo? Cum ſupetiores removerimus, an nulla alia dici poteſt cauſa, cur ſeptem bæ hebdomadæ à reliquis diviſæ ſiot? Ajo nihil eſſe incommodi eiſi cum *Scaligero* in ultimis ſuis φϱοντίσι diceremus nullam inveniri, ſaltem nullam à nobis cognoſci.

Quomodo urbis extructa ſit in ſeptem hebdomadis.

Deinde non repugnamus nos urbis ſtructuram iſtis ſeptem hebdomadibus aſcribi, modò ne iſtæ in eâ rerminari dicantur. *Daniel* quidem 9. v. 25. urbis extructionem ſubjicit utrique pottioni, ſeptem bebdomadis & 72 hebdomadis, ut nihil impediat priori ſeptem hebdomadarum membro eam actionem aſcribi. Tantùm nolim in eâ actione ſeprenatium illum claudi, cùm à ſeprimo *Artaxerxis*, unde diximus bebdomadas omnes adeoque ſeptem præ manibus inchoari; ad *Artaxerxis* ſeu triceſimum ſeu triceſimum ſecundum, quo omnis *Nehemiæ* opera in Judæâ finira eſt, fluxerunt anni tanrum viginti quinque, qui faciunt annorum hebdomadas tantum tres cum ſemiſſe, & hebdomadarum ſeptem ſolum dimidium. Dato ergò in *Nehemiæ* opere ſeptem hebdomadas non claudi, concedimus ſatis lubentes intra ſeptenarii tetminos urbis extructiooem contineri, & ob hoc inſigne opus unicè à *Daniele* in ſuis precibus expetitum, ſeptem iſtas hebdomadas à cæteris potuiſſe ſeparari. Quod autem minor annorum portio, & ad opus extructioois magis conformis non ſit accepta, inter alias hæc ratio ſortaſſis fuit (quid ni enim & nobis noſtra conjectura ſit libera?) quod Propheta in hebdomadis & ſeptenariis verſans, nimirum ſeptuaginta annis captivitatis, & ſeptuaginta annorum ſeptimanis, primam iſtius ſeptuageſimæ partem in ſeptenario non alio numero voluerit ponere.

QUÆSTIO XIV.

Qui ſint termini Hebdomadarum ſexaginta duarum?

Hebdomadæ ſexaginta duæ ubi incipiant & deſinant.

RESp. Communis ſententia antiquorum & recentium Pontificiorum & proteſtanrium nobis probatur; incipere eas poſt finem hebdomadarum ſeptem (de quibus quæſtione ſuperiori) & terminari ante *Chriſti* mortem: ita ut earum prima ſit totius ſummæ octava, & earum ultima ſir ſummæ ſexageſima nona. Pro hâc ſententiâ non eſt opus aliis argumentis quàm ipſius Prophetæ teſtimonio. In diviſione torius ſummæ hac ille utitur methodo expreſſe; nam ſeptem ſeptimanis primum locum, ſexaginta duabus ſecundum, & uni tertium aſcribit: quæ particulares ſummæ totalem faciunt ſine omni diſcontinuatione, omni hiatu. Itaque qoi ſeptem volunt poſt ſexaginta doas & unam locare, aut ſeptem conjicere io medium ſexaginta dnarum, *Danielis* methodum apertè conturbant.

Secundo, non tantùm manifeſtus bic eſt ordo verborum *Danielis*; ſed etiam hiſtoriæ qnæ partibns ſeptuageſimæ ab eo affiguntur idem probant. Ædificario murorum & plateæ, etſi non diſeriminet primam partem à ſecundâ, ſeptem hebdomadas à ſexaginta duabus (quod quidem à mnlris eredirur) tamen certum eſt mortem *Chriſti* diſcriminare ſecundam à tertiâ; nam in illâ unâ & ultimâ hebdomade poſt ſexaginta dnas dicit Propheta occiſum *Meſſiam*.

Magna in ordinandis hebdomadis confuſio & inconſtantia Scaligeri.

Tertiò, veriras hæc evincitur ab incommodis quæ diſſentientium omnium ſententiam ſequuntur. Quatuor obſervo diverticula in quæ extra regiam viam viri quidam magni aberrârnnt.

Primum eſt *Ioſephi Scaligeri*, qui ſexaginta duas hebdomadas rectè ſatis claudit in morte *Chriſti*, ſed malè inchoat. Editione enim ſuâ priori ſeptuaginta bebdomadas, & primam earum portionem hebdomadas ſeptem à ſecundo *Darii Nothi* inchoabar, & finiebat ſeptem in trigeſimo ſecundo *Artaxerxis Mnemonis*: ſexaginta verò duas incipiebat à trigeſimo ſecundo *Artaxerxis*, & claudebat ſeprennio anre deſtructam Hieroſolymam. Sed editione poſteriori claudens ſexaginta duas bebdomadas ante *Chriſti* mortem, eas inchoare cogitur à quinto *Artaxerxis Mnemonis*.

Contra hanc ſententiam *Petavius* & *Niſbetus* multis arguunr, ſed ſæpe ſecundum ſua ſalſa principia quæ nobis improbanrur: utcunque, hæcce ſentenria ſatis ſeipſam confutat. Nam dum ſexaginra duarum principium io *Artaxerxis* quinto collocat, & finem in hebdomade anre mortem *Chriſti*, primis ſeptem hebdomadis vel nullum vel confuſum locum relinquit: à ſecundo enim *Darii Nothi* (principio prioris ſeptenæ ſecundum *Scaligerum*) ad quintum *Artaxerxis* non fluxeruor anni quadraginta novem ſeu hebdomades ſeprem, ſed tanrum viginti tres, ſeu bebdomadæ ttes & duo aoni: imò verò hæc ἀϐλεψία *Scaligerum* eò redegit, ur profiteatur neſcire ſe quò ſeptem bebdomadæ reſcreodæ ſint, utrum antecedere an ſequi debeant ſexaginta duas,

an verò intra earum terminos conſiſtere; quæ mira eſt confuſio.

Unam etiam & ultimam hebdomadam eâdem confuſione involvit: nam cùm una ea apertè ſequatur ſexaginta duas apud *Danielem*, & verò totam ſeptuageſimam claudat *Scaliger* in excidio urbis, eam unam hebdomadam in quâ mortuus eſt *Meſſias*, neceſſe habet commiſcere vel cum ſeptem, vel cum ſexaginta duabus, vel cum utriſque.

Iunii & Deodati error.

Ob hanc intolerandam confuſionem, *Scaligeri* ſequaces Magiſtrum hic non tenent. In ſecundum ergò diverticulum ſecedunt *Iunius* & *Deodatus* in ſuis ad Dan. 9. v. 26. commentariis, & ſecundum priorem *Scaligeri* mentem inchoant ſexaginta duas poſt finem hebdomadarum ſeptem, *Artaxerxis* trieeſimo ſecundo, & eas claudunt ſeptimo ante urbis excidium. Sed nec hæc eorum admitti poteſt diſtributio, per eam enim hebdomas una tertia ſeptuageſimæ portio, vel commiſcetur cum prioribus portionibus, conſiſtendo intra terminos hebdomadarum ſeptem, aut intra terminos ſexaginta duarum hebdomadum (quod ſuprà rejecimus) vel erit illud ſeptennium ante urbis excidium, quod etiam abſurdum eſt; in illâ enim unâ *Chriſtus* eſt occiſus, *Chriſti* autem mortem nemo unquam poſuit in bebdomadâ immediatè urbis excidium antecedente.

Corrumpunt ſacrum textum.

Hoc ut evitarent nimis craſſum abſurdum viri doctiſſimi, novum ſibi neque id quidem tolerandum effugium procuderunt, *Danielis* textum 9. v. 26. uterque malè transferendo corrupit, *Iunius* ſic [*poſt ſeptimanas ſexaginta duas exciſo Chriſto*] quem ſequitur *Deodatus* [*Sterminato il Meſsia*] uterque ſemel & iterum contra *Danielis* diſerta verba, nam Hebraicus textus eſt יִכָּרֵת tertia futuri NIPHAL *excidetur*, quod illi vertunt per participium præteritum [*exciſo*] [*ſterminato*] deinde *Chriſti* mortem, quam *Daniel* affirmat eveniſſe poſt finem ſexaginta duarum hebdomadum, illi contradicentes affirmant eveniſſe ante finitas ſexaginta duas hebdomadas, & intra earum terminos. En quò viros cordatiſſimos parvus ἀναχρονισμὸς abripuit.

Theodoreti error.

In tertiam deviavit ſententiam *Theodoretus* in Dan. 9. ut rectè obſervat *Sanctius* in eundem locum *Danielis*. Septuaginta hebdomadas cum *Africano*, veritati valdè propinquus, à viceſimo *Artaxerxis Longimani* inchoat, & in *Chriſti* morte terminat, ſed totius ſeptuageſimæ primam portionem facit hebdomadas ſexaginta duas, & hebdomadas ſeptem ſecundam, ita illas ſeptem inter ſexaginta duas & unam interjicit. Sententia hæc præterquam quod Angeli & *Danielis* methodum invertit (ut nuper dicebamus) cum ſerie temporum non quadrat; nam à viceſimo *Longimani* ad *Hircanum* ultimum Maccabæorum ab *Herodo* occiſum, numerat annos quadringentos triginta quatuor, ſeu hebdomadas ſexaginta duas, & inde ad *Chriſtum* annos quadraginta novem, ſeu bebdomadas ſeptem. Computus hic cum nullius Chronologi, nullius Hiſtorici rationibus convenit.

Error Suareſii & Chryſoſtomi.

Quartum hic errorem notamus *Franciſci Suarez* ſaltem *Chryſoſtomi*, cui hic ſententiam iſtam imputat abſque multâ ſuâ improbatione. Hi ſexaginta duas hebdomadas inchoant ab *Artaxerxis Mnemonis* triceſimo ſecundo, & claudunt ante *Chriſti* mortem. Iſtis *Danielis* unam ſubjiciunt, aſcribentes paſſioni *Meſsia* bebdomadam ſexageſimam tertiam, ſex ſequentes hebdomadas à morte *Chriſti* ad urbis excidium annos quadraginta duos numerant, ſeptuageſimam ultimam hebdomadam vel vacare vel per ſuum initium prioris attingere putant.

Minimè ſana eſt hæc ſententia, nam præter inverſionem ordinis Prophetici quâ primum faciunt ultimum & ultimum medium, & medium primum, contra omnes auctores hebdomadas inchoant ab *Artaxerxis* triceſimo ſecundo, & claudunt toto novennio poſt urbis excidium, quod eſt & aperire & claudere magnam hanc Epocham non modò contra omnem humanam, ſed contra divinam *Danielis* auctoritatem: ſtatuendo ejus principium poſt ultimum cujuſquam decretum de reſtauratione Hieroſolymarum integro decennio, & finem tota hebdomada & duobus annis poſt exciſam urbem.

QUÆSTIO XV.

De Hebdomadâ unâ ejuſque dimidio.

LOnginquior in ſuperioribus mora hîc breviores efficiet. Duo ſunt in quæſtione; prius, quænam, & quota hebdomadum ſit una illa à Daniele memorata cap. 9. 27. poſterius, quod ſit bebdomadæ dimidium, de quo ibidem?

In priori nos communem ſequimur ſententiam quam Chronologorum & Scripturæ interpretum vulgus, tam Proteſtantium quàm Pontificiorum mutuatur à *Theodoreto* in Dan. 9. verſ. 27. nnam ſcilicet hîc hebdomadam eſſe ſeptuageſimam & ultimam: id Prophetæ verba ſatis demonſtrant verſ. 25, 26. & 27. Nam primò Angelus *Gabriel* ſeptuageſimam ſecans in membra, poſt ſeptem & ſexaginta duas nominat unam ut membrum ultimum. Deinde verſ. 25. affirmatur ad tempora *Meſſiæ* fore hebdomadas ſeptem & ſexaginta duas,

ita

ita ut una tantùm ex ſeptuaginta ſit reliqua; quæ cùm ſit poſt cæteras omnes, neceſſariò ipſa eſt ultima. Tertiò idem ex verſ. 26. apparet, ubi *Meſſiæ* mors, primarius totius ſeptuageſimæ eventus poſt eas ſexaginta duas quæ ſeptem ſequuntur, facta dicitur: evaditque hic eventus character primarius unius noſtræ hebdomadæ, quam cum ſuo charactere ſimul exiſtere, nec eum antecedere oportet. Denique verſ. 27. affirmatur in illâ unâ prædicatum Euangelium, confirmatum fœdus, & caſſata ſacrificia, ac cæteras cæremoniarum umbras cùm adveniſſet ipſum corpus, quod fuit *Chriſtus* crucifixus, mortuus, ſepultus, reſurgens, & aſcendens in cœlum. Jam verò in nullâ aliâ præter ſolam ultimam ex ſeptuaginta hæc ſunt peracta.

Scaliger omnibus ſe opponit gratis.

His & aliis argumentis moti magno conſenſu, ſi unum aut alterum excipias, tam veteres quàm recentiores, unam illam hebdomadum ſeptuageſimam conſtituerunt, donec *Ioſephus Scaliger* (cui ſæpe admodum leve eſt contra omnes mortales, pro eo quod verum arbitratur, inſurgere) multos nobiſque dilectiſſimos ex Eccleſiâ reformatâ in diverſam ſententiam ſecum traduxit. Magnus hic Chronologiæ Magiſter hebdomadum initium in ſecundo *Darii Nothi*, & finem in Hieroſolymorum excidio collocans, in varia ἀτοπήματα deviavit: in quæſito autem præ manibus tàm quam in alio quoquam totâ viâ erràſſe videtur. Editione Emendationis temporum priori unam noſtram hebdomadam rectè ſecuit in duo dimidia (prout facit Spiritus Sanctus) ſed contra omnem rationem inter iſta dimidia interjecit magnum hiatum annorum fere quadraginta: prius iſtius hebdomadis dimidium rectè conſtituit in tribus illis annis & ſemiſſe quibus *Chriſtus* baptizatus eſt, prædicavit Euangelium, & crucifixus eſt; ſed alterum dimidium admodum ineptè extendit ad tres annos & ſemiſſem, quibus arma Romana Hieroſolymam circumſtrepebant ad ultimam ejus vaſtationem. Cùm commentum hoc viri maximi ridiculum & joculare multi pronunciàſſent, editione ſuâ poſteriore noluit quidem illud defendere, attamen hac ſimilitudine conatur ab omni joco & abſurdo excuſare. Quemadmodum (inquit) qui iter facit Pariſiis Toloſam, & negotia ſua Toloſæ peragit menſibus ſeptem, rectè dici poteſt unum menſem inſumpſiſſe in itinere, licet dimidium iſtius menſis anteceſſerit ſex menſes negotiationis, & alterum dimidium id ſemeſtre ſecutum ſit, ita una poteſt dici hebdomas annorum, licet eam plurimi anni mediam dividant.

A ſeipſo diſſidet.

Magnum ſuum in medio unius hiatum non defendit à riſu.

Verumenimverò ſimile hoc tot pedibus claudicat ut vix uno incedat rectum, certè non in eo, quod eſt argumenti punctum, menſis ille *Scaligeri* eſt omnino unus, prout hebdomas *Danielis* eſt una, nam in ſeptem ejus menſibus primi dimidium prius cum ultimi dimidio poſteriori nequaquam faciunt unum & eundem menſem, neque ultimum, nec aliquem unum intermedium. Certè tam dura fuit hæc *Scaligeri* ſententia, ut non tantùm omnes ejus alibi ſequaces, ſed ipſe etiam eam reliquerit: nam in editione ſuâ poſteriori unam noſtram hebdomadam facit continuam, eamque cum vulgo doctorum in cujus medio *Chriſti* mors accidit: hoc tantùm errans quod eâ nolit ſeptuageſimam claudi, & dimidium hebdomadæ nolit iſtius unius ullam partem; ſed tantum ab eâ unâ dimidium diſtare, quantum Hieroſolymorum excidium à morte *Chriſti*.

Tandem eam unam facit continuam.

Verùm de dimidio mox, tantùm in præſentiâ accipimus quod ſecunda ejus cura nobis largitur, unam ſcilicet hanc hebdomadam eſſe continuam, & eam ipſam quam *Chriſti* mortis incomparabilis character excellentiſſimè inſignivit: hoc poſito evertitur ipſius & ſequacium ſententia de fine hebdomadum in Hieroſolymorum exciſione. Dato enim (quod tamen eſt contra Prophetæ ordinem) hebdomadas ſeptem, primum membrum hebdomadarum ſeptuaginta, ſtare poſt ſexaginta duas & unam (quod ipſe *Scaliger* non audet affirmare, profeſſus tandem neſcire ſe verum locum & ordinem iſtorum membrorum) utcunque conceſſo iſta ſeptem ſtare poſt unam, prout extra omne dubium eſt ſexaginta duas antecedere hanc unam: ſequetur poſt mortem *Chriſti* in medio ſexageſimæ tertiæ hebdomadis ad urbis excidium ſuperfuiſſe ſeptem hebdomadas & mediam, hoc eſt, annos quinquaginta duos & medium; nulli autem à morte *Chriſti* decimooctavo *Tiberii* ad Hieroſolymorum excidium ſecundo *Veſpaſiani*, numerârunt ſuprà annos quadraginta, & *Scaligeriani* numerant tantùm triginta ſex, adeo ut ipſorum hic calculus annis totis ſedecim & medio à ſuo ipſorum computo deviet.

Malè unam ponit ante ſeptem.

Ita fortaſſe vel alia hujus generis argumenta *Iunium* abſterruerunt ab his etiam ſecundis *Scaligeri* dictatis: ſed tertia quam *Iunius* cudit ſententia nihilo eſt *Scaligeri* ſanior. Vult ille in ſuis ad locum annotatis unam hanc eſſe quidem ultimam ſeptuageſimæ, ſed quæ deſinit in Hieroſolymorum excidio, ante quod *Chriſti* mors triginta ſex annis peracta eſt: In hoc Annotatores Anglicanos ſequaces habet.

Iunius & Annotatores Anglicani ſibi contradicentes eam unam ad urbis excidium extendunt.

Multum hîc lima detrivit, & hominum etiam σοφῶν δεύτεραι φροντίδες fuerunt φαυλότεραι. Tam *Iunius* quàm *Annotatores Anglicani* in prioribus ſuis editionibus hebdo-

madam unam morti *Meſſiæ*, & hebdomadarum ſeptuaginta ultimæ rectè aſcribebant: ſed in poſterioribus ſuis editionibus ambo pejus conſulti, eam unam in Hieroſolymorum excidio claudunt. Hoc fine (ut prius notavimus) *Iunius* neceſſarium ſibi putavit *Danielis* verba in futuro *Chriſtus exterminabitur* transferre in præterito *Meſſiâ ſublato*, & violentam hanc ſacri textus depravationem Annotatores etiam Anglicani disertè probant, ſine ullo rationis prætextu. Imò verò plus quàm *Iunius* iſti à rectâ ſemitâ excurrunt, nam cum ille à morte *Chriſti* ad urbis excidium triginta ſex numeret (quibus pauciores nemo quiſquam huic intervallo unquam attribuit) ipſi tamen in ſuis ad verſ. 27. annotatis, novo prorſus calculo viginti novem tantùm numerant, quâ ratione tacent, nec ego conjicere valeo, niſi ſorte in Typographorum oſcitantia ſabam hanc placeat cudere.

Sed hoc omiſſo, contra priorem verſus viceſimi ſeptimi partem quæ eſt præ manibus, apertè *Iunius* cum ſuis ſequacibus Anglis peccat: nam in eâ unâ hebdomade (quæcunque tandem fuerit) inſignis erat & extraordinaria pacti Euangelici prædicatio, & Euangelii ſucceſſus apud multos magnamque Judæorum & gentium multitudinem: in illâ verò *Iunii* ſeptimanâ ante urbis excidium, nihil ejuſmodi ſingulare legimus ſupra tempora priora, imò nec quod ad tempora priora poteſt comparari.

Quod ipſi adferunt de bonitate Dei, monentis Chriſtianos ante urbis obſidionem ut ſecederent Pellam, quid hoc ad prædicationem Euangelii, & confirmatum fœdus cum multitudine converſorum ex Judæis & gentibus? Quodque addunt de ceſſatione ſacrificiorum tempore obſeſſæ urbis ipſos non relevat. Nam in hebdomadis medio caſſanda erant ſacrificia, ſed ipſi volunt ceſſaſſe tantùm biennio ante urbis excidium quod fuit non in mediâ, ſed in vergente ad finem ſeptimanâ, imò verò nec urbe obſeſſâ ceſſârunt ſacrificia, nam ad ultimum obſidionis diem perſeverabant ſacerdotes offerre victimas, uſque dum Romani ferro flammâque templum & urbem devaſtâſſent.

Deodati error. *Deodatus* neſcio an hiſce rationibus motus, & cum *Iunio* & *Anglis* hebdomadas malè claudat in urbis excidio, & textum cum iis pariter corrumpat, *Chriſtum* exterminatum volens poſt ſexaginta duas & ante unam hebdomadam, annotatis ſuis in verſ. 26. tamen in 27. concedit illam unam aſſignandam etſi non ulli certæ ex ſeptuaginta, tamen iſti in cujus ultimo dimidio *Chriſtus* prædicavit Euangelium, & mortem in cruce obiit. Humanum eſt errare, ſed minùs ferendum quòd viri doctiſſimi ſibi ipſis non conſonent. Certè *Deodatus*, & inprimis *Annotatores Anglicani* noviſſimi, etiam in curâ ſuâ poſtremâ non videntur ſibi ipſis conſequentia hîc proferre.

Expectabam in his anguſtiis à ſummo ingenio, literaturâ, & induſtriâ *Hugonis Grotii* magnam lucem, ſed ut ejus in *Danielem* annotata in manus ſumpſi, ſtatim omnis ea ſpes prorſus decollavit, Commentarium illum inveni tenuiorem, aridiorem, infructuoſiorem alio quocunque. Præterquam enim quod *Grotius* de hebdomadibus ſenſus cum *Scaligeri* & *Iunii* erratis ex profeſſo conſonet, earum enim initium in *Darii Nothi* ſecundo, & finem in urbis excidio collocat: habet etiam de unâ noſtrâ præ manibus peculiaria deliria. Eam quidem facit ultimam ex ſeptuaginta ſequentem ſeptem & ſexaginta duas, Chriſtumque occidi docet poſt ſeptem & ſexaginta duas, hactenus rectè & ad mentem noſtram, ſed quod in verſ. 27. annotat; unam noſtram & ejus dimidium ad urbis excidium ſpectare, cum prioribus non conſiſtit. Nemo certè quiſquam *Meſſiæ* mortem cum urbis excidio unâ hebdomadâ concluſit. Id etiam in *Grotii* commentario diſplicet, quod confirmationem fœderis cum multis nolit de fœdere *Chriſti* Euangelico intelligi, ſed de amicitiâ perverſiſſimorum Judæorum cum praviſſimis Idumæis, ſua arma ſociantibus intempeſtivè & inſeliciter contra Romanos. Craſſa nimis hæc eſt abſurditas.

De priori quæſtionis parte non plura, de poſteriori, quid ſit hebdomadæ dimidium aliqua diximus ad quæſtionem decimam, quibus nunc iſta addimus. Primò improbandum quod *Scaliger* hîc imperiosè premit, dimidium non referendum ad hebdomadam unam proximè memoratam, ſed ad omnino diverſam, hebdomadam ſcilicet eam quæ omnes ſeptuaginta ſequuta eſt. *Quid hebdomada dimidium.* Tam paradoxa eſt hæc ſententia, ut ex Proteſtantibus neminem Scripturæ interpretem meminerim qui ſequatur; certè *Iunius*, *Deodatus*, & *Annotatores Anglicani* noviſſimi, qui cætera *Scaligeri* paradoxa pleraque tenent, hîc Magiſtrum deſerunt. *Scaligeri error.* Nihilominus tamen (quod mirere) ex Pontificiis *Pererius*, *Tornellus*, *Salianus*, & alii (quod rectè ſubinnuit *Henricus Philippi*) in hoc *Scaligeri* paroram manifeſtè inciderunt, non quod cum eo ſeptuageſimam primam hebdomadam ad urbis excidium extendant, ſed quòd poſt finitas in *Chriſti* morte ſeptuaginta hebdomadas novæ hebdomadæ dimidium fingant, quod ad nullam ex ſeptuaginta ſpectat, novam illi certè nobis cudunt ſeptimanam, in cujus medio *Chriſtus* mortuus eſt Dan. 9. v. 27. ſed talem cujus prius dimidium conſtet ex poſteriori *Scaligerum Proteſtantes deſerunt, Ieſuitæ ſequuntur.*

dimi-

dimidio hebdomadæ ſeptuageſimæ, & poſterius dimidium ex priori dimidio hebdomadæ ſeptuageſimæ primæ, prout volebat *Scaliger*.

Ex hoc videtur factum, ut *Petavius* fratres ſuos Jeſuitas veritus adverſarium *Scaligerum* tam leviter hîc perſtringat, ut, licet ejus commentum ipſi non placeat, nolit tamen illud ullis argumentis oppugnare, imò verò diſertè aſſerat eſſe probabile. Nos tamen contra illum tam *Scaligeri* quam nominatorum Jeſuitarum errorem ſic argumentamur.

Argumenta contra Scaligerum & Ieſuitas.

1. Primò. Vocula demonſtrativa ה voci *Septimana* præfixa, eam ſeptimam notat de qua proximè fuit ſermo, hæc autem erat ſeptimana ſeptuageſima, non alia omnino diverſa, ſeptuageſima prima videlicet *Scaligeri*. Varias *Scaliger* affert inſtantias ubi particula ה non refertur ad ullum antecedens, ſed ad aliud omninò diverſum.

Replica, non examinemus eas inſtantias, tantùm dicimus tenere argumentum in uſu loquendi ordinario & vulgari, nec dari rationem cur ab uſu particulæ ordinario diſceſſiſſe *Daniel* intelligatur.

2. Secundò. Duriſſimum eſt in eodem verſiculo, imò in parvâ unius verſiculi parte talem amphibologiam procudere, quæ tam parvo intervallo unam & eandem vocem aliter atque aliter intelligi neceſſitet.

3. Tertiò. In totâ Angeli oratione hebdomadarum ſeptuaginta numerus accuratè definitur: ut earum decurtationem in *Pareo* & *Reinoldo* ſuprà refutavimus, ita extenſionem earum ad annos tres & medium ultra ſeptuaginta hebdomadas hîc rejicimus, ut expreſſo Angeli ſcopo repugnantem.

Quartò. Ut Jeſuitæ nominati *Danielem* efficiunt ſilere de hebdomade ſeptuageſimâ, quam ſupra cæteras omnes ſigillatim memorat ut omnium maximè mirabilem, ita *Scaliger* ſeptuageſimam hanc nullo notabili eventu ſignat, & ſeptuaginta hebdomadas ſine ullo myſterio claudit, nam in earum fine, neque *Meßiam* mortuum, neque urbem excisam vult, cùm claudat hebdomadas ſeptuaginta, triginta ſex annis poſt mortem *Chriſti*, & tribus ac medio ante urbem exciſam, anno ſcilicet & ſemiſſe, ante ultimam Hieroſolymorum obſidionem, quando nihil notabile ab ullo auctore affertur.

De dimidio ultimæ hebdomadæ magna diſcrepantia.

Scaligeri ergo & dictorum Jeſuitarum ſententiâ rejectâ, inquiramus quid de dimidio unius, ultimæ ſcilicet ex ſeptuaginta ſeptimanis, ſit ſentiendum. Magna hîc eſt inter auctores diſcrepantia de dimidio, qui inter ſe de hebdomadâ unâ conſentiunt. Alii Hebræum חצי interpretantur *dimidium* alii *medium*, & licet *medium* cum *dimidio* multoties confundatur, hoc loco tamen diverſarum iſtarum ſententiarum auctores volunt ita diſtingui, ut *dimidium* ſit altera æqualis pars totius: *medium* verò quod inter iſtas duas partes interjacet. Rurſus qui cum vulgatâ Latinâ interpretantur *dimidium*, in tres abeunt vias; Alii ſunt pro hebdomadæ dimidio priori, alii pro poſteriori, quidam indifferentes ſunt pro utrolibet. Pro quatuor iſtis ſententiis varii ſunt magni nominis auctores tam inter Proteſtantes quàm Pontificios. Nos, ut ſolemus, liberè quid de ſingulis ſentiamus, breviter exponemus.

Primò. Non placet *Suareſii* indifferentia, licet à variis ſuæ ſodalitatis approbata; nam cum Spiritui S. viſum ſit diſtinguere diſertè illius hebdomadæ partes, & illarum uni eventus maximos, inprimis *Meßiæ* mortem aſſignare, non decet mortales terminos à Deo poſitos movere; quaſi perinde eſſet maximos eos eventus cuilibet hujus hebdomadis parti attribuere. Præterea cùm *Chriſti* mors iſtius medii hebdomadæ character certo temporis momento acciderit, ea cuilibet totius ſeptennii parti indifferenter relinqui, ſalvâ ipſius rei veritate non poteſt.

Suarezii indifferentia improbanda.

Illa ergo Jeſuitarum ἀδιαφορίᾳ ſepoſitâ, qui pro poſteriori dimidio ſtant, illud inchoant à *Chriſti* Baptiſmo in medio quarti anni hebdomadis ultimæ, eo fine ut claudant ſeptuageſimam in *Chriſti* morte.

Argumenta contra dimidium poſterius.

Sed contra hanc ſententiam duo objicimus. Primò. Si in ipſo hebdomadæ extremo mors *Chriſti* accidit, fruſtra hebdomas ab Angelo eſt dimidiata, ut dimidio aſcriberetur eventus qui in extremo contigit: quod enim fini aſcribendum erat tribuitur medio? Secundò. Temporum computus huic ſupputationi non convenit, mortem enim *Chriſti* tres annos & ſemiſſem extra ſuum locum ponit, quod rationes Chronologicas conturbat, ut poſtea videbimus.

Quod ad tertiam ſententiam attinet de hebdomadæ ultimæ dimidio priori, quàm *Calvinus*, *Rollocus*, *Cornelius à Lapide*, *Petavius*, *Henricus Philippi*, & alii amplectuntur, ea *Chriſti* Baptiſmum collocat in hujus dimidii principio, & mortem in fine: adeò ut re ipsâ hæc coincidat cum quartâ ſententia, quæ textum non de dimidio, ſed medio interpretatur. Nam quod accidit in prioris dimidii fine, revera contigit in totius hebdomadæ medio: ut Septuaginta Interpretes locum transferunt, ἐν τῷ ἡμίσει τῆς ἑβδομάδος, ſecundum *Iunium* in medio hebdomadis, Interpretem Italum [*nella meta de quella ſeptimana*] & interpretem Gallum [*au milieu de ceſte ſeptimain*]

Et dimidium prius.

 prout

prout *Vatablus* & *Montanus* in margine *dimidia hebdomada*. Tertiam banc ſententiam quoad rem probamus, ſed quoad voces improbamus, nam quod revera eadit in hebdomadæ medium, id in dimidium prius aut quodlibet dimidium à medio diſtinctum collocare, incommoda videtur expreſſio.

Veritas eſt in medio civili.

Quarta ergo ſententia, quæ *Danielis* verba exponit de hebdomadæ non dimidio ſed medio, nobis videtur expeditiſſima. Diſtinguit rectè *Sanctius* in locum inter medium Mathematicum, quod omnino æqualiter uſque ad punctum Mathematicum diſtat ab extremis, & medium civile, ubi ſecundum vulgarem uſum loquendi, & ordinariam Scripturæ phraſin aliqua latitudo admittitur, nec omnimoda æqualitas diſtantiæ ab extremis requiritur. Etſi hoc loco non magna latitudo quærenda videatur, nam dato *Christum* poſt Baptiſmum annos tres & ſex menſes prædicâſſe Euangelium, & fine ſexti menſis crucifixum (de quibus temporum terminis ſuo loco) *Christi* mors accidet ſi non in præciſo Mathematici medii puncto, tamen in tam accurato medio civili iſtius ultimæ hebdomadæ, ut tam parva latitudo requiratur quàm in quoquam alio medio, quod in Scriptura memoratur.

In hunc computum conſpirare videntur doctiſſimorum Chronologorum calculi, utut in aliis à ſe invicem differentes, quod ex *Iunio* in Dan. 9. v. 24. & *Calviſio* in *Artaxerxis* ſeptimo, unà cum tabulis *Ubbonis Emmii*, *Petavii*, & *Henrici Philippi* ſuo loco demonſtrare conabimur.

QUÆSTIO XVI.

An ſeptuaginta Danielis *hebdomadæ abunde convincant Iudæorum pertinaciam, & clariſſimè demonſtrent jamdudum* Meſſiam *Veniſſe in mundum?*

QUamdiu Judæorum oculis erroris velum juſtâ Dei dextrâ obvolvitur, nemo iis quicquam etiamſi perſuadeat, perſuaſerit: ſed quod præter alia Scripturæ loca, ex Dan. 9. tam clara lux affulgeat, ut de adventu *Meſſiæ* dudum præterito obſtinatiſſimè negantes convincere & *αὐτοκατακρίτους* reddere apta ſit, his argumentis concludimus.

Pro Meſſia adventu jam præterito arg. 1.

Primò. Quem Dei Spiritus venturum in mundum & occidendum prænunciavit ſeptuaginta annorum hebdomadis poſt decretum de reſtaurandis Hieroſolymis, is jamdudum venit in mundum & occiſus eſt: Atqui Dei Spiritus prænunciavit *Meſſiam* venturum in mundum & occidendum ſeptuaginta annorum hebdomadis poſt decretum de reſtaurandis Hieroſolymis: Ergò *Meſſias* jamdudum venit in mundum & occiſus eſt. Major nititur certiſſimâ, clariſſimâ, & inter nos & Judæos minimè controverſâ maximâ de divini Spiritus & verbi veritate, de certitudine neceſſariâ ac infallibili omnium Vet. Teſtamenti prædictionum. Minor æquè patet ex diſertis Danielis verbis 9. verſ. 25. & 26.

Multa Iudæorum effugia refutantur.

Argumentum hoc Judæos miſerrimè torquet, & ut reſponſionis aliquam umbram ad faciendum populum inveniant, in varias ſe formas conjiciunt, ſed omninò fruſtrà; nam quò magis reluctantur, eo fortiùs hujus vinculi nodus eos conſtringit. In eludendâ minore præcipuus eorum labor eſſe ſolebat, ſed vulgatiſſima hodie eorum eſt ad majorem reſponſio, eam hac diſtinctione declinare conantur. Alias prædictiones ajunt abſolutas, alias bypotheticas: prædictionem *Danielis* de adventu *Meſſiæ* hypotheticam eſſe, ſi modo populus ſuis peccatis ejus adventum non retardaret. per populi autem peccata ſtetiſſe, quòd tempore à *Daniele* prænunciato *Meſſias* non venerit.

Promiſſio adventus Meſſiæ fuit abſoluta non hypothetica.

Replico. Nullum hoc loco diſtinctionis iſtius uſum eſſe: nam *Meſſiæ* adventus in prædicto tempore promiſſus fuit abſolutiſſimè, nec ulla cujuſquam conditionis in hac promiſſione vel apud *Danielem* vel alibi, tenuiſſima eſt ſubindicatio.

Præterea *Meſſiæ* adventus ex merâ gratiâ & miſericordiâ divinâ profluxit, ejuſque primarius ſcopus fuit peccatorum populi abolitio; ita nihil enim à parte hominum potuit remorari, qui ab unico Dei beneplacito, & purâ putâ gratiâ abſolutè dependebat: & minimè omnium peccatum, quandoquidem adventus ille *Meſſiæ* removendo & deſtruendo peccato unicè à Deo deſtinatus fuerit.

Denique quod tandem populi peccatum *Meſſiæ* adventum tempore præſtituto impedire potuit? Id certè oportuit multò fuiſſe majus aliis quibuſcunque quæ ante *Danielis* dies admiſerunt: nam his quæ prioris templi & urbis excidium procurârunt non obſtantibus, templum & urbs reſtituta ſunt & promiſſus eſt *Meſſias*: jam verò ſi reatum crucifixionis *Meſſiæ* excipias, (quem illi negant fuiſſe peccatum) nullum aliud peculiare delictum ab iis admiſſum legimus, quod prioribus eorum ſceleribus ſupereminuit. *Ieremiâ* cæteriſque Prophetis teſtibus; idololatria, adulterium, inceſtus, homicidium, & omne genus graviſſimarum iniquitatum in eo populo fuerunt frequentiſſima ſub templo priori, quibus non impedientibus promiſſio de *Meſſiæ* adventu facta eſt: poſt verò tempus *Meſſiæ* adventui præſtitutum, in primis poſt ultimam

mam Hieroſolymorum deſolationem, peccatorum iſtius populi gravitas ad oculum diminuta eſt. Ab Idololatriâ (præcipuâ olim provocatione) à multis ſeculis etiam ante deſtructum poſterius templum fuerunt liberrimi; à cædibus captivitas eos dudum cohibuit plus quàm ullam aliam gentem. In aliis ſceleribus præter obſtinatam in Euangelium rebellionem (quam ipſi non agnoſcunt) nemo ipſis imputat quicquam ſupra cæterarum hodie gentium aut ipſorum etiam ſeculis antiquis, patrum facinora. Vaniſſimum ergo eſt quod *Meßia* adventum ob populi peccata retardatum aſſerunt, accelerat aliquando divina bonitas ſua in peccatores beneficia, nunquam retardat, ubi definitum tempus particulari beneficio præſcriptum eſt.

Ignorantia revelatorum non eſt modeſtia ſed pervicacia & ſtupor.

Hinc depulſi ad aliud & ultimum κρησφύγετον decurrunt, cum toties ſpe ſuâ de *Meßiâ* falſi ſint, publico quaſi edicto jam vetuerunt quenquam de tempore adventus *Meßia* amplius inquirere. Nihil nunc ajunt de eo ſciri poſſe, & omnino ſe ignorare profitentur quando ſit venturus, aut quam ob cauſam tamdiu ſuum diſtulerit adventum.

Replica. Ignorantia in myſteriis divinis nondum revelatis, aliquando laudabilis eſt, & ſemper excuſabilis: ſed in revelatis inprimis cum argumento claro premimur, & urgemur ipſis Scripturæ verbis, profeſſio ſilentii & ignorantiæ vel eſt propalam dare victas manus, vel aperta pertinacia, errori contra invictum argumentum adhærens.

Male negant authoritatem canonicam Danielis.

Ad Minorem reſpondentur tria. Primò. *Danielem* non eſſe Prophetam, adeoque ejus prædictiones nec divinas nec veras eſſe. Ita *Porphyrion Sadducæus*, teſte *Galatino*, obgannit. Regere. Vetus eſt peſtiferorum hominum à Scripturis irrefragabiliter convictorum cacoëthes, in ipſas Scripturas blaſphemias ſuas evomere. Pontificii quidem *Danieli* aſſuunt Apocrypha de *Suſannâ*, *Bele*, & *Dracone*, additamenta; atque hac ex parte infidelibus ſcandalum objiciunt, ut omnia *Danielis* ſcripta rejiciant: Nihilominus αὐθέντεια verorum *Danielis* ſcriptorum à Judæis hactenus non minùs quàm Chriſtianis aſſerta eſt. Certè *Danielis* divinæ ſapientiæ & veritatis teſtimonium ipſe Deus fert Ezek. 14. v. 20. [*Si tres iſti Viri* Noah, Daniel *&* Job *fuerint in medio ejus*] & 23. 3. [*Ecce ſapientior eſt* Daniele.] Cui Deus attribuit juſtitiam & ſapientiam inter juſtiſſimos & ſapientiſſimos mortalium, quàm perditæ frontis eſt eum falſitatis & mendacii arceſſere conari.

Errores Solomonis Iarchi.

Secunda & tertia reſponſio eſt Rabbi *Solomonis Iarchi* in ſuis ad 9. Dan. commentariis, ait *Meßias* eſſe plures, ſed unum tantùm filium *Davidis* κατ' ἐξοχὴν, de hoc *Danielem* non loqui, ſed verſ. 25. de *Cyro* 26. verſ. de *Herode Agrippa*, & 24. de arca, aliiſque templi Hieroſolymitani inſtrumentis.

Reſp. Quàm putida ſint iſta paucis videte. Primò. Cùm uno & eodem loco de *Meßiâ* ter abſque ullius diſtinctionis indicio Scriptura loquitur, quantæ eſt audaciæ pro uno *Meßiâ* tres cudere, & verè excludere ab omnibus tribus locis de *Meſſiâ* verum *Meßiam*, de quo ſolo in *Danielis* & afflicti populi ſolatium ea Scriptura intendit loqui. Certè abolitio peccati, adductio ſempiternæ juſtitiæ, caſſatio legis cæremonialis, & alia ibi *Meßiæ* appropriata non ulli conveniunt alii quàm filio *Davidis* Redemptori.

Loquitur de Meßiâ principali.

Cyrus non fuit Chriſtus Iſraelis.

Quod verò ad tres alios à *Iarchio* ſubſtitutos *Meßias*, de eorum hic nllo nullum *Daniel* verbum. *Cyrus* quidem ab Iſaiâ 44. v. 28. & 45. 1. dicitur Dei paſtor & Dei *Meßias*, ob ſingulare in Dei populum beneficium, ad quod præſtandum extraordinariâ Dei providentiâ conſtitutus erat; ſed nemo, ne ipſe *Iarchius*, *Cyrum Meßiam* principalem Iſraëlis à peccato & Diabolo redemptorem, dixit; de quo tamen uno iſthîc locorum *Daniel*. Quod autem ibi *Daniel Cyrum* non intelligat ex hoc patet: Propheta loquitur de *Meßiâ* poſt hebdomadas ſeptem & ſexaginta duas venturum, *Cyrus* autem diu ante hebdomadarum primam mortuus eſt. Eſto incipiant Judæi hebdomadas ab urbis ruinâ priori per *Nebuchadnezarem*, vel etiam à relatione *Ieremiæ* factâ, *Nebuchadnezaris* anno primo (quæ utraque ſupputatio falſa eſt, ut ſuprà vidimus) tamen etiam ab hoc principio ad *Cyri* principatum malè numerantur ſeptem & ſexaginta duæ hebdomadæ. Imò malè numerantur vel ſeptem hebdomadæ, quæ faciunt tantùm annos quadraginta novem, intervallum nimis quàm ſtrictum ab Hieroſolymorum primo excidio ad *Cyri* principatum. Hinc eſt quod Rabbi *Abraham Aben Ezra* & alii plerique Rabbini rejiciant hoc Rabbi *Solomonis Iarchi* de *Cyro* commentum.

Nec Agrippa.

Quod ad ſecundum ejus Meſſiam *Agrippam* à Romanis, ut vult, ante urbis caſum occiſum, nihil in hac fabula eſt ſani. Nam primò, Cur *Daniel* eodem loci alterum *Meßiam* nobis produceret eumque annis ſupra qningentos poſt priorem demortuum? Secundò, Quis unquam *Agrippam*, præter *Iarchium*, *Meßiam* dixit? *Herodes* quidem *Magnus*, & etiam ejus nepos *Herodes Agrippa* ob regnum Judaicum, quod uterque poſſidebat, & magnum potentiæ ſplendorem, à quibuſdam gnathonibus Herodianis *Meßiæ* titulum adepti ſunt, ſed ulti-

ultimus hic *Agrippa*, *Herodis Agrippæ* filius, licet in Trachonitide regnârit, nullam tamen vel Hieroſolymis, vel in Judæâ unquam habuit poteſtatem, tantùm abeſt ut eum quiſquam Judæorum ullum *Meßiam* ſomniârit. Tertiò. Quod eum à Romanis cæſum, idque ante urbem captam volunt, Rabbinicum eſt & impudens figmentum, nam cum Romanis ad vitæ finem vixit amiciſſimè, & pro viribus *Veſpaſiani* tam patri *Flavio* quàm *Tito* filio in ſubjugandis Judæis opitulatus eſt. Certè poſt triumphum Imperatorum *Flavii* & *Titi* de ſubactâ Judæâ *Agrippa* amplificationem regni à *Flavio* adeptus eſt, ejuſque ſoror *Berenice* in Palatio Romæ cum *Tito* penè juſtæ uxoris loco familiariſſimè vixit.

Nec Arca aut Altare.

Tertius *Iarchii* Meſſias, *arca* & *altare*, procul abſunt à *Danielis* Meſſiâ verſ. 24. memorato, nam *Meſſias* ibi unctus eſt perſona, altare autem & arca vaſa erant Sanctuarii inanimata. Secundò. Quod ibi ungitur eſt Sanctum Sanctorum, vaſa autem ea fuerunt quidem Sacra & Sancta, ſed titulus ſuperlativus Sancti Sanctorum iis non convenit. Tertiò. Arca quotannis ſanguine propitiationis aſpergebatur, ſed non memini ubi vel arca vel aliud quodcunque vas intra velum ſancto oleo inungeretur, nedum ut totum ipſum Sanctuarium ullo unquam oleo perfuſum ſit: Sanctuarium quidem tam tabernaculi quàm templi prioris nube repletum fuit, ſed nullâ unctione perfuſum: ſecundi autem templi Sanctuarium nunquam legimus vel nubis fumo, vel ullo alio extraordinario Dei præſentiæ ſigno decoratum, ſi Chriſti & Apoſtolorum in atriis exterioribus converſationem cum populo excipias. Quartò. In ſecundo templo ex illis quinque quæ Rabbini defuiſſe volunt tria fuerunt, *Arca*, *Sanctum oleum*, & *Spiritus Sanctus*; reliqua duo *Urim* & *Thummim* ac *Ignis ſacer* huc non pertinent, ubi tantùm obſervamus unctionem Sancti Sanctorum intelligi non poſſe de arcâ perfuſâ, ſeu oleo ſeu præſentiâ Spiritus, quæ ſcilicet eo ſeculo non exiſtebant, Rabbinis ipſis teſtibus; adeo ut ea à *Daniele* memorata unctio verſ. 24. uni *Ieſu Nazareno* relinquatur, utpote qui non tantum creaturarum omnium Sanctiſſima, ſed ipſa Sanctitas Iſraëlis fuit, vir Spiritu S. ſupra omnem menſuram repletus.

Non loquitur Daniel de annis Iubilæis.

Manifeſtatâ jam ſatis trium iſtarum *Salomonis Iarchi* ad noſtram minorem reſponſionum futilitate; ſunt inter Judæos, tres adhuc aliæ reſponſiones prioribus non minùs futiles. 1. *Danielis* hebdomadas intelligi voluit non de annis ſed Jubilæis, ita ut ſeptuaginta hebdomadæ non tantùm annos quadringentos nonaginta, ſed etjam annos ſeptuagies quinquaginta contineant, hoc eſt, ter mille quingentos. 2. Duos eſſe *Meſſias*, alterum humilem multis ſubjectum malis, alterum glorioſum qui nihil patitur. 3. Diſtinguendum inter tempus nativitatis *Meſſiæ*, & tempus ejus apparentiæ; natum quidem fuiſſe ſecundum *Danielis* Prophetiam ipſo die incenſi templi ſecundi, ſed adhuc latêre in paradiſo ad portam Romæ, donec populi precibus adductus appareat ad ſalvandum Iſraël, has etiam nænias dedolatas demus. Ad primum Replica 1.

Iudæos omnes antiquos & *Talmudiſtas Danielis* hebdomadas intelligere de annis, commentum Iubilæorum eſt Recentiorum, qui poſtquam omnes adventus *Meſſiæ* terminos ab antiquorum ullo poſitos expiratos conſpexerunt, ne miſer populus toties ludificatus expectationem omnem de *Meſſiá* ulteriorem deponeret, terminum illi adeo longinquum excogitârunt, ut per multa ſecula non poſſet falſitatis convinci.

Secundò. Nuſquam in totâ Scripturâ vel apud ullum probatum auctorem memorantur ullæ hebdomadæ Jubilæorum, ſed omnis hebdomas eſt, vel dierum, vel annorum, nullus autem dixerit *Danielis* hebdomadas fuiſſe dierum, ita enim biennii unius ſpatium non expleviſſent, ergò relinquitur intelligendas de annis.

Tertiò. Communis eſt Talmudiſtarum traditio à domo *Eliæ* ejuſque Prophetæ diſcipulis, ut volunt, profecta, duraturum ſex millibus annorum mundum, & poſteà conflagraturum: horum duo millia tribuunt inani, duo legi, duo diebus *Meſſiæ*; ſententia autem præ manibus præter vulgarem Judæorum fidem tribuit ſoli legi ſupra quinque millia annorum.

Quartò. Computus hic Spiritus Sancti apud *Danielem* ſcopo omnino eſt contrarius, vult Deus miniſterio *Gabrielis Danielem* cæteroſque magno mœrore confectos conſolari, ex propinquo poſt ſeptimanas ſeptuaginta *Meſſiæ*. Redemptoris adventu: à quo alieniſſimum eſt ſolamen illud non niſi poſt ter mille quingentos annos adventurum.

Denique, nugæ hæ Prophetæ verbis expreſſè contradicunt, ponit *Daniel Meſſiæ* adventum ante urbis & templi ſecundi ruinam: imò verò calamitatem illam ut conſequens ſubjungit morti *Meſſiæ*, & ut meritam pœnam iſtius multò maximi facinoris, ſed noſtri fabulatores *Meſſiæ* adventum ter mille annis poſtponunt urbis excidio.

Malè diſtinguitur

Quod ad reſponſionem alteram de *Meſſiá* duplici, humili & glorioſo, patiente & trium-

Meſſias glorioſus ab humili. triumphante, toti Scripturæ repugnat, unius tantùm meminit, & talis qui primò humiliter pateretur, & poſteà glorioſè triumpharet: quique per ſcalam crucis in triumphalem gloriæ currum aſcenderet. Secundò. *Daniel* loquitur de *Meſſiâ* glorioſiſſimo, qui morte ſuâ allaturus eſſet juſtitiam ſempiternam, abolitutus peccatum, obſignaturus viſionem, remoturus cæremonias, & rebellem Hieruſalem Romanorum armis deleturus; ſicut Propheta *Iſaias* cap. 53. glorioſiſſimè *Meſſiæ* juſtificantis Eccleſiam & placantis iram Dei in peccata electorum, paſſionem totam Euangelicè multò antè deſcripſerat, & diu ante *Iſaiam* David Pſal. 22.

Fabula de Meſſiâ leproſo. Tertia reſponſio non eget aliâ refutatione quàm nudâ & ſimplici enarratione; inde enim abundè patebit ejus putidiſſima falſitas, & inſuper quàm patulum habeant infideles cor ad firmiter credendum ſtultiſſimè confictis fabellis, qui oculos ſuos clauſerunt, ne videre cogantur clariſſimos divinæ ſapientiæ radios in *Ieſu Chriſti* Euangelio. Hanc ſententiam ſic explicat *Petrus Galatinus* ex libro *Sanedrim* & *Bereſchith Rabba*, *Solomonis* etiam *Iarchi* commentariis, & aliorum.

Eo die quo Romani, vel potiùs Judæi incenderunt templum, audivit Rabbi *Elias* vocem de cœlo clamantem ruere Sanctuarium: dum expectaret Rabbi ſtatim finiendum mundum, & ad hoc prædicandum populo properaret in ſtrata, iterum vox de cœlo eum monuit eo die natum Iſraëlis Servatorem: inquirenti *Eliæ* ubi locorum? Reſpondit vox, *Bethlehemi Iuda*. Cùm illuc ſe contuliſſet Rabbi *Elias*, invenit mulierem præ foribus habentem ante pedes neglectum recens natum infantem. Interrogat Rabbi quid ita negligeretur infans? Reſpondet mater, eo quòd arbitraretur partum infelicem & infauſtum, qui natus eſſet eo die quo templum conflagravit. Tum *Elias* ad mulierem, bono ſis animo, infantem cura, nam Salvator ille eſt Iſraëlis. Poſt quinquennium dum rediiſſet Rabbi Bethlehemum, interrogat matrem, ut ſe haberet? Reſpondit illa, multò miſerrimè, nam licet ipſum pro viribus foverim, tamen ad eum diem jacere mutum, ſurdum, cæcum, pedibus & omnibus membris captum. Dum colloquuntur, ingruit ingens turbo, & puerum corripit, ac in magnum mare defert: ſtatim ſolvitur in lachrymas *Elias* ob abreptam ſpem Iſraëlis, ſed ſilentem vox de cœlo conſolatur, prædicens manſurum puerum iſtum abreptum veriſſimum *Meſſiam* annis quadringentis in mari magno, & annis octuginta in fumo flammæ filiorum *Core*, & aliis octoginta in portâ Romæ inter leproſos, ipſum leproſum valdè: poſt eos autem annos quingentos ſexaginta quinque ab incenſo templo ſecundo, *Meſſiam* purgatum leprâ acceſſurum ad Romanum Pontificem, ut ad *Pharaonem* venit *Moſes*, & juſſurum ut captivos Judæos dimitteret.

De tempore Meſſiæ teſtimonia tam Iudæorum quàm Gentilium. Hujuſmodi lactucis digniſſima ſunt Judæorum labra, qui apertis Prophetarum & Apoſtolorum teſtimoniis nullam volunt adhibere fidem, iſta non dignamur, nec indigere putamus ullâ refutatione: firmum ergo ab hebdomadis argumentum ſtat, & omninò inconcuſſum ab omnibus Judæorum exceptionibus. Certè ab eo *Danielis* loco, & aliis Scripturis circa tempus nativitatis *Ieſu Chriſti* Domini noſtri maxima fuit Judæorum omnium *Meſſiæ* expectatio, & licet verum *Meſſiam* plerique repudiaverint, tamen in multarum myriadum horribilem cædem multos eâ tempeſtate falſos Chriſtos amplexati ſunt. Quot centena millia infidelium Judæorum etiam poſt everſas Hieroſolymas, pro ſummo nebulone *Barcoſba* vitas ſuas profuderunt!

Imò verò & ipſi Gentiles eo tempore ex Judæâ magnum toti orbi Principem expectàrunt. *Cornelius Tacitus*, *Suetonius*, & alii ea oracula ad *Veſpaſianos* detorſerunt, ſed ineptè: nam eorum Principatus tam fuit orbi infructuoſus & brevia ſpatii, ut nullis ad eum prædicendum oraculis opus fuerit. *Flavius* pater annis tantum novem imperavit, & *Titus* natorum major tantùm duobus, ac *Domitianus* filiorum minor quindecim: poſt quod hominum monſtrum nihilo *Nerone* mitius, tota *Veſpaſianorum* domus eradicata exaruit. Profectò magnus ille Princeps eo ſeculo à Judæis oriundus, de quo præter divina, ipſa Diabolica *Sibyllarum* oracula tot mira prædixerunt, alius non fuit quàm noſter *Dominus Ieſus Chriſtus*.

Ei veteres *Talmudiſtæ* amplum in multis teſtimonium præbuerunt, imò ex hoc præ manibus argumento quidam omnibus ſeculis convicti fidem Chriſtianam amplexi ſunt. *Dionyſius Carthuſianus* unius ante annos ſexcentos confeſſionem adducit in ſuis ad Dan. 9. commentariis, & *Nicolaus Abraham* alterius doctiſſimi Rabbini nuperrimè Pariſiis converſi (niſi fortè colloquium illud Jeſuitæ *Abrahami* ſit tantùm ſymbolicum non hiſtoricum.) Utcunque quæ ibi affert *Abraham* multa & firma argumenta, valdè apta ſunt ad expugnandam perverſiſſimorum Judæorum duriſſimam pervicaciam.

2. Argumentum. Secundum argumentum pro concluſione principali de adventu *Meſſiæ* jamdudum præterito, deducto ex verſ. 24. in hâc formâ. Quandocunque conſummata eſt prævaricatio & finem accepit peccatum, & pro-

propitiata eſt iniquitas, adductaque ſempiterna juſtitia, & obſignata viſio, ac Prophetia, & unctus Sanctus Sanctorum tum non tantùm natus eſt, ſed in officio exequendo publicè apparuit princeps *Meſsias*, nam primaria officii Mediatoris opera ſunt propitiare Deum, & reconciliare offenſum ob peccata, ac adducere juſtitiam divinam & ſempiternam in ſatisfactione, per ſuum ſanguinem omnia electorum peccata non tantùm quoad reatum, ſed etiam quoad mortiferam vim delere, & ſpiritualem ac conſtantem in electis obedientiam virtute ſui Spiritûs procurare: Prophetiis impletis adventu corporis omnium umbrarum viſiones ulteriores, ut non neceſſarias, clandere & obſignare. Iſtis divinis omnino operibus præſtandis nemo par fuit præter *Meſſiam* ſummum, Dei æterni omnipotentem filium. Neque is (licet Sanctus Sanctorum) ad hæc idoneus erat, priuſquam à patre unctus, hoc eſt, cùm inſtructus omni neceſſario mandato ad ſuum officium exequendum.

Jam aſſumo; Atqui in ſeptuaginta *Danielis* hebdomadis omnia prædicta peracta ſunt, nam diſertis verbis verſ. 24. Septuaginta hebdomadæ dicuntur à Deo determinatæ in hunc ipſum finem, ut eo ſpatio opera omnia prædicta præſtarentur. Ergò hebdomadarum earum ſpatio *Meſsias* principalis non tantùm natus, ſed & publicè ſuum officium executus eſt, adeoque jam dudum venit, & ſuum officium primarium peragens in mundo apparuit.

Judæorum reſponſa refutantur. Minor non controvertitur. Ad majorem evertendam ſuas Judæi ſtrophas applicant, prædicta opera omnia non *Meſſiæ* ſed ſibi ipſis attribuunt, ajunt poſt ſecundi templi calamitates eouſque populum ſubactum iri, ut in iis peccatum ſit ceſſaturum, & juſtitia eorum futura ſit perfecta, ac ſempiterna, ob quam Deus eos reducet in ſuam terram, Hieroſolymam reſtaurabit, templum reædificabit, & Sanctum Sanctorum inunget manibus *Meſsiæ*.

Replica. Reſponſio hæc ſcatet abſurditatibus. 1. Prædicta opera peragenda erant ſtante templo ſecundo: ipſi verò eorum nihil multis ſeculis poſt conflagrationem templi ſecundi, imò nec ad hunc uſque diem peractum docent. 2. Non omninò conantur docere quomodo ipſi inuncturi ſint Sanctum Sanctorum, nec quomodo obſignaturi viſionem & Prophetiam, an ſcilicet aliquot millenis annis poſt finitas ſeptuaginta hebdomadas ipſi inungent *Meſſiam*? Certè nôrunt triſti experientiâ jamdudum obſignatam viſionem: etſi enim *Talmudiſtæ* frequentes olim & ridiculas viſiones ac voces de cœlo commenti ſint, tamen recentiores Rabbini agnoſcunt nullas ultra ſibi revelationes dari. Certè in illo univerſali & ſolennitate ſummâ celebrato jejunio, paulò poſt annum milleſimum quingenteſimum, in quo omnes per totum orbem Judæi, viri, fœminæ, ſenes, pueri, per integrum annum quàm fieri potuit maximâ abſtinentiâ & ardentiſſimis precibus, aliquod de *Meſsiæ* adventu ſignum magnâ cum ſpe poſtulârunt, nihil tamen quicquam à Deo reſponſi in hunc diem tulere.

Tertiò. Quod afferunt de ſuâ juſtitiâ in Romanâ captivitate, omninò falſum eſt. Nam (ſi Idololatriam excipias, à quâ ſub ſecundo templo non minùs quàm hodie immunes fuerunt) à nullo alio peccato reformati videntur, homines ſunt avariſſimi, & in ſuis fœnoribus injuſtitiâ infames, fraudulenti valdè, in ſuo publico cultu profaniſſimi (ut mihi quidem Amſterodami in Synagogâ videbantur) quodque omnium caput eſt, in rebellione contra Euangelium unicam ſalutis viam obſtinatiſſimi. Imò verò tantùm abeſt, ut ullam de *Chriſto* crucifixo pœnitentiam agant, ut exiſtiment primarium illud peccatum, ob quod Deus Hieroſolymam & templum deſtruxit, eaſque omnibus, quas tunc & poſtea calamitates perpeſſi ſunt, obruit; fuiſſe eorum in Apoſtolos cæteroſque Chriſtianos patientiam: quod omnes, cùm in ſuâ tunc eſſent poteſtate, non occiderint, & Chriſtianiſmum in tenui tunc radice non extirpaverint. Hæc egregia eſt Judæorum ſub hodiernâ captivitate juſtitia, quâ demerituros ſe putant Deum, ut vetera omnia peccata dimittat, & ipſos in ultimam felicitatem, quam ſomniant, deducat.

Quartò. Dato (quod tamen falſiſſimum eſt) calamitates præteritas Judæorum gentem totam in eum reformationis apicem adduxiſſe, quò vel ipſorum Majores, vel alia unquam devotiſſima gens devenit, ſtent in eo juſtitiæ & pietatis culmine, quò quivis unquam mortalium in terris acceſſit, an tamen hinc inferent nullum in totâ gente remanere peccatum? Quàm hæc inſana blaſphemia! Sed dato hoc etiam infando abſurdo, an tamen ſumma gentis illius innocentia Deo poteſt ita ſatisfacere, ut eum reddat propitium ob omnia gentis iſtius in multis ſeculis horridiſſima ſcelera? Priſca Judæi etiam hodie delirant deliria, juſtitiam divinam in *Chriſti* ſatisfactione explodunt, ut ſuam, quæ nulla eſt, ſtabiliant. Eâdem adhuc oberrant chordâ, ut divino judicio dementati ab omnibus paſſim obſerventur.

Tertium adhuc ex textu proferimus argumentum hujuſmodi. Ante Hieroſolymorum exciſionem occiſus eſt *Meſsias*, & fœdus confirmavit cum multis verſ. 26. *3. Argumentum.*

Ergò

Ergò antè Hieroſolymorum exciſiouem venit in mundum & publicè ſuo muoere functus eſt. Reſponſiones Judæorum ad aotecedens communes duæ ſunt. Prior, *Meſsiam* occiſum non fuiſſe priocipalem, filium ſcilicet *Davidis*, ſed Regem *Agrippam*, *Agrippa* filium. Poſterior, quem *Daniel* affirmat confirmâſſe fœdus cum multis fuiſſe non *Meſsiam*, ſed *Titum Veſpaſianum*, qui paulò aotè obſidionem urbis fœdus cum multis Judæis pepigit, cui non diu ſtetit fœdifragus evadens. Replica. Reſpooſiones hæ prioribua non abſimiles, meodaciia putidis refertæ ſunt. Nam primò *Meſsias* de quo *Daniel* fuit principalis, & filiua *Davidis*, quem ſecundum omoes Prophetas oportuit occidi, & ſuâ paſſione opera redemptionia à *Daniele* memorata perficere. Secundò. *Agrippa* oullâ commodâ ratione dici unquam potuit ullus *Meſsias*, nec hic unquam, ut ſupra vidimus, occiſus fuit: imò verò ex quatuor à Scripturâ memoratis *Herodibus* oullus omnino eſt occiſus, ſed omnes domi ſuæ abſque ullâ humanâ vi expirârunt. Primua *Aſcalonita* dictus magnus, Infanticida, ob innumera ſua ſcelera, divinâ maou morbo graviſſimo per multos dies tortus obiit mortem. Alter *Herodes Tetrarcha*, *Ioannis Baptiſta* necator, in Galliia cum uxore *Herodiade* in miſero exilio elanguit: tertius *Herodes Agrippa* Hieroſolymorum & totius Judææ Rex, *Iacobi* Apoſtoli percuſſor, cum divinos admiſiſſet honores, ex phthiriaſi σκωληκόβρωτος interiit. Quartus autem prioris filius, Romanis ad ſuum extremum amiciſſimus, poſt exciſa Hieroſolyma & patratum bellum Judaicum, in *Veſpaſianorum* patris & filiis gratiâ permanens ſupra omoes Judæos, vitâ deceſſit. Iſta omnia *Ioſephus*, & alii teſtes, longè nuperis omnibua mendacibus Rabbinis ſuperiorea.

Iudaorum reſponſiones refutantur.

Ex iiſdem patet quod de *Tito* addunt nullam mereri fidem: præterquam enim quod fœdua illud Euangelicum, ultima ex ſeptoagiota hebdomadia cooſirmatum eſt cum multis credentibus à *Chriſto* & ejus Apoſtolis ante natum *Titum*; falſum etiam eſt ullum uoquam fœdus *Titum* violâſſe, nec cum Judæis ullum unquam fœdus pepigit: oam ſtatim ante urbis obſidiooem Alexandriâ venit Hieroſolymam, aoois ſuperioribus Galilæâ & Judæâ à ſe patreque ſubactâ. Voluit quidem libenter mitiſſimus Princeps Judæis jam ſubactis & ſubditia cooditionea pacia non fœderis dediſſe; ſed ſeditioſorum factio tam durâ tyranoide popolum obſeſſum ad ultimum uſque obſidionis diem comprimebat, & ipſis furiis divinis eò uſque amentiæ populus iſte actus eſt, ut omnem pacem obſtinatè recuſârit, nedum ut cum *Tito* in ullum fœdus devenerit.

QUÆSTIO XVII.

Quid de temporibus trium ultimorum Prophetarum Haggæi, Zachariæ, & Malachiæ *ſtatuendum?*

RESp. De duobus prioribus conſtat muoera ſua exercuiſſe anno ſecundo *Darii*, cum *Ioſua* & *Zorobabel* templum ſecundum extruerent, ſed magna de *Dario* illo controverſia, Prophetarum etiam iſtorum tempus cootroverſum facit: tres ſunt hac de re ſeotentiæ.

Primò. *Tertullianus*, *Clemens* Hieroſolymitanus, *Genebrardus*, & alii *Darium Medum* intelliguot. Iſtorum anachrooiſmus eſt maniſeſtus, & nimia expreſſarum Scripturarum iocogitantia; nam *Haggæus* & *Zacharias* ſub eo *Dario* Prophetârunt, cujus ſexto templi ſecundi extructio perſecta eſt, atqui *Darius Medus* vix duos annos Babylone regnavit: utcunque, ejus fioitum eſt imperium priuſquam *Cyri* iochoatum eſt, & verò nullus in templo lapis jactus eſt ante *Cyri* non modò imperium ſed etiam decretum de reſtaurandis Hieroſolymis: templi quoque ſtructura impedita fuit omnibus diebus tam *Cyri* quàm ejua filii *Cambyſis*.

Infrunitus Tertulliani anachroniſmus.

Hac ergò infrunitâ valdè de *Dario Medo* ſeoteotiâ rejectâ, ſecundo loco multi *Darium Nothum* volunt: templum poſt *Cyri* edictum annis ſupra centum in ruderibus jacuiſſe ſtatuentes, & *Zorobabelis*, *Ioſua*, *Haggai*, *Zacharia*, ac multorum ex populo ætatea ultra humanæ vitæ modum extendeotea gratis, ac ſine ullo idoneo argumentò. Magoum hunc *Scaligeri*, *Iunii*, & aliorum anachroniſmum quæſtione ſextâ prolixè refutavimus.

Darius non Nothus ſed Hyſtaſpis templum condidit.

Tertiam de *Dario Hyſtaſpis* ſententiam variia io eâ quæſtiooe argumentis cooſirmavimus: hìc ergò noo poſtulamus, ſed ut prius probatum ſumimus, *Haggæum* Prophetam agere cœpiſſe anno ſecundo *Darii Hyſtaſpis*, menſe iſtius anni ſexto, ut legimus Haggæi 1. verſ. 1. *Zachariam* verò eodem anno duobus tantum menſibus ſeriùs iniviſſe ſuum officium, ut ex capite ejua 1. v. 1. patet.

Cavete ergò à doctiſſimi *Iunii* in ea loca, quemadmodum etiam in Eſdræ 4. v. 24. anootatis, nam ibi *Darium*, ſub quo Prophetæ præ maoibus vixerunt, vult *Nothum* contra veritatem. *Deodatus* in primis ſuis annotatis ab hoc errore ſatis ſibi cavit, ſed editione poſteriori Italicâ, Anglicè jam expreſſâ in eum iocidit. Annotatores Anglicani Geneveuſes viri docti & optimi, *Calvini* & *Beza*, Marianis temporibus familiares,

Iunii, Deodati, & Annotatorum Anglicanorum anachroniſmus.

liares, tricies Londini in *Eliſabetha* Regno recuſi, licet regnante *Iacobo* invidiâ Epiſcoporum ſuæ cauſæ nimis quàm impenſe faventium, quantum fieri potuit abſque tumultu, ſuppreſſi; hi rectè in omnibus ſuis notis *Darium* hunc *Hyſtaſpis* indigitant. Sed nuperi Annotatores editione ſuâ priori ſibiipſis omninò non conſonant. In Haggæi 1. v. 1. & in Zachariæ 1. v. 1. disertè *Darium* hunc *Hyſtaſpis* vocant tertium Perſarum Regem, iidem tamen in Eſdræ 4. v. 24. *Darium* nolunt *Hyſtaſpis* ſed *Nothum*; Magnam hanc ἀβλεψίαν non excuſat præfatio in editionem ultimam, quæ ex Octavianis collegam unum, cui in *Ezekielem*, *Danielem*, & Prophetas minores commentari incumbebat (puto *Pemertonum*, vel *Redingum*, ſex enim cæteros *Fetlaum*, *Gudgaum*, *Gattakerum*, *Dunhamum*, *Leyaum*, & *Taylourum*, câ eruditione, câ magnanimitate viros familiariter cognovi, ut ab omni probro liberos audeam pronunciare) infamem *Deodati* plagiarium denunciat, nam notæ in *Haggai* & *Zacharia* locos prædictos à *Deodato* non ſunt ſurrepti, eum ibi locorum *Deodatus* editione ſuâ Italicâ priori ſiluerit, & poſteriori malè loquutus ſit: Annotatores autem Anglicani medii in *Haggæum* & *Zachariam* benè; ſed quod notamus ſphalma eſt in auctore notarum ad *Eſdram*, quem Collegarum præfatio ab omni notâ abſolvit. Quicquid etiam hìc eſt vitii, Angli ultimâ ſuâ & prolixâ ſatis curâ non omninò emendârunt, niſi libertas opinandi contraria emendatio ſit erroris, qui in contrariorum altero invenitur. In editione ultimâ ad Haggæi 1. v. 1. Eſdræ 4. v. 7. & 6. 15. etſi inclinent in *Darium Hyſtaſpis*, tamen alteram de *Dario Notho* ſententiam non improbant, ſed pro utraque afferunt in medium argumenta, nolentes ipſi quicquam determinare; ἀδιαφορία in commentatoribus gravibus in ejuſmodi quæſtione infrequenti, & vix ſatis probandâ.

Nomina Annotatorum Anglicanorum.

Unus plagiarius non excuſat cæteros.

Origenis abſurda ſententia de Malachiâ.

De tertii Prophetæ *Malachiæ* temporibus determinanti præcognoſcendum quis fuerit ille *Malachias*. Quatuor hac de re ſententias invenio. Prima eſt *Origenis* qui *Malachiam* Angelum non hominem fuiſſe exiſtimat, pro hoc ſomnio ἀτοπωτάτῳ nihil aliud adfert *Origenes*, quàm ſeptuaginta duorum Interpretum verſionem, qui vocem *Malachi* verterunt *Angelum ejus*: *Hieronymus*, & poſt eum omnes alii Chriſtiani doctores tetrum hunc errorem rejiciunt ut impoſſibile. Licet enim perſonalem cum naturâ humanâ unionem ſecundæ trinitatis perſonæ virtute divinæ omnipotentiæ concedant, negant tamen ullis aliis creatis ſuppoſitis talem unionem poſſibilem, ita ut Propheta *Malachias* eſſe non poſſit perſona ex Angelo & homine compoſita, argumentum ab Etymologiâ in appellativis, multò magis in propriis eſt valdè Topicum & contingens. Ipſe *Malachias Ioannem Baptiſtam* vocat מַלְאָכִי, eidemque nomen *Eliæ* tribuit, quin & omnes ſacerdotes vocat Dei Angelos, ergóne negandum *Eliam*, *Ioannem Baptiſtam* & omnes ſacerdotes fuiſſe homines? Præterea ſeptuaginta Interpretes non debuerunt nomen proprium appellativè interpretari: eorum in hoc auctoritas eò minoris facienda eſt, quòd in hoc ipſo vocabulo alium manifeſtum admittant errorem, in fine enim *Vau* pro *Iod* ſupponunt, ſi transferre voluiſſent, debuerunt vertiſſe *Angelus meus* in primâ perſonâ, non *ejus* in tertiâ.

Riberæ Calvini de Malachia ſententia refutatur.

Secunda ſententia eſt Judæorum tam recentium quam antiquorum, quos non tantùm *Hieronymus* & *Ribera* ex profeſſo, ſed etiam *Calvinus* in Prologo ſuo ad *Malachiam* Gallico propemodum ſequitur; *Malachiam* ſcilicet eſſe *Eſdram*, eò quòd de iis tantùm rebus agat de quibus *Eſdras*. Hæc ſi vera eſſet ſententia, liquida eſſent *Malachiæ* tempora, quia *Eſdræ* talia ſunt; ſed à pleriſque tam Pontificiis quàm Proteſtantibus hæc ſententia rejicitur, communis materia ſcripti non identificat ſcriptores. Præterea de variis agit *Malachias*, de quibus *Eſdras* nullum verbum. Denique cui bono ſuum *Eſdrai* nomen diſſimulâſſet, & qui libro uno *Eſdræ* nomen habuit, cur in altero *Malachiæ* titulum aſſumeret?

Etiam Gualteri.

Iisdem argumentis refutamus eos qui *Malachiam* arbitrati ſunt vel *Haggæum* vel *Zachariam*.

Tertia ſententia eſt ſolidiſſimi *Gualteri* in ſuo ad *Malachiam* Prologo, qui Prophetam hunc eundem putat cum *Malcija* qui Nehem. 8. v. 4. die jejunii *Eſdræ* à ſiniſtris ſtetiſſe legitur. Sed neque hæc admitti poteſt ſententia; non quòd tempora non poſſent ſatis convenire, ſed quod præter conjecturæ ſingularitatem ipſa nomina in literis ſubſtantialibus differant: habet enim *Malachi* in medio non tantùm punctum *Cametz*, ſed & literam *Aleph*; quæ in *Malcija* deſunt, & *Malcija* habet *Dagesh* in *Caph* cum ſubjecto *Chirek* ac in *Iod Mappik*, cum ſubjecto *Cametz* ac ſubjuncto *He*, quæ omnia in *Malachi* deſunt. Septem hæ differentiæ voces *Malachi* & *Malcija* uſque adeo differre faciunt, ut idem unius viri nomen eſſe non poſſint.

Remanet quarta communis, quæ noſtra eſt ſententia, *Malachiam* eſſe Prophetam diſtinctum ab *Eſdra* & alio quovis. Ad hoc probandum non opus eſt aliis argumentis quàm quibus alias ſententias refutavimus.

Malachias ulti-

De particulari ejus tempore nihil habetur certi in Scripturâ, ex materiâ tamen

ſcripti

mus Prophetarum.

ſcripti hæc in genere colligimus. Primo, ſcripſiſſe poſt *Eſdram*, *Haggæum*, & *Zachariam*, adeoque Prophetarum omnium fuiſſe ultimum tempore. Iſta concludimus non tam ex antiquiſſimo ejus ſitu poſt cæteros omnes veteris Teſtamenti ſcriptores (quod tamen argumentum eſt plerumque, ſi non ſemper ſatis probabile) nec etiam ex *Hieronymi* poſt Judæos regulâ, Scriptum omne Bibliorum quod nullum temporis titulum præ ſe fert, ſuperiori libro temporis titulum habenti contemporaneum eſſe, ſaltem tempore non priorem. His omiſſis ex ſubjectâ libri materia tria hæc deſumimus, Primum, ſcripſiſſe *Malachiam* poſt *Haggæum* & *Zachariam*, nam eorum laboribus intermiſſa templi extructio perfecta eſt; *Malachias* autem templo jam perfecto prophetam egit. Reprehendit enim ſacerdotes & populum de impietatibus ſuorum cultuum in templo completo peractorum; Secundum, ſcripſiſſe poſt *Eſdram* & *Nehemiam*, nam quæ iſti in matrimoniis alienigenarum, divortiis, & polygamiâ reformarunt, hic accuratiùs poſt novos abuſus ſtuduit corrigere: Tertium, ultimò omnium Prophetarum ſcripſiſſe, eò quòd de venturo mox *Meſſiâ* & ejus præcurſore *Ioanne Baptiſtâ* multo diſtinctiſſimè prophetârit, ita ut non fuerit opus alio propheta monitore de diebus *Meſſia*, jam quaſi ſtantis in foribus, certè jamjam adventuri.

Argumenta.

Cornelii à Lapide temeritas.

Particulariùs non audemus deſcendere: quòd *Cornelius à Lapide* Prophetam hunc aſſignet anno *Artaxerxis Longimani* ſeptimo, quando *Eſdras* templi pollutiones emendabat, id facit ſuâ unius conjecturâ ſine cujuſquam auctoritate, vel etiam idoneâ ratione. Hujuſmodi tantâ facilitate rejiciuntur, quantâ cum audaciâ proponuntur.

Epiphanii de Malachia fabula.

Eodem ordine habemus quæ *Epiphanius* in ſuorum librorum ultimo de vitis Prophetarum, memorat de *Malachiâ* ſine ullo teſte, ſine ullo argumento: fuiſſe *Zabuloniten* natum *Sopha*, ibidem cum ſuis parentibus ſepultum, in juventute mortuum, egregiâ & Angelicâ corporis formâ præditum, imò verò hoc ſupra omnes privilegio decoratum, quod quæcunque ille prophetaret, apparuerit eodem ſemper die Angelus de cœlo, eadem populo repetens & confirmans. En quàm antiquæ ſint Monachorum traditiones; neque heri, neque nudiuſtertius in eccleſia natæ ſunt aniles fabellæ.

QUÆSTIO XVIII.

An ſeptuaginta anni ca-

Qui concilietur primum Zachariæ verſu duodecimo cum Ieremiæ vigeſimi quinti undecimo & duodecimo: item ſecundi Paralipomenôn cap. 36. verſ. 20. & ſequentibus ad finem, & cum primi Eſdræ primo? Poſterioribus locis affirmatur 70 annos captivitatis Babylonicæ finitos eſſe in ruina Monarchiæ Chaldæorum & ortu Regni Perſarum, in primo Cyri: *priori verò nondum finitos annos ſeptuaginta captivitatis ſecundo anno* Darii, *qui diu imperium* Cyri *ſequutus eſt.*

ptivitatis diſtinguendi ſunt à ſeptuaginta deſolationis.

RESP. Non erat animus de hoc dubio pluribus egiſſe quàm quæ ad quæſtionem tertiam attuleram, ſed cùm Jeſuitas doctos *Riberam*, *Sanctiam*, *Cornelium*, & alios videam dubii hujus difficultatem admodum exaggerare, prioribus iſta ſubjungo.

Ieſuitæ ſuperſtitioſi & rebelles.

Primò, nullam *Ribera* fuiſſe cauſam, cur in hujus quæſtionis ſolutionem imploraret non tantùm auxilium Divinum, ſed etiam *Michaelis* Archangeli & ſanctorum *Ieremiæ*, *Eſdræ* & *Zachariæ*: nobis enim ad omnem cujuſcunque dubii ſolutionem neceſſariam ſufficit Dei gratia in unius Chriſti mediatione: præterquam quòd Prophetas V. Teſtamenti à Pontifice nondum canonizatos arbitrabantur etiam à Pontificiis excluſos ut ab omni mediatione interceſſionis, ita & ab omni invocationis cultu. Sed profectò ad hodiernum diem Jeſuitarum doctiſſimi popularem captant auram, ſuis in craſſiſſimâ etiam ſuperſtitione ac idololatriâ ſupererogationibus. Ut hoc ipſo loco videre eſt in *Cornelii* ad *Zachariæ* primi duodecimum commentariis, ubi non tantùm Babylonicam captivitatem (quæ veriſſimè convenit Pontificiæ ſervituti) Religioni reformatæ improperat, ſed etiam qui in Anglia & Scotia admodum pauci Jeſuitæ, & à Jeſuitis incitati rebelles meritò ſupplicio affecti ſunt, vocat tot centenos Martyres, qui inſtanter etiam hodie orant, & ſuo ſanguine abluunt noſtras iniquitates; & hoſtiæ pro peccato, ſuo ſanguine diluunt gentis Anglicanæ & Scoticanæ tranſgreſſiones. Hi ſunt doctrinæ Jeſuitarum belli fructus, & hinc quantopere indies in deterius vergat omnis de ipſorum reformatione ſpes, cuivis etiam luſco patet ad oculum. Utcunque quandoquidem ipſi dubium præ manibus tanti faciunt, nos ad priora hæc addimus.

Septuaginta anni Zachariæ iidem ſunt cum ſeptuaginta annis Ieremiæ.

Ad quæſtionem tres dari ſolent reſponſiones, quarum ſingulæ ſuos habent magnos auctores. Prima eſt eorum qui ſeptuaginta annos *Zachariæ* diverſos faciunt à ſeptuaginta annis *Ieremiæ*, ita ut iſti ab illis diverſos habeant terminos tam in principio quam fine. Iſtos ſeptuaginta annos *Zachariæ* quos deſolationis vocant, à vaſtatione Hieroſolymorum inchoant, & in reſtauratione templi claudunt; illos ſeptuaginta *Ieremiæ*, quos captivitatis vo-

cant,

cant, à *Nebuchadnezaris* primo inchoant & quarto *Ioakimi*, ut ſuprà vidimus, clauduntque in primo *Cyri*, quando Babylonicum everſum eſt Imperium & Judæorum captivitas ſoluta. In hac ſententia ſunt *Theodoretus*, *Hieronymus*, *Auguſtinus*, & alii veteres. *Ribera* eam prolixè defendit, & ab eo traditam accipiunt Ieſuitæ, *Sanctius*, *Petavius*, *Cornelius*, *Henricus Philippi*, & alii.

Defenditur Pererius contra fratres Ieſuitas.

Contra hanc ſententiam *Pererius* inſurgit, ob quod à ſuis fratribus vapulat, ſed nullo ſuo merito: rejicit ille quidem hanc ſententiam ob rationes aliquor minimè probandas: ait enim multò plures quàm veritas admittit, fuiſſe annos deſolationis ab exciſo templo ad reſtauratum, ſecundo *Darii Hyſtaſpis*; nam numerat à primo *Cyri* quando ſoluta eſt captivitas, ad ſecundum *Darii* annos ſupra quadraginta. In hoc cum aliquibus antiquis craſsè errat, dum primum Regni *Cyri* Perſici confundit cum primo Monarchiæ *Cyri*, & Imperii ejus Babylonici ac liberationis Judæorum. Nam ſupra viginti annos *Cyrus* imperavit Perſis ante captam Babylonem & everſam Monarchiam Aſſyriorum. Hunc tamen in *Pererio* anachroniſmum non omnino taxant adverſarii Jeſuitæ fratres: & verò ſi hoc ſphalma in eo prætereas, primam reſponſionem rectè oppugnat, ait enim Prophetam *Ieremiam* & alios vulgò confundere captivitatem Babylonicam cum Babylonica deſolatione: & quæ Deus facit eadem non eſſe hominum ea ſeparare: addimus nos has etiam rationes.

Primò. Diſtinctionis hujus fundamentum nullum eſt, cum in eo ponatur quòd *Zacharias* Propheta ſecundum *Darii* vocaverit annum ſeptuageſimum; ſuprà autem quæſtione tertiâ demonſtravimus manifeſtam hanc eſſe Latini Interpretis depravationem textûs Hebraici; quod tam *Petavius* quàm *Salianus* videntur concedere. Secundò, lectio hæc Latina non tantùm verbis Prophetæ, ſed etiam ſcopo adverſatur: nam querelæ Angeli coram Domino maxima materia eſt, quod durarent adhuc populi calamitates, poſtquam terminus à Deo iis poſitus (ſeptuaginta anni *Ieremia*) effluxiſſet. Nulla hìc querelæ materia, ſi ſeptuaginta anni tum non fuerint præteriti, ſed annus in quo Propheta loqueretur, eſſet ipſe ſeptuageſimus, prout rectè *Calvinus* in locum, & poſt eum *Gualterus* & *Annotatores Anglicani* nuperrimi obſervârunt. Tertiò, fatentur Jeſuitæ, modò verba ipſa Latina legantur interrogativè, *An iſte ſeptuageſimus eſt?* tum annum ſeptuageſimum non præſentem ſed præteritum rectè intelligi. Jam vero verba leguntur interrogativè, fatente ipſo *Cornelio* in editione Plantinianâ: quòd editio Romana interrogatione careat, quid ad nos? ipſi viderint. Certè Hebraica veritas apertiſſime eſt interrogativa, & Adverbium *quamdiu* initio verſûs poſitum, ut rectè vertit *Arias Montanus*, non poteſt non eſſe interrogativum, & totum verſum puncto interrogandi claudere.

Singularis error Tornielli.

Primam hanc ſententiam dimittemus, ſi Jeſuitæ *Tornielli* lapſum à *Saliano* & aliis ſuorum obſervatum notaverimus. Amplectitur ille diſtinctionem duplicis ſeptuageſimæ à *Pererio* nobiſque rejectam, ſed ſingularem & deviam prorſus numerandi viam inſtituit. Cum cæteris annos deſolationis ſeptuaginta claudit in ſecundo *Darii*, ſed ſolus eos inchoat à trigeſimo quarto *Nebuchadnezaris* non à decimonono, quando urbs & templum incenſa ſunt. Eſto in *Nebuchadnezaris* trigeſimo quarto debellata ſit Ægyptus, & traductæ tunc aliquot Judæorum reliquiæ ex Ægypto Babylonem, attamen nulla tum nova facta eſt Judææ vel urbis vel templi vaſtatio, quorum omnium extrema deſolatio multos ante annos peracta fuit. Neque verò ullius Chronologi rationes cum *Torniello* conveniunt, nam à triceſimo quarto *Nebuchadnezaris* ad ſecundum *Darii Hyſtaſpis* non fuerunt ſupra quinquaginta quinque annos, quos verò ipſe addit quindecim ex malè calculatis Regum Chaldæorum vitis, id ſuis ſomniis, nulli verò probato auctori acceptum referre debet.

Lutherus & Melanchton ab Annio ſeducti.

Sententia ſecunda eſt *Scaligeri*, quæ longius priori divertit à vero. Non loquor de *Lutheri* & *Melanchtonis* ſummorum virorum ſingulari hìc ſphalmate, qui *Annii Viterbienſis* impoſturis nondum eorum ætate ſatis liquidis ſeducti, annum ſecundum *Darii* retulerunt ad *Artaxerxem Longimanum*; novos hac ratione terminos ſeptuaginta annis *Zecharia* tribuentes. Sed cùm dudum Annianæ nugæ ab omnibus ubique ſint exploſæ, nulla eas hic refutatione dignabimur. Quod ad *Scaligerum*, ſeptuaginta *Zecharia* annos claudit in ſecundo *Darii* non *Hyſtaſpis* ſed *Nothi*, adeoque ſecundum ipſius & *Emmii* ſequacis ſui computum eos incipere cogitur *Darii Hyſtaſpis* triceſimo. *Calvinus* & *Gualterus* acerbè ſatis accipiunt prioris ſententiæ auctores, quòd ſeptuaginta annos *Zecharia* extendant ad ſecundum *Darii Hyſtaſpis*; quo ergo accepiſſent animo hos poſteriores, qui ad *Darii* uſque *Nothi* ſecundum, annos iſtos differunt? Nos contra eos paucis ſic agimus.

Scaligeri error.

Contra eum argumenta.

Primò. Tota hæc ſententia ſecunda nititur falſo fundamento, ſcilicet, *Darium* fuiſſe *Nothum* non *Hyſtaſpis*, ſub quo templum exædificatum eſt; de hoc ſatis quæſtione

ſtione octavâ. Secundò. Malè jejuniorum à *Zecharia* memoratorum anni vocantur ſeptuaginta, qui fuerunt ſecundum hos ſupra ducentos, nam præter duas ſeptuageſimas à *Scaligero* conceſſas, fuerunt alii propè ſeptuaginta anni medii: à primo enim *Cyri* ad triceſimum *Darii Hyſtaſpis* ſunt minimùm ſexaginta ſeptem, qui juncti cum ſequentibus ad *Darii Nothi* ſecundum, efficiunt ducentos & ſeptem, in quorum principio & medio jejunabant Judæi ob incenſum templum. Tertiò. In ſeptuaginta annis *Zecharia* jejunabant & lugebant Judæi ob incenſum templum, vaſtata Hieroſolyma, & populi captivitatem; conſentaneum ergo eſt luxiſſe populum annis ſeptuaginta immediatè ſequentibus iſta mala, non verò annis plus centum poſt reditum à captivitate templumque fundatum & Hieruſalem ædificatam, etſi nondum circumcinctam muro. Et verò, ecquæ fingi poteſt ratio cur Judæi, qui neglecto jejunio annis omnibus ſeptuaginta captivitatis & annis etiam ſexaginta ſeptem à reditu, triceſimo demum *Darii* iſta jejunia renovaverint? Quartò. Septuaginta iſtos Scaligerianos à *Darii* trigeſimo incipientes habuiſſe oportuit inſignem aliquem eventum populo Iudaico, ob quem ut characterem hujuſmodi Epocha inſtitueretur. Sed volvamus & revolvamus omnia antiquorum ſcripta ſacra & profana, nihil inveniemus inſigne in poſtremis *Darii Hyſtaſpis* annis, quod commode fundet ullius novæ Epochæ caput.

Calviſii error proprius.

Ut argumentum hoc declinet *Sethus Calviſius*, comminiſcitur ſeptuageſimæ hujus Scaligerianæ caput, non in triceſimo *Darii* ſed in primo *Xerxis* collocari, quando *Xerxes* (*Eſthera* maritus *Aſſuerus*) inhibuit templi ſtructuram, à qua calamitate Iudæos vult ſeptuaginta illos annos *Zecharia* numeraſſe. Sed inventum hoc eſt *Calviſii*, in quo nullum habet nec anteceſſorem nec ſequacem. Tempora etiam non quadrant, nam à primo *Xerxis* ad ſecundum *Nothi*, ſecundum *Calviſii* ipſius calculum, non ſunt anni niſi ſexaginta quinque. Tertiò, quis credat toto *Aſſueri*, *Eſthera* mariti tempore, & *Artaxerxis* ejus filii diebus, decretum nullum erga Iudæos benignum ab *Eſthera* & *Mardochæo* impetratum fuiſſe: ut omittamus refutatum illud *Scaligeri* commentum de *Xerxe Eſthera* marito Quæſtione ſextà.

Iunii, Deodati, & aliorum error.

His non obſtantibus *Iunius* ſententiam hanc *Scaligeri* ſequitur in ſuis ad *Zecharia* primi duodecimum, & ſeptimi quartum annotatis, ſed paucis & quaſi timidè, *Calviſius* & *Emmius* clariùs, etſi etiam admodum paucis, *Deodatus* inde eam proponit nudè, nihil determinans, *Pererius* ita proponit ut eam non rejiciat, etſi aliquas ejus partes improbet: ſed *Danæus* & *Annotatores Anglicani* eam expreſſè refellunt.

Sententia vera.

Supereſt tertia quæ noſtra eſt ſententia, quam *Calvinus*, *Gualterus*, *Danæus*, *Annotatores Anglicani* primi, medii & ultimi, *Pererius*, *Salianus*, & alii plerique Scripturæ Interpretes tam Proteſtantes quàm Pontificii, ſequuntur, nimirum annos ſeptuaginta *Zecharia* à ſeptuaginta *Ieremia* non diſtingui, ſed utroſque in primo *Cyri* deſinere: annis ſeptemdecim ante ſecundum *Darii Hyſtaſpis*, in quo Angelus *Zechariam* alloquutus eſt. Sententiam hanc non opus eſt aliis argumentis confirmare quam quibus ſuperiores refutavimus, & ipſa inſpectione textûs *Zecharia* qui apertè ſeptuaginta annos præteritos importat, ſi vel ſecundum Hebraicam veritatem, vel ſecundum multas Doctorum verſiones cùm veteres tum novas legatur, vel etiam ſecundum ipſam vulgatam Latinam licet corruptam, modò cum interrogatione, quam, ut ſuprà vidimus, ipſe verſiculi contextus, & adverbium interrogandi initio verſiculi poſitum, neceſſario inferunt.

Si objicias, ſeptuageſimam in primo *Cyri* finientem eſſe aliam ab ea in qua templum eſt abſolutum. Reſp. Non debuit ulla ſeptuageſima claudi vel in exædificatione templi, vel Hieroſolymorum reſtauratione, nulla enim ſeptuageſimæ talis promiſſio ullibi facta eſt: imò omnis à Deo facta promiſſio annis ſeptuaginta finienda à *Ieremia* prolata eſt, & applicata uni ſeptuageſimæ captivitatis perfectáque in Babylonis ruinâ per Perſas, ſolutione captivitatis, & reditu Judæorum: nullibi verò promiſit Deus ſtatim & immediatè poſt terminatam ſeptuageſimam captivitatis exædificatum iri templum & urbem, ſed iſta divinæ providentiæ ſecundum ſuum beneplacitum perficienda relicta ſunt.

QUÆSTIO XIX.

Quid ſtatuendum de quatuor menſium jejuniis à Zechariâ Cap. 7. v. 3. & Cap. 8. v. 19. memoratis?

RESp. Non eſt hîc animus digredi ad quæſtiones de menſibus, annis, & diebus Hebraicis, iſtas cum cæteris ſalebris & ſpinis Chronologiæ reſervamus, ut ſuo loco ſimul cum bono Deo perpendantur. Nec de perſonis moventibus hic quæſtionem de jejuniis diſputabimus, utrum *Sherezer* & *Regem-melech* fuerint ex Principibus Perſarum & *Darii* Satrapis ac aulicis, prout volunt Rabbini: an viri primarii ex Samaritanis, prout *Cyrillus Alexandrinus* & alii ex Patribus: an verò Judæi remanentes

tes

tes adhuc Babylone poſt ſolutam captivitatem, prout *Calvinus* & turba Interpretum: de his jam non inquirimus. Noſtra quæſtio ſolùm eſt de reſponſo Prophetæ ad quæſitum Legatorum. Movebant illi tantùm de uno jejunio quinto menſe, quotannis Babylone celebrare ſolito. Reſpondet Propheta de omnibus jejuniis ſaltem de quatuor in maximo uſu, captivitatis tempore. Quæ ergo fuerunt iſtorum quatuor temporum jejunia? *Hieronymus* in locum Chriſtianos Prophetæ interpretes de his jejuniis omnino ſilere teſtatur. Certè *Theodoretus*, *Hieronymo* contemporaneus, in ſuo commentariò jejunia intacta tranſilit. *Cyrillus* tamen *Alexandrinus* ejuſdem ſeculi ſcriptor tot ante ſe in minores Prophetas ſcripſiſſe profitetur (utcunque iſti ferè omnes videantur dudum periiſſe) ut ipſe in ſuo Prologo ſcribat Apologiam pro ſuo poſt tot alios labore, ut non omnino inutili. Hic quidem de quatuor iſtis jejuniis ea clarè & perſpicuè, ex ipſis Scripturis promit in quibus nos acquieſcimus: nimirum jejunium quarti menſis inſtitutum ob captam à *Nebuchadnezare* Hieruſalem, & quinti menſis ob incenſum templum: ſeptimi verò menſis ob necatum *Godoliam*, & decimi ob urbis à *Nebuchadnezare* obſidionem. Iſta lugubria quæ magni doloris & jejuniorum juſtiſſimam cauſam Judæis ſuppeditârunt dictis menſibus contigiſſe, ex claris Scripturæ teſtimoniis patet, nimirum ex Jeremiæ 52. v. 4. decimo die decimi menſis obſidione cingi cœpiſſe Hieruſalem: & ibidem ſexto ac ſeptimo, nono die quarti menſis murum perruptum & urbem captam: verſu quoque duodecimo urbem ac templum incenſa decimo die quinti menſis. Et ex 2 Reg. 25. v. 25. habemus *Godoliam* menſe ſeptimo occiſum. Quod etiam quatuor iſtis menſibus ob cauſas dictis Scripturæ locis nominatas jejunia Babylone à Judæis captivis celebrata ſint, poſt *Cyrillum* communis eſt Scripturæ Interpretum & Chronologorum ſententia.

Cyrillus Alexandrinus jejunia captivitatis rectè exponit.

Non item Hieronymus.

Hieronymus ex Calendario Judæorum multa alia iis quatuor menſibus jejunia, & ob alias cauſas affert: nimirum die decimo quarti menſis ob confractas à *Moſe* eo die legis tabulas: quinti menſis die primo ob mortem *Moſis*: die ſexto ob raptas à *Benjamitis* virgines; die nono ob ſeditionem ab exploratoribus terræ Canaan excitatam: die decimooctavo ob extinctam lucernam in templo diebus *Achaz*: Menſis ſeptimi die tertio ob occiſum *Godoliam*, die quinto ob occiſos Iſraëlitas ad *Godoliam* venientes: die decimo ob populi ſolennem quotannis expiationem: Menſis decimi die quinto ob triſte nuncium quod de incenſa urbe venit ad *Ezechielem*, die octavo quòd à Septuaginta Interpretibus lex verſa eſſet Græcè.

Quæritur num de omnibus hiſce jejuniis verba Prophetæ ſint intelligenda? Certè jejunium ob opus LXX. Interpretum, quod diu *Zechariæ* dies ſequutum eſt, non poteſt intelligi. Pleraque cætera poſt *Hieronymum* Jeſuita *Ribera* prolixè tuetur, ſed doctores reliqui etiam Pontificii, *Lyranus*, *Vatablus*, *Sanctius*, & alii in ſolis quatuor à *Cyrillo* nominatis conſiſtunt. Et verò (quod ſolum probare conatur *Ribera*) an *Moſis* mors, exploratorum ſeditio, & alia diebus iſtorum menſium ſuprà memoratis contigerint non inquirimus: Sed an hoc dato propterea ſequatur publica & anniverſaria jejunia à populo bis de cauſis inſtituta fuiſſe, & in captivitate etiam Babylonicâ celebrata; nullum pro hac fide ſolidum argumentum affert *Ribera*, nec à quoquam poteſt afferri. Judæorum Calendaria, inprimis iſtud quod à *Genebrardo* excuſum eſt, ſcatent fabulis.

Sed grave quod hic moveri ſolet dubium de jure inſtituendi jejunia, cùm Theologicum non Chronologicum ſit, uno aut altero verbo tantùm perſtringemus. Aſſerimus non fuiſſe quod *Grotius* hoc in loco quereretur, moveri à noſtris quæſtionem de jure populi Iſraëlitici inſtituendi publica jejunia, hoc enim nemo noſtrûm quiſquam vocavit in dubium. Certè *Calvinus*, *Gualterus*, *Danæus*, & quotquot ex Proteſtantibus in locum legiſſe me memini, jus illud aſtruunt. Eccleſia Judaica, cùm adhuc in eâ viverent inſignes Prophetæ, *Ieremias*, *Ezekiel*, *Daniel* & alii; quid ni jus habuerit de cauſis ſummè lugubribus, quales Hieroſolymorum & templi conflagratio, *Godoliæ* cædes, & populi ob hanc captivitatis, humiliationes ſolennes inſtituere continuandas, donec Deus ab iræ ſuæ ſeveritate ſe convertiſſet ad miſerendum afflicti populi ſui? Sed ſi hinc Judæi inferant, licitum profanæ & perverſæ ipſorum Synagogæ imponere populo omnia, quæ in eorum Calendario legimus ſolennia ſeu feſtorum ſeu jejuniorum, per omnia ſecula perpetuanda, de cauſis quæcunque paucorum excordium Rabbinorum cerebro allibuerint; & hinc etiam Jeſuitæ *Sanctius*, *Ribera*, *Cornelius*, & alii concludant, ad Judæorum exemplum, probandam Eccleſiæ Romanæ praxin de jejuniis quatuor ſuorum temporum, Quadrageſimâ in Vere, aliiſque in Æſtate, Autumno & Hyeme, feſtiſque ferè ſingulis anni diebus in honorem plurium Sanctorum, quàm Calendarium Romanum poteſt capere. His non obſtantibus, cordati Theologi ab ejuſmodi Judaicis & Antichriſtianis ſuperſtitionibus abſtinebunt; etſi

Hugonis Grotii calumnia.

Aſſerunt Reformati poteſtatem Eccleſiæ inſtituendi jejunia.

Sed nolunt cum Grotio

Superſtitionum Romanarum plauſtra amplecti.

etſi *Hugo Grotius* bujuſmodi concluſiones conceperit, & alia multa quæ Reformatas Eccleſias ab ipſis fundameutis evertuut, & quæ nou tantùm neceſſitatem imponunt Proteſtantibus redeundi in gremium Romanæ Eccleſiæ, etiam prout bodie ſedet ſub Tridentinæ fidei umbellâ, ſed ex auimo quoque amplectendi teterrima pleraque dogmata & praxeis iſtius maguæ Meretricis ut vera & pia: Licet (inquam) viri doctiſſimi *Hugonis Grotii* ab Eccleſiis reformatis in paucis ab initio apoſtaſin divina juſtitia puniverit magna in plurimis & perverſiſſima cæcitate, tamen alii omnes Proteſtantes diligenter cavent & cavebunt ab omni conceſſione, quæ latam Pontificiis portam aperit introducendi ſuarum ſuperſtitionum & idololatriarum pleniſſima plauſtta.

QUÆSTIO XX.

Quî concilietur Haggai ſecundum decimo nono cum Eſdra tertii decimo, undecimo, & duodecimo? Priori loco fundari dicitur templum Darii *ſecundo: poſteriori* Cyri *ſecundo, multis ante* Darium *annis, ſtatim ſcilicet poſt reditum* Zorobabelis *ex captivitate Babylonicâ.*

Multa ab Interpretibus dubia diſſimulantur.

RESp. Plerique tam Interpretes Scripturæ quàm Chronologi non minùs Proteſtantes quàm Pontificii dubium hoc intactum tranſiliuut, puto ex inadvertentiâ: quis enim videt omnia? Etſi ex inadvertentiâ, vix potuit tranſiri poſtquam à diverſis in publicis ſuis ſcriptis motum eſt. *Lyranus* equidem ante aliquot annorum centurias, & multis ante eum ſeculis *Beda*, dubium hoc ſuis diſtinctionibus ſolvere conati ſuut. Certum eſt ſcriptores quæſtiones multas ſcientes prudentes tranſilire, vel ob nimiam facilitatem contemnentes, vel ob nimiam difficultatem declinantes. Jeſuita *Sanctius* facilem hujus dubii ſolutionem afferre profitetur, quæ tameu aliis non placet, uec omnino videtur dubium tollere.

Beda diſtinctio templi externi ab interno non ſatisfacit.

Prima & antiquiſſima reſponſio eſt venerabilis *Beda* in Gloſſa ordinariâ ad Eſdræ 6. poſitâ, quam *Pererius* & *Tornsellus* approbant, ſcilicet templum fuiſſe duplex internum & externum: prius continuiſſe Sanctum & Sanctum Sanctorum; poſterius habuiſſe areas ſubdiales in quibus altare ὁλοκαυτωμάτων, atria, porticus, & multæ templi appendices; prioris fundamenta jacta vult diebus *Cyri* Eſræ 2. poſterioris diebus *Darii* Hagg. 2.

Sed non ſatisfacit hæc reſponſio, nam etſi videatur ſatis probabile interiorem domum & ejus appendices externas uon ſimul fuudatas fuiſſe, etiam antequam ad appendicum fundationem manus admota eſt, impeditum à Samaritanis totum opus: tamen non de appendicibus ſed ipſa domo internâ uterque Propheta loquitur. Verbum enim apud utrumque eſt idem הֵיכָל, quod nuſquam ſignificat appendices ſolas, ſed ſemper vel domum interiorem ſolam, ut pleruuque, vel totum ſimul palatium tam iuterius quàm exterius cum omnibus ſuis appendicibus, nuſquam autem exteriora ſola, ſeclusâ domo interiori & principali. Præterea fundatio ab *Haggæo* memorata fuit procul dubio domus intimæ.

Malè Grotius rejicit interpretationem communem.

Secundum reſponſum eſt *Hugonis Grotii*, vocem יָסַד *fundare* eſſe apud Hebræos πολύσημον, ſignificare enim varia, & inter alia *incipere*, & à LXX. Interpretibus transferri ἄρχεσθαι; Itaque loco *Haggai* non aliud ſignificari quàm inceptum iterum ædificari templum poſt intermiſſionem. Sed neque hæc placet reſponſio, eſt quidem vox יָסַד πολύσημος, ſed nuſquam ſignificat *incipere*, verum eſt LXX. Interpretes ſemel, & non niſi ſemel loco quem vir doctus citat 2 Paralip. 3. v. 3. vertere ἄρχεσθαι, ſed id omninò ineptè. Difficilis quidem eſt iſte locus in origine, ſed quod habent LXX. καὶ ταῦτα ἤρξατο Σαλωμὼν τοῦ οἰκοδομῆσαι, eſt contra omnes alios Interpretes veteres, novos, in quâvis linguâ quos vidi, imò contra loci ſenſum & ſcopum. Ibi enim traditur non initium operis ſed ejus diſpoſitio, & *Solomonis* à Spiritu vel patre *Davide* inſtructio ac fundatio, quomodo totum opus peragerer: itaque הוּסַד ſeu pro Nomine ſeu pro Verbo ibi ſumas, malè interpretaberis *Principium*. Et verò licet ibi ſic rectè verteretur, tameu ad locum præ manibus malè hæc interpretatio applicaretur, contra non tantùm omnes alias verſiones, ſed ipſam LXX. Interpretum, qui ubique in *Ezra* & *Haggæo* יָסַד vertunt per θεμελιοῦν non ἄρχεσθαι. Denique nou ſolveret ipſa hæc interpretatio uodum, nam tanta eſſet quæſtio de principio extructionis quàm de fundatione, nonne enim omnis ædificatio iucipit à fuudameuto?

Malè Salianus præteritum ponit pro futuro.

Tertia reſponſio eſt Jeſuitæ *Chriſtophori à Caſtro* in locum, quam approbat *Salianus*, loqui ſcilicet Prophetam de nullis fundamentis jactis diebus *Darii*, ſed tantùm de fundamentis quæ jacta ſunt diebus *Cyri*. In hunc finem Prophetæ verba vult referri ad præterita non futura. Sed peſſima eſt hæc reſponſio, licet à duobus recentiſſimis Jeſuitis magni fiat, præterquam enim quòd expreſſe contradicat autheuticis ipſorum Bibliis, quæ Hagg. 2. v. 19. diſertè vertunt *ponite corda veſtra à die iſtâ & in futurum* (ſicut LXX. Interpretes etiam habent ὑπεράνω *ultra*) materia loci non admittit verſionem

aliam,

aliam, illud enim quod io Originali & Chaldæo eriam Paraphraſte eſt *ſupra*, neceſſariò intelligendum de futuro, nam Propheta expreſſè ſubjungit, *poſt diem hunc vigeſimum quartum noni menſis quando jacta ſunt templi fundamenta*, non verò, *ante hunc diem vigeſimum quartum uſque ad prima ſub Cyro fundamenta.*

Rectè diſtinguuntur fundamenta prima à ſecundis.

Quarta ſententia eſt *Lyrani*, quam *Arias Montanus*, *Ribera*, *Sanctius*, & *Cornelius* ſequuntur, licet aliter atque aliter explicatam; hanc *Salianus* duram pronunciat ac prinri poſtponit, nobis tamen videtur probabiliſſima, ſcilicet fundameota in diebus *Cyri* jacta fuiſſe prima & imperfecta, ſed diebus *Darii* alia iis ſuperſtructa ſecunda fundamenta completa & perfecta. Vulgaris eſt in materiâ fidei Metaphorica illa primò & ſecundn fundamentalium diſtinctio, quæ hîc in propriis fundamentis rectè nobis viderur adbiberi poſſe. Impeditus videtur *Zorobabel* in primá ſuâ ſtructurâ, antequam murum domûs aſpectabilem reddere potuit, ſupra terræ ſuperficiem: itaur in ſecundo ſub *Dario* labore ſtructura infra terræ ſuperficiem, licet ſupra inferius in prnfundn opus rectè dici potuerit fundatio. Certè primum *Zorobabelis* npus diebus *Cyri* habere potuit ſub ſe aliqua à *Solomone* poſita fundamenta, quanquam enim Idumænrum invidia Chaldæos extimulabat, ut templum ab imis fundamentis eruerent, ſicut habemus Pſ. 137. tameo omnes fundamentales lapides eruiſſe nnn eſt probabile; nam cùm templum ſecundum à *Veſpaſiano* dirutum *Annius Rufus* aratro complanâſſet, ut lapis ſuper lapidem non relinqueretur, ramen ad *Iuliani* uſque dies in ruderibus prnfundis relicti ſunr mulri inſignes lapides, quns ignis ille miraculnſus, à Deo ad retundendam ſi nnn convincendam *Iuliani* & Judæorum in Chriſtum rabiem miſſus, evomuiſſe fertur.

Plura hîc non addam, pauca tantùm perpendite ad Ezræ tertii duodecimum, dicuntur ibi Sacerdotes fleviſſe qui videruot primum templum cum fundatum eſſet. Itane verò ulli diebus *Ezræ* viventes conſpexerunt primum templum, cum à *Solomone* fundaretur anre quadringenrus anoos? Putat *Salianus* ſatisfeciſſe ſe huic dubio per poſitionem commatis poſt vocem *prim.* Sed profectò hæc diſtinctio non rejicit fundationem à prinri templo ad poſterius, niſi ſequens etiam comma tollatur, & legamus verſum duodecimum in hunc modum, *cùm fundatum eſſet & hoc templum*, ſic autem bis peccatur cnntra interpunctionem Bibliorum Tridentinis authenticorum, quin & cnnrra Hebraici textûs ioterpunctinnem, nam vox ביסדו *in fundatione ejus* habet in fine ſupra *Daleth Sakephkaton* quod fundationem connectit cum priori templo, & à po-

Saliani, Grotii, Annotatorum Anglicanorum mala interpunctio.

ſteriori ſeparat: ſicut habet cum *Hieronymo* etiam Interpres Græcus τὸν οἶκον τὸν πρῶτον ἐν θεμελιώσει αὐτοῦ *in fundatione ſuâ*. *Grotius* quidem interpunctinnem etiam mutat, & ſic Anglica verſio tam prior quàm poſterior referens fundationem ad domum poſteriorem præſentem in oculis, non ad priorem abolitam. Sed certè, ut viderur, malè; Nam quis audebit in textn origioali non tantum nnum *Iota*, literarum minimam; ſed vel unum apicem, nnum punctum, unum accentum diſtinctivum mutare? inprimis cùm Hebraicam hanc interpunctionem ſequaotur non tantùm Inrerpretes antiqui Græci & Latioi (Chaldaica nulla eſt in *Ezram* & *Danielem* paraphraſis, quòd ipſi maximam partem ſcribantur Chaldaicè) ſed etiam verſio Latina *Iunii*, interlinearis *Montani*, & Italica *Deodati* fundarionem cum prinri non poſteriori templo conſtruat.

Imò verò ſepoſitis interpunctionibus, verba ipſa ſine κακοφάτῳ non admittunt fundationem conſtrui cum templo poſteriori, nam in loco non eſt nnda fundatio, ſed fundatio juncta cum pronomine *ejus*, quod neceſſitare videtur adjunctionem fundationis cum præcedenti oon conſequenti: & quidem ſic ſenſus ſat pulcbrè fluit, *prius templum in ſuâ fundatione, in ſuo fundamento*, &, ut habet *Deodatus*, *in ſuo pede*, nihil aliud innuit quàm quoſdam videntium poſteriorem domum conſpexiſſe etiam priorem ſupra ſuum fundamentum ſtanrem, etſi aliqua in voce fundamenti ſir emphaſis, referri poteſt ad lapides in rempli *Solomonis* fundamento, ac ſupra fundamentum eximiâ magnitudine inſignes, quales in poſteriori remplo nnn apparebant.

QUÆSTIO XXI.

Quo anno mortuus ſit Alexander, *& quot annos habeat Epocha præ manibus?*

RESP. Mors *Alexandri* inſignis eſt inprimis Character tempnrum, ab eâ enim Chronologornm multi Græci, Latini, Arabes, ſuas *Æras* incipiunt, & illa termious eſt annnrum Philippicnrum, & Imperii Græcorum maximè apud Ægyptios. In Syriâ quidem, Judæâ, & Babylone numerabaoturanni ab inirio Regni *Seleucidarum*, quod annis duodecim poſt *Alexandri* mortem incepit, & hoc caput Regni Græcorum ab Aſiaticis ſtaruebatur. Sed Macedoocs, Ægyptii, & Europæi plerique utebantur anois Pbilippicis ſtatim à morte *Alexandri*, quando *Philippus Aridæus* nomen frarerni Imperii tenuit, erſi alii alibi rem, & inter primns *Ptolemæus Lagi* in Ægypto.

Periodum banc à mnrte *Alexandri* Philippicam contendit *Scaliger* babere nnmen

à *Phi-*

Philippica periodus malè à Scaligero expoſita.

à *Philippo Amyntæ*, *Alexandri* patre, non verò à *Philippo Arideo* fratre, ſed merito hic à *Petavio* arguitur, & ab *Uſherio* aliiſque noſtrorum Chronologorum deſeritur, nullâ enim commodâ ratione Philippicorum denominatio illi *Philippo* tribuitur, qui tredecim annis ante eorum initium exceſſit vitâ, & iſti *Philippo* denegatur, cum cujus qualicunque regno omues fatentur eos cœpiſſe.

Magnus inter auctores conſenſus de anno mortis Alexandri.

De anno quo *Alexander* mortuus eſt, & *Philippus Aridæus* & *Ptolemæus Lagi* regnare inceperunt, etſi Scriptura taceat, tamen *Joſephus* lib. 1. contra *Appionem* magno doctorum conſenſu perhibet fuiſſe Olympiade 114. tantus eſt hîc intèr poſteriores hodie quàm fuit olim inter priores conſenſus: unus *Hieronymus* in Dan. 9. Olympiadem vult centeſimam decimam tertiam. *Capellus* ſphalma hoc exiſtimat putidum, ſed exſcriptorum, non auctoris, & corrigendum ſcripti mendum, legendo cum cæteris auctoribus Olympiade centeſimâ decimâ quartâ; nihilominus priorem & communem lectionem retinet *Henricus Philippi*, non tamen conatur conciliare diſcordiam, nos, dum melior aliunde afferatur, hanc offerimus conciliationem.

Hieronymus cum cæteris conciliatus.

Unaquæque Olympias habuit annos quatuor integram τετραετηρίδα, eorum primus annus incipiebat circa Solſtitium æſtivum, adeoque ultimus circa idem finiebatur: fatentur omnes mortuum *Alexandrum* primo Olympiadis, hujus autem anni (ſicut omnis Olympici) medium prius erat in uno anno *Juliano*, qui incipiebat à Januario poſt ſolſtitium hybernum, & poſterius in altero: ſicut ergo *Capellus* hoc ipſo loco diſtinguit annum Ægyptiacum à Juliano, & *Alexandrum* mortuum vult anno *Nabonaſſaris* quadringenteſimo viceſimo quarto Ægyptiaco, ſed quadringenteſimo viceſimo tertio Juliano; ita nos meliori & clariori jure diſtinguimus annum Olympicum à Juliano, & quod anno primo Olympiadis centeſimæ decimæ quartæ Græco vel Olympico contigit, rectè poteſt contigiſſe anno ultimo Juliano Olympiadis centeſimæ decimæ tertiæ, quod habet *Hieronymus*.

De ærâ mundi magna diſcrepantia.

Ut inter auctores magnus eſt conſenſus de anno Olympico mortis *Alexandri*, ita & de anno *Nabonaſſaris* & *Chriſti*, tam enim Proteſtantes quàm Pontificii *Alexandrum* mortuum cenſent poſt *Nabonaſſarem* quadringenteſimo viceſimo quarto, & ante *Chriſtum* 324. nec eſt niſi unius aut alterius anni inter auctores in utrâque hac ærâ differentia, quæ non difficulter conciliatur: ſed in ærâ mundi multò major inter omues eſt diſcrepantia. *Calviſius* ſecundum rationes *Scaligeri*, mortuum vult anno mundi ter milleſimo ſexcenteſimo viceſimo ſeptimo, hunc ſequitur *Ubbo Emmius*, & *Iſaacſonus* duobus tantùm annis differt: ſed *Capello* placet ter milleſimus ſexcenteſimus ſeptimus; *Uſherio* ter milleſimus ſexcenteſimus quadrageſimus primus; *Henrico Philippi* ter milleſimus ſeptingenteſimus decimus ſeptimus: *Torniello* ter milleſimus ſeptingenteſimus viceſimus nonus; *Petavio* ter milleſimus ſexageſimus; *Saliano* ter milleſimus ſeptingenteſimus triceſimus. Quis *Palæmon* tantas valebit componere lites? Maximus, fateor, utiliſſimus & ſuaviſſimus, licet difficillimus, eſt in totâ Chronologiâ labor, ærarum inter ſe connexio, & auctorum circa varia in unâ pluribusve æris ex diverſis ſuis principiis diſcrepantiæ conciliatio, ſaltem quà & quantùm fieri poteſt. Hoc equidem opus, & hic labor Chronologorum doctiſſimos multò magis deceret, quàm perpetuum ad hunc diem omnium in hac ſcientiâ cacoëthes, ad ſuam diverbio jam notatam nimiſque meritam infamiam, controverſias multiplicare & exaggerare. Impar omnino noſtris humeris eſt hoc onus, neque hîc ad tale quid conandum idoneus eſt locus, ſtatuimus tamen pro tenuitate noſtrâ (quam magnam ſatis agnoſcimus) huic operæ aliquid laboris impendere, ſi dederit Dominus libello primo de dubiis Chronologicis Vet. Teſtamenti colophonem imponere. Antequam eò devenerimus, Sacroſanctum hoc Chronologiæ adytum, hujuſque artis altiſſima myſteria de *Ærarum* connexu, attingere putamus Intempeſtivum.

Connexio ærarum magnum opera pretium.

Æra Cyri dubia & non dubia.

Altera quæſtionis pars eſt de totali hujus Epochæ ſummâ. Diximus de magno doctorum conſenſu de anno mortis *Alexandri* in primo centeſimæ decimæ quartæ Olympiadis, tantus certè etiam eſt de primo *Cyri*. *Scaliger*, *Petavius*, & alii multi celebrant illud *Africani* apud *Euſebium*, ſcilicet omnibus certum eſſe cœpiſſe *Cyri* regnum Olympiade quinquageſimâ quintâ. Si liqueret loquutos antiquos de anno primo hujus Olympiadis, & de Regno *Cyri*, vel Perſico ſolo vel Babylonico, omnia hîc eſſent proclivia, ſed profectò *Africanus* innuere videtur *Cyri* regnum Babylonicum, quando ſolvit captivitatem Judæorum, alii autem plerique de Regno Perſico accipiunt: utrum etiam de primo, ſecundo, tertio, an quarto Olympiadis iſtius anno loquatur *Africanus*, verba apud *Euſebium* in ambiguo relinquunt. Expectavi dubiorum iſtorum ſolutionem à *Diodoro Siculo*, quem primum ante alios citat ibi *Africanus* pro ſuo teſte; ſed dum *Diodori* libros volvo & revolvo, invenio tandem periiſſe iſtos ad quos *Africanus* refert, omnes ſcilicet poſt quintum ad undecimum. Utcunque, *Scaliger*,

liger, *Petavius*, & alii plerique regnum hoc *Cyri* non de Babylonico ſed Perſico accipiunt, inter quæ annorum viginti ſeu Olympiadum quinque eſt intercapedo. His ſuppoſitis, prout quidem apud Chtonologos indubitata animadverto, ſicut ab initio Regni *Cyri* Perſici, ſeu ab anno primo Olympiadis quinquageſimæ quintæ ad *Alexandri* mortem anno primo Olympiadis centeſimæ decimæ quartæ, ſunt aoni ducenti triginta ſex, ita à primo Regni ejus Babylonici, ſeu à primo Olympiadis ſexageſimæ ad primum Olympiadia centeſimæ decimæquartæ ſunt anni ducenti ſedecim.

Numerus hic annorum etiam demonſtratur ex particularibus ſummis, quas antiqnorum celebertimi ſingulis Perſarum Regibus attribuunt: nam ſi ex *Cyri* triginta aſcribas decem Mooarchiæ ejus Babylonicæ & *Cambyſi* ac *Magis* octo, *Dario Hyſtaſpis* triginta ſex, *Xerxi* viginti unum, *Artaxerxi Longimano* quadraginta unum, *Dario Notho* novemdecim, *Artaxerxi Mnemoni* quadraginta quatuor, *Dario Ocho* viginti quinque, *Arſi* unum, *Dario Codomanno* ſex, *Alexandro* in Monarchiâ ſeptem: ſummæ iſtæ quadrant ad amuſſim cum totali ducentorum triginta ſex. Non hic agimus cum *Brughtono*, *Beroaldo*, *Hovvao*, *Niſbeto*, & aliis paucis (cætera viris doctis) qui fidem hic toti hiſtotiæ antiquæ, totique Chronologorum tam Proteſtantium quàm Pontificiorum nationi pueriliter admodum, & abſque omni causâ, fidem omnem derogatum eunt. Adde ad proximam ſummam ducentorum triginta ſex anoos ab cverſione templi ad primum Regni *Cyri* Perſici, prout nnmerat *Ubbo Emmius*, triginta; totalis Epochæ erit ducentorum ſexaginta ſex.

Addenda ad Quæſtionem XXI.

De literis hodiernis Hebraicis, num à Patriarchis & Prophetis ſint uſurpata, an ab Eſdra inventa.

DUæ ſunt percelebres quæſtiones quæ non incommodè interſeri poſſunt inter viceſimam & viceſimam primam cap. 20. lib. 1. Prior, num *Ezra* diebus Judæi acceperint à Chaldæis omnes literarum characteres, qui inde ad hunc diem pro Hebræis uſurpantut: relictis ab eo tempore Samaritanis, qui priùs apnd totum popnlum Iſraëlitarum in nſu ſnerunt, in quibus Deus ſcripſit Decalognm in monte Sinai, & *Moſes* ac Prophetæ omnes ſuos libros exarârnnt. Altera eſt, an Hebræorum accentus & puncta vocalia literis ſacrorum codicum ejuſdem *Ezra* diebus ptimùm addita ſint: an verò diebus *Maſorethurum*, quingentis poſt *Chriſti* natalem annis, iſta tandem inventa ſint?

Quæſtionis ſtatus.

In quæſtiooe priore inter doctos differentia eſt ſatis acris: *Ioſephus Scaliger*, & poſt eum *Druſius*, *Grotius*, *Gerardus Voſsius*, inprimis verò *Ludovicus Capellus*, & *Brianus VValtonus* volunt legem, & omnia *Moſis*, ac Prophetarum ſcripta exarata hodiernis characteribus. Samaritarum; literas verò quæ in uſu ſunt hodie, & fuerunt in uſu apud Hebræos à diebus *Ezra* novitias eſſe ac Chaldaicas pronunciant, ſed *Johannes Picus Mirandulanus*, *Poſtellus*, *Bibliander*, *Iunius*, *Fullerus*, *Crineſius*, & inprimis *Ioannes Buxtorfius* filius docet, characteres hodiernos Hebræorum eos ipſos eſſe quibus Deus Decalogum, & *Moſes* ac Prophetæ ſua omnia ſcripſerunt, Samaritanas verò literas ab Iſraëlitis olim non negant uſorpatas, ſed ut characteres communes & vulgares; hodiernos Hebræos verò ut ſacratiotes & uſus rarioris ante *Ezra* diea quando evaſernot communea, & quæ priùs fuerunt communes Samaritanis ſolis relictæ ſunt.

Scaligeri temeritas.

Lis hæc à *Scaligero* tractatnr magnis admodum in diſſentientes à ſe conviciis, quos vult *ſemidoctos, ſemitheologos, ſemihomines*, *veros aſinos extrema & inſania & imperitia*, non ſunt menſuranda maxima ingenia ſecundum panca, & brevia homanarum paſſionum intervalla; profectò *Ioſephus Scaliger* ex iſtis aſinis & ſemitheologis quoſdam præfert omnibus Theologia qui poſt Apoſtolos vixerunt, intelligo *Franciſcum Iunium*, qui contra *Bellarminum* de verbo Dei lib. 2. cap. 1. notat dogmata illa de literis Samaritanis & Hebræis *fabulas eſſe merè Mileſias*. Utcnnque in *Scaligero* præterimus duras nimis hujuſmodi cenſuras, tamen in *Capello* & *VValtono* non tam æqno animo ſerimus, certè *Capellus* cùm totis ſuis viribus contra *Buxtorfium* egiſſet, tam pauca & levia attulit, ut me prius fluctnantem in ſententiam Contrariam omnino propulerit. *VValtonus* poſt *Capellum* ſerram hanc reciprocat, ſeriò & nervoſè Proleg. 3. num. 29. & ſeq. ipſum animus eſt *κατὰ πόδας* ſequi, quantum ad quæſtionem putavete neceſſarium.

Refutantur VValtoni argumenta. 1.

Primum quod pro ſuâ ſententiâ affert argumentum ex *Scaligero*, hoc eſt. Vetera numiſmata temporis *Solomonis* cnſa inſcriptas habebant literas Samaritanas, non verò hodiernas Hebræas, Ergò literæ Samaritanæ noo hodiernæ Hebrææ temporibus *Solomonis* in uſu apud Iſraëlitas erant. Argumentum hoc *VValtonus* tantâ luce plenum pronunciat, ut nemo niſi luſcus, aut qui ocnlos claudit diſſentire poſſit. Reſp. 1. Dura verba & contumelioſa nihil addere virium cuiqnam argumento.

Secnn-

Parum eſt fidei in effoſſis nummis.

Secuudò. In confeſſo eſt apud ductos plurimum eſſe falſitatis & fraudis in effoſſis nummis, ſtatuis, aliiſque ſubrerraneis monumentis. *VVaſerus* ſicli dimidium, & trientem, & dudrantem habere ſe ptofitetur literis Samaritanis cuſos, *Morinus* iſtos omnes fictitios eſſe affirmat; quidni idem nos affirmemus de ſiclo *Scaligeri* integro, iiſdem literis, iiſdem utuæ & vitgæ figuris impreſſo? Equidem dubito an ullum hodie in terris extet monumentum arte factum vel ex liguo vel lapide, vel metallo, quod dies *Solomonis*, nedum *Iudicum*, vel *Ioſua* attingat. Certè cùm *Skicardus* ſiclum ſuum argenteum profert, iu cujus latere literis hodiernis Hebræis templum, & alio latere nomen *Solomonis* ſculpitur, *VValtonus* pro ficto rejicit argumento, non ſatis, ut videtur, efficaci, ait Judæos ſecundo præcepto vetitos ullis uti imaginibus, ſiclus autem ille *Skicardi* habet in uuo latere inſculptum vultum *Solomonis*. Si quis replicet in eo templi typo, quem ipſe *VValtonus* nobis exhibet, haberi imagines Angelorum figurâ humanâ integrâ & perfectâ, additis tantùm alis maximo numero, qui centum aut mille fortaſſis excedat, prævenit objectionem *VValtonus* concedendo factum, ſed allegando diſpenſationem divinam. Verumenimverò diſpenſationem illam debuit probâſſe, certè periculum Idololatriæ majus fuiſſe videtur in tot figuris Angelorum in loco ſacro depictis, & in ipſis altaribus, menſis, templique portis ac muris ubique inſculptis, quàm in ſolâ facie humanâ monetis profanis impreſſâ. Præterea nullum *VValtonus* privilegium allegat pro ſuis nummis Samaritanis, qui omues habent in utroque latere imagines: certè ſecundum præceptum tam expreſſè vetat imaginem rerum quarumcunque in terrâ, cœlo, vel aquis, quàm partium humani corporis. Varios alios ſiclos tam Samaritanis quàm Hebræis literis impreſſos *VValtonus* rejicit ut ſuppoſitirios, non debet ergo aliis ſuccenſere, qui argumento huic à monetis ante tria annorum millia cuſis parum putant ineſſe roboris.

Duplex Iudæis olim fuit literarum character.

Tertiò. Reſp. Cum *Buxtorfio* duplicem fuiſſe Judæis antiquis characterem, unum quem in Scripturâ vulgari, epiſtolis, & monetis uſurpabant, alterum, quem rebus ſacratioribus & ſolenunioribus reſervabant: hoc deſcriptum fuiſſe manu Dei Decalogum, & primaria aliquot legis & Prophetarum exemplaria; iſto, qui jam Samaritanis eſt proprius, ſcriptas pleraſque res privatas, & publicas vulgatiores, ſicut pleramque monetam, & librorum ſacrorum exemplaria vulgaria, quæ plebis manibus terebantur. Reſponſionem hanc tam *VValtonus* quàm *Capellus* multis falſis dicteriis conſpergunt, ſed nullâ ratione ſolidâ tollunt. Certum eſt, nec audent negare, apud Ægyptios varios fuiſſe litersrum characteres, alios ſacros, alios hieroglyphicos, alios vulgares. Annon hodierno die characteres Græci antiqui, quibus Biblia Alexandrina Lundinenſia perſcripta, & antiquum *Scaligeri* Ionicum alphabetum, tantùm differunt à figurâ literarum Græcarum hodie in uſu communi, quàm literæ hodiernæ Hebraicæ à Samaritanis? An non æqualis eſt differentia inter hodiernos Hebraicos characteres, & Scripturam Rabbinorum? Qui Hebraicè callet multò faciliùs leget Samaritana quam Rabbinica. Præterea magnam copiam *Buxtorfius* adducit doctiſſimorum tam ex Rabbinis antiquis quàm recentioribus, qui duplicem hunc apud majores ſuos characterem profitentur, ad omnes facilis eſt *VValtoni* & *Capelli* reſponſio, Judæos omnes eſſe mendaces, omnes fingere quæ nunquam fuerunt. Sanè exactum hoc eſt & accuratum reſpondendi genus, quod nulli unquam deerit, pauci tamen cordati eo dignabuntur uti. Verum hac de re mox plura.

Secundum VValtoni argumentum à teſtimonio Euſebii.

Secundum *VValtoni* argumentum eſt à teſtimonio *Euſebii* in Chronicis, ac *Hieronymi* in Prologo ad priorem Regum epiſtolâ 106. & in *Ezekielis* nonum commentario. De hiſce teſtibus magnificè *VValtonus*. Hos (inquit) dum affero, omnes Patres affero, qui quicquam hac de re ſcripſerunt, & *Capellus* cenſet æquum eſſe, ut horum duorum teſtimonia accipiantur pro totius gentis Judaicæ teſtimonio.

Reſp. 1. Ex duobus *Euſebius* eſt prior & potior, nam ſcripſit is ſua Chronica ante *Hieronymum*, quæ *Hieronymus* in Latinum vertit, & ex iis multa tranſtulit in varia ſua ſcripta. Sed dum *Euſebii* Chronica volvo & revolvo, tam exemplar Græcum quàm Latinum à *Scaligero* ex optimis manuſcriptis magna cum curâ editum, ne verbum invenire potui quod *VValtoni* ſententiæ patrocinetur, nolui tamen hîc viri docti fidem in ſuâ citatione vocare in dubium (licet ille hoc loco valdè immeritò probiſſimo viro *Ioanni Buxtorfio* in ſuâ *Poſtelli* citatione fidem objiciat) tandem poſt multam inveſtigationem ſuſpicor inveniſſe me πρῶτον ψεῦδος, video enim in duabus veteribus editionibus Latinis utrâque Baſileæ haberi expreſſè verba citata, ſed editiones hæ corruptæ ſunt, & rectè à *Scaligero* emendatæ, qui verba iſta non omiſiſſet, ſi in ullo manuſcripto vel Græco, vel Latino probæ notæ reperiſſet, inprimis cùm ad eam, quam ipſe tuetur animosè, ſententiam confirmandam facere videretur.

Ex hiſce patet primum & primarium *Capelli* ac *VValtoni* teſtem *Euſebium*, ne verbum quidem proferre quod ipſorum theſi faveat. Sed demus *Euſebium* ea prolocutum, quæ in corruptâ verſione Latinâ veterum quarundam editionum leguntur, non multum tamen inde *VValtonus* lucrabitur. Nam primò nihil ipſe *Euſebius* affirmat, tantùm ait, affirmatur, ſed à quibus non dicit. Quod ait affirmari eſt geminum, primum, *Eſdram* memoriter condidiſſe totam Scripturam Vet. Teſtamenti: poſterius, commutâſſe eum literas Judaicas. Nulla major auctoritas eſſe poteſt in affirmaio poſteriori quàm priori. Jam verò aſſirmatum prius ipſo *Capello* teſte eſt falſiſſima fabula, ex 14. Eſdræ Apocryphi deſumpta.

Et Hieronymi. Quod ad *Hieronymum*, fateor eum in contrariâ nobis eſſe ſententiâ. Sed ajo primò parum eſſe anctoritatis in patris unius cujuſcunque ſententiâ, ſi pro eâ ipſe ſolus ſtet, & nullâ ratione ſuam ſententiam ſtatuminet, hîc verò ſtar *Hieronymus* ſolus. Quod ad *Bedam* qui eum ſequitur, tam *Capellus* quam *VValtonus*, nibil ponderis eum *Hieronymo* addere profitentur. Affirmat *Hieronymus*, *Ezram* alias literas reperiſſe quibus Judæi poſteà uſi ſunt, & in antiquis literis Hebræorum, quibus Samaritani hodie utuntur, ultimam *thau* crucis ſimilitudinem habere. Quod hic *Hieronymus* dicit eſſe certum, nullâ neque ratione neque auctoritate probat. Quod tam ei quàm *Euſebio* centurias errorum *Scaliger* Waltonianæ ſententiæ primarius patronus in ſuis notis ad Chronicon aſcribat, ſatis novit *VValtonus*; hîc verò tam *VValtonus* quàm *Capellus* duplicis erroris eum coarguent, neuter enim vult ab *Ezra* inventas aut repertas eas literas, quibus hodie Hebræi utuntur, ſed iſtas uterque profitetur Chaldaicas, quæ aliquot annorum millibus repertæ ſunt ante natum *Eſdram*, ejuſque diebus à vulgo Judæorum tam, quàm linguam Chaldæorum probè cognitas. Deinde multò falſiſſimum eſt, ſi *Scaligero* credimus, in literis Samaritanis ultimam habere ullam ſimilitudinem crucis, rectè hoc affirmaſſet *Hieronymus* de Alphabeto Æthiopico, prout in *VValtoni*, & aliorum typis Alphabetorum Orientalium apparet, ſed de Samaritano eſt valdè falſum, ut poſteà apparebit. Denique unicum Hieronymianæ ſententiæ fundamentum *Euſebio* remoto, vel etiam *Euſebio* ſtante fatetur *Capellus* poni in teſtimonio Judæorum: his verò ut hominibus mendaciſſimis omnem fidem maximè in præſenti argumento negandum *Capellus* affirmat.

Tertium à Nihilominùs tamen ex *Capello VValtonus* pro tertio ſuæ ſententiæ fundamento, affert antiquos & recentes Rabbinos, nimirum Rabbi *Chaſda*, Rabbi *Ioſe*, Rabbi *Ioſeph albo* & alios. *Reſp.* Nullum neque *VValtonus* neque *Capellus* affert Rabbinum, niſi quem *Buxtorfius* ipſis in manus poſuit, & ad quorum teſtimonia ſolidas attulit reſponſiones, quas illi diſſimulant, ſaltem intactas tranſiliunt. *Rabbinis.*

Rabbi Chaſda. Quod ad primum Rabbi *Chaſdam*, oſtendit *Buxtorfius* eum pro contrariâ ſtare ſententiâ, eo quòd doceat in tabulis Moſaicis ſcripta à Deo *Mem* & *Samech* in figurâ clauſâ: in Scripturâ autem Samariticâ, neque *Mem* neque *Samech* figuram unquam habuerunt clauſam: itaque ex hujus Rabbini mente, legis tabulæ non potuerunt ſcribi literis Samaritanis, cur ad iſta tam *Capellus* quàm *VValtonus* muti ſunt? Deinde dicit *Buxtorfius* ſententiam *Chaſdæ* aſcriptam deſtruere ſeipſam, neque poſſe à quoquam defendi, nimirum datam Judæis Scripturam Aſſyriacam, & Linguam Aramæam diebus *Ezra*, electamque à Judæis Linguam Sanctam, ac Scripturam Aſſyriacam, & relictam Cuthæis Scripturam Hebræam & Linguam Aramæam. Nullus (inquit *Buxtorfius*) unquam voluit relictam Cuthæis Linguam Aramæam, cùm ipſi ſemper legem ſcripſerint ipſiſſimâ Linguâ Hebræâ. Reſpondet *VValtonus* diebus *Ezra* multos Judæorum non tantùm literis Chaldaicis, ſed Linguâ Chaldaicâ ſcripſiſſe ſua Biblia, quorum omnia exemplaria *Ezras* abolevit. Replica. Nihil hæc reſponſio ad rem, nam *Buxtorfius* non de Judæis, ſed de Samaritanis loquitur, qui legem non Chaldaicâ Linguâ, ſed Hebræâ deſcriptam habebant. Præterea quod affert *VValtonus* de Bibliis diebus *Ezra* apud Judæos linguâ Chaldaicâ, mera eſt ſine omni fundamento conjectura, quis enim ante paraphraſes Chaldaicas hodie extantes unquam ſomniavit de aliis Bibliis Chaldaicis.

Rabbi Ioſe. Quòd ad ſecundum *VValtoni* Rabbinum Rabbi *Ioſhen* in Talmud Babylonico titulo Sanedrim cap. 2. affirmantem per *Ezram* mutatam Scripturam legis in Aſſyriacam, quæ cum ipſis aſcendit ex Babel. *Reſp.* Noverat ſatis *VValtonus Buxtorfii* exceptiones contra hoc teſtimonium: quin conatus eſt eas tollere? Dicit *Buxtorfius* è Talmudis loco diſputationem eſſe inter Doctores Miſnicos de antiquitate literarum Hebraicarum, & primo ſententiam dicere Rabbi *Ioſhen* pro novitate literarum Hebraicarum, quaſi ab *Ezra* inventatum, & antiquitate literarum Samaritanarum, quaſi in iis legis tabulæ primum ſcriptæ fuiſſent. Contra hunc inducuntur Rabbi *Iehuda* Sanctus, Rabbi *Simeon*, & Rabbi

Eleazar, qui ad argumenta Rabbi *Ioſba* reſpondent, & certè ea argumenta ſunt vaniſſima, ut illa *Buxtorfius* ex Talmude recitat; utcunque, Talmud rejicit ſenteutiam Rabbi *Ioſba*, & determinat ſecundum ejus adverſarios, eo quòd hi plures eſſent, Talmudis autem regula & conſuetudo eſt detetmiuare ſecundum Doctorum pluralitatem, inprimis hoc loco ubi *Ioſbæ* argumenta ſolvuntur & rejiciuntur, adverſariorum autem argnmenta ſtant intacta. Denique ex adverſariis Rabbi *Ioſba* eſt Rabbi *Iuda* κατ' ἐξοχὴν Sanctus, & Princeps dictus, ſecundum cujus vel ſolius ſententiam Talmnd determinare ſolet, hic unus Rabbi *Ioſba*, ac aliis mille vulgarium Rabbinorum prævalet.

Recenriornm Rabbinorum producit *VValtonus* ex *Capello*, ut hic ex *Buxtorfio*, rantum dnos Rabbi *Ioſeph Albo*, & Rabbi *Moſe Bar Nachman*. *Reſp.* Ad priorem concedendo ipſum in contrariâ nobis eſſe ſententiâ. Sed quid valet iſte unus contrà multitndinem ſociorum, inprimis cùm *Albo* hic manifeſtus ſit ſalſarius, qui ex Talmude varia citat, quæ in Talmude nunquam extirernnt? Quod ad *Machmanidem*, demonſtrat *Buxtorfius* ſcripſiſſe eum literas quibus à *Moſe* lex ſcripta eſt, habuiſſe ut vocant Hebræi apices & coronas, literæ autem Samariranæ coronas illas uunquam habuerunt, ergo ſecundum *Machmanidem* lex olim literis Samaritanis nou potuit ſcribi.

Confirmantur Buxtorfii argumenta contra VValtoni exceptiones. Primum. Pro ſuâ ſententiâ *VValtonus* plura argnmenta non afferr. Nobis ex *Buxtorfio*, quem tamen uon uominat, aſcribit varia, primùm reſtimonia tam veterum quàm recenrium Rabbinorum. Adhæc exemplo *Capelli* breviter reſpondet, Judæorum hic nullam eſſe auctoriratem cùm teſtentur iu rem ſuam, & ſuæ gentis gloriam. Replica, uimis curta eſt bæc reſponſio, *Buxtorfius* ad ſiugulos tam veteres quàm recentes Rabbinos, qui contra ſuam ſententiam prolati ſuur, reſpoudet diſtinctè & fusè: cum ipſe magnam copiam Rabbinorum anriquorum adducir, ſummæ apud ſnos auctoritatis tam Tanuæorum qnàm Gemariſtarum quàm auctorum *Toſephoth*, quàm Geonum, & Cabbaliſtarum omnes *Capellus* & *VValtonus* unâ brevi litnrâ delent; homines, ajunt, ſunt meudaciſſimi, cùm de ſuæ gentis gloriâ agitur, hâc unâ ſolâ fideliâ omnes illas *Buxtorfii* longas Rabbinorum lacinias eleganrer Hebraicè deſcripras, & benè punctatas, ac tranſlatas dealbant; & rameu cùm nunm aut alrernm vel ex antiquis, vel recentibus Rabbinis *Buxtorfius* ipſe ſuppeditat, ſtatim iſtorum licet pauciſſimorum verba ad aſtra tollunt, illorum unum aliis centum volunt præferri. Hujus magni paradoxi unica ratio qnam *Capellus* ad nauſeam ingeminat, & *VValtonus* etiam ex eo afferr, non videtur proba, nimirum gloriam eſſe genris Judaicæ legem à *Moſe* ſcriptam fuiſſe literis Hebraicis bodiernis, quæ ſunt Aſſyriacæ, probrnm verò gentis & dedecus, ſi literis Samaritanis lex deſcripta fuiſſet. Quid hic eſt ſolidi ex hypotheſibus *Capelli*? Nam docet is nullam ſanctitatem, nullam gloriam, nullum omninò honorem deberi linguæ, aur literis quibus *Deus*, *Moſes*, & Prophetæ ſcripſerunt res ſacras, magis quam alii cuicunque linguæ aut literis, in quibus profaniſſimæ gentes ſua deſcripſerūnt abominanda myſteris. Prætereà, volunr linguam literaſque Hebræas antiqnas fuiſſe proprias Chananæis, Philiſtæis, Tyriis, & Sidoniis, eorumque colonis Pœuis; Chaldæam verò ram linguam quàm literas proprias Monarchis Aſſyriorum, & *Abrahamo*, ac *Patriarchis* maternas, quas ſemper uſurpavir *Abraham* donec à Chananæis Hebræa didicir. Ecquis autem bonor Judæis ex uſu linguæ Chananæorum, qui ſervi fuerunt Aſſyriis, & à Deo maledicti ac exterminio devoti? Quid etiam probri Judæis eſſe potuit ex uſu linguæ & lireratum Aſſyriorum quæ propriæ erant genti orbis dominarrici, & marernæ *Abrahamo*, ac antiquioribus Patriarchis.

Ex recentioribus Rabbinis pleroſque ſibi ſumit *VValtonus*, & nobis tanrùm paucos reliquir: nováne eſt hæc arithmetica? cum unius tantùm, ſcilicet *Ioſephus Albus* ſtat pro pleriſque, & duodecim, quorum reſtimonia adducit *Buxtorfius*, ſint ſolum quidam comparati ad illum unum. Rectè *Capellus* monet ponderanda non numeranda eſſe hîc ſuffragia, ita ut unus ſtare poſſit pro mille, certè unus Judæus, unde *Hieronymus* ſententiam Capellianam didicit (nam non poteſt probari duos fuiſſe Judæos *Hieronymi* Magiſtros, imò nec ab uno, vel ullo Judæo ſentenriam iſtam *Hieronymum* hauſiſſe) vult atguere publicam & conſtantem totius gentis Judaicæ mentem, non ſolùm unius aut alterius doctoris ſententiam, mira φιλαυτίᾳ & confidentiâ.

Secundum *Buxtorfio VValtonus* argumentum aſcribit ab antiquis moneiis. 2.
Reſp. De hoc ſuprà: ſatis nobis eſt, quòd non minor ſimilitudo veri ſit in nummis *Buxtorfis* quàm *VValtoni*.

Tertium ex tribus antiquis inſcriptio- 3.
nibus. Prima literarum inſcriptarum ſepulchris Patriarcbarum, quas vidit *Benjamin* Tuledenſis in ſpeluncâ prope Hebronem. Secunda in lapide ſepulchrali Ducis Regis *Amaſia* Sagunti in Hiſpaniâ.

Tertia in laminâ aureâ, quam in fronte geſtabat Pontifex maximus, quæ literis Hebraicis, non Samaritanis inſcriptum habebat nomen *Iehova*.

Ad primam reſpondet, *Benjamini* itinerarium ſcatere fabulis, prout *L'empereur* in id commentarius oſtendit, vel ſi quid tale vidit *Benjamin* à Chriſtianis, aut recentioribus Judæis inventum eſſe. Replica, Non ita fabuloſus eſt *Benjamin*, quin in eo multa ſint vera quibus *L'empereur* non contradicit. 2. Nihil vetat illa ſepulchra, eorumque inſcriptiones, tam antiquas fuiſſe quàm ea tempora quibus Judæi cœperunt ſepulchra Patriarcharum & Prophetarum ædificare, & adornare; Et verò cur illa non poſſint antecedere dies *Ezræ* quid prohibet?

Ad ſecundam reſpondet, eſſe cæco cæciorem qui non videt infirmitatem iſtius argumenti. Replica, *Villalpandi* quidem fabulas de *Adoniram*, qui venit in Hiſpaniam collecturus *Rhehoboamo Solomonis* filio tributum, eſſe ridiculas, ſed ut conjectura *Capelli VValtono* placet de Judæo quodam duce Regis *Amaſiæ*, Reguli cujuſdam Mauri ibi ſepulto, dum in Valentiâ Mauri dominarentur, & multi ex Oriente Judæi eò confugerent ad figendum ibi domicilium, quidni & hæc nobis conjectura æquè placeat, ex iſtis Judæis quendam, dum ex patriâ in Hiſpaniam commigraret, attuliſſe ſecum ut inſigne monumentum, lapidem ſepulchralem, vel ipſius Regis *Amaſiæ*, quod Hebraica inſcriptio fert, vel cujuſdam ex ejus Ducibus qui tot annis potuit perdurare. Certè à dominio Maurorum in Valentiâ ad dies Rabbi *Iom Tobb*, non eſt veriſimile literas in lapide ſepulchrali ita ob ætatem exeſas ut legi non potuerint, & verò Judæi in Hiſpaniâ ac alibi linguâ ac literis regionis ita familiariter utuntur, ut nullibi ſoleant ſuis ſepulchris Hebræas voces aut literas inſcribere.

Ad tertiam reſpondet, *Hieronymum* in epiſt. ad *Fabianum* (nulla talis eſt *Hieronymi* epiſtola, dixiſſet ad *Fabiolam*) nullas ſcripſiſſe literas Hebraicas, ſed tantum literas Latinas, quas editores officioſè de ſuo fecerunt Hebraicas. Replica. Audax nimis eſt hæc cenſura ſine ullâ probatione, nihil tale vel *Marianus* vel *Fronto ducæus* in ſuis notis obſervant, Editores Pariſienſes optimis, & antiquiſſimis manuſcriptis uſi ſunt, eos non debuit *VValtonus* correxiſſe, niſi ex fide plurium & antiquiorum manuſcriptorum, quæ in hac epiſtolâ vocibus omnibus Hebræis, quæ multæ ſunt, carebant: certè *Buxtorfius* multò antiquiorem *Hieronymo* citat ex Talmude Rabbi *Eliezer*, *Barjoſe* qui laminam illam Romæ ſuis oculis conſpexiſſe ſe aſſerit; quod addit *VValtonus* cidarin illam Pontificis inſcriptam poſt dies *Ezræ*, non eſt veriſimile, nam nuſquam legimus in veſte Pontificis à diebus *Moſis* quicquam mutatum, nedum ut nova lamina aureâ noviiiis literis inſcripta ejus fronti appenderetur. In diebus quidem *Solomonis* ſacrorum vaſorum multa mutata ſunt ad uſum novi templi, tamen Laminam illam frontalem *Aaronis* tactam fuiſſe non legimus.

Quartum *VValtonus Buxtorfio* argumentum aſcribit à trium literarum figuris *Iod*, *Tau*, & *Sameth*, in antiquo (inquit *Buxtorfius*) Alphabeto Hebraico *Iod* fuit literarum minima, ſed in Alphabeto Samaritano eſt maxima. 2. In vero Alphabeto Samaritano, *Tau* olim habebat ſimilitudinem crucis, in hodierno verò Alphabeto Samaritano *Tau* nullam talem figuram habet. 3. In Alphabeto Hebraico ante Ezram *Mem* finale fuit clauſum, nec ulla litera finalis fuit diſtincta ab initiali aut mediâ. Ad primum reſpondet *Capellus* invehendo in perſonam *Poſtelli* hujus argumenti auctoris, ut hominis execrandæ memoriæ, *VValtonus Poſtelli* perſonam non tangit, nam quæcunque in ſenectute ejus fuerunt deliria, nemo negat virum fuiſſe admirandæ in Linguis Orientalibus ſcientiæ, & maximi meriti ob raram in hoc ſtudio diligentiam, ſed viros doctos *Seidhardum*, *Dilberum*, & *Crineſium* nominatim compellat, & hoc ipſorum argumentum pronunciat ſtramineum, nihilominus tamen penitiùs introſpicienti, aliquid in eo ferri, & chalybis invenitur; nam evincit literas Hebraicas, quas *Chriſtus* & Apoſtoli ſolas uſurpabant, fuiſſe hodiernas, non verò Samaritanas, inter quas *Iod* nunquam fuit minima. Iſta non negat *VValtonus*, & vult cum larvis luctari qui hujuſmodi contra ſe ſnoſque afferunt, hoc ergo maneat fixum, *Chriſtum* manifeſtè docuiſſe legem ſcriptam literis Hebraicis hodiernis, inter quas *Iod* eſt minima: remanebit probandum *VValtono* & ſuis fuiſſe aliquando alias literas in quibus lex tempore *Moſis* à Deo ſcripta eſt; donec duriora afferant, & minùs ſtraminea argumenta quàm quæ hactenus vidimus, permittant oportet nobis credere ex auctoritate *Chriſti*, legem ſcriptam charactere Hebraico hodierno, an verò in alio charactere Deus in monte Sinai eam ſcripſerit nobis ipſorum probationes expectandæ ſunt, antequam priorem fidem relinquamus.

Secundam partem argumenti Buxtorfiani, deſumpti à charactere Samaritano in ultimâ literâ *Tau*, concedit *Staliger*, ſed fortiter negat *VValtonus*, affirmando *Tau* Samaritanum repræſentare crucem exactè. Reſp. Num æquum ſit *VValtoni* verbis quàm *Tau Samaritanum non repræſentat crucem.*

quàm noſtriſmet ipſorum oculis fidere ipſe judicet, in Alphabeto Samaritano, quod *Scaliger* accuratè depinxit, in eo etiam quod *Bellarminus* Grammaticæ ſuæ Hebrææ appoſuit, & in eo quod *Crineſius* ex membrânâ manuſcriptâ ab Oriente Norimbergam allatâ elegantibus typis expreſſit, quin etiam in ipſo Vaticano Romæ impreſſo, quod *VValtonus* nobis dat, nulla omnino inter *Tau* & crucem ſimilitudo eſt, niſi velimus non tantùm quadrare circulum, ſed circulum affirmare quadratum, & quadratum circulum, & quidlibet quodlibet. Quòd verò *Villalpandus*, ut videtur, ex Pontificiâ ſuâ in crucem ſuperſtitione excſas aliquot in quibuſdam monetis literas detorquere conatur ad figuram non *Tau* majuſculi Græcorum vel Latinorum, neque *Tau* Æthiopum quæ exactè crucem repræſentant, ſed ad Græcorum X quod crucem *Andreæ* dictam, decuſſatam exprimit, nequaquam verò crucem *Christi*, hanc *Villalpandi* detorſionem non debuit *VValtonus* laudare & ſequi.

Samaritani non habent Mem clauſum.

Tertiam argumenti partem à *Mem* clauſo Iſa. 9. v. 7. in medio vocis *Lemarbe* ſi *Iſaias* ita ſcripſit, non eſt uſus in ſuâ Scripturâ charactere Samaritano, qui nullum habuit, & nullum adhuc habet *Mem* finale & clauſum, ita autem ſcripſit Propheta, quia præterquam quod in omnibus exemplaribus Hebræis ita extat, multi etiam tam Chriſtianorum quàm Judæorum interpretum, myſterium in hac literâ clausâ latêre arbitrantur. Reſpondet 1. *VValtonus*, vana eſſe hæc myſteria. 2. Errorem eſſe prout *Grotius* rectè notavit, ſcribarum, qui *Mem* finale in medio vocis ſcripſerunt. Replica, ſoliditatem ullius hîc myſterii non defendimus, plurimi tamen præter Judæorum turbam ex Chriſtianis non modò antiquis ſed recentioribus, ſcilicet *Lyranus*, *Fabricius*, *Capito*, *Galatinus*, *Mirandulanus*, *Oecolampadius*, *Bibliander*, pro myſterio in eâ literâ citantur. Sed ad noſtrum argumentum ſatis eſt, ſi in eâ voce *Mem* finale ſcriptum fuerit, num ex myſterio an ſine myſterio, nos non inquirimus, neque *Capelli* varia lectio argumentum infirmat: nam ſi lectio illa *Mem* clauſi fuerit una ex antiquis, & vera, ſint licet quotvis aliæ, tenet argumentum. Fateor *VValtoni* ex *Grotio* reſponſionem rectè occurrere argumento, & illud evertere, ſi vera eſſet, ſed abſit, ut vel illi vel *Grotio* in authentico textu errores concedamus, niſi majore multò, quàm hîc premimur neceſſitate, conſtringamur.

An Mem & Samech ſteterint miraculosè in tabulis legis.

Alterum argumentum *Buxtorfio* aſcribit *VValtonus*, *Mem* & *Samech* clauſa ſtetiſſe miraculosè in tabulis legis, quia abſque cohærentiâ cum ullâ continuâ parte tabularum, iſta affirmat *VValtonus* Rabbinica eſſe commenta, reſponſione indigna. Replica. Nullum hoc eſt ex *Buxtorfii* argumentis, ſed tantùm commoda præventio primi & primarii Rabbinorum teſtimonii, quod contra ipſum *VValtonus* affert. Hoc quod à Rabbi *Chaſda VValtonus* citat, demonſtrat Rabbinum illum exiſtimâſſe legis tabulas divinâ manu ſcriptas charactere hodierno Hebræo, non Samaritico: *VValtonus* hîc concedit hanc fuiſſe *Chaſda* mentem, ſed nixam falſo commento, *Buxtorfius* neque falſum illud commentum, neque aliud ullum Chaſdianæ ſententiæ fundamentum approbavit, tantùm *Chaſda* teſtimonium pro ſuâ ſententiâ citavit, quòd hîc tam *VValtonus* quàm *Capellus* liberè largiuntur, etſi paulò antè uterque *Chaſdam* ut primarium teſtem, pro contrariâ ſuâ ſententiâ citaverit.

Judæi temerè à Capello accuſantur immanis negligentiæ.

Ad ultimum *Buxtorfii* argumentum à *Fullero* mutuatum, nimirum à numero gentis Judaicæ, quòd facilius fuit ſuos characteres & linguam ſervare quam paucis Samaritanis in anguſto concluſis angulo. Reſpondet poſt *Capellum VValtonus*, non quæri quid potuerit fieri, ſed quid factum ſit, mutationem illam eſſe factam nullâ Judæorum negligentiâ, ſed ex imperio *Ezræ*, ut ſepararet Judæos à Samaritanis, & legem Dei in literis Aſſyriorum ſcriberet, qui mundo tunc dominabantur, ut ita gentibus aperiretur porta ad cognoſcendas literas ſacras. Replica, factum eſt quod inprimis negatur & ratio negationis facti, iſtius ſcilicet per *Ezram* mutationis, eſt ſublatio ejus cauſæ, nimirum Judæorum immanis negligentiæ in ſervandâ ſuâ linguâ, & literis, & amplectendis tam literis, quàm linguâ Chaldæorum, negligentiam illam uno Spiritu *VValtonus* hîc videtur cùm affirmare tum negare, certè populus Judaicus, quantiſcunque vitiis immerſus Samaritanis Cuthæis negligentior non fuit in ſervandis ſuis literis ac linguâ.

Quod ad *Ezræ* imperium, hoc eſt quod quæritur, multæ aliæ rationes erant magis obviæ ad obſepiendam populi viam à Samaritanis, quàm abjiciendo, & Samaritanis relinquendo priſcas Prophetarum literas, nihil hoc juvabat ſeparationem quandiu manebat lingua communis, nam lingua, non literæ, & characteres, inſtrumentum eſt commercii. Quid ad nos quòd cum Latinis, Italis, Hiſpanis, Flandris, Gallis, & aliis, eoſdem habeamus literarum characteres, cùm in iſtis nulla ſit linguæ communio? Quòd ad Aſſyriorum literas, nullo modo iſtæ gentibus ſub Chaldaico Imperio legem Judæorum propagârunt, quandiu lex in Aſſyriorum linguâ non fuit ſcripta.

Et ſuperſtitionis.

Aliam adhuc rationem *Buxtorfio Capellus* aſcribit, pervicax valdè & tenax Judæorum

 inge-

ingenium, quòd non niſi auctoritate planè divinâ, reliquiſſet Samaritanis capitalibus hoſtibus literas ſuas, in quibus Deus legem & Prophetæ Sacroſancta ſua ſcripta expreſſiſſent. Reſpondet *Capellus* tenacitatem hanc Judæorum fuiſſe ſuperſtitionem, à quâ diebus *Ezra* Judæi erant immunes. Replica. Nihil in Judæorum magnâ reverentiâ, & amore erga priſcas & divinas ſuas literas fuit ſuperſtitionis, neque ulla unquam gens fuit, aut homo ingenuus qui antiquorum patriæ characterum eſſe non potuit abſque omni ſuperſtitionis notâ ſtudioſus: ingens Judæorum zelus diebus *Antiochi* erga libros, ac ipſa verba, ac literas Sacræ Scripturæ, eò uſque ut *Capelli* jactatos in iis errores habuerint abominationi, procul abſuit ab omni ſuperſtitione. Quòd *Capellus* Judæos tantæ negligentiæ accuſat, ut inter omnes qui in Babylonicâ captivitate vixerunt, aut qui diebus *Ezra* in Judæâ vel ubicunque habitârunt, non remanſerit ne unus ſacer codex præter eum ſolum quem poſſidebat *Ezras*, commentum eſt, in quo neſcio an ullos vel anteceſſores, vel ſequaces *Capellus* habeat.

Reliqua Buxtorfii argumenta vindicantur.

Quod affert *Buxtorfius* de *Ezra* zelo in ipſam lingnam & literas Hebraicas, dum pueros Aſhdodicè & Ammoniticè loquentes verberibus ac contumeliis acciperet, nimis leviter rejicit *Capellus* à linguâ & literis ad ſola conjugia Judæorum cum populis vicinis, nam non iſta tantùm reprehendebat *Ezras*, ſed hoc etiam iſtorum connubiorum effectum ei graviter diſplicuit, cùm audiret Judæorum liberos loquentes linguâ Palæſtinorum, quod ejus zelum ſignificat non tantùm contra connubia, ſed etiam erga linguam & literas Judæorum, ut illæ ſecundum priſcam conſuetudinem ſervarentur immutatæ, etſi omnis hîc diſputatio ſit vana, ſi *Capelli* & *VValtoni* hypotheſes ſint veræ, nam ſecundum eas Aſhdodica, & omnium Palæſtinorum lingua, & literæ erant omnino eædem cum Hebræis, utpote quas Hebræi à Chananæis didicerant.

Aliud attulit adhuc *Buxtorfius* argumentum, ad quod nihil neque *Capellus*, neque *VValtonus* reſponderunt: ſimplicitas characterum Hebraicorum, quorum ductus non ſunt tam operoſi & compuſiti quàm apud Samaritanos, ut utrumque Alphabetum comparanti apparebit, literæ autem quò ſimpliciores, eò antiquiores, & quò magis compoſitæ, eò ab aliis prioribus plus mutuantur.

An duplex olim Judæis ſacris literarum character.

Vix aliud videtur reſtare in hac quæſtione quàm famoſa diſtinctio à *Buxtorfio* ſæpius ingeminata, & à *VValtono* & *Capello* totis viribus oppugnata, duplicis apud antiquos Hebræos characteris; unius vulgaris, quo ſcribebantur epiſtolæ, & res omnes communes, exemplaria etiam Bibliorum communia, quæ vulgi manibus terebantur: alterius privati magis uſus, quo tabulæ legis à Deo, & primaria Regum ac Prophetarum ſacri codicis exemplaria exarabantur; ut apud Ægyptios, Chaldæos, Græcos, Latinos, alioſque populos diverſus erat literarum character pro ſacris ſolennibus, & altioribus uſibus diſtinctus à magis vulgari & quotidiano, iſtas literas vocatas Hebræas à communi omnium Hebræorum uſu, has Aſſyriacas, vel quia ob divinum magis uſum putabantur ſanctæ ac beatæ; vel quia ab auctore *Ezra* ex Aſſyriâ aſcendente à toto populo in communem uſum acceptæ ſunt, omiſſis vulgaribus Hebræis quæ priùs in communi uſu erant. Contra hanc diſtinctionem magnâ irarum mole tam *VValtonus* quàm *Capellus* inſurgunt. *Quis* (inquiunt) *non videt meras nugas, & vanorum hominum vaniſſima hæc eſſe commenta, quorum Chriſtianos Theologos pudere debet, neſcio ſanè quid ſit ineptire, ſi hoc non ſit, apage iſtiuſmodi nugas, & deliria.* Replica. Parciùs iſta viris, duriora multò ſunt hæc verba, quàm ullæ contra diſtinctionem allatæ rationes, & verò licet diſtinctio nulla eſſet, parum inde noſtræ cauſæ decederet, ſed *Buxtorfius* eam probat ex Judæis, non modò recentioribus, ſed antiquiſſimis Talmudis tam Babylonici quàm Hieroſolymitani auctoribus, quibus ipſe *VValtonus* ſuam ſententiam firmare, licet fruſtra, conatur. Iſtorum teſtimoniorum magnâ copiâ à *Buxtorfio* productorum nulli vel *VValtonus*, vel *Capellus* quicquam reſpondent in particulari.

Rabbini in aliquibus utiles.

Quod in genere afferunt primò Rabbinos omnes antiquos novos, homines eſſe vaniſſimos. Replica, non negamus in dogmatis fidei Chriſtianæ: in ſignificatione tamen vocum Hebraicarum, & conſuetudinibus, ſeu in lingua, ſeu literis, ſeu variis ritibus à majoribus ſuis olim uſurpatis, multa ab iis rectè diſci commune doctorum eſt judicium.

Nulla myſteria celebantur ſacris characteribus.

Quod ſecundò affertur de causâ diverſorum apud Ægyptios & alios characterum, ut obſcuris & myſticis literis tegerentur à populo abominanda obſcœnorum Idololatrarum myſteria, quale nihil apud Judæos unquam fuit, quorum omnia ſacra Deus ſingulis ex populo cognita eſſe voluit. Replica. Non probat *VValtonus* vel ſolam, vel primariam, vel ullam diverſitatis characterum apud Gentes cauſam fuiſſe obtectionem horrendorum myſteriorum, ſub hoc ignotarum vulgo literarum velo: certè horridiſſima Ægyptiorum, Chaldæorum, & aliorum Gentilium Idololatria à ſacerdotibus, poëtis, hiſtoricis ſingularum gentium

tium characteribus vulgaribus clarè ſatis exprimebantur, nihil ſub literis myſticia latebat deterius, quàm quòd de *Api, Igne, Dagon, Baal, Iove, Iunone, Venere, Apolline, Vulcano*, & cæteris Idolis publicè propalabatur. Dei volnutas, & mandatum communicandi ſuam legem omni populo, nihil impediebat diverſitatem characterum, quibus divina lex ſcribebatur, & legebatur, tam à Sacerdotibus, quàm ab iodoctinribus è populo.

Quid ſignificet vox Aſhurith.

Quod nltimò *Capellus* & *VValtonus* afferunt de ſignificatione vocis *Aſhurith*, quaſi nunquam ſumeretur appellativè pro *beato*, ſed ſemper propriè pro linguâ Chaldæâ, & quòd nullæ literæ beatæ dici poſſint, quia nullius beatitudinis ſunt capaces. Replica. 1. Dato vocem hanc ſemper ſumi propriè, nihil hoc contra nos, qui non rejicimus eorum Rabbinorum ſententiam, qui literas quibus lex à Deo primùm ſcripta eſt, vocant Aſſyriacas, eo quòd aſcendens ex Aſſyriâ & Babylone *Ezras*, eas primùm vulgaris uſus fecerit. 2. Significationes verborum in unaquaque lingua præſupponi debent potiſſimùm callere qui priſci ſunt in linguis ſcriptores, apud Græcos, *Euſtachius, Heſychius, Pollux*, unde *Stephanus* & alii ſua Dictionaria coodiderunt: apud Latinos *Virgilius, Cicero, Quintilianus, Priſcianus, Gellius*, & hujuſmodi: ſimiliter priſci Rabbini vocabulorum ſignificata in majorum ſuorum linguâ probiſſimè callent.

Ad Dictionaria hîc provocat *VValtonus*, adimus *Buxtorfii* Chaldaicum multò præſtantiſſimum, quod hactenus io orbe apparuit, ibi ex plurimis tam antiquorum quàm recentium Rabbinorum teſtimoniis habemus *Aſhurith* ſumi appellativè pro *beato*; quòd autem beata ſatis commodè dici poſſint quæcunque Deus ad peculiare ſuum ſervitium adhibet, non debet controverti. Cur Perſæ dicuntur beati Pſalm. 137. Niſi quia infantium Babyloniorum capita ſaxis alliſerunt? Quidni illæ literæ quibus ſolis Deus uſus eſt in ſcribendâ ſuâ lege, ob eam ſupra omnes literas prærogativam, beatæ dici poſſint? Neſcio quis genius *Capellum* egerit, ut omnem literis & linguæ Hebraicæ non tantùm beatitatem, ſed quam docti omnes ei ſolent aſcribere, Sanctitatem neget; imò & omnem contra communem puto mortalium ſenſum, vel leviſſimum honorem ex uſu Dei & Prophetarum, detrahat: Non tam ſcrupuloſæ ſunt Sacræ literæ, quæ ipſas arbores, ſylvas, & luces à radice vocis præ manibus אשרות frequenter vocant.

Plura hic non addimus. Quod ad quæſtionem poſteriorem de punctorum vocalium apud Hebræos ætate, eam impræſentiarum laſſi non valemus diſcutere, nec multùm opus eſt: nam quibus eſt animus & otium ſeriò, & abſque præjudicio comparare *Capelli* arcanum punctationis, quæque ex eo breviter deducit *VValtonus* in ſuo de punctis Prolegomeno cum *Buxtorfii* patris Tiberiade, & filii diſſertatione de punctis, ut arbitror, in novam, & omnino ſingularem *Eliæ* Levitæ ſententiam de punctorum à Maſorethis inventione annis totis quingentis poſt *Chriſtum*, non valdè propendebit.

CAPUT XI.

Res geſtas continens Epocha ſexta ab Alexandri Magni *morte ad* Ariſtobuli *in Iudaâ Regnum.*

Hiſtoria profana illuſtrat ſacras Prophetias.

IN priori Epochâ capite nono explicavi, quomodo bicornis aries, Reges Perſiæ & Mediæ, omnia pro ſuo libitu in Oriente, Septentrione, & Meridie, per annos ducentos triginta ſex, ſurſum deorſum volveriot; donec hircus ab Occidente Rex Græcorum in arietem irruiſſet, ſtraviſſet humi, & utrumque arietis cornu confregiſſet, pedibuſque omnem Perſarum potentiam conculcâſſet. Oſtendimus etiam quomodo inſigne cornu ex fronte hirci enaſcens parvo tempore confractum ſit in *Alexandri* præmaturâ & inopinatâ morte. Reſtat jam ut declaremus quâ ratione quatuor cornua in hirci capite exorta ſint, quomodo Græcorum ſeu Macedonum imperium in quatuor præcipua Regna diviſum ſit: Ægypti *Ptolemæorum*, Babylonis & Syriæ *Seleucidarum*, Aſiæ Minoris *Antigoni*, Macedoniæ & Græciæ *Antipatri* & ejus poſteriorum, ſeu etiam *Antigoni*: quomodo quoque ex *Seleucidarum* radice ſit enatum cornu parvum *Antiochus Epiphanes*; denique quomodo ipſe hircus & omnia ejus cornua comminuta contritáque ſint à beſtiâ quartâ terribili, & forti nimis; Imperio Romano, quod ferreis ſuis dentibus, priorum omnium Imperiorum robur totum confregit.

Hiſtoria externæ fontes.

Inſignes iſtorum temporum hiſtoriæ egregiam lucem & verum commentarium exhibent non tantùm ſeptimo, octavo & undecimo *Danielis* (cæteroquin obſcuriſſimis) ſed & aliis Scripturæ tam authenticæ quàm Apocryphæ multis locis. Iſtarum hiſtoriarum fontes habemus in *Plutarchi Eumene, Phocione, & Demetrio, Iuſtini* compendio *Trogi Pompeji, Ioſepho* utroque tam *Flavio* quàm *Bengorionis*, ſed ante omnes pleniſſimè & clariſſimè in *Diodoro Siculo*, *Curtius* & *Arrianus* deſinunt in *Alexandro*. Quæ autem apud *Capellum*, *Uſherium*, *Peſelium*, *Rhalegum*, & in ejus ſupplemento per noſtrum *Roſam*, *Salianum*, etiam *Tor-*

niellum, & *Petavii* Rationarium, totámque aliam ingentem recentiorum hiſtoricorum nationem legimus, omnia ex nominatis fontibus hauſta pro vario ſingulorum ingenio & eloquio πολυτρόπως valdè & intricatè ſatis traduntur: nobis etiam pro noſtrâ minutâ facultate ex utriſque tam antiquis quàm recentioribus fas eſto, narrationem inſequentem deprompſiſſe.

Mors Alexandri Macedonas confundit.

Ut primum *Alexander* animam Babylone exhalâſſet, maximus primùm luctus urbem, regiamque complevit; & poſteà ingens exercitum invaſit conſternatio. Erant in eo multi corporis animique virtutibus, & egregiâ *Philippi* ac *Alexandri* per multos annos diſciplinâ, magnis copiis ducendis, & regnis adminiſtrandis omnino pares; ſed hinc omnium ruinæ origo. Dum omnes aſpirant ad ſumma, nec quiſquam ex animo alii cuicunque parere vellet, omnes in mutuam corruerunt perniciem: quique in tot Aſiæ Regnis tantos nobilium familiarum, & populorum ſanguinis rivos effuderunt, quieſcentibus & inſpectantibus regionibus ſubactis, ipſi ſuis in ſe manibus divinam vindictam executi ſunt, & in paucis annis *Alexandri* Regumque Macedoniæ, quin & omnium ducum, omniumque ipſis amicorum, totas familias ſtirpitus eradicârunt. Imò verò pauciſſimos ex gregariis militibus, triumphabundi & ubique victoris Macedonici exercitûs ſiccâ morte occumbere permiſerunt: ac Macedonum gentem in viliſſimam, pauperrimam, & deſpicabiliſſimam provinciam, ſicut fuit olim, redegêre, totique Græcorum nationi infinitarum calamitatum & perpetuæ ad hunc diem ſervitutis cauſa extitêre.

Illuſtris Dei in Macedonas vindicta.

Perdiccam deprimit Meleager.

Primus hujuſce tragœdiæ actus Babylone exhibitus eſt. Poſt aliquot horarum lamenta & fletus, primarii omnes duces, & magnus militum globus in Regiam ruentes diſpicere cœperunt de ſucceſſore in imperium. In medio locatum eſt ſolium, diadema, & veſtis regia *Alexandri*. *Perdiccas*, quem *Alexander* ſibi tradiderat annulum, juxta diadema in ſolio depoſuit; quaſi ipſe à ſe in alium quemvis gubernationis onus lubenti animo rejiceret. Poſt multam deliberationem, ſuaſit *Perdiccas* expectare partum *Roxanes*, quam poſt bimeſtre edituram ſperabat marem, cui patris ſolium traderetur; & interea per ἐπιμελητὰς Curatores adminiſtrari Rempublicam. *Nearchus* pro *Hercule* quem ante annos undecim *Barſine Memnonis* vidua *Alexandro* pepererat, verba fecit: *Ptolemæus* pro Ariſtocratiâ primariorum ducum dixit. Sed preſſit *Ariſtander Alexandri* ſententiam, annulum *Perdiccæ* tradentis & cum eo imperium. Dum multi urgerent *Perdiccam* ut annulum vellet reſumere, is modeſtiam nimiam ſimulans, tantùm ut plus urgeretur, ex ducum conſeſſu ſurgens turbæ ſe immiſcuit, quaſi procul à throno refugiens. In cunctatione *Meleager* multis verbis acerbè in *Perdiccam* invehitur, ut Regni faſtigio omnino indignum: ſuadetque ut ſe ſequerentur milites ad diripiendos & inter ſe partiendos *Alexandri* theſauros; ut ſuam hæreditatem, meritumque ſuorum laborum, & ſanguinis præmium.

Dum *Meleager* cum turbâ ſequacium ad theſauros digreditur, gregarius quidam & incognitus miles, oratione gravi ſuadet *Arideo*, *Philippi* patris & *Alexandri* fratris imponendum diadema. In eum ſtatim militum vertit favor, *Meleager* nil tale cogitantem juvenem accerſit, regiâ veſte & diademate induit, ac collocat in ſolio. Primariis ducibus diſplicet electio, etſi enim *Arideus* bonæ & celſæ ſatis indolis ab utero fuiſſet, *Olympiadis* tamen pharmacis, quòd eum ex ſcorto *Philenis Philippus* ſuſtuliſſet, ita mente erat alienatus, ut ſtupidiori tum eſſet ingenio, quàm quod ad tanti imperii onus ferendum eſſet idoneum. Dum de eo duces ac milites altercantur, & ipſe inſignia Regni pararet deponere, inter partes volare incipiunt tela; poſt multorum vulnera fit concordia ut *Arideus* ſimul & *Roxanes* partus, ſi foret filius, regnarent; ipſiſque ex ducibus darentur protectores, in hujus infantiâ & illius infirmitate. Hac nihil obſtante pace, *Meleagri* & *Perdiccæ* exæſtuant iræ: ab hoc equites ab illo pedites ſtabant: *Arideo* ſuadet *Meleager* ut mitteret qui *Perdiccam* accerſerent, & venientem in viâ necarent. *Perdiccas* ſatellites ad ſe prebendendum venientes vultûs majeſtate & orationis vi perterrens, ad *Leonatum* extra mœnia cum copiis equeſtribus perfugit. Obſidetur ab equitibus urbs & fame premitur, ſed mox coiit pax ut cum *Perdiccâ* & *Leonato Meleager* adjungeretur tertius Reipub. gubernator. Ex *Perdiccæ* amicis quidam ejus inſtigatu *Meleagrum* indignantur. *Perdiccæ* exæquatum, & *Meleagri* imperata recuſaturos ſe profitentur: furere *Meleager*, clamare proditionem hanc eſſe unius ante alios *Perdiccæ* contra pacta conventa perfidi. *Perdiccas* altè diſſimulare; pernegare omnem ſuam conſcientiam factorum à rebellibus, offerre ſinceram ſuam operam ut luant omnes capitibus perduellionem. Placatur *Meleager*, is & *Perdiccas* amiciſſimè ſe invicem amplectuntur. Ut in *Meleagrum* contumelioſi comprehenderentur ad pœnam, perſuadet *Perdiccas* exercitûs luſtrationem. Hoc *Perdiccæ* laqueo capitur cum omnibus ſuis *Meleager*: dum enim totus exercitus ſtaret in armis, eo ordine & loco, ut in equitum & elephantorum potentiâ pedites con-

Perdiccas perdit Meleagrum.

conſiſterent, ex primariis *Meleagri* amicis qui cum ipſo fervidiſſimè *Arideum* rapuiſſent ad thronum (ut *Curtius* & poſt eum *Salianus* ac *Rhalegus*) trecenti; ſed *Diodorus* tantum triginta nominat, elephantis objecti & ſtatim contriti ſunt. *Meleager* ad hæc ſilere *Arideum* animadvertens, de ſe actum ſerò agnoſcens, ad aſylum confugit; ſed fruſtra: inde enim retractum confodi tum omnia potens *Perdiccas* mandas.

Diſtribuit ad ſuum libitum provincias.

Ab inimico præſenti liber, apertiùs ad ſolitarium imperium *Perdiccas* aſpirat, ſed pedetentim, ne præcipitatio nondum maturas ſpes everteret. Prima cura fuit provincias omnes tradere gubernatoribus, prout ſuis rationibus eſſet commodiſſimum. Ut tamen æmulorum offenſam vitaret, *Antipatro* Macedoniam & Græciam, *Ptolemao* Ægyptum & Africam, *Lyſimacho* Thraciam, *Leonato* Phrygiam ad Helleſpontum, *Antigono* Phrygiam majorem, *Peuceſta* Perſiam, *Seleuco* præfecturam equitum, ut caſtrorum pedeſtrium *Pythoni*, & *Cratero* theſauri curam commiſit. In theſauris autem præter triginta millia anni reditus, quinquaginta millia talentorum *Alexander* reliquit.

Roxane Statyram crudeliter necat.

Roxane, *Alexandri* uxor alteram ejus uxorem *Statyram*, *Darii* primogenitam cum ſuâ ſorore *Drypeti*, *Hephaſtionis* viduâ literis amiciſſimis *Alexandri* annulo obſignatis in aulam evocavit: ubi advenisſent, utramque ſtatim ſine ullâ criminis umbrâ necatam *Perdicca* ope, in obſcurâ foſſa contumulavit; hæc tantum malorum principia.

Invito Pythone emeritis Græci à Macedonibus perfidè necantur.

Ex coloniis Græcorum in ſuperioribus Satrapiis ab *Alexandro* collocatorum, auditâ ejus morte, fortiſſimorum virorum viginti duo millia peditum & tria equitum ſe in viam verſus patriam conjecerunt. Ad hos compeſcendos *Pythonem* emiſit *Perdiccas*; *Python* expeditionem alacriter in ſe ſuſcipit, in animo habens omnes eas Græcorum copias ſibi conciliare, & eorum in primis ope, ſummam rerum invadere: iſtud præſagiens *Perdiccas*, audiente exercitu, *Pythoni* in mandatis dedit ut rebelles omnes Græcos occidione occideret, & eorum bona militibus in prædam diſtribueret. Cùm ad rebelles veniſſet *Python* ex iis *Lypodorum* trium millium ducem promiſſis corrupit, ut in ardore pugnæ ad ſe transfugeret: hoc pacto victoriâ potitus, & in ſuo propoſito perſeverans, victis Græcis, quas voluerunt pacis conditiones conceſſit, ut in patriam ſalvis bonis deducerentur inermes. Pactis hiſce conventis, & ſolenni juramento ſancitis, nihilominus Macedones cupidine prædæ, ſpretâ jurisjurandi religione & *Pythonis* imperio, memores mandatorum *Perdiccæ*, omnes Græcos ad unum confoderunt, & quas illi ex Aſiæ ſpoliis opes per annos duodecim congeſſerunt, inter ſe partiti ſunt.

Perdiccæ crudelitas in Cappadocas & Piſidas.

His peractis *Perdiccas* plenis velis ad imperium occupandum ferebatur; ſed multa adhuc obſtabant, quo minùs ſua ſenſa in lucem proferret: *Ptolemæus*, *Antipater*, *Leonatus*, & *Craterus* ejuſdem potentiæ æmuli removendi erant. *Ariarathes* Cappadocum Rex ab *Alexandro* feſtinabundo prætéritus adhuc in armis ſtabat, cum peditum triginta & equitum quindecim millibus. Hunc perdomandum *Eumeni* commiſit *Perdiccas* cum exercitu regio, Cappadoces uno & altero prælio fregit, & *Ariarathem* cum omnibus propinquis captos crucibus affixit. Rebellárant etiam Laranda & Iſaurus Piſidiæ urbes. *Larandam Perdiccas* captam æquavit ſolo, cæſis omnibus puberibus. *Iſaurus* ſeipſam incendio redegit in cineres, ut ſævas Macedonum manus effugeret.

Bellum Lamiacum.

Intereà in Græciâ flagrabat bellum *Lamiacum*. *Alexander* paulò ante mortem in ludis Olympicis præconis voce cunctis Græcorum civitatibus denunciârat, ut exulibus, qui neque homicidii neque ſacrilegii eſſent rei, ad ſua redire permitteretur. Edictum hoc Athenienſes & Ætoli moleſtiſſimè tulerunt: quamdiu vixit *Alexander* nihil audebant movere, ſed ut eum audiverunt expirâſſe, ſtatim ad arma clamare, & quot poterant ex Græcis in ſocietatem armorum contra Macedonas pertrahere: Argivi, Theſſali, & alii ſtatim ſe jungere: octo millia emeritorum *Alexandri* militum in Peloponneſo agentium *Leoſthenem* jubent conducere. Contra hunc exercitum virorum fortium ſupra quadraginta millia, *Antipater* ex Macedoniâ delectibus continuis exhauſta vix quatuordecim millia potuit corradere: fit pugna, fugiunt Macedones, *Leoſthenes* victor *Antipatrum* Lamiæ mœnibus concludit, & poſt arctam obſidionem propemodum capit, ſed dum foſſas mœnibus proximas purgari curat *Leoſthenes*, telo de muro confoſſus cadit.

Leoſthenes victum Antipatrum obſidet Lamia.

Cadit Leoſthenes,

It Leonatus.

Mittit intereà *Antipater*, qui *Leonatum* & *Craterum* ex Aſiâ advocent in opem; adeſt ſtatim *Leonatus*, ſed hoc conſilio ut devictis Græcis *Antipatrum* etiam perderet, ad imperium ipſe inter primos aſpirans; verum hujus ambitio mox extincta eſt, *Antiphilus*, *Leoſthenis* ſucceſſor enim eo congreſſus ejus copias debellat, eumque necat.

Antipater Crateri ope Græcos debellat.

Dum hi pugnant, *Antipater* ex liberâ jam Lamiâ elapſus, reliquiis fracti exercitûs collectis in Macedoniam recedit, *Crateri* ex Aſiâ adventum expectans. Supini Græci victis non inſtare, ſed ad res privatas

magnam partem dilabi. Mox ergo *Antipater* & *Craterus* cum quadraginta quinque millibus multò pauciores *Antiphili* copias invadentes facilè debellant, & totam Græciam in priorem ſervitutem redigunt: meliores tamen conditiones victis dixit *Antipater* quàm ipſi ſperabant, nam contra *Perdiccam* bellum moliens, Græcorum amicitiam ſibi neceſſariam præſciebat.

Demoſthenis αὐτοφονία.

Tantùm in *Demoſthenem* veteres iras evomuit. Ante *Alexandri* mortem degebat *Demoſthenes* in inſula Calauriâ in exilio: tamen belli *Lamiaci* magna per ſuas epiſtolas fax fuit, cùm *Æſchines* etiam tunc exul id bellum pro viribus diſſuaderet. *Antipater* poſt victoriam in Calauriam miſit qui ad ſe *Demoſthenem* deducerent; hic perpetuarum ſuarum in Macedonas inimicitiarum memor, ne in ipſorum manus perveniret, calamum cicutâ infectum inter ſcribendum mordens expiravit.

Ariſtotelis & Diogenis mors.

Ariſtoteles eâ tempeſtate etiam Athenis exul, degens Chalcide quaſi in Deos impius; à publicis in orbe motibus qui ejus diebus & ab ejus diſcipulis fuerant maximi, omninò abſtractus; paulò pòſt in pace expiravit: Quemadmodum *Diogenes Cynicus* Corinthi eodem die quo *Alexander* Babylone deceſſit. Sed pergamus in hiſtoria univerſali.

Perdiccas ut *Antipatrum* ſecurum opprimeret, ejus filiam *Nicæam* in uxorem ſumpſerat, & *Cyna*, *Alexandri* ſororis, ſed ex alia matre natam *Eurydicen Arideo* Regi in uxorem tradiderat. Verum ſuas jam vires creviſſe videns, & *Antipatri* amicitiam minùs

Perdiccas necat Cynam.

ſibi neceſſariam, *Cynam*, *Eurydices* matrem necat, & de *Nicæâ* repudiandâ ac *Cleopatrâ Alexandri* ſorore germanâ ducendâ conſilium capit. *Antigonus* has *Perdiccæ* fraudes *Antipatro* clam ſignificandas curat. *Perdiccas Antigoni* proditionem ſubolfaciens, eum parat necare: ſed is cum filio *Demetrio* evadit ad *Antipatrum*: ubi cum *Perdicca* certam tyrannidis occupandæ mentem

Occupare parat tyrannidem.

Antipatro coram demonſtraſſet, non amplior mora; *Antipater*, *Craterus*, *Ptolemæus* & *Antigonus* contra *Perdiccam* fœdus ineunt. *Perdiccas* verò occupandum ratus quantò ocyus in Ægyptum movet, ad *Ptolemæum* à ſociis ſeparatum perdendum; primò tamen *Eumenem* cum *Neoptolemi* & ſui fratris *Alcetæ* militibus ad Helleſpontum ſedere jubet, impediturum *Antipatri* tranſitum in Aſiam.

Alexandri ſepultura.

Vix dum *Alexander* communi mortalium miſerrimorum beneficio, quietâ in terræ gremio ſepulturâ frui potuit: diebus totis ſeptem jacuit exanimis ſine omni cujuſquam curâ, dum Macedones de imperii adminiſtratione altercarentur, tum demum à Chaldæis & Ægyptiis pharmacopæis exenteratus, & ipſorum arte aromatis intus & extra conditus, in aureo loculo repoſitus eſt. Sepulturæ cura *Arideo* non Regi, ut perperam *Diodorus*, *Juſtinus*, *Capellus*, & alii, ſed Helleſponti Satrapæ commiſſa eſt. In apparatibus ſupra biennium is prodegit, donec extimulatus *Olympiadis* literis acerbè querentis ſepulturæ honorem ſuo filio negari, & *Ariſtandri* vatis falſis prædictionibus beatum iri perpetuâ pace eam terram quæ *Alexandri* reliquiis frueretur; tandem aliquando ſumptuoſiſſimâ pompâ in viam ſe dat. Currus in quo à mulis ſupra quadraginta trahebantur *Alexandri* exuviæ & arma, auro gemmiſque & arte ſuperabat fidem, ſi quæ *Diodorus*, & ex eo alii habent, vera ſint. Obviam venit ex Ægypto *Ptolemæus* in Syriam uſque, cum ſplendidiſſimo comitatu; & Alexandriam uſque deducens, ibique ſuper habito (tempeſtate valdè turbulentâ) moleſtiſſimo ad *Hammonem* itinere, maximis ſumptibus in fano ad hoc ipſum conſtructo terræ loculum commendavit. His in *Alexandrum* officiis Macedonum animos *Ptolemæus* multum ſibi conciliavit, magnaque ſuâ in Ægyptios humanitate eos quoque ſibi unicè devinxit. Sed eò magis *Perdicca* invidia commota eſt, & ad ſuum maturandum exitium in Ægyptum ille properavit.

Intereà in *Ptolemæi* opem feſtinant *Antipater* & *Craterus*, ſed ut iſtos remoraretur in viam ſe dat *Eumenes* cum *Alceta* & *Neoptolemi* copiis: *Neoptolemus* invidiâ in *Eumenem* æſtuans, clam cum *Antipatro* conſpirat. Sagaciſſimus *Eumenes* id ſubolfaciens aperto marte *Neoptolemum* invadit & debellat, ejuſque copias cum ſuis conjungit. *Neoptolemus* ad *Antipatrum*, *Crateram*, & *Antigonum* cum paucis evadit: *Antipater* pergit in itinere, allaturus, ſi poſſet, *Ptolemæo*, contra *Perdiccam* tempeſtivum auxilium. *Cratero* perſuadet *Neoptolemus Eumenem* aggredi, fidenter affirmans vel viſo *Cratero* pleroſque *Eumenis* milites ſtatim transfugituros: ſed *Eumenis* aſtus hanc ſpem fruſtratus eſt: dum enim appropinquaret *Craterus*, rumorem ſpargi curat *Eumenes*, quaſi *Neoptolemus* cum *Cappadoce* tantùm ingrueret, cavetque ne Macedonum ſuorum quiſquam *Cratero* opponeretur.

Eumenes Neoptolemum & Craterum occidit.

Stabat in uno cornu hoſtium *Craterus*, in altero *Neoptolemus*. *Neoptolemum Eumenes* ipſe aggreditur; *Pharnabazum Artabaſi Cratero* objicit, mandans ut ſine voce ipſum invaderet: *Craterus* in æſtu pugnæ ab equo ceſpitante lapſus in terram, à pugnantibus ignotus conteritur. *Eumenes* cum *Neoptolemo* ſingulari decertavit certamine, in quo *Neoptolemum* obtruncavit. Inſigni potitus victoriâ ante multam cædem cum victis paciſcitur, ut temerarent

quieti

quieti in Græciam; verùm ipſi ſallentes fidem ad *Antipatrum* ſe proripuerunt.

Perdiccam necat Python.

In hoc temporis articulo periit in Ægypto *Perdiccas* in ſuum fatum pertinaci ſuperbiâ tutus. *Ptolemæus* contrà *Perdiccæ* vim quàm potuit firmiter omnia in Ægypto communiverat. Ad ignobile juxta Peluſium caſtrum primus *Perdiccæ* impetus incaſſum inſumptus eſt: ex apertâ foſſâ *Nilus* exundans, caſtra *Perdiccam* cum damno cogit transferre. Aliud oppugnantem caſtellum *Ptolemæus* ipſe toto die fortiſſimè ſuſtinuit: dum tertius conatus eſt ad *Nilum* juxta *Memphim* trajiciendum, invenit *Perdiccas* inopinatum ſatum. Poſtquam peditum pars difficulter admodum transmeâſſet vadum, vix mento fluvium ſuperans (licet elephanti ſupernè *Nili* impetum frangerent, & inferiùs equites in flumine ſtarent ad excipiendos, ſi quos aquarum vis deferret.) ſtatim & ex improviſo vel *Nilus* augeſcit, vel ſabulum in vadi ſundo commotum ab elephantorum, equorum, & hominum pondere ſubſidit, & peditibus impermeabilem fluvium fecit. Hoc caſu qui primi tranſiverunt, neceſſariò redeunt, multique in aquis pereunt: integrum mille à crocodilis & aliis in *Nilo* belluis, ſpectantibus commilitonibus, devoratur. Magnus in caſtris contra *Perdiccam* fremitus oritur, quaſi ſuâ ſuperbiâ gratis in inutili bello milites perderet: murmura hæc creſcunt, dum audiunt *Ptolemæi* humanitatem amiciſſimè accipientis quotquot ſuorum in alteram ripam vivi delati eſſent, & juſta more Græcorum ſolenniter peragentis omnibus, quorum cadavera *Nilus* juxta ſua caſtra ejecerat. Inhumanum & infelicem *Perdiccam* omnes abominari, centum ex ducibus conſpirare, *Python* in tentorium irrumpens ipſum omneſque ejus amicos conquiſitos confodit.

Ptolemæus ad Macedonas adveniens omni cum honore acceptus eſt: lubenter omnes ipſi detuliſſent regum curam, & ſummam præfecturam militiæ: ſed vir prudens amplâ ſatis ſuâ in Ægypto ſorte contentus, effecit ut *Pythoni* iſtud onus & honor imponeretur.

Pythonem vexat Eurydice.

Eurydice, *Aridæi* Regis uxor, ex *Cynâ Alexandri* ſorore nata, & *Amynta Perdiccæ* majoris *Philippi* regis fratris, mulier irrequieti & ſuperbi ingenii, tot quotidie rixis & contumeliis *Pythonem* vexavit, ut is Curatoris ac Protectoris munus deponere ſibi commodum putaverit. Ambitioſa *Eurydice* nihil aliud exinde ſpirare, quàm totius imperii arbitrariam ſub mariti nomine adminiſtrationem; ſed hac ſpe citò decidit.

Et Eurydicen Antipater.

Antipater ab exercitu vocatus ad *Tutelam* Regum ſuſcipiendam, ſtatim *Eurydicen* ad muliebres curas à virilibus & publicis depulſam redegit. Novam Provinciarum diſtributionem pro ſuo placito fecit: *Pythoni* Mediam attribuit, *Antigono* præfecturam exercitus regii, bellum hinc contra *Eumenem* committens. Ipſe cum Regibus & *Eurydice* in Macedoniam profectus eſt.

Antigonus frangit Eumenem.

Antigonus impigrè contra *Eumenem* movit: *Alcetas*, *Perdiccæ* frater & *Attalus* levir, *Eumeni* invidentes imperium, copias ab eo ſuas ſeparant imprudentiſſimè: nam poſt debellatum *Eumenem* *Antigonus* parvo negotio eos confregit. Sed major in *Eumene* ſubigendo labor, cùm ad manus eſſet ventum, etſi Macedonici roboris flos cum *Antigono* ſtaret, *Eumenis* tamen virtus victura videbatur, niſi *Apollonides* ab *Antigono* corruptus cum ſuâ equitum ala pugnantem deſeruiſſet. *Eumenes* quidem *Apollonidem* transfugientem non ſivit evadere, ſed aſſecutus proditionem publico ſuſpendio remuneratus eſt: ipſe tamen hac proditione infirmatus ab *Antigono* victus eſt. Nihilominus poſt fugam ſtatim reverſus via devia eadem nocte loco pugnæ potitus cæſos ſuos contumulat: cumque potuiſſet *Antigoni* impedimenta capere, clanculum *Menandrum* monet ut ſe proriperet in tutum: nolunt enim nimiùs ſpoliis militum ſuorum reliquias in fuga prægravari. His artibus magnam etiam apud hoſtes victores laudem conſecutus eſt. Attamen conſpiciens minores ſuas vires quàm ut in acie contra *Antigonum* auderet conſiſtere, militem ſuum laudatum dimiſit: ipſe cum paucis ad *Noram* in Cappadocia caſtellum confugit, confidenter in Repub. poſt pauxillum temporis eos motus præſagiens, qui ipſi ad res novas viam eſſent aperturi, neque vanum hoc fuit viri prudentis augurium.

Antigonus arctâ *Eumenem* Noræ, integro anno obſidione cinxit; ſæpe tamen per colloquia & internuncios operam dedit ut ad ſuam eum amicitiam pelliceret: ſed tam fixâ fuit *Eumenes* in domum *Alexandri* fide, ut ſummis *Antigoni* pollicitationibus, in ſummo etiam ſuo periculo, non potuerit corrumpi.

Moriens Antipater Polyſperchonti tradit imperium.

Intereà moritur *Antipater* domi ſuæ octogenario major, commiſſa Regum & Græciæ gubernatione *Polyſperchonti*, ex ducibus *Alexandri* ſuperſtitibus veterrimo. *Caſſander* indignatus à patre prælatum ſibi *Polyſperchonta*, omnem movet lapidem ut hoc depulſo ipſe imperii habenas corriperet. *Alexander* etſi magnâ in matrem *Olympiadem* reverentiâ teneretur, cognito tamen illius truci & truculento ingenio, ad nullas unquam gubernationis publicæ partes eam voluit admittere. *Antipater* etiam moribundus

bundus *Polyſperchonti* in maudatis dederat, ne mulierem ullam ad Reip. negotia manus admovere pateretur. Nihilominus imprudens ſenex cum *Eurydicen* ſuis artibus Macedonum ab ipſo gratiam divertere ſentiret, ut huic mederetur malo, majus attraxit. *Olympiadem* ex Epiro quò ab *Antipatro* fuerat relegata, revocavit in Macedoniam. Huc ut venit immani ſuâ ſuperbiâ & crudelitate mulier omnia præcipitavit: hoc unum tantùm rectè, quòd *Enmenem* Norâ elapſum rebus Aſiaticis cum ſummo ſub Regibus imperio præfecerit.

Statim à morte *Antipatri Antigonus* regii exercitûs in Aſia Imperator ad *Alexandri* ſolium aſpiravit. Hic ut *Enmenem*, à cujus virtute ſupra omnia metuebat, amicum redderet, benignas ri pacis conditiones ſcripto obtulit. In iis hoc unum offendebat *Enmenem*, quòd multò arctius *Antigono* quàm Regibus obligari ſe videret. Qui obſidebant Noram erant Macedoues; dum abeſſet à caſtris *Antigonus*, *Eumenes* oblatis conditionibus ſubſcribit, articulo tantùm obligatorio paulùm immutato, bonâ Macedonum cum gratia: ita ut imperiis regum ante *Antigonum* & omnes alios parere teneretur.

Honeſto hoc aſtu liberatus à carcere & *Antigoni* technis, ſtatim magnam manum veteranorum colligit: adveniunt ad ipſum ab *Olympiade* & *Polyſperchonte* mandata, ut ſumeret de regiis exercitibns & pecunia quantum putaret neceſſarium ad ſupprimendam *Antigoni* tyrauuidem. Nnlla morâ in Ciliciam ad *Argyraſpides* primùm ſe confert, hi ægrè principiò ejus parent imperio: ſed tauta viri fuit humanitas, prudentia, induſtria, & fortitudo, ut mox amicè ſatis conſpiraverint.

Seleucus tum Babylloui & *Python* Mediæ præerant; uterque repudiavit *Eumenis* imperium ad ſumma ipſi anhelanres. *Python* unum aur alterum vicinorum Satraparum de medio ſuſtulerat, hinc cæteri omnes junctis copiis eum oppugnabant, omuibus impar cum *Seleuco* ſe jungit. *Eumenes* regias literas ſociatis iſtis tradens eos pellexit ad ſe, cæteros facilè, *Penceſten* Perſiæ Præfectum difficiliùs, quòd ille etiam aſpiraret ad imperium.

Intereà adeſt *Antigonus*, cum eo ſe jungunr *Python* & *Selencus*; ergo *Penceſtes* & ſocii alacres ſe *Eumenis* ductui ſnbjiciuut: magnis utrinque copiis concurritur ad Tigridis ripas. Eâ arte ac vigilantiâ orientalem ripam à foutibus ad mare *Eumenes* cuſtodit, ut rranſire aliquoties rentans *Antigonus* multa ſuorum cum cæde ſemper rejectus ſit. Dum protelatur bellum, nec, ob multa *Eumenis* ſtratagemata, quicquam profectûs faceret *Antigonus*, tandem in media hyeme nocturnis itineribus *Eumeni* ingruit. Dum iu longinquis hybernis proeul eſſent pleræque copiæ, trepidare *Peuceſtes* & cæteri omnes qui aderant: *Eumenes* bono jubet eſſe animo, impediturum enim ſe per tot dies hoſtium iter quot ad ſuorum reditum eſſent neceſſarii, quod & præſtitit; nam eâ nocte in verticibus montium qui *Antigoni* caſtra ſpectabant, frequentes ignes diſpoſuit, quos ſpectando perterritus *Antigonus*, quaſi cum omnibus copiis pararus iniſſet *Eumenes* ſuos in via feſſos invadere, celerrimè retroceſſit, & dum cunctatur, advocandi ſuas copias *Eumeni* ſat temporis præbuit.

Tandem tameu ad prælium deveuitur. *Agyraſpides* (quorum mnlti ſeptuagenarii & nemo ſexagenario minor) totam *Antigoni* Phalangem poſt multam cædem in fugam conjiciunt, *Peuceſtes* tamen cum ſuis equitibus recedens è prælio *Antigono* equeſtrem victoriam tradidit: hic occaſione uſus per alam equitum *Argyraſpidum* impedimenta obtinet, contra hoc incommodum nihil valuere omnes *Enmenis* artes. In poteſtatem *Antigoni* devenerunt *Argyraſpidum* uxores, liberi, & quam totâ viâ de victis gentibus ſpolia collegeruut, hæc omnia redditurum ſe ipſis intacta pollicetur *Antigonus*, modò unum *Enmenem* ſibi traderent in manus; hoc illi paciſcuntur, & viuctum tradunt. *Eumenes* quidem poſt aliquot dierum carcerem ab *Antigono*, multùm diſſuadente *Demetrio* filio, indignæ motti traditus eſt. Sed tauta ipſum contra proditores *Argyraſpidas* cepit indignatio, ut in Arachoſiam longinquaſque provincias *Syburtio* ducendos tradiderit, cum expreſſis maudatis; curaret ne eorum quiſquam patrios unquam lares aut Græcum mare vel è longiuquo conſpiceret. *Peuceſten* etiam Perſiæ præfectura dejectum in vita obſcura & ignobili perſeverare ad mortem coëgir, ac *Pythonem*, dum ſibi inſidiaretur, Mediâ ac vita ſpoliavit. Cùm veniſſet Babylonem, & amicè admodum à *Seleuco* haberetur, eum juſſit Provinciæ vectigalium ſibi rationem reddere. *Seleucus* nulla vrrborum lenocinia ſatisfacere *Antigono* videus, cum paucis equitibus præſentaneæ mortis metu ad *Ptolemæum* in Ægypmm fugit. *Antigonus* totius jam Aſiæ ſine adverſario Dominus, ad Macedoniam & Græciam Aſiæ adjiciendam animum appellit.

Omnia tum apud Macedonas peſſumibant, ob irreconciliabiles *Olympiadis* iu *Eurydicen* iras. *Caſſander* indiguatus à parre ſibi in Regum Ἐπιμέλεια *Polyſperchontem*, fugit in Aſiam, & ab *Antigono* claſſem cnm milite impetravir, quibus Macedoniæ & Græciæ imperium ad ſe attraheret. *Polyſperchon* ne civitates Græciæ, quarum ſinguli

Eumenem Argyraſpides tradunt.

Antigonus Eumenem, Argyraſpidas, Peuceſten & Pythonem perdit.

Polyſperchon in Græcia optimates crudelea.

lis *Antipater* optimates præfecerat. Diſſolutis Democratiis, ad *Caſſandri* partes deficerent, regio edicto Democratias ubique reſtauravit, & optimates ab *Antipatro*, *Alexandro* etiam & *Philippo* per totam Græciam conſtitotos disjecit, magnamque partem vel morte vel exilio mulctavit. Ut ſanguinarium hoc edictum exequeretur, *Arideum* eum exercitu per totam Græciam circumduxit. Cùm veniſſet in Atticam, populos Atheoienſis optimates omnes ſuos de imperio deturbavit. Horum primus *Phocion* vir omni laude cumulatus, *Philippo*, *Alexandro*, & *Antipatro* amiciſſimus, jam octogenarius, plus quàm quinquagies ſummo magiſtratu, ſine ullo unquam ſuo ambitu, & ſemper in magnum Reipob. commodum & honorem ſunctus; fugit à furore plebis ad *Polyſperchontem*. Is, ut Athenienſes ſibi devinciret, *Phocionem* in vinculis remittit in urbem. Ingrata & furioſa plebs publico ſuffragio præſtantiſſimum virum eicutam jubet bibere. Poſt cum vero diem nemo quiſquam Athenis, in ullâ facultate, vir inſignis exortus eſt.

Phocion clarorum Athenienſium poſtremus.

Contra *Polyſperchontis* vim Megalopolitani ſuam orbem communiverunt: hanc nullâ arte, nullâ viâ *Polyſperchon* valuit ſubigere; ſed ab obſidione poſt multam ſuorum cædem cogitur abſcedere, eò præcipitantiùs, quòd *Caſſander* cum valido ex Aſiâ exercitu multas Peloponneſi civitates ſibi adjungeret, imò verò deſpecto *Polyſperchonte* ut homine tardo, crudeli, & infelici, pleraque Græcia *Caſſandro* favere cœpiſſet.

Fractus Megalopolitanâ obſidione Polyſperchon.

Intereà *Olympias* ex Epiro in Macedoniam adventabat, *Eurydice* eum infeſto exercitu ei occurrit: ante pugnam Macedones ex *Philippi* & *Alexandri* memoriâ ad *Olympiadem* ab *Eurydice* tranſeont. *Olympias* ut Macedonas à ſe pendere videt, *Eurydicen* & *Arideum* correptos arctiſſimo carcere concludit. *Eurydice Caſſandro*, nimis quàm ſibi amico & familiari, tum temporis in Peloponoeſo occupatiſſimo ſcribit de ſuis anguſtiis, orans vellet quam primum ſibi in opem occurrere: ſed omoem *Caſſandri* feſtinationem *Olympiadis* furor prævenit. *Arideum* in carcere tormentis diu vexatum tandem à *Thrace* facit confodi, & mox *Eurydicen* coëgit ſuâ ſe zonâ ſuſpendere, ex primariis *Caſſandri* amicis centum eum fratre *Nicanore* tradidit neci; fratris *Iolla* quaſi venefici & *Alexandri* occiſoris tumulo violato, diſperſit oſſa. Immanis hæc mulieris crudelitas ab eâ Macedonum animos avertit, cum ergo acceſſiſſet *Caſſander* cum exercitu, *Pidna* ſe includere *Olympias* habuit neceſſe. Urbem arctâ cinxit obſidione *Caſſander*, & poſt aliquot menſes diriſſimâ fame ad deditionem compulit. Properabat *Polyſperchon* ex Græciâ, & *Pyrrhi* pater *Æacides* ex Epiro ad *Olympiadis* opem, ſed uterque abſque fructu. Plerique *Polyſperchontis* milites donis & promiſſis corrupti ad *Caſſandrum* transfugientes, *Polyſperchontem* retrocedere coëgerunt, & *Æacida* exercitus, commotâ ſeditione, non taotùm eum deſeruir, ſed domum rediens ejecit regno, ac *Neoptolemum* in ejus loco collocavit, ita omni ſpe ſuâ lapſa *Olympias* in *Caſſandri* manus venit. Hic publico Macedonnm decreto ipſam adjudicavit morti, ſed qui ad eam cædendam miſſi ſunt, mulieris majeſtatem teveriti, ſine illatâ noxâ redeunt; affioes ramen ab eâ cæſorum ſecundo *Caſſandri* juſſu necem perpetrant, quam illa magnificè, ut *Alexandri* matrem decebat, tulit.

Olympias Arideum & Eurydicen necat.

Et Olympiadem Caſſander.

Caſſander de *Olympiade* jam ſecutus *Roxanen* cum filio fidiſſimæ cuſtodiæ commiſit, & *Theſſalonicam Philippi* filiam ſibi oubere coëgit, totamque Macedoniam ac Græciam propemodom in pace poſſedit. Sed en novus ambitionis & avaritiæ turbo, omnes *Alexandri* duces inter ſe committit, & tandem pleroſque mutuo exitio involvit?

Etiam Roxanen cum filio:

Antigonus totâ jam Aſiâ ſine æmulo ſtruens *Ptolemæo* in Ægypto, *Lyſimacho* in Thraciâ, *Caſſandro* in Græciâ inſidias ſtruit: ne ſinguli carperentur, viri prudentes ſociatis conſiliis & viribus ſtatuunt præoccupare. Apertè per legatos ab *Antigono* poſtulant pattitionem theſaurorum *Alexandri*, & Provinciarum Aſiæ, reditumque *Seleuci* ad ſua. Ridet *Antigonus* legatos, & multâ verborum ſalſugioe aſperſos dimittit. Ab hac face belli flamma, *Ptolemæus* per totam Syriam ditionem ſuam extenderat, non magno cum labore: plerique enim ad eum populi penè ſponte defecerunt. Hieroſolymitani quidem intra ſua mœoia non receperunt, ſed obſervans *Ptolemæus* Sabbato à militaribus officiis Judæos vacare, eo die cum armis quaſi in alta pace urbem iogreditur & pro libitu omnia ſuſque deque vertit, ac centum millia civium ſecum in Ægyptum deducit, quos tamen ad amicorum potiùs quàm captivorum modum habens, iis plerorumque ſuorom in Ægypto & Cyrene munimentorum cuſtodiam tradit.

Conſpirant cæteri contra Antigonum.

Ptolemæi in Iudæos acta.

Antigono viſum eſt in Syriâ cum *Ptolemæo* bellum incipere, per filium *Demetrium* admodum quidem juvenem, ſed multis egregiis circumſeptom ducibus. Tam facile pleramque Syriam *Ptolemæo Demetrius* eripuit, quàm eam *Ptolemæus* acquiſiviſſet. Ut tamen Juvenis calori frigidam ſuffunderet *Ptolemæus*, unà cum *Seleuco* cum magnis copiis ad *Gazam* occorrit. Hic *Demetrius* juvenili fervore elatus, contra ducum ſuorum conſilium, pognare certum habens, magnâ ſtrage fractus eſt, & diffi-

Demetrii cum Ptolemæo bella.

culter ipſe elapſus. *Ptolemæus* victoriâ cum urbe Gazâ & aliis multis potitus, *Demetrio* cum verbis & amicis & generoſis omnes amicos totamque domeſticam ſupellectilem cum magnâ prædæ parte remiſit. *Demetrius* nihil animo fractus novas à patre copias impetrans, ad novam cum *Ptolemæi* ducibus ſe pugnam parat; ubi inſignem victoriam conſequutus, quod ante omnia deſiderabat, *Ptolemæo* rependit paria: ejus fratrem & amicorum multos captivos cum magnâ prædâ amicè remittens, totam penè Syriam *Ptolemæo* ereptam patrio adjecit imperio.

Seleucus Babylonem & ſuperas provincias occupat.

Intereà *Seleucus*, dum *Antigonus* & *Demetrius* toti occupantur contra *Ptolemæum*, cum parvâ admodum manu Babylonem elabitur: ſtatim populus majorem ejus quàm *Antigoni* humanitatem expertus, ſe ei adjungit. Paucæ in ſuperioribus provinciis *Antigono* tum copiæ; ergo *Seleucus* parvo negotio eas debellat, & Mediam Perſiamque Babyloniæ adjungit, adeſt tamen mox cum magno exercitu in Meſopotamiâ *Demetrius*, ſed cum pugnæ copiam non faceret *Seleucus*, ſine fructu ad patrem redire neceſſe habuit: illum enim *Ptolemæi*, *Caſſandri*, & *Lyſimachi* magnæ in Aſiâ copiæ moleſtabant. *Seleucus* ab *Antigono* & *Demetrio* ſecurus, ſuperiores omnes provincias uſque ad interiora Indiæ ſuo imperio adjecit, neque vaſtis illis regnis contentus, ad totam *Antigoni* ditionem occupandam animum appulit; quam & mox in hunc modum adeptus eſt.

Simulata pax deſinit in ferale bellum.

Quinque ſuperſtites *Alexandri* duces, *Ptolemæus*, *Antigonus*, *Lyſimachus*, *Caſſander*, & *Seleucus* cum mutuis ſe bellis ſine fructu vexaſſent, feſſi omnes pacem admittunt: hac lege, ut quæ occupaſſent ſinguli poſſiderent, liberæ eſſent Græcorum civitates, & *Alexandro Roxanes* ut primùm adulto deferretur ab omnibus imperium. Pax hæc procul abſuit ab omni ſinceritate, homines enim ambitioſi & avari, fœderibus & juramentis ut pueri aſtragulis ludebant. *Caſſander* per libertatem Græcorum, & *Alexandri* in throno paterno collocationem de ſe actum cernens, quam primùm adoleſcentem ſimul cum matre curat necari; Græcorum pleraſque civitates præſidiario ſuo milite frænat. *Polyſperchon* qui diu apud Ætolos latuerat, accepto Macedonas graviter *Alexandri* domûs ruinam ferre, *Barſinen* cum filio ſuo *Hercule* jam adulto ad ſe accerſit, & cum inſtructo exercitu verſus Macedoniam contra *Caſſandrum* tendit. *Caſſander* præſentiens Macedonum ad *Herculem* à ſe transfugia, convenit cum *Polyſperchonte* per clancularios nuncios de *Herculis* nece, quam & perpetrat proditor hypocrita, pactus ſibi pretium principatûs

Polyſperchon Barſinen cum filio necat.

Peloponneſi. Ita tota *Alexandri*, tota *Philippi* familia eradicata eſt.

Polyſperchon eradicatur.

Polyſperchon infamis ſenecio in tenebris poſteà vixit & mortuus eſt: ejus filius *Alexander* à *Sicyoniis* obtruncatus eſt. Uxor tamen *Alexandri Crateſipolis*, mulier prudens & fortis, vindicatâ mariti nece Corinthum, & Sicyonem ſub ſui militis jugo tenuit, ſed tandem & eas urbes cum cæterâ Peloponneſo ſanguinis *Herculei* pretio perdidit.

Antigonus ſpecie vindicandi liberorum *Alexandri* necem, & Græcos in libertatem aſſerendi, *Caſſandro* bellum movit, revera ut ſua latifundia dilataret: *Alexandri* enim ſobolis eradicatio nequaquam vel *Antigoni*, vel *Ptolemæi*, vel *Seleuci* ingratiis accidit: omnes enim iſti ab eo tempore tam quam *Caſſander* regalia diademata ſuis capitibus impoſuerunt. *Antigonus* etiam *Cleopatram*, *Alexandri* germanam, cum à *Ptolemæo* ad ſuas nuptias non poſſet pellicere, curavit ſtrangulandam.

Cleopatram necat Antigonus.

Demetrius ab Athenienſibus adoratur.

Demetrius à patre miſſus cum claſſe ad Græcos à *Caſſandri* jugo liberandos, primùm Athenas appulit: hic cum ex Piræeo & Munichiâ urbis arcibus *Caſſandri* præſidia ejeciſſet, populus Athenienſis in tam profundam adulationem ſe abjecit, ut non tantùm omnibus humanis, ſed & pleriſque Deorum etiam majorum gentium honoribus *Demetrium* & *Antigonum* cumulârunt, eò ſervilitatis primorum ex Græcis animi tum temporis collapſi erant, *Demetrius*, cum militiæ neceſſitates premebant, vir erat ſapientiâ, diligentiâ, fortitudine, nemini ſuo ſeculo ſecundus: ſed in pace ſemper in omnem luxuriam ſe diffundebat. Cùm menſibus aliquot Athenis perditiſſimis voluptatibus ſe ingurgitâſſet, novorum bellorum rumore excitatus, ex vitiorum ſuorum ſtratis ſtatim ſe emolitur.

Caſſander à *Demetrii* virtute ſibi metuens ad *Antigonum* miſerat oratum pacem: hanc ille concedebat nullâ aliâ lege, quàm ut *Caſſander* ſe ſuaque omnia ipſius permitteret arbitrio. *Caſſander* duriſſimo hoc reſponſo territus, tam efficaciter per epiſtolas & legatos agit ut *Ptolemæum*, *Lyſimachum*, & *Seleucum* in fœdus ſecum contra *Antigonum* pelliceret: *Antigonus* quaternionem hanc ſpernere, parantur utrinque toto biennio arma. *Seleucus* cum cæterorum copiis *Antigonum* petit: hic cum filio *Demetrio* non procul ab Epheſo ad Ipſon caſtra locat: exercitus propè æquales, utrobique paulò pauciores virorum fortium centum millibus, in ejus pugnæ aleâ jaciebatur Aſiæ imperium. *Demetrius* cum equitibus *Antiochum*, *Seleuci* filium, magno impetu invadens fudit fugavitque: ſed longè nimis victoriam perſequens apertam peditum ſuorum phalangem *Seleuco* reliquit, quam ille abſente *De-*

Seleucus

metrio

victum Antigonum necat.

metrio invadens fudit, & plenâ victoriâ confoſſo *Antigono* potitus eſt, unà cum totius Aſiæ Regno.

Demetrius ingratas Athenas caſtigat.

Demetrius enm paucis ad mare & inde Athenas veniens, ab inconſtanti & ingrato populo non eſt admiſſus; mox tamen vires recuperans obſedit urbem, & fame premens cum poſſet ulciſci, æquas pacis conditiones, præter eorum ſpem meritumque, conceſſit. Dein in Peloponneſi urbes movit, Lacedæmonii degeneri metu tum primùm ſuam urbem mœnibus cingunt.

Caſſander cum ſuis omnibus perit.

Dum in his eſt *Demetrius* moritur *Caſſander* ex phthiriaſi, *Philippo* natorum ejus maximo & ſucceſſore tabe mox conſumpto. *Antipater* & *Alexander* natu minores de Macedoniæ Regno inter ſe contenderunt. *Antipater* fit *Lyſimacho* gener, matremque *Theſſalonicen Alexandri Magni* ſororem crudeliter necat, quaſi fratris *Alexandri* quàm ſui ſtudioſiorem. Alexander *Demetrium* vocat in auxilium, Antipater *Lyſimachum*; ſed hoc fructu ut Demetrius *Alexandrum* & Lyſimachus *Antipatrum* necarent, diviſa inter ſe Macedoniâ & extirpatâ omni *Caſſandri* familiâ.

Demetrium debellat Pyrrhus.

- *Demetrius* tantæ vir induſtriæ fuit, ut parvo pòſt tempore centum millia peditum, decem equitum, cum quingentarum navium claſſe contraxerit: ſtatim *Seleucus*, *Ptolemæus*, & *Lyſimachus* valdè ſibi omnes metuere à *Demetrio*.

Æacides Epirotarum & Moloſſorum Rex *Olympiadis* ſobrinus, *Caſſandri* operâ regno ſuo ejectus fuerat, hujus filiam *Deidamiam Demetrius*, ut Macedonibus eſſet gratior, in uxorem duxit. Filius *Pyrrhus* in infantiâ ægrè admodum crudeles *Caſſandri* manus evaſit, in adoleſcentiâ armorum fecit rudimenta cum levito *Demetrio*, in pugna ad Ipſon, quâ *Antigonus* periit, fortiſſimam adoleſcens navavit operam, cùm inter *Ptolemæum* & *Demetrium* pax coaluiſſet, *Pyrrhus* inter alios à *Demetrio* miſſus eſt in Ægyptum pacis obſes, uſque adeo adoleſcentis mores & obſervantia placuerunt *Berenicæ*, *Ptolemæi* uxori, ut ejus filiam ex priori marito in uxorem, & copias ad paternum regnum recuperandum adeptus ſit. De regno Epiri non vi ſed amicè cum *Neoptolemo* tranſegit, & ab *Alexandro*, ut ei contra fratrem *Antipatrum* opem ferret, Macedoniæ multas urbes obtinuit: à *Demetrio* verò poſt cæſum *Alexandrum*, ne quid à tergo moveret, dum ipſe in Aſia occuparetur, dimidium Regni Macedonici. Sed cùm *Ptolemæus*, *Seleucus* & *Lyſimachus* eum in fœdus ſecum contra *Demetrium* pelleciſſent, fortiſſimus & prudentiſſimus vir tantâ vi tantaque arte *Demetrium* adhuc in Macedoniâ adortus eſt, ut formidabiles ipſius copias ſtatim ferè in nihilum redegerit, & totam Macedoniam occupaverit. Fractus à *Pyrrho Demetrius* cum copiarum reliquiis fugit in Aſiam, duxerat nuper *Seleucus* ejus filiam *Stratonicen*, hanc filius *Antiochus* dum ad extremum vitæ periculum deperiret, in uxorem impetravit à patre. Cogitabat *Demetrius* ad ſuperiores Aſiæ provincias nuper ſuas perrumpere ad reparandum exercitum, ſed à magnis *Lyſimachi* & *Seleuci* copiis impeditus, poſt multa fortiſſima facinora tandem in *Seleuci* manus incidit, & toto triennio in magnificâ quidem ſed firmâ tamen cuſtodiâ detentus eſt: ubi voluptatibus omnino ſe ingurgitans, ſuâ ſe tandem crapulâ luxuriâque obruit, vivente in Græciâ cum modico exercitu filio *Antigono*.

Demetrius moritur captivus.

Ptolemæus octogenario major Ægypti Regnum filio ſuo minori *Philadelpho* ex poſteriori uxore *Berenice* tradiderat, excluſo majori *Ceranno*, & duobus ante mortem annis ad modum Satrapæ ac ſatellitis magnâ cum voluptate filio Regi publicè inſervivit: & ex omnibus *Alexandri* ducibus, ſolus, in ſummâ pace ac honore expiravit, prout omnes humanitate & æquitate longè ſuperaverat.

Ptolemæus moritur filii ſatelles.

Lyſimachus vi & arte *Pyrrhum* ejecit Macedoniâ, magnoque inſtructo exercitu tranſiit in Aſiam, ut imperium *Seleuco* extorqueret. Didicerunt à Perſis Græci præter alia vitia Polygamiam, & inceſta matrimonia, quæ ipſorum non minùs quàm Perſarum imperium everterunt. *Lyſimachus* de *Amaſtri* ſuſtulerat *Agathoclem* fortiſſimum juvenem, quo duce multorum in Aſiâ præliorum victor evaſerat, *Amaſtri* ſuperinduxit *Arſinoën Ptolemæi Lagi* filiam: iſta novercali odio in *Agathoclem* commota, ſuis philtris *Lyſimachum* in innocentem filium eouſque exacerbavit, ut veneno permiſerit ab *Arſinoe* tolli: hæc flamma *Lyſimachi* totam domum in cineres redegit. Ex filiis quindecim, alius alio fato ante patrem occubuit: *Lyſandra Agathoclis* uxor cum ſuis fugit ad *Seleucum*, de ſocero parricidâ & ſorore veneficâ magnos inſtituens queſtus, audit patulis ſatis auribus *Seleucus*, parátque contra *Lyſimachum* copias, concurritur ſummâ utrinque vi, cadit in prælio *Lyſimachus* anno vitæ ſeptuageſimo quarto à gregario milite transfoſſus, nec niſi poſt aliquot dies cuſtodientis canis indicio inventus eſt ad ſepulturam.

Lyſimachus extirpatur.

Seleucus ex omnibus *Alexandri* ducibus ſolus ſuperſtes totâ Aſiâ contentus non fuit, ſed ipſe poſteriq; (Reges *Danielis* Septentrionis) perpetua bella cum *Ptolemæis* Regibus Auſtri geſſerunt; Judæis, qui in Syriâ inter utroſque tacebant medii, modò ab his, modò ab illis ſpeſſimè mulctatis. *Seleucus* quidem ſatis amicè Judæos habuit totâ ſuâ vitâ, & æqualia cum Græcis privilegia tribuit in

ſuis Antiochiis, Seleuciis, & Apameis, quarum multas conſtruxit. *Ptolemaum* etjam tam *Lagi* quàm *Philadelphum* amicos Iudæi experti ſunt; ſed ab eorum nepotibus, quo minùs omnino deglutirentur, nihil præter divinam omnipotentiam obſtitit.

Seleucus annis ſeptem ſeptuagenario major, Aſiâ pleráque *Antiocho* filio jam dudum traditâ, ut in patriâ Macedoniâ moreretur, & *Lyſimachi* ac Græciæ regna ſine æmulo occuparet, Helleſpontum trajicit. Habebat in comitatu *Ptolemaum Ceraunum*, ob truculentiam & temeritatem à fulmine cognominatum: fugerat hic à patre, quòd fratrem *Philadelphum* natu minorem in Regno ſibi majori prætuliſſet. Frater erat *Lyſandra* & *Arſinoës* uxorum *Lyſimachi* & *Agathoclis*, prædictum à vatibus *Seleuco* fuit moriturum ipſum ad *Argon*: Helleſponto tranſmiſſo altam in Europæo littore conſpicit aram, dum ab indigenis de eâ inquirit, accipit vocari *Argon*; hoc nomine perculſus interrogat ſolicitè de altaris auctoribus; in hæc ſcrutantem irruens à tergo *Ceraunus* transfodit, & pernici equo evadit Lyſimachiam. Ultimus hic fuit *Alexandri* ducum, largorum humani ſanguinis effuſorum; ſanguinariæ & violentæ cum cæteris fere omnibus morti occumbens. Qui poſt hos *Ptolemai* poſteri in Ægypto, *Antigoni* in Græciâ, *Seleuci* in Aſiâ regnârunt, multùm à patrum fortitudine degeneres à barbararum gentium irruptionibus ſua non valuerunt imperia defendere. Hinc factum ut partim mutuis, partim barbarorum vicinorum armis fracti, facilis omnes præda Romanis evaſerint.

Seleucum necat Ceraunus.

Pyrrhus à Tarentinis vocatur in Italiam.

Diximus quàm facile *Pyrrhus* Regnum Macedoniæ *Demetrio* extorſerit; quàm facilè etiam ex co per *Lyſimachum* ejectus ſit: dum levitate populi Macedoniâ lapſus in Epiro ſederet anxius, quid proximè negotii ſumeret in manus (vir enim ſpiritûs irrequietiſſimi fuit, qui ſemper nova coquebat conſilia, antequam præſentia perfeciſſet) ecce à Tarentinis legati qui invitarent in Italiam ad ſe Brutioſque & Lucanos contra Romanos protegendum. Ad eum diem Romani pedem extra Italiam non extulerant, omnia ipſorum bella cum finitimis tantùm geſta ſunt, externorum prima per *Pyrrhum* arma ſunt experti: quibus feliciter defuncti ad Siciliam, Sardiniam, Africamque, imò mox ad Hiſpanias & Aſiam, totumque adeo terrarum orbem oculos auſi ſunt attollere.

Omnes vicini principes ad inter eum inſtruunt.

Graviſſima *Pyrrho* fuit Tarentinorum legatio; inde enim vir maximi animi ſpem ſtatim concepit non tantum ſubigendæ Italiæ, ſed & propagandi tam latè per Occidentem Epirotarum Imperii fines, quàm conſanguineus *Alexander* in Oriente Macedonum dilataſſet dominia. Cognovit ſatis quantum arma ſua metum vicinis omnibus facerent, & quàm lubenter ab ipſorum finibus ſe remotum ſpectaturi eſſent: quò ergo maturius à periculoſa ſuâ vicinia liberarentur, poſtulavit & impetravit ab omnibus ampla in longinquum contra Romanos bellum ſubſidia.

Antiochus Soter homo ſocors.

Antiochus in Aſiâ poſt patris necem ſua omnia lentè & effœminatè adminiſtrabat. *Philaretus* Eunuchus *Lyſimachi* theſauros Pergami cuſtodiens, quâ arte, quâ vi, fundavit Regnum, quod ad fratrem *Eumenem*, & *Attalum*, alioſque poſteros per multos annos tranſmiſſum eſt. In Bithyniâ etiam novum Regnum, & aliud in Ponto ejus diebus erectum eſt; *Arſaces* quoque, ſecundum *Ammianum Marcellinum*, diuturnum & potens Parthorum imperium eo imperante inchoavit. Ab *Antiocho* petiit *Pyrrhus* contra Romanos pecuniam.

Antigonus Gonatas (ſic dictus à *Gonis* Theſſaliæ civitate, in quâ educatus erat) *Demetrii* filius humaniſſimus & felix Princeps, magnam Græciæ partem tum obtinebat; & poſteà etiam Macedoniam quam ad poſteros tranſmiſit, ab hoc *Pyrrhus* poſtulabat naves.

Ptolemaus Ceraunus Pyrrhum lubentiſſimè ablegat.

Sed præcipua ejus ſubſidia fuerunt à *Ptolemæo Ceranno*, qui ab ipſo maximè metuebat. Is poſtquam occidiſſet *Seleucum*, ſtatim Thraciam, Macedoniam & totam *Lyſimachi* ditionem occupavit; *Antiochus* non difficultet ei pacem conceſſit, licet nefarii ſui patris occiſori, variis in vaſto ſuo Aſiæ Regno bellis diſtractus. *Ptolemaus* frater cùm Ægypti Regno quietus frueretur, *Ceraunum* in Thraciâ non moleſtabat *Antigonum Gonatam* appetentem Macedoniam paternum Regnum (nam non tantum *Demetrii* ſed & *Philes Antipatri* filius fuit) prælio fregit, & ad pacem compulit. *Pyrrho* autem, ut amicum haberet, quinque millia peditum, & quatuor equitum, cum quadraginta elephantis, egregium ſubſidium ſubmiſit, traditâ etiam in uxorem filiâ. Diſcedens in Italiam *Pyrrhus* filium ſuum *Ptolemæum* annorum quindecim, Regnumque Epiri *Ceranno* jam ſocero ſuo commendavit, ſed *Cerauni* ſcelera non diu numen inulta dimiſit.

Ceraunus ſororem Arſinoem & duos Lyſimachi liberos nefariè perdit.

Ejus ſoror *Arſinoë Lyſimachi* uxor, duorum filiorum mater erat, *Ptolemai* annorum ſedecim, & *Alexandri* tredecim; cum his Caſſandriæ urbe munitiſſimâ à fratre ſibi cavens habitabat. *Ceraunus* maximum in *Arſinoën* ejuſque liberos amorem ſimulans, illam in uxorem, hos in tutelam ſibi tradi poſtulabat: utrumque diu abnuit *Arſinoë*, ſed tandem multis magniſque *Cerauni* dejerationibus victa ejus votis annuit. Ut primùm Caſſandriam intromiſſus eſt *Ceraunus*,

num, utrumque puerum in matris gremio confodit, eamque bonis omnibus ſpoliatam in exilium pepulit.

Capellus, vir aliàs naſutiſſimus, in geminum hic incidit errorem: pag. 470. *Lyſandram* facit *Lyſimachi* uxorem, quæ fuit *Agathoclis* ejus filii, & pag. 473. *Ceraunum* qui ſorori *Arſinoe* crudeliter illuſit, vult *Philadelphi* minorem fratrem ex matre *Berenice*, & à *Philadelpho* miſſum in Græciam, ut tutorem ageret filiorum *Lyſimachi*, qui tamen fuit major frater Rex Macedoniæ, *Seleuci* occiſor. Pro craſſis hiſce paroramatis citat *Capellus Iuſtinum* & *Pauſaniam*; *Pauſaniam* nondum inſpexi, ſed *Iuſtinus* apertè *Capello* contradicit, & pro communi noſtrâque ſtat ſententiâ.

Ceraunus & fratres à Gallis necantur.

Ceraunus tot ſceleribus coopertus non diu divinas manus effugit. Effuderant ſe ex Galliis centena aliquot fortiſſimorum juvenum millia; eorum pars in Italiam movens cepit Romam præter Capitolium: alii in Illyrium & inde in Macedoniam delati offerebant *Cerauno* pacem certo pretio, ipſe ſuperbè nimis Barbaros rejecit, & præceps ruit in prælium, ubi cæſis penè omnibus ſuis copiis, ipſius caput in haſtâ ad ludibrium à Gallis circumlatum eſt, & cum frater *Meleager* in Macedoniæ Regnum ſuccedens reparare conaretur exercitum, poſt paucos dies & ipſe cæſus eſt, totâque Macedonia miſerrimè à Gallis vaſtata. *Soſthenes* quidam vir privatus aliquoties Gallos ex Macedoniâ repulit; ſed & ipſe mox obrutus Macedonas ſub Gallorum pedibus reliquit, qui ex eâ ſervitute ægrè tandem hunc ad modum eruti ſunt.

Brennus & Galli perduntur ab Apolline.

Brennus cum centum quinquaginta millibus peditum & ſexaginta equitum ad *Apollinis* theſauros diripiendos profectus eſt, hic partim per fulmina, partim per terræ motus & locorum acceſſu difficilium cuſtodes pleriſque copiis conciſis, ſuorum vulnerum dolore vexatus ſuo ſe gladio cecîdit. Maximis hiſce Gallorum copiis perditis & aliâ eorum manu cum *Luthario* in Aſiam tranſmiſſâ, *Antigonus Gonatas* exteros parvo negotio ejecit Macedoniâ, & Regnum jam vacuum ſine æmulo occupavit.

Macedonia in Gonatæ manum cadit.

Pyrrhus penè obrutum mari.

Intereà *Pyrrhus* dura cum Romanis bella gerebat. Cùm ex Epiro Tarentum trajiceret, fœda tempeſtas claſſem valdè afflixit; ipſe in mare ſe conjiciens difficulter admodum in terram evaſit. Ut primum Tarentum venit, adeſt conſul *Levinus* ſtatim pugnaturus, antequam ad *Pyrrhum* auxiliares à Lucanis, Brutiis, & aliis copiæ aggregarentur. Magnanimus vir inſuetus detrectandi prælia, cum ſuis ſolis copiis, tardantibus & eventum pugnæ expectantibus ſociis, cum Romanis concurrit; acerrimè utrinque pugnatum eſt, neutri diu inclinante victoriâ; donec elephantes (qui tùm primùm in Italiam adducti ſunt) in primam Romanorum aciem immiſſi inſolitâ ſuâ ſpecie & maximâ vi, odoréque equis inſuetis intolerando, omnia protriverunt: hinc victoriâ *Pyrrhus* & Romanis caſtris potitus eſt. Admiratus verò cæſorum hoſtium vulnera omnia & caſum adverſa, mortuos honorificè ſepelivit, & captivos dimiſit liberos ſine pretio, legatoſque de benignâ admodum pace miſit ad Senatum, nihil aliud poſtulans quàm ut Tarentinos vivere permitterent in libertate & pace. Senatus pedibus abibat in *Pyrrhi* poſtulata, donec *Appius Claudius* cæcus, qui multis annis ex ſenio & infirmitate domi delituerat, in curiam adductus oratione prolixâ & vehementi pacem omnem cùm *Pyrrho*, quamdiu in Italiâ maneret armatus, diſſuaſiſſet. Pace ergo negatâ, *Pyrrhus* jam adductis plurimis ex Italia ſociis ad ſecundum prælium ſe comparavit: in hoc etiam victor, ſed tantâ ſuorum ſtrage, ut pronunciaverit tertiam victoriam res ſuas omnino peſſundaturam.

Romanos elephantorum ope profligat.

Nolunt Romani victi cum Pyrrho pacem.

Pyrrhus Carthaginenſes pellit ex Siciliâ.

Intereà aderant à Siculis oratores ſupplicantes contra Carthaginenſes opem. *Pyrrhus* occaſione lætus expediendi ſe honeſto prætextu ex Romano bello, relicto Tarenti præſidio tranſiit in Siciliam, ubi variis præliis Carthaginenſes fregit & inſulâ ejecit, ſed tantus ejus in Siculos faſtus & crudelitas evaſit, ut Syracuſæ, Agrigentum, & pleræque aliæ civitates contra eum inſurgerent; hac rebellione vexato adveniunt à Tarentinis & aliis Italis nuncii qui reditum in Italiam premerent, ut ſocios ab imminenti à Romanis clade eriperet. Cùm in Italiam veniſſet *Marcus Curius Dentatus* Conſul in tertiâ pugnâ eum fudit fugavitque.

Livii vanitas.

Titus Livius agitat eleganti problemate, quæ *Alexandri Magni* fortuna futura fuiſſet, ſi in Italiam vel ante vel poſt ſubjugatum Orientem vertiſſet arma, & nimiâ in patriam propenſione Romanis adulatus, determinat *Alexandrum* non minùs quàm *Pyrrhum* in Italiâ debellandum. *Rhalegus* ſat ſolidè *Livii* hîc vanitatem refellit, nam cum *Pyrrhus* & *Hannibal* Romanos poſteriori ſeculo multò quàm anteà ad arma paratiores, & variis ſubſidiis firmiores, tantum non perdiderint, quo pacto ſuſtinuiſſent impetum *Alexandri*, qui abſque controverſiâ tam *Hannibalem* quàm *Pyrrhum* cùm ſolertiâ tum fortitudine, tum fortunâ militari longè ſuperabat, ducebatque exercitum longè vel *Pyrrhi* vel *Hannibalis* copiis ſuperiorem? Sed quam in *Livio* taxat *Rhalegus* adulationem, ipſe ſe in longè majorem præcipitat. Quis enim ferat infrunitam viri vanitatem in re militari ſuos Anglos anteferentis utriſque ſeu Romanis, ſeu

A Rhalego major vanitas refutatur.

Macedonibns? An quia Angli Gallos aliquot præliis ſregerunt iis temporibns, cùm civiles diſcordiæ Galliæ Regnum perdebant, & cnm magna Galliæ pars per Regis Navarræ & Ducis Burgundiæ ſactiones ab Anglis ſtabat? Ergone *Alexandri Magni* Macedonicæ Phalangi, & *Iulii Cæſaris* legionibus Romanis præferendi ſunt Angli? Hæc ſi *Rhalegi* teneat argumentatio, quo loco habendi ſunt Galli qui mox Anglos, regnante *Carolo Septimo* toties profligârunt & totâ Galliâ exegerunt? Et quo Scoti qui *Vallâ, Bruſſio,* & aliis ducibns toties Anglos, Romanis, nt volunt, & Macedonibus adeoque cunctis mortalibus ſuperiores, ſnperârunt? Sed vaniſſimæ ſunt hæ gentium comparationes, qui *Alexandri* diebus fuerunt totins terræ fortiſſimi, poſt ſeculi dimidium à quibuſvis invadentibus, Athenienſibus, Thracibus, Epirotis, Gallis, & aliis parvo negotio victi fuerunt: & à multis jam ſeculis neque Græci neque Romani cum quovis vicinorum de ſortitudinis prærogativâ ullam litem moverunt. Tam facilè à patrum laudibus qnælibet poſteritas degenerat, nt omnis unius gentis ſupra aliam ſuperba de quavis virtute jactantia viros graves dedeceat, & comprimenda videatur. Sed pergamns in hiſtoriâ.

Macedoniâ potitus Pyrrhus totius Græciæ & Aſiæ imperia ſpirat.

Ut primùm *Pyrrhus* cum devictis copiis in Epirum rediit, ſtatim ad Macedoniam invadendam animum applicat. Invenit in hoc cœpto ſucceſſum ſupra ſpem, *Antigonum Gonatam* levi admodum brachio toto Regno depulit, inde ad totam Græciam & Aſiam ſubjugandam ſpem efferre, ſed mox ſatnm vaſtæ iſti ambitioni fibulam impoſuit. Dum inter ſe Spartæ Regibus *Areo* & *Cleonymo* malè conveniret, & *Areus* in Cretâ cnm exercitn abeſſet, *Cleonymus Pyrrhum* advocat ad occupandam nrbem, eò is advolat cum viginti quinque millibus peditum, duobns equitnm, & viginti quatuor elephantis, apparatu ſatis amplo ſe duce ad totam Græciam, pront tum erant tempora, ſubjugandam.

Senes & mulieres eum Spartâ depellunt.

Sed ecce ut Spartam venit in juventutis ad Cretam abſentiâ, mnlieres cum ſenibus & paucis juniorum ſtrenuè adeò apertam nrbem contra omnem *Pyrrhi* impetum tutati ſunt, nt eum multâ ſuorum ſtrage neceſſe habuerit diſcedere.

Argis miſerè perit.

Inde abiens vocatus eſt Argos, urbe in factiones ſciſſa; eò acceſſit noctu cnm omnibus copiis, ab amicis aperitur porta, immittit eqnitum & peditum quot putat ſatis ad urbem perdomandam. Elephantes non capiebat porta, niſi tnrribus de dorſo depoſitis, dum deponuntur & iterum imponuntnr cum aliquo tumultu elephantibns turres, excitantnr urbani; clamatur ad arma. *Pyrrhi* milites locorum ignari in tenebris ab urbanis undiqne preſſi à Rege revocantur ad portam; ſed cadente in portâ elephante, tanta oritur confuſio ut neque progredi neque regredi potuerint. Ipſe *Pyrrhus* in foro fortiſſimè dimicans, dum ex civibus qnendam conaretur obtruncare, ejus mater anus paupercula de tecto ædificii magnam tegulam projecit, quæ *Pyrrhi* galeæ illiſa, colli vertebras fregit. Ex boc lethali vulnere lapſo in terram gregarius miles caput amputavit.

Gonatæ proſperitas.

Quod cum *Alcyoneus* ad *Antigoni Gonatæ* patris pedes abjeciſſet, modeſtus Rex filio reprehenſo caput ſuâ cauſâ texit, & cum corpore honorificè ſepeliendum in Epirum miſit, recuperatâ ſtatim Macedoniæ & pleræque Græciæ ſine impedimento poſſeſſione. Vixit hic poſt *Pyrrhi* mortem in pace ad annum octogeſimum, regnique ſui in Græciâ quadrageſimnm quartum, & in Macedoniâ triceſimum quartum, ſuccedente in dominia filio *Demetrio.*

Philadelphi in fratres odium & ſororem libido.

Intereà *Ptolemæus Philadelphus* in Ægypto florebat in pace, cognomen accepit vel κατ' ἀντίφρασιν vel κατ' ἐξοχὴν quod ἀδελφὰς nimio odio, vel ἀδελφὴν nimio amore proſequeretur. Ab eo fratres *Ceraunus*, *Meleager*, & *Alexander* metuentes fugerunt in Macedoniam, nbi omnes ad thronum evecti in paucis menſibus à Gallis necati ſunt. Alios etiam duos fratres qui in Ægypto remanſerunt comprehenſos occidit. Sed ſororem *Arſinoën Lyſimachi* primùm & poſteà *Cerauni* conjugem duxit in uxorem, & ſupra omnes mortales dilexit, de eâ ſuſtulit ſucceſſorem *Ptolemæum Euergeten*, mortuæ ex geminis ſimulacbrum finxit, & templum ad cnltum extruxit.

Literatorum adulatorum amicus.

Poëta *Lycophron* adulatoriè morum *Philadelphi* ſuavitatem prædicare cupiens, nomen per Anagrammatiſmum reſolvit in ἀπὸ μέλιτος, & *Arſinoen* in ἴον ἥρας *violam Iunonis*: magna eqnidem *Philadelphi* humanitas & virtus à viris doctis celebratur; certè librorum & literatorum ſummè amans fnit, & inſignem Alexandriæ Bibliotbecam extruxit, in quâ ſeptingenties mille codices manuſcriptos *Aventinus* perhibet.

Demetrius Phalereus Bibliothecæ magiſter.

Demetrius Phalereus, qui diu ſub *Caſſandro* Athenienſem Rempub. ſobriè & prudenter adminiſtravit, cùm Græcas Oligarchias *Demetrius* diſſolveret, ſugit ad *Ptolemæum Lagi*, & cum eo in magno honore ac familiaritate vixit. Dum ei communicâſſet *Ptolemæus* ſuum conſilium de præferendo minori filio *Philadelpho* majori *Ceranno*, magnopere Regem *Phalereus* diſſuaſit ab injuſto conanime: quapropter ſecundum *Diogenem Laertium* à *Philadelpho* ut primùm ad tbronum acceſſit, carceri mancipatus eſt, in quo aſpidis morſu interiit; ſed ſecundum alios tanto apud filium quàm patrem

honore

honore ad mortem uſque viguit: eique bibliothecæ præfectura commiſſa eſt.

Bibliorum verſio Græca à 70. interpretibus.

Phalerei ſuaſu ad *Eleazarum* Judæorum Pontificem *Philadelphus* ſcripſit, ut libros divinos ad ſuam bibliothecam adornandam mitteret, unaque interpretes qui Hebræa in Græcum transferrent: quóque alacriùs à Judæis beneficium hoc impetraret, centum viginti millia captivorum in Ægypto Judæorum quadringentia talentis redemit, & aurea vaſa multa, inprimis menſam maximi pretii miſit ad templum; maximi inquam pretii, non tantùm ob pondus quinquaginta talentorum auri, ſed inprimis ob inſigne artificium, & ingentem numerum infixarum gemmarum uſque ad quinquies mille.

Miſit Pontifex legem in membranis puriſſimis, aureis literis exaratam, unà cum ſeptuaginta duobus, ex unaquâque duodecim tribuum ſenis, linguæ ſanctæ & Græcæ callentibus; hos magno honore *Ptolemaus* accepit, & interpretandorum ſacrorum codicum curam iis demandavit. Hi diebus ſeptuaginta duobus omnes tranſtulerunt, & verſionem, quæ ſeptuaginta Interpretum numero rotundo dicitur, abſolutam in bibliothecâ reponendam regi tradiderunt, acceptiſque viritim tribus talentis cum aliis donis Hieroſolymam reverſi ſunt.

De ea verſione multa fabula.

Iſta *Ariſteas Ptolemei* ad *Eleazarum* legatus fusè in ſuo ſcripto, & ex eo *Ioſephus* quæ veteres Eccleſiæ Patres non tantùm acceperunt, ſed plura de ſuo addiderunt. *Iuſtinus Martyr* unicuique ſeptuaginta Interpretum ſuam ſeorſim ab aliis vult aſſignatam cellam, in qua ad finem operis ſinguli permanſerint: & diebus ſeptuaginta duobus abſoluto ab omnibus opere, coram Rege multiſque Judæis ac Græcis publicè prælecto à ſingulis ſuo labore, maximo miraculo; nullâ voce, nullâ ſyllabâ, nullâ literâ diſcrepantia fuit inter 101 à ſe invicem ſeparatos interpretes, qui nullâ inter ſe mutuò operarum collatione ſunt uſi.

Hieronymus cellularum commentum ridet, ut & miraculum tam exacti 72. Interpretum ſine ullâ inter ſe communicatione conſenſûs: hujuſce fabellæ nullum habet neque *Ariſteas* neque *Ioſephus* verbum: imò verò iſti duo teſtantur contrarium, nimirum ſingulis diebus poſt ſalutatum Regem in unum atrium LXX. Interpretes conveniſſe, ubi conjunctis ſtudiis ad horam tertiam pomeridianam (ipſis diei nonam) perſeverârunt.

Ludovicus Vives & *Leo Caſtrius Ariſtei* librum ut ſuppoſititium rejiciunt; ſed *Bellarminus*, *Poſſevinus*, & alii ut genuinum venditant; & *Ioannes Donnus* ut talem Anglicè transfert. *Scaliger* etiam poſt *Laërtium* omnem *Demetrii Phalerei Philadelpho* in Bibliothecâ operam putas fictitiam. Profectò uſque adeo magnifica Regis dona, & tanta in Deum pietas, quam *Ioſephus* ex *Ariſtao* refert, credibilia vix videntur. De re ipsâ tranſlationis 72 Interpretum non ambigo; ſed multas de circumſtantiis traditiones, quas *Auguſtinus* & alii Patres humanâ ſat amplâ fide amplexi ſunt, impetrate à me non poſſum ut credam; ſed hac de re pluta fortaſſis in quæſtionibus.

Certum eſt ad *Ptolemaum* ex Græcia & aliunde magnam Poëtarum, Philoſophorum, & in quacunque facultate eruditorum catervam confluxiſſe, cum quibus ad multam ſæpe noctem familiaria valdè de literarum apicibus colloquia conferebat: ſed, ut notat *Plutarchus*, nemo omnium de veris viri vitiis audebat mutire. Nam cùm *Sotades* Poëta verſiculum contra ejus Inceſtum cum *Arſinoe* effutiviſſet, *mapparlar* carcere & crudeli per præcipitationem in mare fato ſtatim luit.

De ejus opibus & potentiâ nimis magnifica.

Nimis etiam videntur magnifica, quæ non tantum *Theocritus* in Idylliis de ejus potentiâ canit, tricies ter mille trecentas triginta novem civitates ejus ſubjiciens imperio: ſed etiam quæ narrat *Hieronymus* de ejus militiâ & opibus: ducenties mille pedites, vicies mille equites, bis mille quingentas naves, elephantos quadringentos, currus falcatos bis mille attribuens, & præter ingentem theſaurum, ordinarii reditûs quatuordecim millia & octingenta talenta; etiam quadragies quinquies centena millia modiorum frumenti.

Ut cum Antiocho Θεῷ pacem haberet, ei filiam Berenicen φερνοφόρον dedit.

In ultimis ſuis annis difficile *Philadelphus* bellum cum *Antiocho Theo* geſſit. Solenne ſemper fuit Regibus Ægypti & Babylonis de Syriâ belligerare, poſt necatum à *Cerauno Seleucum* ejus filius *Antiochus Soter* (ſic dictus quòd devictis per elephantos Gallis Aſiam à Gallorum ſervitute ſervâſſet) *Ptolemaum* non moleſtavit, multis domi bellis preſſus: ſed eo poſt novemdecim annorum imperium mortuo, filius ex novercâ *Stratonice*, *Antiochus Θεὸς*, ſic à Mileſiis primùm dictus, quod *Timarchum* eorum tyrannum ſubegiſſet, frequentia in *Ptolemaum* bella movit, donec tandem utroque delaſſato hoc pacto pax coiit: *Ptolemaus* filiam *Berenicen Antiocho Theo* in uxorem cum ingenti dote, ob quam φερνοφόρ@ dicta fuit; in uxorem tradidit: ex hoc matrimonio, ut prædixit *Daniel*, novæ tragœdiæ & lubrica funeſtiora.

Habebat *Antiochus* adhuc in vivis uxorem *Laodicen*, ex quâ duos filios ſuſtulerat *Seleucum Gallinicum* & *Antiochum Hieracem*: Hæc (ut venit nova nupta *Berenice*) contemptui & concubinæ tantùm loco eſt habita, hinc illa magnam irarum molem coquens,

coquens, ut primùm filius ſuus *Callinicus* adolevit, maritum *Theon* veneno extinxit, & *Berenicen* cum filiolo & Ægyptiis comitibus crudeliter necavit : ob hæc facinora, quaſi præclaras de hoſtibus victorias *Callinici* cognomen filio impoſuit.

Laodice necat Berenicen.

Expiraverat *Philadelphus* poſt quadraginta annorum Regnum, ſed filius *Euergetes* acceptâ atroci ſororis nece, cum exercitu in Aſiam merito furore accenſus advolavit. Pleræque Aſiæ civitates ſe ei contra *Callinicum* parricidam aſſociant. Ingenti pugnâ *Callinicum* vincit, *Laodicen* ejus matrem comprehenſam extremo afficit ſupplicio. Ex Aſiæ ſpoliis quadraginta millia talentorum, & pleraque Deorum ſimulachra, inprimis ea quæ *Cambyſes* ex Ægypto in Perſiam detulerat, in Ægyptum reportavit : ob quæ beneficia *Εὐεργέτου* cognomen adeptus eſt, etſi alii malint ſic dictum à trecentis talentis, & aliis multis donis, quibus Rhodios terræ motu tantum non perditos, ad recuperandam priſtinam fortunam regia liberalitate adjuvit.

Ptolemæus Euergetes necat Laodicen & Aſiam ſpoliat.

Euergeten in Ægypto ſeditiones ab Aſiæ poſſeſſione revocant : in via Hieroſolymis Deo Iſraëlis ob ſuam victoriam ſacrificia & dona magni pretii offert, nihilominus in ſubjectionis ſignum, à ſummo Pontifice tum ſummo magiſtratu, viginti talenta annui reditus exigit.

Callinicus in *Ptolemæi* abſentia rebelles ſuos ſubditos ulturus magnam claſſem comparat ; hanc tempeſtas penè totam ſubmergit, ægrè Rex ipſe cum paucis *Neptuni* faucibus eripitur : ſubditi conſpicantes ſat magnas à Rege Deos de ſuis ſceleribus pœnas exegiſſe, deponunt iras & in gratiam redeunt. *Ptolemæus* in Aſiam rediens *Callinicum* ſecundò debellat : advocar is in ſuam opem fratrem *Antiochum Hieracem* ſic dictum, quòd, licet admodum adoleſcens, inſtar accipitris pararet in fratrem *Callinicum* irruere, & ei totum ſuum Regnum eripere. Cum *Ptolemæus* animadverteret fratres contra ſe conjunctos, *Callinico* pacem in decennium dedit : *Callinicus* obſervatis interea *Hieracis* inſidiis contra eum arma movit : *Hierax* Gallos ſibi adjungit, horum virtute *Callinicum* prælio vincit. Galli putantes *Callinicum* cæſum *Hieracem* apprehendunt, ut utroque fratre, & in iis tota regia ſtirpe exciſis ipſis imperitarent Aſiæ. Sed *Callinico* apparente & exercitum reſtaurante, *Hierax* à Gallorum captivitate multo auro ſe redemit, & metu fratris ad *Ptolemæum* fugit in Ægyptum ; ubi ab eo conjectus in carcerem poſt novem annorum captivitatem elapſus, à latronibus confoſſus eſt.

Euergeta cum Callinico pax.

Hierax à fratre Callinico debellatur.

Callinicus toties terrâ marique fractus imperii majeſtatem amiſit. *Eumenes* Pergami Rex Aſiam occidentalem ad Taurum uſque penè totam occupavit. *Arſaces* Parthus orientalis Aſiæ multas provincias Parthiæ Regno adjunxit.

Si *Trogo Iuſtini* credimus, Parthi Scytharum erant exules inter Hyrcaniam & Mediam conſidentes, nullius omninò nominis tempore vel Perſarum vel Macedonum, ante *Seleuci Callinici* dies aut ſaltem ejus avi *Antiochi Soteris* : quando multis firmiter unitis provinciis *Arſaces* magnâ prudentiâ ſimul & fortitudine Parthiæ Regnum conſtituit. *Callinicus* ad eum ſubigendum Parthiam verſus exercitum duxit, ſed prælio commiſſo *Callinicus* victus & captus eſt, ab *Arſace* tamen humaniter habitus & liber dimiſſus : domum rediens equo lapſus eſt & extinctus infelicis Regni anno decimo nono, relictis filiis duobus *Seleuco* & *Antiocho*.

Callinicus à Parthis captus perit.

Seleucus juvenis acer ſed imprudens magno impetu, à quo *Ceravni* cognomentum adeptus eſt, movet contra *Attalum* Pergamenum, qui magnam Aſiæ partem poſt *Eumenem* poſſidebat, ſed dum Taurum tranſiret, ab *Apaturio* & *Nicanore* ſuis ducibus necatur, hos *Ceravni* conſanguineus *Achæus* ſtatim ultus eſt, & in itinere contra *Attalum* perrexit. Tanta hujus fuit prudentia & fortitudo, ut mox *Attalum* intra Pergami mœnia concluderet. cumque ab exercitu Aſiæ diadema ſibi afferretur, illud reſpuit, & *Antiochum* adoleſcentem (cognomine pòſt *Magnum*) *Ceravni* fratrem ex ſuperioribus provinciis ad thronum paternum advocavit.

Ejus filius Seleucus à ſuis obtruncatur.

Achæus Antiochum puerum accerſit ad ſolium.

In Ægypto *Euergetes* à filio *Ptolemæo Philopatore* unà cum uxore & alio filio veneno tollitur. *Philopator* per infandas proximorum cædes aſcendens in thronum, Regnum per annos ſeptemdecim praviſſimè adminiſtravit : nam ſe ipſum voluptatibus immergens in *Soſibium* & *Agathoclem* Reipub. totum onus devolvit : Iu ſi per *Antiochum* licuiſſet, multùm ab omni bello abhorrebant, ſed *Antiochi* ambitio ipſorum quietem interpellavit.

Ptolemæus Philopator tollit patrem.

Antiochus Achæi operâ anno ætatis decimoquinto ad Regnum evectus, in eo annis quadraginta quinque continuavit. Cum *Seleucus Ceraunus* moveret in *Attalum* reliquit *Hermiam* hominem pravum, cæteri regni adminiſtratorem : hic in *Antiochi* adoleſcentiâ omnia pro ſuâ libidine gerebat. *Achæus* occidentalis Aſiæ Regnum quod initio reſpuerat, *Ptolemæi* poſteà ſuaſu amplexus eſt : *Theodorus* Bactrianorum, ſicut *Arſaces* Parthorum ſe Reges conſtituerant : ſed quæ aulam maximè perturbabat, rebellio *Molonis* erat.

Molo Mediæ Satrapa, animadverſâ regis adoleſcentiâ, & conſiliariorum ejus pravitate,

Molo rebellat.

tate, juncto ſecum fratre Præfecto Perſidis diadema induit, & Babyloniam vicinaſque varias provincias ſuæ ditioni adjunxit. Conſiliorum *Antiochi* arbiter *Hermias* parvi animi homo, ſuæ metuens cuti à *Molonis* difficili bello, totis viribus incubuit in aliud ſecurius contra *Ptolemæum* hominem effœminatum. *Epigenes* verò homo non minùs fortis quàm prudens, Principis præſentiam maximi momenti cognoſcens contra ſubditos rebelles, nixus eſt *Antiochi* prima auſpicia contra *Molonem* facere: ſed *Hermias*

Hermias tollit Epigenem.

Regis pueri conſilia ad ſuum arbitrium circumagitans *Epigenem* ob libera monita ſubornatis calumniatoribus, curavit confodiendum; ſuppoſititias mortui ad *Molonem* de proditione literas Regi oſtendens. *Epigene* ſublato Regem contra *Ptolemæum* ducit *Hermias*: cum ad anguſtias in Syriæ aditu inter Libanum & Antilibanum ventum eſſet, arcem utramque in iis faucibus *Theodotus* Ætolus tenens, Regem cum ſuo exercitu facilè excludit. Dum aliquot

Molo Zinetam debellat.

menſes hic deſidet *Antiochus*, *Zinetas* quem contra *Molonem* *Hermiæ* ſuaſu miſerat, in Meſopotamia profligatus interiit. Conſederat ad Tigris ripas, hinc *Zinetas*, illinc *Molo* magnis utrinque copiis: *Zinetas* noctu magnam ſuorum partem fluvium trajecit. *Molo* metum ſimulans relictis caſtris vini & cibariorum plenis verſus Mediam quaſi fugiens properare fingit. *Zinetas* ſuos jubet in *Molonis* caſtris unum diem convivari craſtinâ perſequuturos fugientes: ſed eâ nocte ad ſua caſtra reverſus *Molo*, *Zinetam* cum ſemiſepultis in crapula copiis occidione occidit: multi in Tigrim ſe præcipitantes aquis hauſti ſunt, totuſque adeoque exercitus periit. Calamitatis famâ ad *Antiochum* ante Syriæ fauces ſedentem advolante, ipſo *Hermiâ* conſentiente, cùm apertæ loci ultrà non poſſet repugnare, in Meſopotamiam movent confeſtim caſtra. Ab *Antiocho* ſimul & *Molone* feſtinatur uter prior in Mediam evaderet: in via concurrunt exercitus, plerique *Molonis* milites ad Regem transfugiunt, *Molo* fraterque ut tormenta

Molonis exercitus transfugit ad Antiochum. Excoriatus Molo crucifigitur.

evaderent, inferunt ſibi manus, *Molonis* excoriatum corpus in altiſſimo Mediæ monte cruci ſuffigitur. Hinc victor exercitus contra *Ariobarzanem* Atropatiorum Regem procedit, ille ſe *Antiocho* ſubmittere, inde in Parthiam proceditur, Parthi prælium declinare, cum eorum Rege tamen, ut & cum Bactrianorum *Antiochus* amicitiam contrahere, acceptâ pecuniâ & elephantis: idem præſtare cum *Sophagaceno* Indo *Sandracotti* ſucceſſore, multorum regnorum, non tamen (ut puto) ſexcentorum Domino.

Antiochus Hermiam perdit.

In via *Antiochus* ab *Apollonio* Medico *Hermiæ* pravitatem, ſuperbiam, & in omnes invidiam edoctus, magno omnium cum gaudio eum ſatellitibus confodiendum tradidit. Redeunti domum adſunt à *Theodoto* Ætolo literæ offerentes, quam ipſe ſub *Ptolemæo* gubernabat Syriam: effœminatis enim *Philopatoris* motibus offenſus, & aulicorum ejus in cujuſcunque vitam inſidiis territus, defectionem ab eo *Theodotus* decrevit. Invitatus ſtatim adeſt *Antiochus*, pleramque Syriam à tradente *Theodoto* accipiens, tantamque in hac expeditione facilitatem inveniens, ut ad totam occupandam Ægyptum animos attolleret.

Syriam Antiocho Theodotus tradit.

Ptolemæus legatos de pace miſit ad *Antiochum*: interim tamen *Soſibius* ac *Agathocles* magnas mercenariorum ex Græcis, Gallis, & Thracibus manus clanculum contrahunt: *Antiochus* etiam omnia parat ad vernum iter, & hyemem uterque tranſigit in ſimulatis de pace colloquiis. *Antiochus* effœminatos Ægyptios ſpe ſuâ jam devoraverat, ſed ecce primo vere *Ptolemæum* ex luſtris emolitum cum ſeptuaginta quatuor millium virorum fortium exercitu in Syria quærentem *Antiochum*, is non recuſare prælium. Ante pugnam dum uterque Rex ad Rhaphiam ſua haberet caſtra, *Theodotus* Phalangis *Antiochi* ductor maximæ facinus audaciæ aggreditur, & tantum non perficit. Cognitam habebat *Ptolemæi* aulam, & totam vivendi rationem: ante diluculum cum duobus ſolis comitibus intrat Ægyptiaca caſtra, ad Regis tentorium evadit incognitus, Regis Archiatrum obtruncat, alioſque duos in tentorio cubantes vulnerat, Rege eâ nocte extra tentorium dormiente, ad ſuos ſalvus rediit. Cùm ad manus ventum eſſet, concurritur magnis utrinque animis & viribus: *Arſinoe*, *Ptolemæi* ſoror & uxor turmas circumequitat, animoſque oratione ſua & precibus Ægyptiis addit. Victus *Antiochus* fugit Antiochiam, petiitque à *Ptolemæo* pacem, quam facilè impetravit ab homine læto inexpectatâ victoriâ, & totis animis ad priora luſtra & popinas reſpectante.

Audax facinus Theodoti.

Antiochum vincit Ptolemæus.

Recuperavit quidem *Ptolemæus* hac victoriâ totam Syriam adeoque Judæam, ſed quod habet *Chriſtianus Matthias*, *Ptolemæum* Hieroſolymas veniſſe, & intrare cupientem Sancta Sanctorum, à ſummo Pontifice prohibitum, multa Judæorum millia Alexandriam in vinculis duxiſſe, & quingentis elephantis vino thure immiſto inebriatis, conculcandos objeciſſe, malè ficta eſt à *Matthia* fabula; ſicut aliàs ſæpè ſuâ inadvertentiâ multa in hiſtoria depravat. Narrat quidem *Ioſephus*, *Ptolemæum Philometorem* non *Philopatorem* Judæorum Alexandrinorum aliquot millia elephantis objeciſſe, & cùm magno miraculo beſtiæ in eos non poſſent irritari, admiratum Regem Judæis

Matthiæ & Uſheri fabula.

pepercíſſe; ſed de *Philopatore* hiſtoria *Matthiæ* eſt commentum. Verum eſt *Uſherium* etiam eam fabulam multùm auctam ſuo Chronico infarcire, ſed confitetur ex Apocrypho ipſis etiam Pontificiis libro tertio Maccabæorum deductam, addendo *Philoſtorgum* librum iſtum portentoſum vocâſſe, utpote fabulis portentoſis refertum.

Mortui Philopatoris gnathones, Alexandrini excarnificant.

Philopator à bellis liber totum ſe in luxum effudit. Uxorem inceſtam *Arſinoen* trucidavit, gubernationem Regni *Agathocleæ* ſcorto, ejuſque fratri *Agathocli*, eorumque matri *Euanthæ* tradidit. Per voluptates tandem viribus exhauſtis expiravit, Regni decimo ſeptimo, relicto filio quinquenni ex *Arſinoe Ptolemæo Epiphane*. Non priùs expiravit *Philopator* quam Alexandrina plebs contra aulicos ſeditione commotâ, *Agathoclem*, ſororemque & matrem in ſtrata protractos, & omni ludibrio expoſitos variis cruciatibus excarnificatos necaverint.

Achæum à Cretenſi proditum Antiochus occidit.

Antiochus contra *Achæum* conſobrinum diadema nolentem deponere movet arma, parvo labore junctis cum Attalo copiis *Achæum* provinciis & civitatibus ſpoliat, & *Sardium* arce clauſum obſidet, dum loci firmitate floccifacit *Achæus* obſidentes, ab amicis perditur. Cum *Bolide* Cretenſi ex obſidentium ducibus uno viarum arcis gnato, magnâ pecuniâ repræſentatâ & majori promiſsâ, *Ptolemæus* & alii *Achæo* amici tranſigunt, ut ex arce noctu *Achæum* deduceret ultra *Antiochi* caſtra. Dat *Bolis* firmam fidem, ſed ut Cretenſem agnoſcas, *Antiocho* revelat arcanum; & ob majus pretium Cretenſi fide *Achæum* ſecundum pacta conventa ducens ex arce, *Antiocho* tradit in manus; à quo *Achæus* crudeliter & ignominioſè tortus exanimatus eſt.

Auditâ *Philopatoris*, morte *Antiochus* iterum ad Ægypti Regnum aſpiravit, ex *Ptolemæi Epiphanis* infantiâ magnâ ejus occupandi ſpe impletus: quòque faciliùs cupitis potiretur, cum *Philippo* Macedone de dividendis inter ſe *Ptolemæi* regnis fœdus iniit.

Ptolemæus Philadelphus ut primum Romanorum nomen orbi cœpit innoteſcere, *Pyrrho* per ipſorum arma Italiâ ejecto, miſsâ Romam ſplendidâ legatione amicitiæ fœdus cum populo Romano pepigit: eam amicitiam *Euergetes* coluit, & *Philopator* moribundus ab *Antiocho* metuens populum Romanum ſuo filio Regniſque tutorem conſtituit. Promptiſſimè eam tutelam Romani ſuſceperunt: non tam *Ptolemæi* & Ægyptiorum ſtudio, quàm prævidentes maximam inde ſuo Imperio dilatando occaſionem adminiſtratum iri.

Antiochus Syriam eripit Scopæ.

Antiochus primùm in Syriam movit, ei ex Ægypto occurrit *Scopas* Ætolus magno cum exercitu; *Scopam Antiochus* debellans iterum in Syriæ poſſeſſionem devenit, & dum ultra in Ægyptum duceret, occurrunt legati Romanorum, jubentes abſtinere ab Ægypto, quæ ſub ipſorum eſſet tutelá: repugnare non auſus *Antiochus* retroceſſit in Syriam. Reliquerat *Scopas* in Hieroſolymorum arce præſidium; hoc in *Antiochi* gratiam Judæi ejecerunt; ob id officium fit *Antiochus* Judæis amiciſſimus, & multis templum donariis ornat.

Romani jubent Antiochum abſtinere Ægypto.

Antiochus Judæis amicus.

Poſterorum Pyrrhi exitus.

Succeſſorum *Alexandri* potentia & gloria jam vergebat in occaſum, & Romanorum oriebatur: poſt *Pyrrhum* & *Carthaginenſes*, res ipſis fuit cum *Philippo Macedone*, quamdiu hic ſtetit agebant modeſtè ſatis cum *Antiocho*. *Antigonus Gonatas* poſt multorum annorum Regnum ſucceſſorem reliquit filium *Demetrium*: cum *Alexander*, *Pyrrhi* filius transfugio militum *Antigonum* ſpoliâſſet Macedoniâ, *Demetrius* admodum adoleſcens *Alexandrum* non tantùm Macedoniâ, ſed etiam Epiro ejecit. Verùm adultior nihil pro fortitudinis in adoleſcentia fama geſſit, uxorem habuit *Antiochi Hieracis* filiam: *Alexander Pyrrhi* ſororem ſuam *Olympiadem* uxorem duxerat. De inceſto hoc matrimonio nati filii duo, & variæ filiæ. Mortuo *Alexandro Olympias* bello preſſa ab Ætolis, ſuppetias à *Demetrio* Macedone petiit, tradita ei in uxorem ſua filia *Pythia*: ſecundæ hæ nuptiæ uxorem *Demetrii* priorem eo uſque offenderunt, ut ad patrem *Antiochum* queribunda fugeret: paulò pòſt uterque *Alexandri* filius tabe, eorumque mater *Olympias* dolore, imò cætera omnis *Pyrrhi* poſteritas perierunt.

Antigonus Doſon Philippo tutor.

Demetrius etiam poſt annorum duodecim regnum expiravit, relicto filio admodum puero *Philippo*, eique in tutorem fratre *Antigono*, cui cognomentum *Doſon*, quòd donorum in præſenti parcus, promiſſorum in futurum largus eſſet. Vir hic fortis ſimul & prudens rem Macedonicam bellè adminiſtravit. Cùm tutoris nomen in regnum vellet commutare, populus ſeditionem movit, ſtatim ille diadema & omne gubernamen in populi manus depoſuit, ſuadens ea quibus luberet ſe volentiſſimo tradere: hac tempeſtivâ ſubmiſſione eouſque tumultuantem populum demulſit, ut ſeditionis auctores necaverint, eique plenam ad ſuum placitum Regni adminiſtrationem redderet. *Dardanos* Thraciæ populum *Hæmi* accolam, frequenter in Macedoniam irrumpentes repreſſit, Theſſalos, Græcoſque deficere parantes ſuorum armorum metu cohibuit.

Græcorum infirmitas mera.

Sed maxima & glorioſiſſima ejus expeditio contra Lacedæmonios fuit. Poſt *Alexandri* tempora Græcorum omne robur in minutulas portiones diviſum contemnebatur, erectis propè in ſingulis provin-

ciis

cliis & civitatibus vel Rerumpub. vel Tyrannidum Dynaſtiis. Ætolorum montana colentium, robuſta virorum rapacium ſocietas, vicinis omnibus ſæpe moleſta longo tempore viguit. In Peloponneſo Achæi multis urbibus, *Arati Sicyonii* prudenti induſtriâ & *Philopœmenis* magnâ fortitudine in Rempub. conjunctis aliquandiu floruere: Lacedæmonii & Athenienſes ex priſcâ gloriâ adhuc ſuperbi, nullis ſe ſponte vel ſubjicere vel ſociare volebant: licet Athenienſes eò infirmitatis deveniſſent, ut ſupra tres naves eaſque apertas non poſſiderent, nec ſua extra muros contra quoſcunque vel piratas in mari, vel latrones in terra tutari valerent: Lacedæmonii autem, priſcâ *Lycurgi* diſciplinâ omnino oblivioni traditâ non numerarent ſupra cives ſeptingentos, quorum ſoli centum poſſidebant agros, cæteri pauperes à ditioribus oppreſſi generoſos majorum ſpiritus depoſuerunt.

Agis & Cleomenes perditam Spartæ virtutem reſtituere conati.

Rex *Agis* fortiſſimus adoleſcens ad priſcam virtutem & gloriam aſpirans, diſciplinam antiquam pro viribus nitebatur revocare, ſed Rex alter *Leonidas* in aula *Antiochi* Aſiaticis moribus imbutus pro præſenti luxu ſtabat. *Agis Lycurgi* legem renovavit de agris æqualiter inter omnes cives dividundis, & remittendis debitis. Diviſio agrorum & remiſſio debitorum multitudini civium, qui nullos habebant agros & minimum æris, gratiſſima fuit, ſed ditioribus ingratiſſima. Cum his ſe jungit *Leonidas* contra *Agidis* novationes, fortior *Agidis* factio *Leonidam* pellit in exilium, ejuſque loco *Cleombrotum* Regem creat: *Agidis* conſiliarii in ære alieno profundi debitorum tabulas quamprimùm reſcindendas curant, ſed multorum latifundiorum domini agrorum diviſionem procraſtinabant: hinc populus alienos agros poſſidendi ſpe lapſus iterum tumultuatur, & revocato *Leonidâ Agidem* ac *Cleombrotum* carceri includunt. Truditur *Cleombrotus* in exilium: *Agis* unà cum matre & aviâ lectiſſimis fœminis in carcere ab *Ephoris* ſtrangulantur. *Leonidas Agidis* uxorem filio ſuo *Cleomeni* cogit nubere, adoleſcens ingentis animi ardenti uxoris amore captus, per eam in prioris mariti *Agidis* Reipub. reformandæ ſtudia pertrahitur. Mortuo patre expeditione unâ aut alterâ *Cleomenes* in ſolio confirmatus *Ephoros* contrucidat, debitorum tabulas reſcindit, agros æqualiter dividit, *Lycurgi* ſtatutis vitam reddit, millibus aliquot virorum fortium ex vicinia electis jus civitatis donat, exercitum benè magnum format ad priſcam diſciplinam, Achæos toties magnis præliis vincit, ut ipſi ad *Antigonum* Macedonem fugerint. Sæpè victor *Cleomenes*, eum Achæis ſeriò egit ut vellent vivere in pace, nihil aliud à victis exigens quàm ut more majorum Lacedæmoniis militiæ Græcæ principatum concederent. Et verò ſi Achæi in æquiſſimam illam & Græco nomini honorificentiſſimam conditionem conſenſiſſent, in proximo *Cleomenes* fuit, ut collapſam omnino Græcorum cùm famam tum virtutem redintegraret, ſed praviſſima *Arati* ambitio, nimiaque apud Achæos auctoritas pro juſto *Cleomenis* principatu ſervile Macedonum jugum attraxit. In communi Achæorum Concilio perſuaſit *Aratus*, ut *Antigonus* vocaretur in opem contra *Cleomenem*, traditâ in ejus manus (magno fidei pignore) *Acrocorintho*, verâ totius Peloponneſi arce; vocatus adeſt ex Macedonia *Antigonus* cum ingenti exercitu.

Arati ambitio Macedoni Peloponneſum tradit.

Cleomenes poſt cruentam pugnam multitudine hoſtium oppreſſus, paratis ante navibus fugit in Ægyptum, ubi amicè acceptus eſt à *Ptolemæo Evergete*, qui pollicebatur tam terreſtres quàm navales copias quibus reduceretur in regnum: ſed veniente ad thronum *Philopatore* effœminato Principe, iſtæ ſpes *Cleomeni* decollârunt. Cùm urgeret redeundi in patriam poteſtatem vel cum ſua ſola familia, ne id impetrare potuit. *Soſibius* aulæ *Philopatoris* gubernator, animadverſo acri *Cleomenis* ingenio, metuebat ne ſi regnum ſuum recuperaret *Cleomenes*, probè conſcius infirmitatis Ægyptiorum, arma contra *Ptolemæum* verteret; itaque dimittere non auſus conjicit in carcerem. Vir magnanimus nihil ultra gratiæ expectans, ne in carceris pedore conſeneſceret, cuſtodibus vino ſopitis cum ſuis erupit in Alexandriæ ſtrata, invitans plebem ad libertatem: ſed cùm nemo hortantem audiret, neque etiam quiſquam auderet invadere, ipſe ſociique ſibi manus intulerunt. *Cleomenis* cadaver *Ptolemæus* affixit cruci; uxore, matre, liberiſque crudeliter necatis.

Miſere Cleomenes perit.

Antigonus mortalium primus qui cum armis victricibus Spartam intravit, civibus penè omnibus in prælio cæſis; qui ſupererant paucos in priſtina libertate vivere permiſit. In paucis admodum diebus cruenta Illyriorum in Macedoniam irruptio *Antigonum* revocavit domum, adeo ut ſi *Cleomenes* vel unum triduum prælium diſtuliſſet, vel tamdiu cum reliquiis exercitus in Laconia delituiſſet, ſalvum eſſe potuiſſet Lacedæmonium regnum, ſed in omnibus humanis prædominatur numen.

Magna Doſontis fortuna.

Antigonus Illyrios magno prælio debellavit, ſed dum in pugna nimia vocis contentione milites hortatur, ruptâ venâ ea ſanguinis copia ebulliit, ut paucis poſteà diebus expiraverit, ſine liberis relicto Regno, ad quem unum ſpectabat, *Philippo Demetrii*.

Illyrium, hodie *Dalmatia*, veteris Slavoniæ pars,

Romani contra Il-

lyrios movent.

pars, Regnum erat inter Italiam & Græciam mari Hadriatico objacens : conducente *Demetrio* Macedone Rex Illyriorum *Agron* magnam manum in Ætoliam immiſit : hic Ætolis ex inopinato ſuperveniens, poſt magnam ſtragem & ingentem prædam remeavit domum ; mortuo *Agrone*, ejus vidua *Teuta* dulcedine prædæ ineſcata, tam terreſtres quàm maritimas copias emiſit, quæ obvios quoſque ſine diſcrimine ſpoliarent. Cùm de Reginæ injuriis multi Romanorum ſubditi & ſocii querimoniam ad ſenatum deferrent, mittuntur in Illyrium qui cum Regina expoſtularent, & damna reſarcienda poſtularent. Illa publicam ſe pacem obſervaturam pollicetur, ſed non eſſe Regum ait privatorum injurias præſtare. Legatorum unus *T. Coruncanus* Romanorum ait morem eſſe Reges cogere, ut pravos mores emendent, & à privatis commiſſa publicè corrigant; hæc *παῤῥησία* altè adeo ſuperbæ mulieris pectus fodicavit, ut *Coruncanum* in finibus Illyrii necandum curaverit; atrox hæc injuria Romanos primùm extra Italiam in Illyrium attraxit.

Miſerat *Teuta Demetrium Pharium* (Pharo inſulâ Corcyræ vicinâ oriundum) cum claſſe ad capiendam Corcyram : mittunt Ætoli & Achæi urbi ſuppetias ; utrorumque claſſem *Demetrius* debellans Corcyram capit, Dyrrachium obſidet; adeſt Romana claſſis.

Regina Teuta à Demetrio Phario proditur.

Demetrius accepto iratam in ſe Reginam, Romanis ſe aſſociat ; facilè vincitur Regina, pacem tamen à Romanis impetrat, ſed conditionibus duris ; ut ſcilicet à mari omnino abſtineret, nec ullam navem tectam poſſideret, anguſtos valde Regni limites haberet, abſque Romani Senatûs conſenſu nullis moveret bellum; cum nemine fœdus pangeret. Iſta Romani per legatos Achæorum & Ætolorum conciliis ſignificârunt, addentes magnam belli ſui eum *Teuta* cauſam fuiſſe, ut Græcos ab Illyriorum injuriis protegerent, certò ſperantes advocatum iri ſe in Græciam contra Macedonas, qui multas liberas urbes durâ ſuâ tyrannide opprimebant. Sed nullum hac de re verbum à Græcis audientes legati redeunt. Aſt quod in præſenti maturum non fuit poſt paucos annos Romanis in ſinum illapſum eſt, cùm ab ipſis Græcis ſolicitè accerſita eorum ſunt in Græciam arma.

Ætoli Achæos vexant.

Ætoli gens quietis neſcia vicinos omnes vexabat, inprimis Achæos; propè ſingulis annis cum valido exercitu ſinum Corinthiacum trajicientes in Peloponneſum. *Aratus* penè perpetuus Achæorum Prætor vir multò prudentior quàm fortior, malè aliquoties ab Ætolo milite mulctatus, ad conſuetum aſylum Macedoniæ Regem confugit. Hic Ætolos facile repellit, ſed cum ad eum veniſſet *Demetrius Pharius* (quem Romani primò pleræque Illyridi Regem in proditæ *Teuta* mercedem conſtituerant, & poſteà novæ contra ſe proditionis compertum de eo Regno deturbârant) ut hic ad *Philippum* venit, adulatoriâ quâ pollebat arte juveni ſe inſinuans, debellandorum Romanorum, adeoque totius Occidentis ſubjugandi, vaniſſimâ ſpe implevit.

Philippus à Phario contra Romanos incitatur.

Philippus quidem in juventute magnarum virtutum famâ florebat, ſed eam famam poſteà decoxit, moribus ſubrectis erumpentibus in lucem. Amicorum primario *Arato* Sicyonio venenum propinavit, Junioris *Arati* uxorem in Macedoniam abduxit, marito etiam per venenum mente depulſo : Achæos ad alendum ſuum militem multâ ſæpe pecuniâ emunxit, cum *Hannibale* in Italia triumphante arctum fœdus pepigit. Sed fruſtra fuere omnes *Philippi* conatus, nam varii in Græcia motus eum ab Italia diverterunt. Carthaginenſes ab *Hannone* invidiâ in *Barchinorum* familiam æſtuante, repleti metu ne *Hannibal Philippo* conjunctus Carthaginis libertatem opprimeret poſt devictos Romanos, neque *Hannibali* neque *Philippo* promiſſas ſuppetias ſubmiſerunt, quo factum ut uterque à Romanis ſubigeretur, & Carthagini Romanum jugum impoſitum ſit.

Ætoli, cùm adhuc in Italia eſſet *Hannibal*, mediocres à Romanis copias contra *Philippum* obtinuerunt ; ſed tam Ætolos quàm Romanos iis cladibus *Philippus* affecit, ut libenter utrique pacem ab eo acceperint, licet pax hæc diuturna non fuerit.

Ætoli & Athenienſes advocant Romanos contra Philippum.

Acarnania à Macedonibus pendebat, Acarnanum duo juvenes Athenis ſacris *Eleuſiniis* ſe immiſcuerunt, *Cereris* myſteriis non initiati ex mera imprudentia ; ob innocentem hunc errorem adoleſcens uterque datus eſt neci. Acarnanes ut ſuos ulciſcerentur, Atticam ferro flammâque vaſtant : Athenienſes eò tum infirmitatis devenerant ut non valerent ne cum Acarnanibus belligerare, tantum in promptu vetus inſtrumentum lingua ipſis remanebat. Magno clamore contra *Philippum* Acarnaniæ patronum, *Ptolemæum*, *Ætolos*, *Romanos*, & alios in ſuam opem advocârunt. *Philippus* à genero *Pruſiâ* Bithyniæ Rege invitatus in Aſiam, urbem Cium ob ſitum & opes *Pruſiæ* percommodum obſedit. Rhodii copiis maritimis tum erant potentes, hi unà cum *Attalo* Pergami Rege cum *Philippo* enixè egerunt, ut à Cio vellet abſtinere, cum in ipſum ea urbs nihil deliquiſſet. Rhodiorum legatis pollicetur *Philippus* in ipſorum gratiam relicturum ſe urbem in pace : nihilominus pro viribus eam oppugnat, & expugnans plurimos occidit, ac ſuperſtites vendidit. Sic deluſi Rhodii

Philippus in Rhodios injurius.

impla-

implacabile contra Macedonas odium conceperunt, ipſi ergo *Attalus* & Athenienſes Romam miſère, qui Senatui ſœdus ſecum contra Macedonas ſuaderent. Populus Romanus Carthaginienſi bello exhauſtus à novo cum Græcis multùm abhorrebat, Senatus tamen, ad Aſiæ jam Imperium devicto *Hannibale*, aſpirans, variis artibus in bellum contra *Philippum* populum pertraxit, Ætolos non niſi cum labore in ſuam ſocietatem pellexit. Utcunque tandem ob

Flaminius victo Philippo Græcis aſtutè benignus.

meros prætextus ruptâ pace, *T. Flaminius* Conſul *Philippum* ingenti prælio fregit: petenti Senatus conceſſit novam pacem, quâ totâ Græciâ & Thraciâ ſpoliatus intra anguſtos Macedoniæ limites regnare permiſſus eſt. Græcis omnibus plena libertas data, magnam mulctam in belli impenſas *Philippus* juſſus eſt ſolvere, dimidium in præſentiâ, reliquum variis penſionibus aliquot annis ſequentibus; naves omnes tectas & elephantos tradere, filiumque *Demetrium* mittere Romam obſidem.

Benignitas hæc Romanorum & in *Philippum* & in Græcos à prudentiâ fluxit; prævidebant ingens bellum ab *Antiocho*, cupiebant ergò cum victo *Philippo* pacem, ne ad *Antiochum* fugere cogeretur. Græcos etiam contra *Antiochum* firmiùs ſibi devinciebant, libertatis ad inſaniam ab ipſis deſideratæ beneficio, quam per multa in urbibus & arcibus præſidia *Philippus* opprimebat.

Ætoli Antiochum concitant contra Romanos.

Malè pax hæc unos Ætolos habebat: expectabant illi à Romanis in ſocietatis ſuæ præmium multas Græcorum urbes & ipſam *Philippi* Macedoniam: dolebant etjam rapaces ſuas manus Romanâ pace vinctas, ut pro more non ultra liceret vicinos depopulari. Cauſas iſtas iterum intra pectorum ſuorum clauſtra continebant, id verò quod apertè in Romanis accuſabant erat *Flaminii* in Lacedæmonem injuſtitia. In cæteræ totius Græciæ libertate Lacedæmon permanebat ſub miſerrimo ſæviſſimi tyranni *Nabidis* jugo. Obſedit Spartam *Flaminius* cum quinquaginta millium exercitu, ne tamen ſucceſſor ab urbe ſibi præriperet pacatæ Græciæ encomia, Achæis non invitis, *Nabidi* pacem dedit; quaſi is non potuiſſet perdi abſque Lacedæmonis cui dominabatur ruinâ. *Flaminius* devicto Macedone ſplendidiſſimum, quem ad eum diem viderat Roma, triumphum egit, & ad aſtra Græcorum laudibus ſublatus eſt, ut pleniſſimæ ipſorum libertatis princeps inſtrumentum: deduxit enim ex Græciâ domum totum exercitum, nullibi relicto vel uno præſidio.

Romanis injuriâ Sparta.

Ætoli qui Romanos in Græciam contra vicinos adduxerant, omnem movent lapidem, ut *Antiochum* & omnes Græcos contra Romanos concitarent, ubique prædicantes Romanorum de *Philippo* victoriam ſuâ inprimis virtute partam. Achæi Ætolis aures firmiter claudebant, neque *Philippus* in eorum voluit ſocietatem trahi: *Nabis Lacon* impatiens otii facile ſibi paſſus eſt perſuaderi, ſed hunc *Philopœmenes* magna clade affecit.

Philopœmenis virtus.

Achæi Reſpublica erant celebris prudentiâ, opibus & milite mercenario: ſed ante *Philopœmenem* domeſtica eorum arma parvi pendebantur, levia enim & parva erant peditum ſcuta, equites ſagittis ac fundis quaſi velites pugnabant. *Philopœmenes* verò ut Præturam adeptus eſt, ipſis perſuaſit gravem armaturam ſumere, & militarem diſciplinam tam diligenter exercere, ut brevi tempore collegerit ex civibus exercitum, qui Lacedæmonios & *Nabidem* ingenti prælio fudit, ac Romanis legionibus par, omnibuſque tum temporis Græcis virtute ſuperior haberetur.

Antiochus Romanos in ſe attrahit.

Præcipua Ætolorum cura & ſpes fuit *Antiochus*: prævidebat ille victo & triumphato à Romanis *Philippo* proximas ſuas vices, & tamen vir imprudens in maſſam quam vidit ſe dedit præcipitem. In ſuam à Romanis ſecuritatem totius jam Græciæ etiam abſque milite dominis, Aſiæ minoris ad Helleſpontum urbes voluit communire: ex iis *Attalus* Pergami Rex & Rhodii quot poterant ab *Antiocho* avertebant, inprimis Lampſacum & Smyrnam. Hi ad Senatum Romanum legatos miſerunt contra *Antiochi* tyrannidem opem implorantes. Intereà *Antiochus* in Thraciam trajecerat, multaſque urbes in ſuam redegerat poteſtatem, inprimis Lyſimachiam, quam magnâ impenſâ validè communiverat. Romani miſſis ad *Antiochum* legatis poſtulavere, ut ab Europâ abſtineret, & Græcas in Aſiâ civitates liberas permitteret: dum de duris hiſce Romanorum poſtulatis *Antiochus* deliberat, venit ad eum *Hannibal* Carthagine fugitivus.

Hannibal fugit ad Antiochum.

Abſoluto bello Punico ſecundo *Hannibal* Rempub. Carthaginenſem, Senatûs ipſe princeps regebat in pace. Multa in magiſtratibus & ærario peccata ſuâ prudentiâ emendabat: ſed magnis in patriam meritis multorum contra ſe invidiam concitavit, qui privatis nunciis Romæ viro obtrectabant, quaſi alterum bellum meditaretur. *P. Scipio* in Senatu *Hannibalem* contra calumniatores defendebat, impedire tamen non potuit quin legati mitterentur Carthaginem in *Hannibalis* actiones inquiſituri: vir ſagax periculum præſentiens in Aſiam ad *Antiochum* properâ ſe fugâ proripuit. Ab eo primùm ſummo cum honore acceptus eſt, & cum Ætoli perſuaſiſſent *Antiocho* cum Romanis bellum gerere, totis viribus

incubuit *Hannibal*, nt Italia belli ſedes ſtatueretnr, affirmans non aliis quàm Italorum armis Romanos poſſe ſubjugari. Petebat ſibi dari decem tantùm peditum millia & mille equites, cum pancis navibus, ſpopondit excitaturum ſe in viſceribus Italiæ non minùs terribile quàm priùs bellum. Verùm *Antiochus* vel invidiâ, ne tota belli gloria *Hannibali* non ſibi accederet; vel fraude Romanorum apud ſe legatorum, qui frequentia valdè eum *Hannibale* colloquia familiaria hoc ipſo fine inſtituebant, nt ſuſpectnm *Antiocho* redderent, omne *Hannibalis* conſilinm neglexit. Ab Ætolis in Græciam attractus eſt, quò pauci milites, paucæ naves eum comitatæ ſunt: magnis tamen verbis pollicebatur, ut alternm *Xerxem* impleturum ſe Græciam ſuo milite, & mare ſuis claſſibus obvelaturum: Ætoli etiam minabantur adſututos ſe mox ad ripas Tiberis obſeſſuros Romam: ſed ſeſquipedalia illa verba neque Achæos neque *Philippum* à Romanis avertebant.

Antiochus Hannibalem imprudenter temnit.

Ut eum exercitu in Græciam venit Conſul *Acilius Glabrio*, *Antiochus* & Ætoli trepidare, Græci Romanis ſe jungere, *Antiochus* in Thermopylarum anguſtiis caſtra communire, hæc in loco munitiſſimo poſita fruſtra oppngnare Conſul, donec *M. Porcius Cato* Proconſul per ignotos calles ſummo labore & induſtriâ manipulos aliquot ad *Antiochi* tergnm addnxiſſet: hoc animadverſo *Antiochus* in fugam præcipitem ſe effudit, neqne ante quievit quàm veniſſet Epheſum; hìc magnum inſtrnxit exercitum ſeptuaginta millinm peditum, duodecim equitnm, cum multis Indicis elephantis ac falcatis curribus: Nihilominus homo parvi animi à Romanis pacem enixè ſupplicabat.

Romani Antiochum Græciâ facile pellunt.

L. Scipioni Conſuli non ſorte, ſed à Senatu deſignata eſt Aſia in Provinciam, cum *P. Scipio Africanus* ſe fratri in Aſiam comitem & Legatum obtuliſſet. Ab *Antiochi* de pace Legatis *Scipio* poſtulavit quindecim talentorum millia, & Aſiam cis Taurum. Cùm iſta viderentur *Antiocho* intoleranda, convenerunt juxta Magneſiam exercitus. Aberat in Syriâ *Hannibal*, à Tyriis aliiſque Phœnicibus claſſem comparans: aberat etjam *Africanus* morbo præpeditus. *Antiochus Lucii* Conſulis numerum duplo ſuperabat, ſed cùm ad manus ventum eſſet, Aſiatici milites Romanorum vim non ſuſtinentes, ſtatim verterunt terga. Cæſa ſunt *Antiocho* ad quinquaginta peditnm millia, quatuor equitum, Romanis intra quadringentos. Victus *Antiochus Africani* arbitrio ſe ſubmiſit, nihil ille ad priores conditiones addidit. Splendidior erat *Scipionis Aſiatici* triumphus quam alius ante ſe cujuſquam, pluresque ex ejus victoriâ in ærarium illati theſauri, quàm ad eum diem Roma vidiſſet. Poſtularunt ab *Antiocho* Romani *Hannibalem* ſibi dederet, ſed præviſo ſuo periculo vir prudens fugit, primò in Cretam, poſteà ad *Pruſiam* Bithynium. Cùm eò etiam ipſum Romani perſequerentur, pertæſus fugæ venenum bibit.

L. Scipio Antiochum debellat.

Hannibalis mors.

Non multò melior eodem anno Romæ *Scipionum* fortuna fuit; cum *Catonis* maximè invidia Tribunos plebis commoviſſet contra *Africanum* optimnm & innocentiſſimum virum Senatûs principem, quaſi donis corruptus pacem *Antiochi* nimis benignam dediſſet. Venit ille ad diem dictnrus repetundarum cauſam: omnis autem defenſio fuit eodem ſe anni die Carthaginem ſubjugâſſe, quo nomine coronam ſuam triumphalem induens, hortatur & perſuadet ut omnes ſe in Capitolium ſequerentur, ſacrificia *Iovi*, ob inſigne illud in populum Romanum beneficium oblaturi; ſic honeſtiſſimâ arte putidam hoſtium calumniam eludens. Sed cùm pergerent eſſe moleſti adverſarii, in ſpontaneum exilium perrexit Linternum, ubi ad mortem, quæ mox in anno ſuo ſexageſimo ſequuta eſt, delituit. Cnm eadem repetnndarum vel peculatûs diea contra fratrem *Aſiaticum* ab iiſdem Tribnnis ſcripta fuiſſet, vir optimè de Repub. meritus ab ingratiſſimo populo in mulctam longè ſuprà omnia ſua bona damnatus eſt. Dum omnia excuterentur, parvitas fortunarum *Aſiatici*, adverſariorum de nimiis & malè partis opibus calumniam abundè refutavit: nunquam tamen iniquiſſimam populus ſententiam voluit revocare.

Populus Romanus in utrumque Scipionem ingratiſſimus.

Circa eadem tempora maximus Græcorum *Philopœmenes* ſeptuagenarius indigna morte periit. Urbs Meſſene ab Achæorum ſocietate deficiens arma ſumpſerat; *Philopœmenes* cum parvâ nimis manu ad eos ſubigendos advolavit, Meſſeniorum multitudine oppreſſi Achæi retulerunt pedem; *Philopœmenes* licet & ſenio & morbo infirmus ut ſuos fugientes protegeret, & ſuis manibus inſequentes hoſtes abarceret, in ultimâ acie recedebat. Illic equi lapſu in terram projectus, & à ſuis deſertus in hoſtium manus devenit. Ductus Meſſenen in triumphum ab omni populo multâ cum admiratione in theatro conſpectus eſt, eâdem tamen nocte in vinculis truditur à magiſtratu in profundum ſub terrâ carcerem, & ibi à publico carnifice cicutam bibere cogitur. Paucis pòſt diebus Meſſenii ab Achæorum Prætore *Lycortâ*, *Polybii* hiſtorici patre, victi ſe dediderunt: qui *Philopœmenis* conſcii necis erant pleriſque ſibi manus intulerunt, ſuperſtites in vinculis ejus funus comitati Meſſene Megalopolin, ad rogum

Philopœmenis indigna mors.

gum *Philopœmenis* manibus in ſacrificium omnes ſunt jugulati.

Antiochi magni mors.

Antiochus relictâ Romanis Aſiâ cis Taurum, in pacis ſecuritatem viginti obſides Romam miſit, inter quos ſecundus filius *Antiochus Epiphanes* erat: natu major *Seleucus* in Regnum ſucceſſit. Cùm pater in Elymaide ad ſinum Perſicum, ut mulctam Romanis promiſſam ſolveret, ad *Iovis Beli* templum ſpoliandum acceſſiſſet, à tumultuoſa plebe cum toto ſuo exercitu conciſus eſt, triceſimo ſexto anno ſui Regni, *Iuſtinus* ad *Iovis Dindymæi* templum vult necatum: ſed *Cybele* fuit non *Iupiter*, quæ in Dindymis Phrygiæ monte templum habebat. Præthereà templum *Dindymænm* nullâ unquam divitiarum famâ floruit, neque tum temporis *Antiochus* Phrygiæ dominus erat. Templum quidem *Iovis Dodonæi*, quod habent quædam *Iuſtini* exemplaria, theſauris abundabat, ſed hoc in Epiro diu ante ab Ætolis ſpoliatum fuit.

Romanorum hypocriſis.

Romani ut abſtinentiæ & juſtitiæ famam non minorem quàm fortitudinis acquirerent, nihil quicquam neque in Aſia neque in Græciâ ſibi retinuerunt: ſed in hac ſeu virtute ſeu hypocriſi non diu perſeverârunt, mox enim ſuperbâ admodum, avarâ, & crudeli tyrannide Græcos omnes & Aſiaticos vexavere.

Philippus parat in Romanos arma,

A *Philippo* fecerunt initium: pacis ille conditiones omnes exactè ſervaverat, & *Scipionibus* aliiſque contra *Antiochum* Ætoloſque ducibus fidelem operam præſtiterat, quamobrem mulctæ reliquum & filius *Demetrius* obſes ut vero amico remiſſa ſunt. Veruntamen tot poſteà contumeliis & injuriis affectus eſt, ut ſatis perſpiceret ſuo Regno Romanos inhiare. Ut præveniret, omnia quàm potuit diligenter & ſecretò in bellum parabat, barbaras nationes etiam longinquas ultra Iſtrum ſolicitabat, Græcorum animos ſuperbia Romanorum ipſi conciliavit; & ingentem pecuniam annonamque in belli neceſſaria ad decennium repoſuerat; ſed domeſtica calamitas omnes ejus rationes conturbavit. Junior filius *Demetrius* dum Romæ degeret, magnâ ſuâ virtute Senatorum benevolentiam acquiſiverat. Major natu *Perſeus* hunc Romanorum favorem fratri invidebat, & ab eo ſibi metuebat. Dum multa in Romano Senatu multi vicini de *Philippo* quererentur, remiſit filium *Demetrium* Romam qui pro ſe reſponderet. Significavit Senatus in *Demetrii* gratiam omnem ſe Patri offenſam remittere. Malè habuit *Philippum*, quòd major filii quam ſua in Romano Senatu eſſet gratia, inde irâ & falſis *Perſei* criminationibus extimulatus, quaſi tam in ſuam quàm *Perſei* vitam conſpirâſſet *Demetrius*, cum pater curat

Demetrium fi- lium necat.

necandum, cùm verò mox innocentiam juvenis, ſed ſerò poſt mortem, & *Perſei* calumnias comperiſſet, ultionem in *Perſeum* ſpirans ex animi ægritudine *Philippus* interiit.

Perſeus ſtatim Regnum capeſſivit, & à Romanis paterni fœderis confirmationem impetravit. In patris tamen contra Romanos odio perrexit: omnia ad bellum quantâ potuit cum induſtriâ comparans. *Seleuci* filiam accepit in uxorem, & *Pruſiæ Bithynio* ſororem ſuam collocavit, humanitate variiſque officiis Achæos, Ætolos, Rhodios, & Græcos omnes ita ſibi devinxit, ut licet metu Romanorum non ſint auſi cum eo ſociare arma, animo tamen in ipſum quàm Romanos multò benevolentiori affecti eſſent.

Romani Perſeum adigunt ad bellum.

Cupidiſſimè cum Romanis pacem *Perſeus* continuâſſet, ſed cùm Senatûs iniquitas atque ſuperbia bellum ipſi feciſſet neceſſarium, quadraginta millia Macedonum duobus Conſulibus per biennium oppoſuit, & contra omnem Romanorum vim artemque regni ſui fines tutatus eſt: & ſæpe propinquus fuit plenæ victoriæ, niſi innatus timor atque avaritia omnes ſuas ſpes corrupiſſet. Conduxerat viginti virorum fortium millia ex Baſtarnis, quorum decem millia equites erant, hi ſtultiſſimâ *Perſei* parſimoniâ offenſi, domum remeârunt. *Gentius* Illyriorum Rex habebat ſub ſignis quindecim millia parata *Perſeo* militare, ſed ut integros Romanis ſuos theſauros ſervaret *Perſeus*, inopiâ ſtipendii & iſtud auxilium perdidit.

Perſeus ſuâ ſe perdit avaritiâ.

Anno belli tertio *Æmilius Paulus* Conſul, vir prudens & fortis, diebus paucis *Perſeum* debellavit, qui timore ſuo inprimis victus ad Samothraces aſylum fugit. Cùm omnes eum amici deſeruiſſent, tandem ſe Conſulis arbitrio permiſit. Ante triumphantis currum cum duobus filiis & *Gentio* Rege Illyriorum per Romæ plateas in vinculis ductus eſt, & in carcere, ut quidam volunt, ediâ, ut alii vigiliâ enectus, unà cum *Philippo* filio: alter filius *Alexander* primò fabri lignarii artem, poſteà ſcribæ ad vitæ finem Romæ exercuit, ita Macedoniæ Regum ſtirps omnis interiit.

Regum Macedoniæ extirpatio.

Hannibale, *Antiocho*, & *Perſeo* debellatis Romani nullum alium metuentes hoſtem, ſuperbâ crudelitate amicos ubique vexabant. *Æmilius Paulus* ad ſe advocatis primariis viris de ſexaginta quinque civitatibus Epirotarum, imperavit ut omnem ſuam pecuniam ſibi traderent, hanc quaſi accepturos cum iis domum miſit ſuos milites: eo prætextu civitates omnes Epirotarum Romani intrârunt in pace, ſed mox die à à Conſule dicto contra inermes inſurgentes armati, ingentem hominum innocentium ſtragem ediderunt; civitates ſpoliârunt,

Crudelis Romanorum in Pyrrhum vindicta.

centum

centum quinquaginta millia ſub coronâ vendiderunt. Ita *Pyrrhi* contra ſe bellum vindicârunt.

Et in Achæos,

In publico Achæorum conſeſſu mille primarios cives nominarunt legati Romanorum, quos Romam ire juſſerunt, ut ſe purgarent in Senatu ſuſpicione ſavoris in Macedonas: nobiles & innocentes hi viri in carcere Romano multis annis perdurantes in vinculis penè omnes ſunt mortui, & inter eos *Polybius* hiſtoricus poſt annorum ſeptem carcerem ægrè liberatus eſt.

Rhodioſque innocentes.

Rhodii, quòd per legatos Senatum de pace cum *Perſeo* interpellâſſent, finito bello non tantùm duriter increpiti ſunt, ſed etjam bellum ipſis Senatus indixiſſet, niſi omnes Rhodi, qui patriæ quàm Romanorum ſtudioſiores erant, à ſuis crudeliter necatos accepiſſent. *Eumenem* quod benigniùs ſe erga *Perſeum* geſſiſſet Regno ſuo tantum non ejecerunt. In omnibus provinciis beſtia Romana ferreos ſuos deutes oſtentare & exercere cœpit.

Seleucus Heliodorum miſit ad ſpoliandum templum Hieroſolymitanum.

Antiochus Magnus duos poſt ſe filios reliquit, natu major *Seleucus Philopator* ei ſucceſſit in Regno, minor *Antiochus Epiphanes* Romæ degebat obſes. *Seleucus* vir ſuit virtutis adeo minutæ, ut duodecim Regni ſui annis nihil præclari geſſerit. Judæis quidem fuit benignus, donec *Simon Benjamita* ex privatâ cum *Oniâ* Pontifice ſimultate perſuaſiſſet ingentes in templo Hieroſolymitano theſauros recondi: hos ut raperet *Heliodorum Seleucus* miſit Hieroſolymam. Summus Pontifex *Onias* tertius, *Simonis* ſecundi filius, vir prudens & Sanctus, omni ope nixus eſt ut *Heliodorum* à ſacrilegio averteret: ſed cum fruſtra laborâſſet, & *Heliodorus* intrâſſet templum ut omnia diriperet, occurrit Angelus in equo cum duobus peditibus qui ſacrilegum flagris propè ad mortem conciderunt. Suorum manibus *Heliodorus* templo elatus, poſt aliquot dies *Oniæ* precibus ſanitati reſtitutus eſt. *Ioſephus Apollonium* appellat illum *Seleuci* legatum: & tertius Maccabæorum (quem ipſi Pontificii pronunciant Apocryphum) eodem prorſus modo vult acceptum ab Angelo Hieroſolymitani templi cuſtode *Ptolemaeum Philopatorem*, cùm poſt devictum *Antiochum* Hieroſolymis ſacrificans adyta perluſtrare voluit.

Ad hunc *Oniam Ioſephus* vult Lacedæmonios miſiſſe legatos, qui *Abrahamum* tam Spartanæ quàm Judaicæ gentis communem ſtirpem aſſererent, quàm verè ſuo fortaſſe loco videbimus.

Seleucus ab Heliodoro necatus.

Seleucus ut fratrem *Antiochum* liberaret, *Demetrium* filium vix octennem Romam miſit obſidem. Dum ad fratrem accedit *Antiochus* audit in viâ ipſum necatum, Regnumque correptum ab *Heliodoro*, eo ipſo, ſecundum *Torniellum*, qui ex templo Hieroſolymitano ab Angelo ejectus eſt: etſi nequaquam ab *Antiochi* ingenio & artibus abhorrebat, quod etiam de eo quidam referunt, ipſius conſiliis & calliditate effectum ut *Seleucus* necaretur, & *Demetrio* Regnum præriperetur. Utcunque *Antiochus Eumenis Pergameni* ope *Heliodorum* facile disjicit & necat: miſſáque Romam ſplendidâ legatiooe cum magnis muneribus ſe in fratris Regno coofirmat.

Antiochus Epiphanes Aſiæ Regnum occupat.

Ægypto inhiat.

Antiochus Magnus, *Epiphanis* pater filiam *Cleopatram Ptolemæo Epiphani* uxorem dederat, ut filiæ operâ Regnum Ægypto ſuo adjiceret: ſed *Cleopatra* viri quàm patris amantior, contra patris tam vim quàm fraudes multùm ſuâ prudentiâ maritum juvit. Moriens *Ptolemæus Epiphanes* poſt viginti quatuor annorum regnum reliqnit tres liberos *Ptolemæum Philometora*, *Ptolemæum Phyſconem*, & *Cleopatram* minorem: horum tutores, ab *Antiocho* valde ipſis metuens pater, in Teſtamento dixit Senatum Romanum.

Antiochus Ptolemæorum avunculus, id unicè ſatagebat ut pueris admitteretur in Curatorem; hoc fine ut Ægypti regnum in infirmâ nepotum ætate, Romanis bello Macedonico diſtentis, ſemel occupatum ſemper retineret. Prima cura ſuit Cœloſyriam, quam pater in dotem cum *Cleopatra* Ægyptio donaverat, recuperare. Facilis hic ipſi labor, dum ſuis fraudibus & *Sumenis Pergameni* copiis uteretur.

Philometor cur dictus.

Hieroſolymam veoiens ab *Oniâ* Pontifice amicè acceptus eſt: inde cum ingenti exercitu in Ægyptum properans, quaſi nepotum Curator regionem pleramque occupavit. *Ptolemæorum* natu major *Philometor* dictus eſt, non, ut vult *Chriſtianus Matthias*, καθ' ὑπερβολὴν ſine ullo teſte, quod matrem *Cleopatram* uxorem duxerit (ſororem quidem *Cleopatram* certum eſt duxiſſe utrumque fratrem) neque, ut vult *Rhalegus*, κατ' ἀντίφρασιν pariter ſine teſte, quod matrem occiderit, ſed quòd ipſe matri quam frater *Phyſcon* ſuerit charior. *Philometori* cum fratre non bellè conveniebat, diſcordiam alebat *Antiochus*: ſed ne in Romanorum offenſam incideret, reduxit properè ex Ægypto in Syriam exercitum, cum maguâ pecuniæ vi quâ Ægyptios emunxerar, relicto Peluſii præſidio.

Iudæi ſuis ſceleribus Antiochi perſecutionem attrahunt.

Cùm Tyri ageret, acceſſit ad eum ab *Oniâ* Pontifice frater *Ieſus* cum muneribus: vir hic multò praviſſimus cum *Antiocho* privatim agens obtinuit ut, deturbato fratre, ipſe ad Pontificalem dignitatem aſcenderet pretio trecentorum ſexaginta talentorum, ſeu aureorum quadringenties nonagies quinquies mille. *Epiphanio* Talentum Hebraicum continet centum viginti

ginti quinque libras argenti. *Ieſus* præter trecenta ſexaginta talenta, aliis nominibus *Antiocho* ſtipulabatur ducenta triginta, quæ prioribus juncta, ſecundum *Soliani* calculum, efficiunt coronatos octingenties undecies millè ducentos & quinquaginta. Quod habet *Ioſephus* de tribus millibus talentorum iiſque annuatim perſolvendis, ut mendum ſit vel in exſcriptore vel in auctoris calculo neceſſe eſt: utcunque hac ſacrilega pactione *Antiochi* mandato & vi, *Ieſus* ejecto fratre Pontificatum arripuit unà cum Principatu, quem Pontifices etiam anteà poſſediſſe videntur.

Horribilis ſacerdotum & populi apoſtaſia.

Hiſce facinoribus non contentus *Ieſus*, à vero Dei cultu fit manifeſtarius apoſtata ad Græcorum fœdiſſimam Idololatriam, nomenque ſuum mutat in *Iaſonem*, pleroſque Sacerdotes & populum à Deo Iſraëlitarum ad Idola gentium ſeducit, ephebium Hieroſolymis ſub arce & templo extruxit, ubi more Græcorum Judaica juventus nuda reducto præputio ſe exercebat, non tantùm diſco & pugilatu, ſed & ſub petaſo in omni nequitiâ. Ecquid mirum publicam hanc ſummi Pontificis, ſacerdotum & populi Hieroſolymitani non tantùm à verò cultu, ſed & omni morum honeſtate Apoſtaſiam, horribiles *Antiochi* perſecutiones divinâ procurante juſtitiâ, mox attraxiſſe?

Iaſon ut depulit Oniam à Menelao ipſe depellitur.

Ioſon honore ſuo ſceleſtiſſimè acquiſito & ſceleratiùs adminiſtrato, vix ad triennium fruitus eſt, *Onias* ipſi ſcelere omni par, qui *Menelai* nomen aſſumpſerat, ab ipſo cum tributo miſſus, Pontificiam dignitatem promiſſo majori pretio ab *Antiocho* emercatus eſt. *Menelaum* hunc vult *Ioſephus Oniæ* & *Iaſonis* germanum fratrem, ſed auctor ſecundi Maccabæorum fratrem facit *Simonis Benjamitæ*, qui *Heliodorum* à *Seleuco* ad ſpoliandum templum attraxit. *Salianus*, ob hanc & alias multas à Maccabæorum libris diſcrepantias in *Ioſephum* ſæpe invehitur, ut falſarium & S Scripturæ adverſarium: ſed viris cordatis major *Ioſephi* auctoritas eſt quàm iſtius multò ſi non recentioris, certè indoctioris Apocryphi.

Salianus Ioſepho iniquus.

Iaſon à *Menelao* Hieroſolymis expulſus fugit ad Arabas: ejus frater pius *Onias* degebat Antiochiæ in *Daphnes* aſylo, loco impuriſſimo. *Andronicus* erat Syriæ ſub *Antiocho* Satrapa, *Menelaus* Pſeudopontifex, ut *Antiocho* pecuniam acquireret, aurea multa templi vaſa Tyri vendebat. De hoc ſacrilegio ab *Oniò* & aliis Judæis accuſatus, *Oniam* ex *Daphnes* aſylo per *Andronicum* deduci & necari curavit. *Antiochus* ob indignam *Oniæ* necem iratus, *Andronicum* eodem Antiochiæ loco percuti juſſit quo *Oniam* occidiſſet: corruptus tamen *Menelai* donis, cæteros accuſatores Judæos calumniæ falſo damnatos extremo ſupplicio affecit: nihilominùs cum *Menelaus* de magnis pecuniæ ſummis pollicita non præſtaret, ante finitum annum & ipſe Pontificatu ab *Antiocho* dejectus eſt, adminiſtratione fratri *Lyſimacho* commiſſâ.

Oniæ eodem vindicat Antiochus.

Ioſonis crudelitas in ſuos.

Intereà *Ioſon* ab Arabia cum exercitu Hieroſolymam intrans, promiſcuam cædem omnis ætatis & ſexûs perpetrat, donec inſurgente populo vi ejectus ad priores latebras retruſus eſt: parva fuerunt hæc Judaicarum calamitatum initia: utcunque *Iaſon* ex Arabiâ fugatus in Ægyptum, & inde depulſus Lacedæmona, ibi contemptu ac fame enectus eſt.

Antiochum Ægypto cogunt abſtinere Romani.

Antiochus ante omnia inhiabat Ægypto: ab eo metuentes *Ptolemæi* fratres in gratiam inter ſe rediêrunt. Peſſimè hæc fratrum concordia *Antiochum* habuit, cum exercitu ergo ſtatim advolat Peluſium, Ægypti Regnum certâ ſpe devorans: fratres ad Romanorum quod unicum ſupererat aſylum confugere: Senatus *Popilium Lænam* exconſulem ad *Antiochum* legavit, occurrit hic *Antiocho* ut ab Ægypto abſtineret: dum deliberaturum ſe reſponderet, *Antiochus* cum amicis, *Popilius* virgâ quam manu ferebat circulum circa *Antiochum* deſcripſit, jubens ut eò amicos convocaret, nec exiret circulo antequam planè reſpondiſſet, velletne cum Romanis pacem an bellum. Hac ſeveritate *Popilii* conterritus *Antiochus*, Senatûs mandato pariturum ſe pollicitus eſt; reducto itaque ex Ægypto exercitu, quòd Romanorum metus bellum faucibus eripuiſſet, maximâ indignationis mole plenus Hieroſolymam venit. Judæi ante deſcenſum *Antiochi* in Ægyptum diebus continuò quadraginta pleno die ſpectabant ſupra Hieroſolymam in aëre exercitus ſibi invicem incurſantes: hoc illi ſtolidè non ſuarum calamitatum, ſed mortis *Antiochi* prænuncium interpretabantur. Magna Romanis cùm tributa tum dona quotannis *Antiochus* pendebat, & ſumma in conviviis aliiſque ludicris prodigalitas ſummam rapacitatem pecuniáſque undique corradendi neceſſitatem procurabat: magna quoque in patriam Græcorum ſuperſtitionem propenſio Judaicos ritus abominari faciebat, animadvertebat etiam in *Ptolemæos* veteres dominos, quàm in ſe pleroſque Judæorum propenſiores: ira denique divina in matura tum Judæorum peccata efferveſcens vindictam parturiebat: hæc omnia & alia Judæorum cladem adduxerunt.

In Hieroſolymam iratus evomit Antiochus.

Antiochus Hieroſolymam accedens cum ingenti exercitu, ſecundum *Ioſephum*, amicè admiſſus eſt; ſecundum Maccabæorum auctorem, expugnatam vi urbem ingreſſus magnam edidit ſtragem. Ut vult *Ioſephus*,

Judæorum lamentabilis afflictio.

decem millia occîdit, totidemque ſub haſtâ vendidit: ſed ſecundum Græcum Maccabæorum ſen interpretem ſeu auctorem, quadraginta millia Hieroſolymitarum *Antiochus* tum occîdit, & totidem ſervituti addixit. Verumenimverò ſecundum Latinum Interpretem, ut vult *Salianus*, ducenta Judæorum millia quà gladio quà ſervitute tum temporis perdidit. Ducente *Menelao* templum intravit, etiam Sanctum Sanctorum: theſauros & vaſa aurea atque argentea rapuit ad mille octingenta talenta. Diſcedens Antiochiam cum ingenti hac prædâ *Apollonium* Judææ præfecit: hic poſt biennium *Antiochi* mandato cum exercitu Hieroſolymam agmine pacato ingreſſus, die Sabbathi promiſcuam obviorum cædem edidit ad multa millia, reliquorum pleroſque venundedit, urbem incendit, muros à fundamentis evertit, arcem in Sione ſtruxit, ubi Græcorum præſidium collocavit, qui in accedentes ad templum involabant. Quóque magis à templo abhorrerent Judæi ſuper altari collocavit *Jovis Olympici* ſtatuam, illique ſuos & impura animalia immolabat: legis Moſaicæ quot reperiebantur exemplaria flammis mandabantur: omnibus Judæis imperabatur ſub capitis pœna plenaria à *Moſe* defectio, tranſitúſque ad Idololatriam Græcorum. Permulti regiis mandatis obſecundârunt, cæteri ex urbibus ad montes diffugientes in ſpeluncis inter feras deliteſcebant. Intereà Antiochiæ *Epiphanes* deliciabatur, ad multas Græcorum civitates tam cis quàm ultra mare ingentia mittebat donaria, in Deorum delubris collocanda: convivia ſumptuoſiſſima inſtituebat, publicos ludos inſanis ſumptibus edebat, tamque vilem ſe ſcurram omnibus publicè exhibebat (prout prolixè narrat *Athenæus*) ut multis furere & ἐπιμανὴς videretur; unde cognomento paululum immutato *Epimanem* i.e. *furibundum* vocat *Polybius*.

Mattathias arma corripit.

Inter hos qui Hieroſolymis ad montes fugerunt, Sacerdos *Mattathias* fuit, ex *Joaribi* vice (quæ ex viginti quatuor erat prima) *Aſamonæi* nepos cum quinque ſuis filiis. Aliquandiu in ſolo luctu & tenebris *Mattathias* cnm ſuis ſe continuit: ſed cum in immenſum *Antiochi* furor excreſceret, & in omnibus per totam Aſiam civitatibus extrema mala Jndæis infligerentur, ac Antiochiæ in ipſius Regis conſpectu *Eleazarus* ſcriba, & vidua cum ſeptem filiis crudeli martyrio ad mortem torquerentur, ob unam in verâ pietate conſtantiam. Et verò in urbe Modin, ubi commorabatur *Mattathias*, altaria Idolis erigerentur, Judæique volentes adducerentur, aut nolentes adigerentur ad ſacrificandum, tum demum divinus zelus *Mattathiam* corripuit, & in foro Judæum Idolo ſacrificantem occidit ad altare, ſimulqne regium Præfectum, qui populum tormentis ad nefaria ſacrificia cogebat. Hoc facto principio cum filiis & multis ſequacibus arma pnblicè ſumit, & divinâ aſpirante benedictione, integrum fere annum perſecutores cohibet multâ ipſorum cum cæde. Moribundus ſenex filios vehementer hortatur, ut in populi quam ipſe ſuſceperat tutelâ, fortiter perſeverarent.

Judæ Maccabæi victoria.

Exercitus poſt *Mattathiam* ducem dixit ipſius filium *Judam*: cognomen *Maccabæi* illi inditum eſt, quod in militaribus inſignibus & orationibus frequenter uſurparet Exodi 15. verſiculum 11. *Quis ſimilis tui inter Deos Jehova?* מִי כָמֹכָה בָּאֵלִם יְהוָה ex quatuor harum vocum literis initialibus *Mem*, *Caph*, *Beth*, *Jod* fit nomen *Macabi*. *Judas* hic *Maccabæus* heros fortiſſimus & feliciſſimus, à Dei Spiritu ornatus donis omnibus, quæ miſerrimi populi liberatio ab extremis malis requirebat, parvâ ſæpe manu magnos *Antiochi* exercitus profligavit. Varios Judææ imò & Syriæ totius præſides in prælio necavit, omnes penè Judææ civitates recuperavit, templum Hieroſolymitanum tribus præter propter annis poſt ejus profanationem repurgavit, & cum Sionis arcem Græcis extorquere non potuiſſet, templi atria muro & firmis propugnaculis circumvallavit. Idumæos, Ammonitas, Philiſtæos, Arabas, & omnes in viciniâ hoſtes peſſimè mulctavit: Lyſiam totius Aſiæ cis Euphratem Præfectum, in Judæam cum ſexaginta millibus peditum, & quinque equitum irruentem repulit.

Antiochus miſerrimè perit.

Antiochus theſauros ſuos vaniſſimis ſpectaculis & Judaico bello exhauſtos reſarturus, in Perſiam profectus eſt; nec patris morte deterritus Elymaidem ſeu Perſepolin *Dianæ* templum ſpoliatum ibat, ubi *Alexander* magnam auri copiam repoſuiſſe ferebatur. Cùm intrâſſet ædem, ſacerdotes comites ejus omnes necantes, ipſum lapidibus penè obruerunt. Hinc vacuus rediens Ecbatana, de victoriis *Maccabæi* audiens, animo efferato Babylonem iter inſtituit, crudeliſſimas in Judæos minas evomens: intereà arripit viſcera ſummus dolor, pergit tamen in itinere, is dum nimiùm feſtinat curru excidit, quo caſu ita omnia contundebantur membra, ut Dei in ſe manum Judæorum injurias vindicantem agnoſceret. Multa hîc dona pollicetur, Judæumque futnrum ſe vovet, modò ſanitatem recuperaret, ſed impiiſſimum hominem noluit audire Dominus: in maximis ergo doloribus appropinquantes omnes, & ſe ipſum teterrimo ulceris putore offendens, pbthiriaſi interiit in Perſiæ & Mediæ confiniis.

Dum miſerum cadaver Antiochiam deferret

ferret

EleaZarus Iudæ frater opprimitur ab elephante.

ferret *Philippus*, *Lyſias* ejus filium *Antiochum Eupatorem*, quem ſecum in Syriâ habebat, Regem creat, & contra Judæos ducit cum maximo exercitu, peditum centum & equitum vigiuti millibus. *Iudas Maccabæus* cum paucis tantum exercitum aliquandiu ſuſtiuuit; ſrater *Eleazarus* in elephautorum maximum regio ornatu iuſignem, arbitratus Regem ferre, totis viribus intendit; cùm ad elephantem veniſſet, editâ obviorum magnâ ſtrage, ejus ventri ſe ſupponeus belluam ſuffodit: illa cadeus *Eleazarum* oppreſſit; *Iudas* cum ſuis ex prælio ſe recepit.

Iudæ pax cum Eupatore.

Eupator hac pugnâ ſupetior, Hietoſolymitanum templum obſedit: dum obſeſſi iuediâ preſſi deditionem pararent, audiens *Eupator Philippum* Antiochiam occupâſſe, ut majori malo occurreret, cum *Iudâ Maccabæo* ſœdus pangit: templum donariis ornat, ejus tamen muuitioues evertit coutra datam fidem.

Menelaus & Iaſon malè pereunt.

Ut iu Syriam venit *Antiochus Eupator*, Antiochiam cepit, & iu eâ *Philippum*, quem ſtatim oecidit. In anlâ *Lyſias* erat omnia, *Menelaus* Judæorum Pſeudopoutifex ei viſus ſeditiouum Judaicarum fons neci traditus eſt: ſicut ejns deceſſor impius *Iaſon* cùm ab Arabibus ſugiſſet in Ægyptum, & iude Lacedæmoha, ibi extorris & omnium egens expiravit, iu eo ab omnibus contemptu, ut à nemiue vel terrâ coudi curatus, abſque ſepulchro beſtiis & alitibus præda fieret.

Onias in Ægypto templum extruit.

Poſt *Menelaum Alcimo* ex ſemiue *Aaronis* Pontificatum præbuit *Antiochus*, viro admodum ueſario. *Onias Oniæ* tertii filius *Alcimo* ad Pontificatum evecto de paternâ dignitate deſperans, in Ægyptum ad *Ptolemæum Philometorem* ſe conferens, ab eo impetravit ſaenltatem extrueudi iu regione Heliopolitanâ templum Hieroſolymitauo ſimile, in quo Iudæi Helleniſtæ Deum plus quàm centum annis pravè & ſchiſmaticè, licet ritu Moſaico, coluerunt.

Dum iſta gererentur in Aſiâ, *Demetrius Seleuci* filius, qui loco patrui *Antiochi Epiphanis* Romæ degebat obſes, à Seuatu libertatem poſcebat redeundi domum, ut Regnum paternum ex *Eupatoris* injuſti poſſeſſoris manibus eriperet. Senatus commodiorem rebus ſuis Aſiæ Regem putantes *Eupatorem* puerum quàm *Demetrium* juvenem, ei redeundi domum poteſtatem denegârunt: ille tameu hiſtorici *Polybii* iuprimis conſilio, etiam abſque Senatus veniâ, Româ clàm aufugit. Ut iu Aſiam veuit à Senatu ſe miſſum mentitur in regnum paternum. Mendacium hoc multarum illi urbium portas aperuit; & magnas copias comparavit: Autiochiam appropinquanti adducitur *Eupator* regni ſui anno ſecundo unà cum *Lyſiâ*, utrumque ſtatim *Demetrius* effecit obtruncari. Ita *Epiphanis* ſtirps omnis eradicata eſt.

Iudæ contra Demetrium victoria.

Ad *Demetrium* acceſſit *Alcimus* cum multis cuntra *Iudam Maccabæum* calumniis: illi *Demetrius* Pontificatum confirmans, *Nicanorem* attribnit cum maguo exetcitu, qui *Maccabæum* petderet: *Nicanorem* cum toto ttigiuta quinque millium exercitu *Maccabæus* interueciune delevit: & tot mirabilibus victoriis clariſſimus legatus Rumam miſit, qui cum populo Romano ſocietatem ſuo nomiue inirent, & ad *Demetrium* mandata impetrarent, ne ultra Judæis pergeret eſſe moleſtus. Societas hæc *Iudæ* malè ceſſit, auxilium enim divinum avertiſſe videtur, uam cum *Bacchidem* miſiſſet *Demetrius* cum viginti duorum millium exercitu Hieroſolymam, & *Maccabæus* pro ſuo more cum paucis ſcilicet tribns millibus iis occurreret, milites iuſolito timore correpti eum omues deſeruerunt prætec octingeutos: cum his toto die ad veſperam contta totum hoſtilem exercitum fortiter pugnavit, & dextrum cornu, iu quo ipſa *Bacchides*, profligavit; ſed dum *Bacchidem* perſequeretur, ſiniſtrum cornu cum à tergo adortus occidit ſexto ſuæ gubernationis anuo.

Iudas inito cum Romanis fœdere cadit.

Ionathan cogit exercitum difficulter.

Iudam fratres in patrum tumulo *Modinis* magnificè ſepeliveruut, ipſi tamen cum amicis ad deſerta fugere coacti ſunt; omnia enim *Iudæ* munimeuta *Bacchides* occupaverat, & duriſſima iterum ſervitus populi evaſerat. Ut ab ea liberarentur in deſerto conveuientes viri aliquut ſortes, *Ionathanem* in ducem communi ſuffragio elegerunt. Hic ut ad bellum eſſet expeditior *Ioannem* fratrem ad Arabas Nabathæos Judæis amicos miſit, ut apud eos impedimenta deponèret: verum *Ioannes* iu viâ à *Iambrio* latrone cunctis quæ ſerebat & vitâ ſimul ſpoliarur. Paucis pòſt diebus ſevetam in lætrones illos vindictam *Ionathan* exercuit, non tamen eas copias potuit contrahere, quibus patriam à jugo Græcorum liberaret, donec aliquot pòſt anuis *Demetrium* res aliæ à Judaicâ curâ avertiſſent.

Alexander Bala Demetrium necat.

Demetrius ab inimicis ubique liber, ſe in ſuperbiæ, luxuriæ, & ſeguitiei barathrum conjecit, hinc in vicinorum Priucipum ac ſubditorum odium iueurreus, variis conſpirationibus impetitus, iſtas aliquoties ſnppreſſit; ſed tandem hæc ipſum oppreſſit. *Heraclides* iuter primarios duces à *Demetrio* coutumelioſè habitus adoleſceutem *Rhodium* ſubornavit, qui *Antiochi Epiphanis* filium, & *Eupatoris* fratrem ſe diceret, aſſumpto *Alexandri* uomine, cui à vero vel patris vel matris uomine *Bala* cognomentum adjunctum eſt. Huuc *Heraclides* Romam duxit, & tantâ arte ſuam iu Senatu fabulam nartavit, ut, licet viris oculatioribus commeutum pelluceret, à pletiſque tameu ſenatoribus fides adbibita

ſit, & decretum impetratum, quò *Alexander* Romanorum ope in thronum paternum reponeretur. Iſto Senstuſconſulto munitus *Alexander* in Aſiam properavit. Ad eum ſtatim confluxit magnus exercitus partim à *Ptolemæo* & *Attalo* ſubmiſſi quos *Demetrius* irritaverat. Uterque tam *Demetrius* quam *Alexander Ionatha* Judæi Pontificis amicitiam omni officio ambiebat: *Demetrius* Hieroſolymam tam urbem quàm arcem & in eâ obſidea *Ionatha* in manus dabat, ſed in *Alexandro* plus fiduciæ ponebat *Ionathas*, ejus itaque partes contra *Demetrium* amplexus eſt. *Demetrius* ante pugnam duos filios & ingentem pecuniam extra caſus belli ad hoſpitem *Gnidium* miſit ſatis prudenter: in prælio enim victus & necatus ſuppoſititio *Alexandro* ſuum thronum reliquit. Hypocrita hic Aſiæ jam Rex à *Ptolemæo* filiam *Cleopatram* accepit in uxorem. Ad celebrandas nuptias uterque Rex Ptolemaidem convenit, ibique *Ionathanem* uterque ſummo in honore habuit, Judæis plena libertas data, & magna tranquillitas, ſed mox nova mundi facies apparuit.

Alexander in throno fixus genio indulget, inde multorum in ſe offenſionem ſtatim concitavit: ex *Demetrii* filiis natu major *Demetrius* adjuvante *Laſthene Cretenſi* copias contrahit, quas duce *Apollonio* in Palæſtinam miſit: in *Alexandri* gratiam *Ionathas Apollonio* ſe objecit, & aliquot eum præliis fregit.

Et à ſocero Philometore perditur.

Ptolemæus Philometor, *Alexandri* ſocer, quaſi in generi auxilium cum magno exercitu Syriam intravit: civitates ei ubique portas quaſi amico pandebant, ille autem ſua ubique præſidia collocabat. Ubi Antiochiam venit, apertè *Alexandri* inimicum ſe profeſſus eſt, & jam Syriæ quàm Ægypti diademata ſuo capiti impoſuit, filiam *Alexandro* ablatam, quòd ab eo malè habita eſſet, *Demetrio* tradidit. Ne verò nimio ſuæ potentiæ incremento Romanos in ſui ſuſpicionem adduceret, Regnum paternum *Demetrio* reliquit.

Demetrius Demetrii occupat Aſiam.

Alexander inexpectatâ ſoceri fraude Regno ſpoliatus, cum præſenti ſuo qualicunque exercitu cum *Ptolemæo* ſimul & *Demetrio* commiſit: ibi victus in Arabiam cum paucis fugit, nec diu hìc delituerat, cùm caput ei præciſum eſt, & ad *Ptolemæum* Antiochiam miſſum.

Ptolemæus in prælio equo excuſſus, & multis vulneribus confoſſus ægrè ſpirabat, viſo tamen generi capite multùm gaviſus eſt, ſed lætitiâ perbrevi: nam poſt triduum ex vulneribus expiravit regni ſui triceſimo quinto.

Et Phyſcon Ægyptum.

Succeſſit ei in Ægypto frater *Phyſcon*, à corporis brevitate & saginâ ſic dictus: praviſſimus hic Princeps ut Cyrene venit Alexandriam, ſororem ſuam & glorem *Cleopatram* in uxorem duxit: ejuſque filium fratris hæredem in matris amplexibus crudeliter necavit: voluit tamen, ſe *Energeten* dici, ſed rectius Alexandrini *κακεργέτην* appellârunt.

Intereà *Demetrius* Syriam poſſidebat ſine æmulo, ejus tamen imprudentiâ mox omnia turbata ſunt. Cùm *Ionathas* arcem Hieroſolymitanam urbi moleſtiſſimam obſideret, *Demetrius* à Judæis Apoſtatis incitatus, contra *Ionatham* duxit exercitum: quem tamen ſine maleficio reduxit æquis conditionibus ſtatutâ pace. Sed en Regis temeritatem! Veteranos omnes, quos pater etiam in pace liberali ſtipendio alebat, ut parceretur ſumptibus, dimiſit: retentis tantùm externis mercenariis, hinc murmura & ad rebellandum animi paratiſſimi.

Demetrius à Iudæis Antiochiæ egregiè defenditur.

Dum tumultuarentur Antiocheni, tantâ militum inopiâ laborabat *Demetrius*, ut à *Ionathâ* neceſſe habuerit ſuppetias emendicare: miſit ille Antiochiam Judæorum tria millia, hi dum regiam circumſiſterent, Antiocheni centies vicies mille, pro Rege à ſuis deſerto tam fortiter pugnârunt, ut incensâ & ſpoliatâ urbe centies mille necaverint. Non obſtante tamen incomparabili hocce beneficio, *Demetrius* nullam *Ionathæ* fidem ſervans, per arcis Hieroſolymitanæ & aliarum præſidia, Judæos vexare parabat, ſed ab hoc conatu aliò ſtatim avocatus eſt.

Tryphon Antiochum Balæ contra Demetrium ſuſcitat.

Diodorus cognomine *Tryphon* animadverſo populi militumque in *Demetrium* odio, in Arabiam ſe contulit; & *Antiochum*, *Alexandri Balæ* filium ibi educatum ſecum duxit in Syriam: ad eum ſtatim paterni amici confluxerunt, militeſque à *Demetrio* exauctorati: hujus quoque partes *Ionathan* ſequutus eſt, tum quod *Alexandro* patri faviſſet; tum quòd à *Demetrio* malam pro magnis beneficiis gratiam retuliſſet. Commiſſo prælio victus *Demetrius* ad ſuperiores Aſiæ provincias fugit, Antiochiâ & Syriâ relictis *Antiocho*.

Ex ſuperioribus provinciis collecto milite Judæam curavit infeſto exercitu invadi: *Ionathas Demetrianos* ſæpe debellavit, unde magnum viri nomen ubique clarebat: quò autem res ſuas firmiùs ſtabiliret *Iudæ* fratris exemplo cum Romanis & Spartanis fœdus per legatos pepigit. Quod tamen carnale omninò inceptum ipſi non minùs quàm fratri finis victoriarum fuit, & calamitatum principium, abſque ullo ab Ethnicis fœderatis fructu.

Ionathas cum Romanis fœderatus à Tryphone necatur.

Tryphon cùm *Antiochi* pueri auſpiciis victum *Demetrium* ad ſuperiores provincias fugâſſet, conſilium cepit de regno ad ſe transferendo, ſublato de medio *Antiocho*.

Id

Id quò ſecuriùs effectum daret, *Ionatham* virum fortem & ſamiliæ tegiæ fidum, ante tollendum duxit. Magnis ergo cum copiis Judæam verſus tendit; *Ionathas* ei occurrit cum inſolito Maccabæis exereitu quadraginta millium. *Tryphon* cum *Ionatha* aperto marte congredi nou auſus, ſimulat multam amicitiam; & omnem *Ionatha* honorem defetens perſuadet eaercitum dimictere, & ad ſe tanquam amiciſſimum accedere Ptolemaida. Huc ut venit *Ionathas* cum mille tantùm militum comitatu, illi quidem omnes à *Tryphone* necati ſunt, & *Ionathas* ipſe datus eſt in vincula. Adeſt mox frater *Simon* cum exercitu; ut hunc etiam in laqueum ſuum induceret, *Tryphon* ſignificat detinere ſe *Ionatham* eo ſolo nomine, quòd Regi deberet ex vectigalibus centum talenta, & metueret ne ad Regis inimicos irritatus jam *Ionathas* deficeret; itaque ſi eam pecuniam ad ſe mittere vellet *Simon*, unà cum duobus *Ionatha* filiis paternæ in Regem fidei obſidibus, paratum ſe *Ionatham* dimittere. *Simon* etſi ſatis ſibi *Tryphonis* fraus pellueeret, ne tamen populo viderertt fratris ſalutem ob ſuum commodum negligere, eentum talenta cum duobus *Ionatha* filiis ad *Tryphonem* miſit. *Tryphon* acceptâ pecuniâ & pueris; *Simonis* ſimplicitatem irriſit: & *Ionathâ* filiiſque necatis, Antiochiam rediit, lætus liberatum ſe *Ionatha* morte magno couſiliorum ſuorum impedimeuto.

Demetrius in Parthiâ captivus.

Demetrius in ſuperiotibus provinciis degens, à Macedonibus multatum provinciarum incolis clam invitatus eſt, ut moveret contra *Arſacem* ſuperbum & erudelem Parthorum Regem arma. Contta hunc multas *Demetrius* victorias adeptus, tandem in colloquium de pace deveniens, in captivitatis laqueum ſe induit; unde per aliquot annos expedire ſe non potuit: licet benignè ſatis in captivitate habitus ſit, Parthique ſororem etiam captivus in uxorem duxerit.

Tryphon necato pupillo regnat.

Tryphon tam à *Ionatha* quàm *Demetrii* metu liber, non ultra moratus, *Antiochum* puerum calculo laborare fingens, Chiturgos in eulculi eaciſione puetum necare facit: & vacuum thronum, donis & ſpe cortupto milite, nemine obſtante oecupat. Iſta ex *Polybio. Iuſtino*, *Ioſepho*, libris *Maccabaeorum* & aliis fusè *Tornellus*, *Salianus*, *Uſberius*, *Capellus*, & alii. *Saliani* frequentes, in grariam auctoris Maccabæorum apocryphi, contra *Ioſephum* invectivas reſutare non ducimus operæ pretium.

Sub Simone ſumma Iudaeorum pax.

Simon inſigni valdè patti frattibuſque tumulo *Modini* erecto, ab omni populo ὁμοψύχως & ὁμοψήφως eligitur tam in ducem quàm Pontificem. Illi verò tantâ bonitate Deus adfuit, ut populum *Ionatha* motte deſperabundum à Græcorum jugo pleniſſimè liberaverit. Hieroſolymitanâ atce ſame domitâ, præſidiiſque omnibus totâ Judæâ ejectis, & civitatibus ubique coutra hoſtium inſultus egregiè communitis, tam alta ſub *Simone* Judæorum pax fuit, ut poſt *Solomonis* dies majorem non viderint. Ipſe *Simon* Hieroſolymis, ejuſque filius *Iohannes* Juvenis fortiſſimus Garæ commorabatur, parati ſi quis populi quietem undecunque motus ſolicitâſſet, ſtatim ſupprimere. Iſta tamen non diu duravit tranquillitas, nam *Tryphon* adeptus *Demetrii* regnum, in erudelem & avarum tyrannum evadens, militum à ſe animos avertit. Hoc animadverſo *Cleopatra*, *Demetrii* uxor, quæ cum filiis *Seleuco* & *Grypho* degebat Seleuciæ, *Antiochum Sideten* ab urbe Side in Cilicia, ubi educatus fuit, ſic dictum accerſit, illique fratris Regnum ſuumque matrimonium offert. Ad *Sideten* ſtatim *Tryphonis* exercitus deſecit, cinctus ergo centum viginti millibus *Tryphonem* varias latebras quærentem euſque perſequutus eſt, donec coëgit mori.

Antiochus Sidetes necat Tryphonem.

Scripſerat diu anteà ad *Demetrium* in Media *Simon*, paratum ſe ipſius partes contra *Tryphonem* tueri, quibus amiciſſima omnia *Demetrius* reſponderat: *Sidetes* etiam initio *Simonis* amicitiam ſtudiosè colebat, ſed ut *Tryphonem* amolitus eſt, deſiderio adjungendi Judæam reliquo ſuo Syriæ regno, *Simoni* ſtatim bellum movit, & *Cendebaeum* cum exercitu Judæam vaſtatum miſit: hunc *Simonis* filii ſortiter repulſum Judæâ ejecerunt. Dum cum omnibus copiis ipſe *Sidetes* Hieroſolyma pararet obſidere *Ptolemaeus* Judæus *Simonis* gener, *Simonem* cum filiis *Iudâ* & *Matthiâ* proditoriè comprehenſos necat. *Ioannes* tamen evadens *Ptolemaeum* Judæâ fugavit, & ipſe à populo loco patris Pontificem & ducem agere juſſus eſt. Hieroſolymam contra *Sideta* vim diu egregiè tutatus eſt, tandem tamen annonæ inopiâ propè fractus, pacem cum *Sidete* fecit, eo faciliorem quòd *Sidetes* ad frattem *Demetrium* liberandum contra Parthos expeditionem pararet. Illum *Ioannes* cum ſuo milite in Parthiam ac Hyrcaniam comitatus inde cognomen *Hyrcani* adeptus eſt. Initio belli omnia *Sideta* proſperè fluere, *Phraatem Arſaciden* tribus præliis fundere, ſed cum militem ſuum in hyberna diſtribuiſſet, & ipſi pleraſque urbes oppreſſiſſent, conſpiratione à popularibus facta propè omnes concîſi ſunt, ipſo *Sidete* dum fortiter pugnaret etiam cæſo.

Simon à ſuo genero necatur.

Sidetes in Parthiâ perit.

Phraates ante hanc ſtragem ut *Sideten* ad ſua retraheret, *Demetrium* cum præſidio Parthico dimiſerat ad recuperandam ſibi Syriam. Verùm ut *Antiochi Sideta* mortem accepit *Phraates*, mittit qui *Demetrium* ad ſe reducerent, ſed nimis ſerò: Syriam enim

Demetrius aſſequutus, Parthorum imperia neglexit.

In Syriæ throno vix reſedit *Demetrius* cum à ſocru *Cleopatrâ* in Ægyptum vocatus eſt. *Ptolemæus Energetes* vel *Phyſcon* tantâ tyrannide populum oppreſſerat ut illum pertæſi regnum uxori, ſorori, & glori detulerint. Hæc Judaico inprimis milite ſuffulta maritum *Phyſconem* in Cyprum fugere coëgit. Iſte *Cleopatra* odio communem filium diſſectum arcæque incluſum quaſi ſtrenam ad matrem miſit, illa dono hoc efferata *Demetrium* in Ægyptum vocat, Regnum ei ſpondens. Verum enimverò *Demetrius* apud Parthos tantam ſuperbiam & crudelitatem didicerat, ut omnibus intolerandus evaſerit. Syri ergo eo in Ægyptum digreſſo rebellant; *Ptolemæus* ad Syrorum rebellionem confirmandam, iis ſubmittit adoleſcentem ſuppoſititium *Alexandrum Zebinam*, quem ab *Antiocho Sidete* ante mortem adoptatum fingit. Hunc abſque ſcrupulo ſeditioſiſſimi *Antiocheni* Regem admittunt, & totis viribus contra *Demetrium* ſuſtentant. Commiſſo prælio funditur *Demetrius*, & *Ptolemaidem* ad uxorem *Cleopatram* minorem fugit, illa tantùm abfuit ut fugitivum maritum admitteret, ut etiam Tyri curaret occidendum.

Phyſcon ei opponit in Syria Alexandrum Zebinam.

Demetrius à Zebina debellatus ab uxore necatur.

Quatuor habebat iſta *Cleopatra* filios; natu maximum *Alexandri Bala Tryphon* occiderat; *Demetrio* peperit *Seleucum* & *Antiochum Gryphum*, ab adunco naſo ſic dictum, ejuſque fratri *Antiocho Sideta Antiochum Cyzicenum*. *Seleucus* occiſo à matre *Demetrio* patre, ſe Regem dixit: ſed ſtatim & ille à matre occiſus eſt, quòd ipſâ inconſultâ auſus ſit diadema induere. *Proſerpina* hæc tertio filio *Grypho* Regnum attribuit eâ lege, ut ipſi Regni titulus, ſibi verò res & auctoritas remaneret.

Seleucus Demetrii à matre caſus.

Intereà *Alexander Zebina* pleramque Syriam tenebat, cumque eo *Hircanus* Pontifex fœdus pepigerat. Sed *Zebina* cum imperio ſuperbiam aſſumens ſequaces alienavit, ita ut facile à *Grypho* victus necaretur.

Antiochus Gryphus tollit Zebinam,

Gryphus creſcente potentiâ matri gravis, ab ea veneno petitur; quod tamen eam filius, fraude compertâ, bibere coëgit. Vivebat tum frater natu minimus *Cyzici* ad pnutum; hunc ne aliquando contra ſe inſurgeret, *Gryphus* veneno tollere conatus eſt. Sed *Cyzicenus* has inſidias aperti in *Gryphum* belli juſtam cauſam habuit.

Suam item matrem.

Erat *Grypho* uxor *Tryphana*, *Ptolemæi Phyſconis* filia: moriens *Phyſcon* uxori *Cleopatræ* jam reconciliatæ poteſtatem reliquit, utrum vellet ex filiis Regem Ægypti conſtituere. Amabat illa *Alexandrum* minorem præ *Lathyro* majore: populus tamen invitam coëgit *Lathyrum* Regem pronunciare. Hunc jam Regem effecit *Cleopatram* ſororem ſuam dimittere, & ſororem alteram *Selenen* ducere. *Cleopatra* hæc à marito & fratre dimiſſa ad *Antiochum Cyzicenum* ſe contulit, illique nubens Cyprium patris exercitum ad ejus ſuppetias adduxit. His viribus adauctus *Cyzicenus* cum fratre *Grypho* decertat prælio, victus *Cyzicenus* effugit, ſed uxor *Cleopatra Tryphana* ſororis diligenti inquiſitione capta, multùm reluctante *Grypho* crudeliter necata eſt. *Cyzicenus* recollecto exercitu *Gryphum* debellat, & Regno ejicit, captamque *Tryphanam* confodit.

A fratre Cyziceno vincitur.

Ptolemæus Lathyrus à matre Cleopatrâ Ægypto pellitur.

Cleopatra major, quam primum occaſio data eſt, *Lathyrum* filium Ægypto expellit, ut ipſa ſola regnaret, licet juniori filio *Alexandro* titulum Regis concederet.

Vicinorum hæ confuſiones *Ioanni Hircano* Hieroſolymis ſecuram pacem concedebant, quamvis nequaquam in otio conterebat. Idumæos ſubigens coëgit circumcidi, & in unum cum Judæis populum coaleſcere. Samariam etiam fame domitam cepit, & unà cum templo Garizimitano funditus evertit. Eo imperante ortæ ſunt Phariſæorum, Sadducæorum, & Eſſenorum ſectæ. *Hircanus* hic in magnis opibus poſt triginta unius annorum Pontificatum moriens quinque filios reliquit, natu maximus *Ariſtobulus* regiis opibus fruens, Regis nomen & Diadema aſſumpſit. Sed malè ceſſit ipſi hæc ambitio, nam intra annum vitam unà cum Regno depoſuit.

Principatus Ioannis Hircani in Judæâ floret.

Ioannis filius Ariſtobulus ſe Regem dicit.

Amabat ille *Alexandrum* fratrem, & in Regni ſocietatem aſſumpſerat, ſed uxor *Solome Alexandra* dicta, impatiens hujuſce ſocietatis, aſſiduas contra *Alexandrum* calumnias ſtruebat. Dum graviter ægrotaret Rex *Ariſtobulus*, *Alexander* de Ituræis ſplendidam victoriam referens, ſtatim à pugnâ in templum cum militibus armatus aſcenderat ſacrificaturus: ſuſurrat *Alexandra* adventare *Alexandrum* armatum ut *Ariſtobulum* necaret; evocat ad ſe *Alexandrum Ariſtobulus*, ſed ut veniret inermis monuit: aſt *Alexandra* per eundem nuncium contraria *Alexandro* mandata clàm ſubmittit, cupere nimirum *Ariſtobulum* in novis ſuis armis fratrem conſpicere. Satellitibus *Ariſtobulus* imperavit ut *Alexandrum*, ſi veniret armatus, tollerent in viâ. *Alexander* nihil ſuſpicatus fraudis, ad fratrem ut erat armatus ſecundum *Alexandræ* conſilium accedens, à ſatellitibus propè in ædium veſtibulo, confoſſus eſt. *Ariſtobulus* hujuſce ſceleris pœnitentiâ ductus, morbo ſimul & conſcientiâ vexatus, ſanguinem multum evomuit: qui hunc efferebat in pelvi puer, lapſante pede, eodem loco ubi nuper *Alexander* cæſus erat, cadens, ſanguinem effudit, qui *Ariſtobuli* ſanguinem ſuperaffuſum fratris

Fratrem necat.

cruori

Ipſe animi angore perit.

cruori ſpectabant, quaſi divinâ vindictâ tertii magnum clamorem ediderunt: inventâ per minas clamoris causâ, *Ariſtobulus* in magnis animi terroribus expiravit.

In tragicâ hac Regni Judaici redintegratione hujus Epochæ hiſtoriam claudemus, properantes ad ſequentem, in quâ ad Romanos Imperium mundi tranſlatum eſt, Ægypti, Aſiæ, reliquique Orientis Principibus (Judæâ non exceptâ) tam profligatâ omnis generis nequitiâ perditis, ut à divinâ juſtitiâ ſuis moribus efflagitarent Principatibus excuti, & ſæviſſimis ſubjici tyrannis; evaſerant enim omnes polenta ſatis præparata, quæ à ferreis Romanæ beſtiæ dentibus commanſa deglutiretur.

Mundus aptus ut à Romanis deſtrueretur.

CAPUT XII.

Ad Epocham ſextam Quæſtiones & dubia.

QUÆSTIO I.

De temporibus tibiarum & pedum ſtatuæ Nebuchadnezaris *Danielis* 2. v. 33.

QUæritur primò, quis ſit ſenſus ſecundi Danielis verſ. 33, 34. & ſequentibus? Quid ſcilicet ſibi velint tibiæ ferreæ, & pedes partim ferrei partim lutei in ſtatuâ *Nebuchadnezaris*? Seu, quo tempore ortum ſit quartum illud Regnum ferreum ac lapis de rupe exciſus, qui totam imaginem comminuit? Reſp. Conſentiens ſatis hic erat Chriſtianorum omnium Interpretum, tam veterum quàm recentiorum ſententia, donec *Ioannes Bodinus* ingenii ac literaturæ ſummæ vir, magnam; intricatam, & periculoſam ſatis controverſiam moviſſet, de quatuor prius incontroverſis Monarchiis. *Hieronymus, Theodoretus, Lutherus, Melanchton, Bullingerus, Calvinus, Munſterus, Annotatores Anglicani* primi in ſuis ad locum commentariis, etiam *Funccius, Sleidanus*, & Proteſtantes alii communiter: *Lyranus* quoque, *Cornelius à Lapide, Sanctius, Tirinus*, & commentatores Pontificii omnes, per tibias ferreas & Regnum quartum intellexerunt Imperium Romanum, quod priora omnia Chaldæorum, Perſarum, & Græcorum Regna aboleverat: & *Lapidem* interpretati ſunt *Chriſtum*, qui ſuo Euangelio Spirituale Regnum per totum terrarum orbem erexit, & in mundi fine reliquias Romani ac cæterorum omnium terræ imperiorum in nihilum rediget, Sanctiſque ſuis in cœlo æternum regnum attribuet.

Quatuor Danielis Monarchias impugnavit primus Ioannes Bodinus.

Multi Bodinum ſecuti.

Verùm ut primùm *Ioannes Bodinus* methodi ſuæ hiſtoriæ cap. 7. pag. 437. quatuor Monarchias, ut veterem & falſam traditionem ſolicitare auſus eſt, nimis quàm multos viros doctos ſequaces habuit, *Franciſcum Iunium, Ioannem Piſcatorem, Amandum Polanum, Robertum Rollocum, Ioannem Deodatum*, & *Annotatores Anglicanos* tam medios quàm ultimos. Hi omnes per ſtatuæ pedes & Regnum quartum intelligi volunt non Imperium Romanum, ſed Regna ſucceſſorum *Alexandri*, quæ ante *Chriſti* adventum omnia evanuerant.

Hugo Grotius vir quidem multò doctiſſimus, ſed in ſcriptis ſuis ultimis perſæpe abſurdiſſimus & αἱρετικώτατος, in ſuis ad locum annotatis poſteriori addit ſententiæ, *Lapidem* intelligi Regnum quintum Romanorum, qui de monte Palatino primùm exorti priora omnia contriverunt.

Ioſephus & alii Judæi nobiſcum conſentiunt, ut quemadmodum per caput aureum Babyloniorum, ac pectus brachiáque argentea Medorum & Perſarum Regna ſignificabantur, ita per ventrem femoraque ærea Græcorum, ac per tibias pedeſque ferreos Romanorum Imperia figurarentur: ſed *Lapidem* omnia conterentem ſuam gentem interpretantur, cui ante finem ſeculi totius orbis Imperium à Deo promitti ſomniant. *Ioſephus* Antiq. lib. 10. cap. 10. expoſitâ cæterâ imagine diſſimulat ſuum ſenſum de *Lapide* contrituro Romanos tum rerum dominos quos irritare verebatur; ſed jamdudum Talmudiſtæ ac Rabbini recentiores apertè ſatis ſua ſomnia propalârunt de quintâ poſt Romanos, vel ſextâ poſt Turcas Judaicæ gentis Monarchiâ.

Talmudiſtarum quinta Monarchia.

Ab his non longè diſtant hodierni Quinto-Monarchici Anglicani, qui ad alia Judaica Chiliaſtarum ſomnia hoc addunt (humano generi, vicinis ſaltem ſuis, periculoſiſſimum Anabaptiſtarum delirium) Sanctis traditum iri, ſecundum *Danielis* præ manibus prophetiam, regna Mundi, & ſe Sanctorum in Mundo regnaturorum primordia atque primitias, qui extraordinario Dei favore mundi poteſtates conterere cœperunt, nec ceſſaturos donec aſpirante porro divini auxilii aurâ, & excitatis ubique per orbem terrarum aliorum Sanctorum exercitibus, mundana omnia imperia, unà cum legibus omnibus civilibus, & miniſterio eccleſiaſtico aboleantur, & *Chriſto* ſoli ejuſque populo totius mundi gubernamen tam eccleſiaſticum quàm civile in manus tradatur.

Quinto-Monarchici Angli.

Quæſtio quam hîc unam intendimus, eſt controverſia *Bodini* ac ſequacium, qui quatuor Monarchias evertunt, & quò *Danielem* nihil de Romanis loquutum oſtendant, dividunt Græcorum imperium in duo: ventrem & femora uni *Alexandro* aſcribentes, tibias & pedes ejus ſucceſſoribus in Aſia & Ægypto; contra omnes antiquos, omnes Pontificios, & primos ac primarios reformatarum

matarum eccleſiarum Doctores. Cætera pauciſſimis perſtringemus.

Somnium Judæorum à *Calvino* in locum copioſè ſatis refutatum non attingemus, etſi ex ſenis quæ affert *Calvinus* Rabbi *Abbarbanielis* ſophiſmatis quædam ejus ſubtilitatis videantur, ut ampliorem diſquiſitionem meritò requirant.

Grotii abſurda. *Hugonis Grotii* inventum multò putidiſſimum eſt. Itane verò? An Græcorum Regnum dividendum eſt, & *Alexandri* pro tertio, ac ſucceſſorum pro quarto habendum hoc fine, ut *Christi* locum quintum occupet populus Romanus? An in toto vel veteri vel novo Teſtamento unius loci umbra poteſt nominari, quæ *Lapidis* titulum Romano populo aſcribi debere ſubindicat? Sed concedamus, quia in monte Palatino *Romulus* ac *Remus* ſuas oves paverunt, & in eo ac ſex vicinis montibus Romam ædificârunt, *Romanos* aliquâ Catachreſi dici poſſe *Lapidem*, quo tamen pacto exciſi ſunt de monte ſine manibus? An verè divinam gemellorum iſtorum nothorum *Romuli* & *Remi* generationem cuiquam *Grotius* perſuaſerit? Quod autem ipſe commentatur *ſine manibus*, nihil aliud ſignificare quàm populum liberum à jugo Regum & manibus tyrannorum, incomparabilem ſuam in comminiſcendo audaciam protervamque demonſtrat, ſine auctoritate vel ſacrâ vel profanâ, ſine ratione, abſque omni cujuſquam coloris prætextu. Sed cum & hoc concoxerimus abſurdum, dicat vir doctus tertio loco, ecquid eſſet privilegii Regno urbis Romæ ſuper Chaldæorum, Perſarum, & Græcorum imperia, ut iſta jure tantùm humano fuerint, illud verò à Deo cœli peculiari jure erectum habeatur? Num ut Romanum hodie Epiſcopatum juris divini Jeſuitæ celebrant, cæteris omnibus per orbem Epiſcopis ad jus humanum & eccleſiaſticum detruſis: ita Romanum Imperium velit *Grotius* divinum, & cætera omnia humana? Denique à viro eruditiſſimo ſciſcitamur, num Romanum Imperium æternum exiſtimet cum veteribus iſtius urbis quaſi æternæ blaſphemis adulatoribus? Certè Regnum *Chriſti*, veriſſimi lapidis angularis, ſpirituale, cœleſte & æternum à Propheta *Daniele* clariſſimè prædicatum, à nemine Chriſtiano tam fœdè obſcurari & eludi debuit.

Grotium non excuſat quod in regno ultimo *Chriſtum* cum Romanis conjungat: certè *Chriſtus* cum Romanis in ſuo ſceptro & throno multò difficiliùs coaleſcet, quàm in *Danielis* ſtatuæ pedibus ferrum & teſta coagulantur. Utcunque, peſſimo conſilio vir doctus in regno ultimo priora omnia conterente, primas Romanis, & *Chriſto* tantùm partes ſecundas & collaterales aſcribit.

Argumenta Thomæ Goodwini pro quinta Monarchia refutantur. Quòd ad Quinto-Monarchicos Anglicanos eos nuper acutè ſatis in Oratione ſuâ Comitiali penultimâ *Cromvveans* refutat, nec in ſua immeritò acerba reſponſione *Spittelhuſius*, cuiquam cordato ſatisfacit, nos tantùm quæ *Spittelhuſius* ex *Thomæ Goodvvini* concione Londinenſi pro quinta hac Monarchiâ citat argumenta breviter diſſolvemus.

Primum. Multoties Scriptura innuit ubi omnes gentes ad *Chriſtum* convertentur, Dei populum in terris ubique principatum obtenturum. Reſp. Ad Scripturæ locos à *Goodvvino* & Collegâ ſuo *Burrouſio* pro periculoſiſſimo hoc errore allatos prolixè reſpondimus adhuc ſine Replicâ Diſſuaſivæ cap. 11. pag. 224. 1.

Secundum. Qui ſeculis prioribus ſub omnibus Monarchiis crudeli perſecutione oppreſſi ſunt, eos æquum eſt tandem miſeriis eluctatos imperandi vices in terris aſſumere. Reſp. Si qua in hoc argumento vis eſt, ad perſonas tantùm ſub prioribus Monarchiis oppreſſas ſpectat, licet verò *Goodvvinus* pro ſuo Chiliaſmo oppreſſorum illorum pleroſque ad ſiuendum in terris mille annorum pace corporaliter reſurrecturos velit, Quinto-Monarchici tamen noſtri non tam pro mortuorum dudum oppreſſorum gloriâ, quàm hodie viventium imperio dimicant. Præterea requies, imperium, gloria, quæ in oppreſſorum conſolationem Deus promittit, ſunt ſumma, perfecta, & æterna in cœlis; non humilia, imperfecta, & temporaria in terris. 2.

Tertium *Goodvvini* argumentum. Quod in *Adamo* amiſimus, id per *Chriſtum* reſtituetur: Atqui in *Adamo* amiſimus terreſtre imperium in creaturas. Reſp. Majorem veram vel in hac vita vel in futura. Num animarum abſque inhærente ullo peccato integritatem, & corporum ſine ullius morbi, ullius mortis periculo ſanitatem, quas in *Adamo* amiſimus, mortalium quiſquam in hac vita unquam adeptus eſt aut adipiſcetur? Minor etiam falſa eſt, nam licet in *Adamo* ante lapſum liberi fuerimus ab omni ſervitute, & imperium in animalia, ac terreſtres creaturas homini datum fuerit: nulla tamen Monarchia ulli hominum generi, ſupra vicinos ante lapſum data eſt, nedum ut homini omni naturalis fuerit. 3.

Quartum. Promiſſiones *Iſa.* 65. perficiuntur in terra, eò quòd verſ. 21. dicatur ædificaturos Iſraëlitas domos & habitaturos in iis, & culturos vineas, ac eſuros ex iis, non enim ædificantur domus, nec coluntur vineæ niſi in terris. Reſp. Res cœleſtes ſæpenumerò promittuntur ſub figura rerum terreſtrium. Illud Euangelii *bibam novum vobiſcum in Regno patris mei* non importat 4.

portat bibi vinum in cœlis: non ſedetur in thronis, nec editur sd menſam, nec bibitur ex fonte, nec decerpuntur a1bores Paradiſi in cœlo propriè & ſine figurâ. 2. Loco illo *Iſaia* promittuntur terreſtris beneficia, quæ revera Iſraëlitis præſtita fuerunt in reditu à captivitate Babylonicâ.

5\. Quintum. Quod expectant Sancti ut reſponſum illius poſtulati, *fiat voluntas tua ut in Cœlo ſic etiam in terris*, illud in bac vitâ præſtabitur: Atqui promiſſa de Regno *Chriſti* expectant Sancti ut reſponſa illius poſtulati. Reſp. Minor eſt fslſa, nam multa ad *Chriſti* Regnum ſpectantia expectamus, non ut reſponſa poſtulati nominsti, ſed prioris [*Adveniat Regnum tuum*] certè plurima ſpectant ad Regnum *Chriſti* Spirituale & æternum, quæ hîc expectari nec debent nec poſſunt, niſi poſt ſecundum Domini sdventum ad univerſale judicium; nec præſtabuntur niſi in gloriâ cœleſti.

Sed accedamus ad quæſtionem primariam. Num per Reguum quartum intelligatur Romanum an illud ſucceſſorum *Alexandri*? Durum ſatis eſt quod poſt *Ioannem Bodinum* poſteriores aliquot Theologi ſuprà nominati relinquant veteres omnes & primarios in Eccleſiâ reſormatâ Doctores; quod tamen illi faciunt modeſtè ſatis, conſcii quot & quales deſersnt, & quantis difficultatibus nova ſua ſententia circumcingatur. Sed vix ferendum Aonocatorum Anglicanorum Mediorum hîc ſupercilium; qui non contenti ſaniorem Veterum ſententism condemnâſſe erroris, pronunciant etism eum errorem tanti momenti, ut non tantùm lædst librum *Danielis*, ſed totum Chriſtisniſmum. Arrogantiſſimsm hancce cenſuram editio oviſſima tantùm abeſt à corrigendo, nt totidem verbis repetat etiam cum acerbitatis auctario. Iſti Anglorum arrogantiæ opponimos *Calvini* in locum ſeversm ſatis in talia ſentientes notam. *Hoc*, inquit, *extra controverſiam, quicunque praditi ſunt ſano judicio, & candidè cupiunt mentem Propheta exponere, intelligunt de quatuor Monarchiis, in quibus alia aliam ſequuta eſt.* Magna etism hîc eſt *Lutheri* confidentia. *Statuam*, inquit, *in textu Daniel ipſe ſatis perſpicuè interpretatur, videlicet quòd per eam ſignificata ſint quatuor Regna ſeu Monarchia, prima Aſſyriorum & Babyloniorum, ſecunda Medorum & Perſarum, tertia Alexandri Magni & Gracorum, quarta Romanorum, de hac interpretatione & ſententiâ convenit inter omnes, & de his Regnis intelligi debere teſtatur eventus & res ipſa, omneſque hiſtoria clarius quàm ut negari poſſit.*

Quod per Regnum quartum intelligatur Romanum Arg. 1.

Sed omiſſis auctoritstibus perpendamus ponders rationum, pro veteri & communi ſententiâ nos ſic argumentamur.

Primò. Unius ejuſdemque populi Imperium non figuratur à Prophetà diverſis metallis; plures populi in unum conſentientes uno metallo exprimuntur, Aſſyriis & Babyloniis surum, Medis & Perſis argentum aſſignatur: ſed non exprimitur Babyloniurum Regnum & auro & argeoto; nec Perſsrum & argento & ære: ita enim partium imaginis, de induſtriâ à Spiriru Saucto expreſſa, pulcherrima diſtinctio conſunderetur: Ergò Imperium Græcorum qui fuerunt nnus tantùm populus, & magis onus quàm Aſſyrii & Chaldæi, vel quàm Medi & Perſæ duobus metallis ære & ferro non non ſuot figursti.

Secundò. Inter Imaginis partes & ſignificata per partes eſt debita συμμετρία, quemsdmodum pars prima *caput aureum* non tantùm *Nebuchadnezarem*, ſed & omnes ſuos ſucceſſores Chaldæos comprehendebat, & pars ſecunda *pectus ac brachia argentea, Cyrum* & omnes ſuos ſucceſſores Periss, ita pars tertia (*venter & femora area*) *Alexandrum* omneſque ſnos ſucceſſores Græcos comprehendit; ſi modò poſteriors reſpondeant prioribus, quod in tam pulchrâ, & ab ipſo Deo accutatè ordinatâ imagine ſupponendum. 2.

Tertiò. Unaquæque Imaginis psrs notat imperium multos annos durans, noo unum ſolum Regem pauciſſimorum annorum, ita caput notat Imperium, ſi non Aſſyriorum duraos annos ſupra mille quingeotos, certè Chaldæorum, annorum ſeptuaginta: & pectus Imperium Perſicom ducentos & ultra permanens: pedes, etiam fatentibus sdverſariis, ſigoificant ſucceſſores *Alexandri* ad annos trecentos. Ergóue venter & ſemora, magna, imò maxima corporis pars, ſignificabunt nullum Regnum, ſed unom ſolum Regem, eumque regnantem ſex tantùm snnos? 3.

Quattum priori eſt ſimile. Venter & bina femora ſignificant plures perſonas quàm uusm, quandoquidem caput, pectus, pedes notant multò plures. 4.

Quintò. Imperium per tibias & pedes ſignificatum fuit tantùm unum, ſcilicet Regnum quartum: st ſucceſſorum *Alexandri* Regna non fuerunt unum ſed vsria; communiter quatuor aut quinque, *Antipatri* ſcilicet io Macedoniâ, *Lyſimachi* in Thraciâ, *Antigoni* in Aſiâ minote, *Seleuci* in Aſſyriâ, & *Ptolemai* io Ægypto. Dominia hæc ſemel diviſa nullâ unquam rstione (ſi unam gentilitiam excipias) coalueruot in unum. Quod ſi unitas populi Græci qoinque hæc Regna faciat unum, eadem ratio quinque iſta cum *Alexandri* Regno uniet & identificabit. 5.

Sextò. Regnum quartum omnibus prioribus fuit robuſtius, ut ferrum duritie ſu- 6.

perat aurum, argentum, & æs: ſed ſucceſſorum *Alexandri* Regna cum nullo priorum Imperiorum robore comparari poſſunt: Nam præterquam quòd inter ſe diviſa, & continuis bellis ſe mutuò atterentia commune robur infirmabant; etjam ſi juncta ſupponas, longè infra vel *Nebuchadnezaris* vel *Cyri*, vel *Alexandri* potentiam conſiſtebant.

Excipiunt Adverſarii in *Nebuchadnezaris* ſtatuâ Regna repræſentari non qualia fuerunt in ſe, ſed qualia erga *Iudæos*, adeoque *Seleucidas*, quod Judæos pejus quàm alii omnes mu'ctâſſent, eâ ratione dici poſſe cæteris feriores & magis ferreos. Ad exceptionem hanc replica tria. 1. Aſſeri gratis ſine ullo argumento in Imagine ptæ manibus repræſentari Regna non qualia fuerunt in ſe, ſed pro ipſorum in Judæos habitu. 2. Pejus multò à Chaldæis & Romanis Judæi mulctati ſunt quàm à *Seleucidis*, licet enim ſæviſſimis tormentis ab *Antiocho Epiphane* Judæorum permulti excarnificati ſunt, & templum fœdiſſimè pollutum: tamen ea mala perpaucos annos durârunt, nec gentem ſuis ſedibus pepulerunt, nec Hieroſolymam funditùs everterunt. Chaldæi autem & Romani populum Judaicum tantum non eradicârunt, eorum urbes & templum deleverunt: illi ſeptuaginta, hi mille ſexcentorum annorum captivitatis auctores fuerunt. 3. Regnum *Seleucidarum* cæteris omnibus fuit infirmius etiam ratione Judæorum, multas enim & ſplendidas victorias Judæi contra *Seleucidas* reportârunt, ſed contra vel *Chaldæos*, vel *Perſas*, vel *Alexandrum*, vel *Romanos*, nullam unquam alicujus notæ.

7. Argumentamur ſeptimò. In diebus Regum quarti Imperii, erectum eſt per Euangelium Spirituale *Chriſti* Regnum: ita enim expreſſe Daniel 2. v. 44. Atqui in diebus ſucceſſorum *Alexandri* non eſt erectum *Chriſti* Regnum: fatentur enim Adverſarii natum *Chriſtum* non in eorum diebus, ſed minimùm annis vigintinovem poſt eorum ultimi mortem, poſt ſcilicet extinctam *Cleopatram* & Ægyptum ultimam Græcorum Provinciam à Romanis occupatam: nec Euangelium à *Chriſto* ante ſuum triceſimum prædicari cœptum. Itaque Regnum *Chriſti* Eccleſiaſticum in terris non niſi ſexaginta annis poſt dies omnium iſtorum Regum erectum eſt.

Ad hoc argumentum reſpondent *Annotatores Anglicani* recentiſſimi, præpoſitionem *in* aliquando ſumi pro *poſt*, & ad hoc probandum afferunt Job. 27. v. 15. [*Sepelientur in morte*] hoc eſt, inquiunt, poſt mortem. Replica, Mala hæc eſt Scripturæ interpretatio: dato enim Præpoſitionem *in* aliquando ſignificare *poſt*, nuſquam tamen legimus *in diebus* reddi poſſe *poſt dies*: nam hoc eſſet non *in* ſed *extra dies*, & verè contrarium ei quod dicitur *in diebus*. Neque *Iobi* locus facit ad rem, nam Interpretes omnes iſto loco ב vertunt *in* & nemo *poſt*: & talem commentarium textus ille non admittit, nam loquitur ibi Spiritus de maledictionibus poſteritatis improborum, & inter alia hanc eorum dicit peculiarem miſeriam, quòd devorentur à morte, quòd ſepeliantur in mari mortui, quòd mors ut bellua, ut mare, ut ſepulchrum, eos ita deglutiat ut inde nunquam emergant ad vitam, ſed perſeverent in morte æternâ. Si vertas locum *ſepelientur poſt mortem*, ſcopus prædictus omninò evertetur: nam poſt mortem ſepeliri eſt favor & honor omnibus optabilis, nulla peculiaris maledictio, in improborum poſteros denunciata.

Reſponſione hac Anglorum repudiatâ, aliam pius *Rollocus* comminiſcitur; natum ſcilicet *Meſſiam* non poſt tempora, ſed in temporibus iſtorum Regum: quia ſub *Herode* qui fuit Arabs; Arabia autem erat inter Græcorum provincias. Replica. In hoc ſuo invento *Rollocus* nullum habet ſequacem, nec poteſt admitti, nam nihil omnino *Herodes* ſpectabat ad ſucceſſores *Alexandri*: Regnum ille ſuum ab unis Romanis accepit, nec ipſe fuit Arabs ſed Philiſthæus *Antipatri* Aſcalonitæ filius: neque etiam Arabia vel ab *Alexandro*, vel ab ejus ſucceſſoribus unquam ſubacta fuit: utcunque, ante *Herodis* Regnum Græcorum Imperium omnino evanuerat.

Octavò. Regnum quartum deſtructum eſt à *Chriſto* incarnato & prædicato in terris, à lapide ſcilicet parvo, poſtquam exciſus eſt ex rupe, & per Euangelii prædicationem factus eſt in magnum montem qui replevit terram: Sed Regna ſucceſſorum *Alexandri* everſa ſunt ante natum *Chriſtum*, non per prædicationem Euangelii, ſed communi Dei Providentiâ, qui omnia pro ſuo beneplacito Regna ſtruit & deſtruit. Nullum peculiarius *Chriſti* privilegium erat in everſione Regnorum ſucceſſorum *Alexandri*, quàm in everſione trium priorum Imperiorum, aut prioris mundi ante Diluvium. 8.

Nonò. In cæteris *Danielis* Propheticis figuris Regna *Alexandri* & ſucceſſorum repræſentantur ut unum, non ut diverſa corpora: ita cap. 7. v. 6. *Alexander* & omnes ſucceſſores Græci repræſentantur per unum tantùm animal, *Leopardum* alatum quadricipitem: ſicut Reges Babylonici per *Leonem*, & Perſæ per *Urſum*: beſtia autem quarta terribilis & eâ crudelitate ut ſit innominis, nullum inter omnia animalia par habens, omninò à quatuor ſucceſſoribus *Alexandri* diſtinguitur. Similiter cap. 8. v. 8. *Alexander* cum ſuis ſucceſſoribus conjun- 9.

jungitur diſertiſſimè in uno hirco, in cujus capite ipſe *Alexander* facit cornu ſolitarium, & eo fracto ſucceſſores efficiunt quatuor cornua in confracti locum enaſcentia: quinque hæc cornua in unius hirci fronte conſiſtentia faciunt Græcorum Regnum tam unum, quàm bina in capite arietis faciebant unum Medorum & Perſarum Regnum.

10. Decimò. Regnum quartum perſeverat ad ſecundum *Chriſti* adventum; Sed Regna ſucceſſorum *Alexandri* everſa ſunt ante *Chriſti* adventum primum. Major fundatur in Dan. 2. v. 44. & 7. v. 7. ac 9. Ptiori loco, quartum Regnum petſeverat uſque dum deſtruitur à Dominio æterno *Chriſti*, quod nulli alii principi aut populo poſt *Chriſtum* tribuitur: loco poſteriori beſtia quarta non aboletur, donec *Chriſti* thronus ad univerſale judicium erigitur.

Quod hîc *Lutherus* & cum eo alii Germani Theologi concludunt certum eſſe Germanorum Imperium, nec à Turcis, nec ab aliis quibuſvis erui poſſe uſque ad mundi finem, non eſt ſatis ſolidum. Nam quid vetat Turcam ſedentem Conſtantinopoli, & pro Orientalium Imperatorum ſucceſſore ſe ferentem, haberi poſſe pro altero pede, eoque maximè ferreo Romani Principatûs, tam quam Germaniæ Principem prope luteum & teſtaceum ſedentem Viennæ.

11. Denique plus facit ad gloriam *Chriſti* θεανθρώπου, ut poſt incarnationem jam homo factus deſtruat Romanum Imperium maximum, cæteraſque mundi poteſtates mediatorio ſuo Regno ſubjiciat, quàm ut divinâ ſuâ & tantum ordinariâ Providentiâ Regna Græcorum diu ante ſe natum extincta aboleat. Sententia communis *Chriſti* mediatoris honorem & potentiam illuſtrat, quam adverſaria multùm obſcurat & imminuit.

Sed videamus quæ vel pro ſe vel contra nos Adverſarii hîc afferant. *Piſcator* unum tantùm habet argumentum, & *Rollocus* alterum, quibus *Iunius* addit tertium. Iſta *Deodatus* & *Anglicani* recentiſſimi mutuantur, nihil addentes de ſuo; ſed *Polanus* tria illa extendit ad undecim, quæ nos omnia paucis diluere conabimur.

Contraria Polani argumenta ſolvuntur.

1. Primum *Polani* argumentum hoc eſt. Sub finem Regni quarti venturus erat *Meſſias*, & deſtructurus omnia imperia per Imaginem repræſentata: Sed *Meßias* non venit ſub finem Monarchiæ Romanæ, nec eam ſuo adventu deſtruxit: imò verò nato *Chriſto* floruit quàm maximè Romanum Imperium. Reſp. *Chriſtus* venturus erat non ſub finem ſed ante finitum Regnum quartum, in diebus ſcilicet Regni quarti, nam natus eſt florente *Auguſto* Cæſare. Hinc certè ſequitur Regna ſucceſſorum *Alexandri* eſſe non potuiſſe Regnum illud quartum; cùm non in iis ſed diu poſt ea *Chriſtus* natus ſit, & diutiùs poſt ea *Chriſti* Regnum erectum ſit. Præterea nuſquam dicit Scriptura, *Chriſtum* ſtatim à primo ſuo adventu deſtructurum Regnum quartum, ſed tantùm deſtructurum. Lapis exciſus de rupe abeliturus erat Imaginem, ſed non ſtatim & quam primùm exciſus eſt: hoc facturus erat *Chriſtus* tempore opportuno, & partim jam dudum præſtitit, ac partim ante & in adventu ſuo ſecundo adhuc præſtiturus eſt.

Secundum. Regnum quartum ſtatim eſt diviſum in duo crura, duas ſcilicet familias *Lagidarum* & *Seleucidarum*, ſed Imperium Romanum non ſtatim diviſum fuit in duo. Reſp. Non dicit Propheta Regnum quartum ſtatim diviſum iri in duo, repræſentat quidem Regnum quartum ſub figurâ duorum pedum; ſed binitas pedum non magis importat diviſionem unius Regni in bina, quàm binitas æreorum femorum ſecabat *Alexandri* Regnum ipſo vivente in duo, aut binitas brachiorum argenteorum Perſarum Regna dividebat in duo, Præterea concedamus notâſſe *Danielem* dividendum fuiſſe Regnum quartum, nihil tamen habet quod importat diviſionem hanc fuiſſe futuram vel ſtatim Regni initio, vel antequam Regnum deſcendiſſet ad pedes & digitos pedum, tum demum non in duo ſed decem pedum digitos dividendum fuit, quot hodie Regna ex Romano Imperio enata quidam numerant. Et ſi olim etiam Romanum Imperium diviſum ſæpe fuerit in duo: duæ factiones in eo fuerunt pervetuſtæ, nimirum inter *Syllam* & *Marium*, *Ciceronem* & *Catilinam*, *Pompejum* & *Cæſarem*, *Auguſtum* & *Antonium*. Per multas etiam annorum centurias ſtabilita fuit Orientalis Imperii ab Occidentali diviſio, & in hunc uſque diem Romani Imperii inſigne eſt duplex Aquila. Quod ad ſucceſſores *Alexandri*, ut in hiſtoriâ videre eſt, multi anni elapſi ſunt priuſquam dividerentur in duo: Scriptura eos repræſentat ut quatuor cornua & quatuor capita, nuſquam ut duo. Et verò, cornu primarium fuit Regnum Macedonicum, dignius vel Ægyptiaco vel Syriaco, donec in Perſeo à Romanis everſum eſt. 2.

Quòd ſi Judæos reſpicias, iis quidem *Lagidæ* Ægyptii aliquando dominabantur, ſed tamen omnis Judæorum perſecutio à ſolis *Seleucidis*, nequaquam à *Lagidis* provenit, ita ut nulla commoda ratio ſit pro diviſione Regni Græciæ in duo.

Tertium *Polani* argumentum. Familiæ quartum Regnum adminiſtrantes ſuas diviſiones conjugiis conabantur curare; Sed 3.

rale nihil legimus de Imperio Romano. Reſp. Conjugia à *Daniele* memorata cap. 11. inter *Seleucidas* & *Lagidas* intelligi non debent de commixtione per ſemen humanum memoratâ cap. 2. 43. nam illa connubia celebrata ſunt, cum maxime vi & opibus florebant Ægypti & Aſiæ Regna: iſta autem commixtio de quâ Cap. 2. non accidit niſi in fine iſtorum Regnorum, cum ultra non tantùm pedes & tibias, ſed ad ipſos pedum digitos deventum eſſet. Itaque *Rollocus* in ſuâ accommodatione, rectiùs quàm expoſitione, iſtam commixtionem refert ad humana fœdera & pacta, non connubia; quibus poſt Concilium Tridentinum Pontificii Principes contra Eccleſias irrito conatu conjuncti ſunt. Si verò de connubiis placeat locum accipere, tot memorari poſſint inter Principes Romanos celebres nuptiæ quàm inter *Seleucidas* & *Lagidas*, nimirum inter *Cæſarem* & *Pompejum*, *Auguſtum* & *Antonium*, Imperatores Occidentis & Orientis: inprimis inter digitos pedum, ultimos Reges inter ſe diviſos; Reges ſcilicet Germaniæ, Galliæ, & Hiſpaniæ, Britanniæ, Luſitaniæ, Neapolis, Poloniæ, Daniæ, Suediæ & Hungariæ, quæ connubia pacis ſtabiliendæ prætextu ſancita effectum ſæpe contrarium ſortita ſunt.

4. Quartum argumentum. Regnum quartum deleri debuit *Chriſti* adventu ſecundo, adeoque permanere ad mundi finem, ſed jam dudum interiit Regnum Romanum, ſublatum per Turcas & Papam alioſque. Reſp. Diximus non ſtatim delendum fuiſſe Imperium à nato *Chriſto*, ſed poſt ejus adventum primùm tempore opportuno, quòd verò duraturum ſit ad ſecundum *Chriſti* adventum, hoc quidem aſſerit *Lutherus* & alii, utcunque ad hodiernum diem durat: quicquid enim de Turcâ facias qui Imperatoris Romani Orientalis ſucceſſorem ſe venditat; certè Germani Imperatorem Romanum Occidentalem habere ſe abſque ullâ à quoquam hodie controverſiâ gloriantur, & verò digiti pedum quà ferrei quà fictiles in decem nominatis Regnis perſeverant, & ad ſecundum *Chriſti* adventum perſeveraturos non eſt vero abſimile.

5. Quintum. Viſio Statuæ cap. 2. exponitur clariùs per viſiones poſteriores beſtiarum cap. 7, 8. & 11. Reſp. Palmarium hoc eſt omnium adverſariorum argumentum, de quo plura ſequentibus quæſtionibus, ſed in præſentiâ negamus viſiones capitis 8. & 11. eaſdem cum viſione cap. 2. & ejus explicativas; manifeſtus hic conferenti locos error apparebit. Viſio enim cap. 2. tam in ſigno quàm re ſignificatâ, tam in Imagine quam in rebus per partes Imaginis repræſentatis erat quintuplex: Caput aureum Babyloniorum, pectus argenteum Perſarum, venter æreus Græcorum, tibiæ ferreæ Romanorum, & lapis angularis *Chriſti* Domini: viſionis autem cap. 8. vel in ſigno vel in ſignificato non ſint plures partes quàm duæ, nec iſtæ integræ. Nullum de Monarchiâ primâ, nullum de quartâ, nullum de *Chriſto* verbum, tantùm de Regibus Perſicis & Græcis agitur, iiſque paucis non omnibus. Incipit enim viſio cap. 8. à *Dario Codomanno*, ariete quam proſtravit *Alexander*, & deſinit in cornu parvo *Antiocho Epiphane*: & viſio cap. 11. licet plures Regum Græciæ attingat, non tamen procedit ultra *Antiochum Epiphanem*: Itaque negamus viſiones cap. 8. & 11. eaſdem cum viſionibus cap. 2. Alia eſt ratio capitis 7. ea quidem videtur accommodari poſſe ad cap. 2. ubi beſtia quarta Regnum Romanum rectè poteſt repræſentare. Sed de eâ Imagine mox pluribus.

Sextum argumentum. Regnum quartum non potuit eſſe Romanorum, quia Romani paucas tantùm Provincias Imperii Babylonici tenuerunt, Syriam ſcilicet, Aſiam minorem & Ægyptum. Reſp. Satis eſt ut quartum Imperium fuerit Romanum, ſi ipſi multò maximum poſſederint Imperium, etſi Provinciis aliquot priorum Imperiorum caruerint. Secundò. Poſſederunt omnia tam *Lagidarum* quam *Seleucidarum* Regna, nam poſt *Antiochum Magnum* à Romanis devictum, *Seleucidæ* contra Parthos tueri non valentes vel ipſam Babylonem, nedum Orientales Provincias, Regni ſui caput conſtituerunt Antiochiam in Syriâ. Denique Romani ad Euphratem uſque totam Aſiam etiam *Pompeji* tempore debellârunt, neque Parthis petentibus concedere voluerunt, ut Euphrates Romani Imperii limes conſtitueretur. Quod ad Babylonis urbem, ea tum nullius nominis inter Orientis civitates habebatur. 6.

Septimum. Revelata ſunt *Nebuchadnezaris* in ſomnio tantum ea de quibus vigilans cogitabat, vigilans autem meditabatur de ſtatu mox futuro Regni ſui: non de temporibus valdè longinquis in quibus regnaturi erant Romani. Reſp. Meditabatur quidem Rex de temporibus poſt ſe, ſed quouſque hominis in terrâ maximi & ambitioſiſſimi cogitationes ſe extenderent quis novit? Certum eſt revelaſſe ipſi Deum res temporis non tantùm poſterioris ſed poſtremi, non tantùm futura poſt ſe, ſed futura in tempore extremo, poſt finitum Romanum Imperium. Expreſſè enim *Daniel* ipſum alloquitur de Regno *Chriſti* æterno. 7.

Quòd ergo hic multi diſputant contra Latinum Interpretem, quaſi malâ ſuâ verſione induxiſſet Latinos Patres in errorem,

dum

dum transferret locum *Danielis* de temporibus non poſterioribus ſed noviſſimis. Redargutio hæc veteris Interpretis eſt immerita, nam in ipſo textu Originali diſtinctio manifeſta eſt inter באחרית יומיא verſ. 28. & אחרי דנה verſ. 29. Priorem locum rectè vertit Interpres Latinus, poſt Græcum ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν, ut in aliis multis Scripturæ locis abſque cujuſquam offenſâ, poſteriorem autem transfert *poſthac*, ut redargutores optant, quaſi apertè innuens revelationem divinam multò ultra *Nebuchadnezaris* cogitata ſe extendiſſe ad extrema *Chriſti* tempora, poſt Regnorum omnium mundi ſcenæ finem impoſitum.

8. Octavum. Vidit *Nebuchadnezar* ea ſolùm Regna quæ cum ſuo cohærebant: Ergo non Romæ, quæ mille ducentis milliaribus Babylone diſtabat. Reſp. Tanta non fuit Romæ Babylone diſtantia, quin arma Romanorum euſque & ultra pertigerint, & verò belliſſimas Babyloniorum Provincias, Syriam, Ægyptum, Cyrenen, Cyprum, Lyciam, Ciliciam, Phrygiam, Lydiam, Pontum, Bithyniam, Cappadociam, Armeniam, Paphlagoniam, & multas alias Romani poſſederunt. Quod ad magis Orientales, eas Parthi ab ipſis *Alexandri* ſucceſſoribus ante *Antiochum Epiphanem* eripuerunt. Et verò *Nebuchadnezar* in Statuâ vidit ſe ſequentes Reges ad fines uſque terræ dominantes, nimirum *Alexandrum Magnum*, cujus Imperium non minùs latum quàm Romanorum, multoque latius quàm Babyloniorum fuit.

9. Nonum. Ea tantùm Imperia vidit *Nebuchadnezar*, in quibus Judæorum Eccleſia habitans affligebatur ad *Chriſti* adventum: hæc autem fuerunt ſucceſſorum *Alexandri*, non autem Romanorum. Reſp. Chananæa Judæorum ſedes pars fuit Romani Imperii non minùs quàm Græcorum. *Lagidæ*, etſi invitis aliquando *Seleucidis*, Chananæam poſſidebant, nunquam tamen Judæos perſecuti ſunt, & verò Romani etiam ante *Chriſti* adventum, Judæos multoties malè mulctârunt, tandemque *Chriſtum* crucifixerunt, *Ioannem Baptiſtam* & Apoſtolos occiderunt, Hieroſolymam funditus everterunt, populumque in captivitatem ad hunc diem perſeverantem abduxerunt.

10. Decimum. Prophetiæ capp. 7, 8. & 11. manifeſtè evincunt nihil loqui *Danielem* cap. 2. de Romanis. Reſp. Nihil hìc opus eſt reſponſione, nam argumentum hoc merus eſt κακυμερὸν & repetitio quinti, de quo ſatis ſuprà.

11. Undecimum. Eventus in Regnis *Lagidarum* & *Seleucidarum* exactiſſimè reſpondeTunt pedibus & tibiis Statuæ. Reſp. Cur hoc negemus multa attulimus argumenta in parte κατασκευαστικῇ, quibus plura ſuperaddere non putamus operæpretium.

Quæ prætereà affert *Ioannes Bodinus*, in iis uon immorabimur. Tria inprimis ille *Addit Bodinus tria.* prolixè diſputat. Primum, Romanorum Imperium diu Monarchiam non fuiſſe. Secundum, Germanorum hodie Imperium non eſſe Romanorum. Tertium, majora fuiſſe olim & eſſe hodie aliorum Imperia quàm fuerint vel Chaldæorum, vel Perſarum, vel Græcorum, vel Romanorum, ſcilicet Parthorum, Tartarorum, Æthiopum, Turcarum, & aliorum.

Iſta omnia parum ad noſtram quæſtionem. Uccunque ad primum Replica 1. *Solvitur 1.* *Danielem* loqui de ſummis Imperiis, ſive Monarchiæ ſive cujuſcunque formæ fuerint. 2. Quemadmodum cætera ſumma Imperia in Monarchias verterunt, ita Romanum poſt *Cæſarem* in Monarchiam redactum eſt. 3. Litem hanc de nomine non movent *Bodini* ſequaces, uſurpantes ipſi in ſuis ſcriptis non minùs quàm noſtri quatuor Monarchiarum phraſin. Certè quos ipſi ponunt ſucceſſores *Alexandri*, ſive quatuor, ſive duos efficias *Seleucidas* & *Lagidas*, nullam ptopriè Monarchiam conſtituunt.

Ad ſecundum Replica. Inter Principes 2. Europæos, imò inter omnes mortales, ab annis ſupra ſexcentos convenit ſine controverſiâ; titulum, inſignia, & jura Romani Imperii, Germanornm Principi attribuenda. *Bodinum* non decuit (ut Gallus ſuis ablandiretur) univerſalem iſtum conſenſum ſolicitare. Utcunque nobis ſatis eſt, ſi Germaniæ Imperator vel unus ex decem Regibus conſtituatur, inter quos Romanum imperium vergens in ſuum occaſum diſtributum eſt.

Ad tertium Replica primò. Magna illa 3. & parum nota in terræ finibus imperia Tartarorum, Muſcovitarum, Indorum, Æthiopum, & ejuſmodi parum ad Eccleſiam Judaicam ſpectâſſe, de quâ *Danielis* cura maxima, aut ad ſubditos *Nebuchadnezaris*, de quibus ille ſolus ante ſomnium cogitâſſe videtur. Deinde quod ad Turcas, eos non minùs quàm Germanos in partem Imperii Romani ſucceſſiſſe multi tuentur. Denique licet hodie Tartarorum, Muſcovitarum, Mogullis Indi, Pretiannis Æthiopis imperia, latitudine Regnorum & multitudine populorum ingentia ſint; tamen ad potentiam, robur, & ſtabilitam politiam cujuſquam ex quatuor præ manibus Monarchiis non ſunt comparanda.

Dum quæſtionem parabam claudere, inciderunt in manus trium adhuc aliorum hac de re ſcripta *Conſtantini L'empereur*, *Thomæ Parkers* Novo-Angli, *Roberti Epiſcomaſtygis* filii, & *Ephraimi Huiti*.

Singularia L'empereurs.

Primus quod Rabbi *Iacchiades* pedes ferreoa Regnum Romanorum rectè commentatua erat, male pervertit ad Regnum *Seleucidarum*. Pro ſuâ ſententiâ laudat *Franciſcum Iunium*, cui ex *Ioſephi Scaligeri* teſtimonio primnm inter omnes Theologos locum poſt Apoſtoloaattribuit. Reſp. Hyperbolicæ laudes dum excedunt modum, plua detrahunt quàm addunt cujuſquam nomini. Certè in hac quæſtione *Franciſcus Iunius* malè de Eccleſiâ & veritate meritus eſt. Quod de ſuo hîc addit *L'empereur*, demonſtrationem vocat ex Dan. cap. 8. verſ. 22. Unde ſic argumentatur. Regnum quartum à ferreia pedibus denotatum immediate ſucceſſit *Alexandro Magno*, & conſiſtebat ex Regnia quatuor infirmioribus Regno *Alexandri*: Atqui hæc de Imperio Romano vera non ſunt. Replica. Hujuſce demonſtrationis major apertè falſa eſt, nam Regnum quartum nou ſucceſſit *Alexandro Magno* immediatè, ſed poſt everſos ſuos ſucceſſores, quemadmodum *Alexander* ſucceſſit *Cyro*, & *Cyrus Nebuchadnezars*, *Daniel* autem loco citato tantùm attingit Regna duo, Perſicum ſcilicet & Græcum, nullum neque de primo neque de quarto verbum ſaciens. Et verò ſucceſſorum *Alexandri* Regna manifeſtè vocantur à *Daniele* quatuor, & infirmiora fuerunt prioribus, quod utrumque negat *Daniel* de Regno quarto; illud faciena cùm unum, tum potentiua omnibus prioribus.

Parkeri.

Quod ad *Parkerum*, rectè quidem ille interpretatur tibias & pedea, Regnumque quartum de Romania, ſolidéque diſputat prope iiſdem in quæ nos incidimus argumentis contra Regnum quartum *Seleucidarum*; ſed maleſanâ Novæ Angliæ aurâ afflatus cum Quinto-Monarchicis parvum lapidem de monte exciſum, Imaginem totam conterentem, non vult exponi de *Chriſto* aut Regno ejus poſt Incarnationem Spirituali terram implente, ſed de Sanctis ſeparantibua ſe à monte Romano & Regno *Antichriſti*, divináque virtute poſt caſum *Antichriſti* omnia Regna occupantibua etiam in hac vitâ viſibiliter. Contra hæc phantaſmata pluta fortaſſe poſthac, ubi apertiùs ſua ſenſa *Parkerus* aperiet.

Huitti.

Tertiùs *Huit* pauca addit præcedentibua: rectè nobiſcum interpretatur tibiaa ferreaa de Romano Imperio; ſed in lapide comminuente Statuam ad Novo-Anglica deliria deviat, in hoc tamen à *Parkero* & Quinto-Monarchicia differena, quòd Regnum ultimum tribuat ſolis Judæis ad *Chriſtum* converſis; hos enim vult in Judæam reverſos toti orbi ad mundi finem dominari, ſed quàm levibus argumentis fortaſſe poſteà perpendemus.

QUÆSTIO II.

Quæritur de tempore Beſtiæ *quarta Danielis* 7. v. 7. *& ſequentibus.*

RESp. Tot tantæque difficultates, ac inter auctores diſcrepantiæ hîc occurrunt, quot in quæſtioue priori, ſed quia fere eædem ſunt cum iſtia; ideo breviter eas perſtringemua.

Omnes ad Bodinum Beſtiam quartam de Romanis Interpretati ſunt.

Hieronymus & *Theodoretus* in ſuia ad locum commentariia, & alii Patres tam Græci quàm Latini, ubi in ſuia ſcriptis in eum locum incidunt, quemadmodum per *Pardum* cum quatuor alis & quatuor capitibus, intelligunt Regnum Græcorum *Alexandri* & ſucceſſorum, ita *Beſtiam* quartam interpretantur *Imperium Romanum*. Hos ſequuntur Pontificii omnes, & ex Proteſtantibua mulri præſtantiſſimi, ſuperiore quæſtione nominati. Omnes enim, uemine contradicente, eandem re ipsâ faciunt viſionem *Nebuchadnezaris* Cap. 2. & Prophetæ cap. 7. idemque ſignificari volunt per ventrem ac femora ærea, quod per beſtiam tertiam, & per tibias pedeſque ferreoa, quod per beſtiam quartam. Sed qui poſt *Ioannem Bodinum* ſcripſerunt Proteſtantes fere omnes, ut per tibias & pedes ferreos intellexerunt Regna ſucceſſorum *Alexandri*, inprimia *Seleucidarum*; ita per *Beſtiam* quartam eoſdem ſucceſſores, ac *Seleucidas* interpretantur. Chorum hîc ducit *Franciſcus Iunius*, & poſt eum *Piſcator*, *Deodatus*, ac alii ſuprà nominati. Primatia ergo hîc inter partea quæſtio eſt, utrum beſtia quarta ſit Imperium Græcornm ſucceſſorum *Alexandri*, an Romanornm. Sed ab ntraque parte ſunt quædam, ut ita loquar, extravagantiæ, quas in anteceſſum, ut via ad quæſtionem principalem muniatur, paucia diſcutiemus. Ab una parte *Hugo Grotius* & *Conſtantinus L'empereur* ſua habent ſingularia; ab alterâ parte *Thomas Parkerus*, & *Ephraim Huitus* ſua, Imò verò & *Ioannes Calvinus* quædam in quibus paucos, ſi ulloa, ſequacea haber.

Grotii abſurda.

Grotius in quæſtione principali ſequitur *Iunium*, ſed in ſuia explicationibus hæc habet propria. Primò, vel quatuor capita *Pardi* non vult cum omnibus utriuſque partia Interpretibus, imò cum ipſo Daniele 8. v. 22. intelligi quatuor Regna ſucceſſorum, ſed quatuor *Alexandri* duces, *Perdiccam*, *Meleagrum*, *Seleucum*, & *Ptolemæum*, quorum primi duo nulla Regna, nullos habuerunt ſucceſſores. Certè multi erant *Alexandri* duces, plures quàm quatuor, majoris auctoritatis, potentiæ, & nominis, quàm vel *Meleager* vel *Seleucus* initio, ſcilicet *Antipater*, *Lyſimachus*, *Antigonus*, *Peuceſtes*, *Leonatus*, *Neoptolemus*, *Craterus*, *Eumenes*, *Caſſander* & Alii.

Secun-

2. Secundò. Decem cornua Beſtiæ quartæ non vult cum *Hieronymo* & veritate intelligere de Regnis in quibus deſiit Imperium Romanum, ſed cum *Porphyrio* Chriſtiani nominis hoſte, de decem Regibus Syriæ & Ægypti: & licet *Porphyrium* ſe profiteatur ſequi, alios tamen quàm *Porphyrius* ipſe Reges confingit. Ponebat *Porphyrius* inter cornua *Ptolemaum Philometora* & *Artaxiam*: hos expungit *Grotius*, ſed alios quaſi Judæorum perſecutores enumerat, nimirum *Ptolemaos* quinque; *Lagi*, *Eupatora*, *Evergeten*, *Philopatora*, *Epiphanem*, *Seleucos* duos, & *Callinicum*; *Antiochum* etiam *Magnum*. Magna aliquorum ex iſtis in Judæos fuere beneficia, certè nullum inſigne propè ob eorum quoquam maleficium fuit.

3. Tertiò. Tres Reges à cornu parvo deſtructos & eradicatos interpretatur *Seleucum Philopatora*, *Antiochi Magni* primogenitum, ejuſque filium *Demetrium Sotera*, ac *Ptolemæum Philopatora* contra hiſtoriæ fidem. Bellavit quidem cum *Ptolemao Philopatore Antiochus Epiphanes*, ſed nunquam eum Ægypti ſolio vel voluit vel valuit ejicere, nedum ut eum extirpaverit. Cum fratre ſuo majore *Seleuco* uſque ad ejus mortem in bonâ fuit gratiâ: cum *Demetrio* etiam patruele nulla unquam ei lis fuit: mortuus eſt *Seleucus* antequam ad eum Româ frater *Antiochus Epiphanes* acceſſit, & Romæ remanſit *Demetrius* obſes ultra *Epiphanis* mortem.

4. Quartò. Verùm id quod in *Grotii* commentario ſummè diſplicet eſt, quòd clariſſimum *Danielis* teſtimonium de trinitate divinarum perſonarum, de Divinitate ac officio *Mediatoris* perverſiſſimè enervet. Chriſtiani omnes Interpretes antiqui, novi; antiquum dierum, & filium hominis ad antiquum dierum accedentem, intelligunt de æterno Patre ac filio Jeſu Chriſto: ſed *Grotius* per antiquum dierum nullam perſonam, & tantùm benè cocta Dei conſilia (ut loquitur) intelligit; & per filium hominis ſceleſtiſſimè & abſurdiſſimè nihil aliud quàm populum Romanum, quem vult dici filium hominis, eumque venientem in nubibus; quia populus iſte ex privatis conſiſtens ſine Regibus ſummâ celeritate omnia corripiebat.

Hæcne *Grotii* pietas, ultra *Socinum* Jeſum Chriſtum à *Danielis* Monarchiis excludere? Hæcne eruditio Romanos Rerum dominos, licet Imperatoribus & Regibus ſpoliatos, in homines privatos redigere? Hicne *Grotii* ſenſus communis populum Romanum licet ex privatis conſiſtentem, in filium hominis unamque perſonam transformare?

5. Quintò. Hoc etiam habet *Grotius* ſibi peculiare, Imperium quintum Filii hominis & Sanctorum Dei univerſale ac æternum, interpretatur non tantum cùm *Porphyrio* Regnum Maccabæorum, ſed etiam Regnum Romanorum: idque tam Ethnicorum quàm Chriſtianorum aut quàm Antichriſtianorum. Chriſtianorum autem Regna intelligit ſolum mundana, excluſo Chriſti & Sanctorum Spirituali omni vel in Cœlo vel in terris imperio. Certè hîc eſt profanarum abſurditatum veriſſimum cornucopiæ.

Singularia L'empereurs.

Conſtantinus L'empereur Rabbinum ſuum *Iacchiadem* malè hîc corrigit: *Iacchiades* quartam Beſtiam prioribus robuſtiorem Romanum Imperium rectè intelligebat, quod ſine ratione *L'empertur* rejicit; ſed hunc errorem ei cum aliis communem faciliùs condonâſſemus, niſi alios inſuper ſibi peculiares accumulâſſet. Nam primò, 1.
decem cornua quartæ beſtiæ exponit de ſolis Regibus Syriæ & *Seleucidis*.

Deinde, ut numerum denarium Regum 2.
Syriæ ſuppleat, inter *Seleucidas* numerat *Ptolemaum* tam *Philopatora* quàm *Evergeten*; eò quòd hi victorias aliquot contra *Antiochum Magnum* impetrantes aliquandiu Syriæ impetrârunt. Sed multò rectiùs *Antiochum* tam *Magnum* quàm *Epiphanem* inter *Lagidas* Ægypti Reges numerâſſet, ipſi enim contra *Ptolemaos* plures victorias adepti ſunt quàm contra eos *Ptolemai*. Et verò *Ptolemaus Lagi* ac *Philadelphus*; *Antigonus* quoque ejuſque filius *Demetrius* diutiùs in Syriâ poſt *Alexandrum* imperârunt quàm vel *Philometor* vel *Evergetes*.

Tertiò. Ut *Antiochum Epiphanem* cornu 3.
parvum & undecimum in beſtiâ quartâ conſtituat, facit *Alexandrum Magnum* primum iſtius beſtiæ cornu. In hoc ſingularis eſt *L'empertur*, nullum habens ex doctis ſibi *σύμψηφον*. Propheta quidem Daniel cap. 8. in tertiâ beſtiâ *Alexandrum* cum ſucceſſoribus conjungit, & hunc uno illoſque quatuor cornibus effigurat: ſed eum ab ipſis clariſſimè diſtinguit, ſic ut ipſe fuerit cornu ſolitarium, prius fractum quàm ex ipſis quiſquam exoriretur; ipſi autem eodem tempore poſt *Alexandri* mortem in hirci capite conſiſterent. Quod autem *Alexander* cum Regibus *Seleucidis* Syriæ, *Antiochum Epiphanem*, decem cornua beſtiæ quartæ conſtituat, id ſolus *L'empereur* affirmat, ſed probare non conatur.

Denique malè *L'empereur*, ut *junii* tuea- 4.
tur ſententiam, *Antiochum Epiphanem* unum ex decem cornibus faciens, Scripturæ ſenſum novo ſuo commento corrumpit. Danielis 7. v. 24. cornu parvum vocatur *aliud* poſt decem cornua. Vox, inquit *L'empertur*, verti debuit non *aliud* ſed *poſtremum*, nam apud Arabas אחר à quo derivatur *Danielis* אחרן ſignificat *poſtremum*. Fruſtra *L'empereur* ad Arabas hîc confugit, non eſt enim

enim quòd inquiramus de ſignificato radicis אחר (etſi illa nuſquam in ſacris literis ſignificet *poſtremum*) nam lubentes damus etiam ipſum derivatum אחרן à *Daniele* uſurpatum in multis Scripturæ locis rectè verti à Septuaginta per ἔσχατον *poſtremum*, noviſſimum negamus tamen ita loco præ manibus poſſe transferri, nam ibi cornu parvum non dicitur ſimpliciter אחרן ſed אחרן אחריהון aliud poſt eos. Illud autem non poteſt intelligi de uno ejuſdem numeri, ſed de alio extra eum numerum, ſeu alio poſt iſtos Reges decem; prout non tantùm omnes Interpretes, ſed ipſe *Daniel* habet expreſſe.

Singularia Parkeri. *Thomas Parkerus* In ſuis ad *Danielem* commentariis, multis (ut profitetur) *Graſeri* argumentis evincit Beſtiam quartam Romanum fuiſſe Imperium, ſed tria ipſius
1. ſingularia non placent. Primum, Decem Reges vult Britones, Saxones, Francos, Burgundos, Gothos, Alanos, Suevos, Vandalos, Alemannos & Græcos. Iſtorum plerorumque Regna per parvi temporis & puſillæ potentiæ dudum evanuerunt: & ſi tales Reges numerare licet, nulla ratio cur non potius Scotorum, Danorum, Normannorum, Longobardorum, Hungarorum, Turcarum, Saracenorum, Italorum, Hiſpanorum, & aliorum Reges in iſtum cenſum venire poſſent.

2. Secundum *Parkeri* paradoxum, quòd tres Reges à parvo cornu everſos interpretetur tres Saracenos Principes à Chriſtianis in bello ſacro Hieroſolymitano necatos. Durum eſt bellum illud ſacrum contra veros *Chriſti* hoſtes Saracenos, licet inſtigante Romano Pontifice ſuſceptum, cornui parvo aſcribere. Prætereà Saraceni iſti Principes nullum faciebant ex decem cornibus quartæ beſtiæ. Denique etſi tres iſti, & multò plures Principes Mahometani à Chriſtianis in bello ſacro necati ſint, nulla tamen eorum Regna, niſi ad tempus admodum parvum *Chriſto* ſubjectà fuerant.

3. Sed in *Parkero* inprimis diſplicet, quod tempus, tempora, & dimidium temporis interpretetur de tot annis quot ſunt dies in annis tribus & dimidio, ita ut Antichriſti caſum, & novæ Hieroſolymæ Regni initium anno 1649. conſtituat. De ſomnio hoc poſteà ſuo loco.

Paradoxa Huitii. *Ephraim Huit* in egregio ſuo ad *Danielem* commentario hæc habet in hac quæſtione paradoxa. 1. Parvum cornu notare Regnum Turcarum, non Antichriſti. 2. Regnum quintum Sanctorum fore Judæorum converſorum dominium civile in terris ſuper omnes gentes. 3. Tempus, tempora, & dimidium temporis notare annos centum ducentos & quinquaginta, hoc eſt, annos trecentos quinquaginta Regni Turcarum, qui incipientes anno milleſimo trecenteſimo, deſituri eſſent milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo, quo anno converſio Judæorum & initium imperii Judaici per totum Mundum prædicuntur. Paradoxorum iſtorum vanitatem ante quinquennium dies ipſa refutavit.

Calvini hic paradoxa. *Ioannes Calvinus* in hac quæſtione multùm etiam extra oleas vagatur: permulta habet paradoxa, in quibus quantum novi, nullos ſequaces habet, quidni enim quandoque bonus dormitet *Homerus*: in fundamento ſaniſſimus eſt, Beſtiam enim quartam Romanum vult Imperium, ſed in Prophetiæ partibus exponendis multum aberrat.
Nam 1. decem cornua & decem Reges, 1.
vult intelligi Proconſules & Prætores à Senatu Romano quotannis in Provincias miſſos, & tamen hos fatetur non fuiſſe decem, ſed pro Provinciarum numero, aliquando plures, aliquando pauciores; nec Regiam ullam poteſtatem poſſediſſe, nam annuum tantùm erat eorum imperium, idque omnino precarium ac ὑπεύθυνον, primo Senatui ac poſteà Imperatoribus.

Secundò. Cornu parvum vult ſignifi- 2.
care *Iulium Cæſarem*, *Auguſtum*, *Tiberium*, & alios Cæſares uſque ad *Trajanum*, & alios extra Romanos Imperatores. Certe Imperatores cornua erant in ipſo ſuo primo ortu, multò majora & robuſtiora quoquam Proconſule aut Prætore in quacunque decem Provinciarum.

Tertiò. Tria cornua à cornu parvo era- 3.
dicata vult intelligi Provincias tres ab *Auguſto* Cæſare ſibi reſervatas, quibus ſine ſenatuſconſulto ipſe magiſtratus annuos nominaret: certè non conſtat ex hiſtoria *Auguſtum* aut ullum alium Imperatorem ex decem Romanis Provinciis ſolas tres privatæ ſuæ juriſdictioni reſervâſſe, aut ſi reſervâſſent, & ſuo nomine Proconſules ac Prætores eas gubernaturos nomináſſent; propterea horum magiſtratuum potentiam eradicâſſe magis, quàm aliorum in aliis Provinciis.

Quartò. Judicium Antiqui dierum in 4.
fluminibus flammeis, apertionem librorum, & adventum filii hominis in nubibus, completa vult in primo *Chriſti* adventu & prædicatione Euangelii, licet tum humiliaretur *Chriſtus* & judicia Dei contra hoſtes nondum erupiſſent in flammas.

Quintò. Deſtructionem quartæ beſtiæ 5.
peractam putat, ut primum *Trajanus* Hiſpanus, *Maximus* Thrax, & alii Græci, Galli, Arabes, aut Britanni milites adepti ſunt imperium. Ita cùm maximè floreret imperium Romanum, & cùm ferreis ſuis unguibus Mundum & Eccleſiam crudeliſſime dilaceraret, ſupponere oportet necatam & mortuam ſæviſſimam illam Beſtiam.

Sextò.

6. Sextò.Sanctos excelſi poſſediſſe Regnum quintum univerſale & æternnm etiam eo temporis articulo cùm à Deo traditi ſunt in manus ferociſſimorum tyrannorum tiucidandi,etiam ipſiſſimis temporibus decem perſecutionnm.

Argumenta pro veritate. Multa adhuc alia ſunt ſolidiſſimi hujus Theologi In hac quæſtione paradoxa, quæ tranſilimus & ad quæſtiouem primariam tandem accedamus. Num ſcilicet Beſtia quarta ſignificet Imperium Romannm, an verò Syriacum ſucceſſorum *Alexandri* & *Seleucidarum ?* Pro priori faciunt omnes auctoritates & undecim argumenta qnæſtione ſuperiori allara, nam in confeſſo eſt Beſtiam quartam & tibias ac pedes ferreos unum idemqne ſignificare : prioribus tamen hæc addemus.

1. Primò. Succeſſores *Alexandri* repræſentantur Beſtiâ tertiâ, ergò non quartâ; ita enim Beſtiæ non eſſent à ſe invicem diverſæ, prout diſertè aſſerit *Daniel*,nt de omnibus beſtiis, ita in primis de quartâ verſ 3. 7.19. & 29. Antecedens patet ex verſ. 6. ubi quatuor Regna ſucceſſorum *Alexandri* conſtituunt quatuor capita *Leopardi :* efficere *Seleucidas* & *Lagidas* prima duo ex capiribus Beſtiæ tertiæ, & deinde totum corpus beſtiæ quartæ. Denique decem cornua ejuſdem beſtiæ quartæ, diſtinctionem beſtiarum à Sp.Sancto clariſſimè expreſſam miſerè confunderet.

2. Secundò. Beſtia quarta orta eſt ex interitu tertiæ, & quartum Regnnm abolevit tertium; ſicut tertinm ſecundnm,& ſecundum primum. Sicut enim Perſæ ſubjugàrunt Chaldæos & Græci Perſas, ita quoqne Græcos ſequutl ſnbjugare & deſtruere debuerunt Græcos : atqui ſucceſſores *Alexandri* non ſubjugârunt nec deſtruxerunt Regnum *Alexandri*, ſed ejus partes tantùm ſibi appropriârunt : hæc ſubjngatio & deſtructio Græcorum à ſolis Romanis peracta eſt. Itaque Romani, non ſucceſſores *Alexandri*, reputandi ſunt pro beſtia quarta.

3. Tertiò. Beſtia qnarta præ aliis omnibus fuit robuſta,terribilis, & ferreis ſuis dentibus totam terram confringebat. Vera hæc clariſſime de *Romanis*, ſed de *Seleucidis* in primis tempore *Antiochi Epiphanis* (ubi volunt beſtiam fortiſſimam fuiſſe) falſiſſima ſunt : tantæ enim infirmitatis ſuit hic Princeps, nt in ſummo ſuo flore eum unus homo, Romanus Proconſul *Popilius Lænas* virgâ circumſcriberet, & mandaret ſtatim ab Ægypto cum ſuo victore exercitu retro cedere, cui is non tantùm parere neceſſe habuit, ſed & longè contra animi ſui ſenſa affirmare, Romano Senatui paruiſſe ſe ſe multò lubentiſſimè, imò verò tanquam ſuo in terris Deo.

Quod ad vulgatum effugium de *Antiochi* robore & potentiâ non abſolute, ſed reſpectu Judæorum,quàm hoc futile ſit priori quæſtione diximus.

Certè exaggerationes multiplices,quibus maximum Beſtiæ quartæ robur Propheta deſcribit, demonſtrant ipſum loqui de Beſtiæ robore in ſe & comparatè ad tres priores: amplitudinem etiam Regni ſuper totam terram reſtringi non poſſe ad anguſtiſſimos partis tantum Palæſtinæ limites, qnibus Judæi diebus *Antiochi* continebantur, quandoquidem Regnum Sanctorum ſequens quartum ad omnem terram ſub toto cœlo extendatur.

Quartò. In beſtia quarta decem enata 4.
ſunt cornua. At in Regno *Seleucidarum*,aut etiam omnium aliorum *Alexandri* ſucceſſorum, non apparuerunt decem cornua, ſed vel multò plura vel pauciora. Si omnes Satrapias poſt *Alexandrum* ortas numeres, & in iis tam primos Reges quàm eorum poſteros, habebis ſupra triginta Principes: ſi ſolos *Seleucidas* à primo ad ultimum ſpectes, erunt propè viginti, ſi *Antiocho Epiphane* poſteriores excludas, *Seleucidæ* ad denarium non accedent. Effugia hujus argumenti ſupra ſnſtulimus.

Quintò. Si Beſtia quarta ſignificat *Se-* 5.
leucidas, tum Cornu parvum notabit *Antiochum Epiphanem*; At falſum poſterius, nam parvum cornu eradicavit ante ſe tres Reges, illud autem de *Epiphane* non poteſt oſtendi, ut ſuprà probavimus.

Sextò. Beſtia quarta loquebatur verba 6.
ſuperbiſſimæ blaſphemiæ, uſque dum à Deo necata & ſublata eſt; At de *Seleucidis*, imò de ipſo *Epiphane* id verum non eſt; is enim ante mortem humillimè ſe Deo ſubmiſit, & procul abfuit à ſuperba omni blaſphemiâ, ſi vel *Ioſepho* vel auctori Maccabæorum fides adhibeatur.

Septimò. Beſtia quarta ſublata eſt per 7.
ultimum & univerſale Judicium in fine mundi, judicium enim à *Daniele* tot inſignibus circumſtantiis deſcriptum, nulli alii quam ultimo & univerſali competere poteſt. Atqui ad ſublationem *Seleucidarum* nullo tali extraordinario judicio opus fuit: illi enim facili ſatis negotio, ut alii vulgares tyranni, ſublati ſunt, & ipſe *Epiphanes* nulla inſigni præter ſuum patrem & alios tyrannos calamitate oppreſſus fuit, ut in ipſa Maccabæorum hiſtoriâ videre eſt.

Octavò. Beſtia quarta perſeveravit in 8.
Imperio, donec Sancti miſſi ſunt in poſſeſſionem gubernationis ſuæ univerſalis & æternæ verſ.22. Arqui de *Epiphane* aut ullo *Seleucidâ* hoc verum non eſt, nam etſi de Sanctorum iſtâ gubernatione variæ ſint ſententiæ, in nullo tamen ſenſu verum eſt *Seleucidas* ullos regnâſſe, donec Sancti obtinue-

tinuerunt Regnum ſuum ſpirituale, univerſale, & æternum.

9. Nonò. Poſt cornu parvi caſum deſtructa eſt beſtia quarta & combuſta igne; Atqui poſt *Epiphanis* mortem non ſuit deſtructum Regnum *Seleucidarum*, nec aliorum *Alexandri* ſucceſſorum; Itaque ſi *Antiochus* ſuit cornu parvum, ut volunt hîc adverſarii, Regnum vel *Seleucidarum*, vel ullorum *Alexandri* ſucceſſorum non ſuit Beſtia quarta.

Certè diu poſt mortem *Epiphanis* tam in Syria quàm in Ægypto & Macedoniâ regnârunt *Alexandri* ſucceſſores. Quod autem ad eorum in Judæos dominationem attinet, quàm vanum hoc fuerit argumentorum effugium jam diximus: certè dum in caſu cornu parvi tota beſtia quarta comburi dicitur, id de deſtructione Regni quarti tantùm relativâ non abſolutâ intelligere perdurum videtur.

10 Denique poſt *Antiochum Epiphanem* ſatis graviter à *Seleucidis* Judæi ſæpe ſunt vexati, *Iudas* Maccabæus cum omnibus fratribus *Eliazare*, *Simeone*, & *Ionathane* cæſi ſunt, eorumque vi ac fraude multis calamitatibus populus affectus eſt, nec ab eorum tyrannica vicinitate diu poſt *Epiphanem* liberati ſunt, ut hiſtoriam conſideranti patebit.

Objecta Polani refutantur.

Amandus Polanus pro contraria ſententia ſex affert argumenta in modo & figurâ, quæ Demonſtrationes appellat, has omnes unâ liturâ delere proclive eſt: omnes enim meræ ſunt petitiones principii ſine ullâ
1. probatione. Prima hæc eſt. Regnum quartum ante *Chriſtum* natum impedivit Dei cultum Hieroſolymis: Sed Romana Monarchia hoc non præſtitit. Reſp. Falſa eſt major. Pro ejus probatione nihil affert *Polanus* præter nudam citationem Dan. 7. verſ. 25, 26, 27. In quibus nullum eſt jota quod ſignificet parvi cornu Regnum & malitiam contigiſſe ante natum *Chriſtum*.

2. Secunda *Polani* Demonſtratio eſt ejuſdem commatis. Quartum, inquit, Regnum Judææ dominatum eſt, ante templum repurgatum à *Iuda* Maccabæo: Atqui de Romanâ Monarchiâ hoc verum non fuit. Reſp. Non probat majorem, ſed ſupponit tanquam extra controverſiam: parvum ſcilicet cornu fuiſſe *Antiochum*, quod eſt πρῶτον ψεῦδος.

3. Tertia *Polani* Demonſtratio. Quartum Regnum deletum fuit ante erectum *Chriſti* Regnum: Atqui falſum id eſt de Romanâ Monarchiâ. Reſp. Vera major de Regno *Chriſti* glorioſo in cœlis, non de eccleſiaſtico in terris.

4. Quarta. Romana Monarchia floruit poſt *Chriſti* Regnum propagatum in terris, ſed Regnum quartum non item. Reſp. Diſtinguendo ut priùs.

Quinta. Quinti Regni tantùm decem Reges dominati ſunt Judæis: Atqui multò plures quàm decem Reges Monarchiæ Romanæ dominati ſunt Judæis. Reſp. Major eſt falſa, nam decem illi Reges verſ. 24. nominati, orituri erant in fine Regni quarti poſt multorum imperatorum mortem & diviſionem Imperii ſub ejus extremò in decem digitos pedum. 5.

Sexta. Regni quarti decimus Rex tres ante ſe Reges deſtruxit: Sed Romanæ Monarchiæ decimus Imperator hoc non fecit. Reſp. Diſtinguendo majorem, decimus Rex initio Romanæ Monarchiæ non deſtruxit ante ſe tres Reges, eſt verum; ſed in fine Monarchiæ poſt imperium diviſum in decem cornua, eorum unum parvum tria deſtruxit vel deſtruet variis modis ſuprà dictis & infrà dicendis. 6.

Et Septimum Anglorum.

Ad *Polani* argumenta ſex Annotatores Anglicani recentiſſimi addunt ſeptimum ab ipſis ſæpe repetitum. Qui Regnum, inquiunt, quartum interpretantur Romanum, neceſſe habent cornu parvum de *Antichriſto* interpretari: Atqui hoc favet Pontificiis, qui ex hoc inprimis commento fingunt ſibi *Antichriſtum* triennem & ſemeſtrem. Reſp. Nulla hîc neceſſitas vel majoris vel minoris. Quòd ad Majorem, multi qui Beſtiam quartam exponunt de Regno Romano interpretantur *Cornu parvum* de *Mahomete*: & eorum aliqui *cornu* illud *parvum* exponunt de *colluvie Sectarum* ultimo noſtro ſeculo exortarum, quæ unà cum *Antichriſto* Eccleſiam perturbant. Præterea nil abſurdi eſt, donec Deus in tempore plus ſui conſilii revelaverit, ſi noſtram ignorantiam profiteamur, quis tandem cornu hoc parvum futurus ſit. Quod ad Minorem, ſummi *Antichriſti* Romani hoſtes eam negant: *Lutherus*, *Bullingerus*, *Calvinus* & alii. Hi, etſi cornu parvum *Antichriſtum Romanum* credunt, non tamen propterea ejus Regnum ad triennium & ſemeſtre reſtringunt. Quæ autem ſit duratio intervallorum à *Daniele* memoratorum, temporis, temporum, & dimidii temporis, quæſtione ſequenti videbimus.

QUÆSTIO III.

De tempore, temporibus, & dimidio temporis.

Quæſtionis difficultas.

SEntentiam hanc in *tempus*, *tempora*, & diviſionem ſeu *dimidium temporis* legimus Dan. 7. v. 25. Item 12. v. 7. & Apocal. 12, v. 14. Quod temporis ſpatium hac phraſi exprimatur locis hiſce parallelis explicatu eſt difficillimum. Etſi *Paræus* hic hyperbolen, quot capita tot ſenſus uſurpare nolim, tamen ad dubium hoc expediendum (ut & alia multa ſacræ Chronologiæ) ſingulari

τοῦ *Palmoni* mirabilis verò numeratoris *Jeſu Chriſti* conſilio opus eſſe certum eſt. Ipſe Propheta Daniel 9. v. 14. ſimilem ſed multò faciliorem de temporibus quæſtionem ſolvere non potuit, donec eam Angelus *Palmoni* explicuiſſet.

Quis Peloni Almoni.

Nomen hoc compoſitum eſt, ſeu ex vocibus ferè proverbialibus, *Peloni Almoni*, notantibus hominem mirabilem vel talem, cujus nomen tacitum eſt non expreſſum, à פלא *mirabilis* vel *abſconditus fuit*, & אלם *obmutuit*, *ſiluit*. Iſta *Chriſto* optimè conveniunt, cujus mirabile, abſconditum & ſecretum nomen eſt. Vel, ut vult *Calvinus* & alii ex פלא & מנה numeravit, ita ut *Palmoni* ſignificet mirabilem numeratorem, ſeu numeratorem temporum ſecretorum, quæ Deus ab humanis oculis abſcondit, adeoque dubiorum omnium Chronologicorum enodatorem. Elogium hoc nulli æquè ac *Chriſto* infinitæ patris ſapientiæ adaptatur. Hujus ope freti perdifficilem hancce quæſtionem aggredimur.

Inter partem & dimidium differentia eſt minima.

De tranſlatione vocum non litigabimus: etſi enim inter Chaldaica capitis ſeptimi & Hebraica capitis 12. aliqua differentia ſit, nam priori loco tranſlationes omnes vulgares cum *Aria Montano* פלג עדן rectè vertunt *partem temporis*, non cum vulgata Latina *dimidium temporis*, poſt LXX. Interpretum ἥμισυ καιροῦ, cum tamen principalis controverſiæ cardo non vertatur in differentia vocum *partis* & *dimidii*, & verò cap. 12. legamus חצי *dimidium*; atque Apoſtolus in Apocalypſi ad utrumque *Danielis* locum, ut videtur, reſpiciens ſcribat *dimidium*, cumque particularius deſcendit vel ad annos vel ad dies, præcisè tot numeret quot anni dimidium conſtituunt: ut nolim cum doctiſſimo *Junio* & multis ſequacibus nimis premere dierum decem ad annos tres additamentum, ita neque cum aliis omnimodam iſtorum locorum identitatem, quaſi quod in genere vocaſſet *Daniel* partem cap. 7. ipſe duodecimo, & Apoſtolus in Apocalypſi determinaſſet ad ipſiſſimum dimidium.

De re ipſa majores ſunt controverſiæ. Primò ſententias quæ diſplicent refutabimus, deinde quam putabimus vero ſimillimam confirmabimus.

Sententia Rabbinorum impugnatur.

Primo loco rejicimus recentiorum Rabbinorum commentum, prout illud *Jacchiades* ad *Danielis* ſeptimi octavum & duodecimum explicat apud *L'empereurem*. Exponit ille *tempus* & *tempora* conſtitutum temporum, ſeu tempeſtatem duorum temporum: duo autem illa tempora vult annos bis mille, quia ſcilicet Deo dies ſecundum *Moſen* Pſal. 90. extenditur ad mille annos, & verò *Adamus* mortuus eſt eodem die quo comedit de arbore vetitâ, quia non complevit annum milleſimum. Quod ad particulam temporis eam exponit *Jacchiades* de parte millenarii annis ſcilicet trecentis. Itaque ſtatutum duorum temporum & partem temporis vult intelligi annos bis mille trecentos, quos ait Dan. 8. 14. diſertè exprimere, quibus peractis *Meſſias* eſt venturus & Judæi reſurrecturi, ut peragant in terrenis voluptatibus cum *Meſſiâ* annos eos trecentos quos memorat *Daniel* in fine c. 12. & tandem mundo abolito & corporibus in nihilum reſolutis ipſi in puris ſuis animabus cum *Meſſiâ* vivant in cœleſti & perpetuâ gloriâ. Numerant autem ab initio mundi ad *Cyri* & *Danielis* tempora annos ter mille trecentos nonaginta unum, quibus addunt bis mille trecentos, ita ut præterpropter ad annum mundi quinquies milleſimum ſeptingenteſimum venturus ſit *Meſſias*, & in fine ſexies milleſimi deſtruendus mundus, quaſi in fine ſexti diei divinæ hebdomadis, ut in Sabbato ac die ſeptimo, initio ſepties milleſimi, incipiat æterna novi mundi felicitas.

Sententiam hanc recentiorum Rabbinorum, utut in nimis multis cum recentiorum in Angliâ Chiliaſtarum delirio communem, rejicimus ob multa quæ continet falſa. Præter enim primum & maximum abſurdum de rejiciendo adventu *Meſſiæ* totis mille ſeptingentis annis poſt tempus à *Daniele* expreſſiſſimè notatum cap. 9. paulò ante exciſam à Romanis Hieroſolymam: ſecundum etiam abſurdum, quòd corporalem Judæorum reſurrectionem ponat annis trecentis ante finem mundi, & univerſale judicium: etiam tertium, quòd omnia omnium corpora in æternum deſtruat, & ſolis animabus ſine corporibus vitam æternam largiatur, contra non tantùm multas Scripturas, ſed & multos ex ipſis Rabbinis.

His omiſſis alia notamus in hac ſententiâ peculiaria abſurda: non quidem eam taxamus cum *L'empereure*, quod quartam beſtiam exponat de *Romanis* non *Antiocho*, aut decem Reges de capeſſentibus ſimul non ſucceſſivè partes Romani Imperii, & *parvum cornu* de uno vel geminis religione diverſis *Turcâ* & *Romano Pontifice*. In his paroramatis ſequitur *L'empereur* hypotheſes Junianas, quas nos ſuprà refutavimus. Sed hæc ſunt quæ in *Jacchiade* cum *L'empereure* taxamus.

Primò. Quod ſcenæ ſuæ ſerviens textum ſacrum corrumpat, deleátque conjunctionem *&*, cum codices omnes legunt *tempus & tempora*, ille expuncto *&* legit *tempus temporum* ſeu *ſtatutum temporum*, hoc pacto jungens duas voces in regimine, efficit ut vox prima *tempus* ne unum 1.

quidem annum ſignificet, cùm tamen ſi tempora de millenariis exponenda eſſent, neceſſe foret tempus de toto millenario interpretari, ita ut *Meßiæ* adventus contra omnium Judæorum rationes in ſepties milleſimum neceſſariò eſſet differendus. Etſi autem Daniel. 12. v. 7. copulativa elidatur, accentus tamen diſtinctivus *Paſchta* primus Regum valens comma, expreſſè ſcribitur qui copulativæ æquivalet, & denotat dimidium duorum temporum, quodcunque tandem intervallum duo illa tempora indicent.

2. Secundò. Sive tempus & tempora ad annum & duos annos, hoc eſt triennium, cum multis extendas, ſive cum aliis ad centum & ducentos, hoc eſt, trecentos annos; nemo tamen ſobrius ad millenarios tempora hæc unquam extendit. Eſto, anni mille, vel centies mille comparati ad Dei æternitatem ſint omnino nihil, & velut dies heſternus poſtquam evanuit, nuſquam tamen Scriptura ſacra meminit ullius diei qui ex annis mille conſtaret, exempla ſeu in Geneſi ſeu in Pſalmo à *Moſe* ſcripta, nihil ad hoc male ſani cerebri ſomnium faciunt, & verò ſi *Danielis* loci exponendi eſſent de diebus quorum ſinguli reſponderent annis mille, neceſſe eſſet tres illos annos & dimidium multiplicare, ad tot mille annos quot ſunt dies in illis tribus annis & dimidio, ſcilicet ad ter mille octingentos ſeptuaginta, ita ut *Meßias* expectandus non eſſet (ſicut ego calculum ſubito conjicio) ante annum ſepties milleſimum ducenteſimum ſexageſimum, quod tamen nemo quiſquam unquam affirmavit.

3. Tertiò. Quod partem temporis exponit de annis trecentis, hunc numerum deſumit ex Daniel. 8. v. 14. At verò locus ille cum his præ manibus non eſt parallelus, poſterior enim, ſecundum omnes Interpretes, eſt de beſtiâ tertiâ & *Antiocho Epiphane*, ſed prior, ſecundum nos & pleroſque interpretes eſt de quartâ & ejus parvo cornu: poſterior eſt de diebus naturalibus bis mille trecentis, ſeu annis ſex & aliquot menſibus, ferè duplo temporis ad tres annos & dimidium. Quòd autem dies illi de naturalibus intelligendi ſint manifeſtum eſt, tum quod eventus in hiſtoriâ *Antiochi* ſatis clarè reſpondeat, tum quòd verſ. 26. dies hi à Prophetâ expreſſè deſcribantur per mane & veſperam, quod nullis diebus præterquam naturalibus in totâ Scripturâ attribuitur.

4. Quod autem ex eodem verſu objicit *Iacchiades* viſionem illam capitis 8. de *Antiocho* non poſſe intelligi, eò quòd multorum dicatur dierum. Reſp. A *Daniele* ad *Antiochum* plurimi fuere dies, imò annorum aliquot centuriæ, quot ſcilicet tota Monarchia Perſarum, & fere etiam tota Græcorum duraverunt.

Obſervamus denique quartò, quòd cautior hic fuerit Rabbi *Iacchiades* quàm ex Anglis Chiliaſtis aliquot, hi enim converſionem Judæorum, everſionem Romani Imperii, etiam Turcarum, & adventum vel ipſius *Chriſti*, vel glorioſi ejus in terris Regni, ſtatuerunt in tempore jam propinquo ut jam redarguti ſint, vel ab adhuc viventibus redargui poſſint temeritatis: hic verò adventum *Meßiæ* primum tamdiu differt, ut certus fuerit à nemine ſecum viventium, nec ab alio quovis hodie in terris, ſe convincendum vanitatis: imò ſi longiſſimo ſuo calculo alios adhuc millenarius adderetur, facilè ſe excuſaret ex incautâ omiſſione unius tantùm voculæ *&*, vel etiam ſemicommatis, quod tunc temporis ad novum mille ſupplendum facilè poſſet adjici.

Secunda ſententia eſt Pontificiorum, qui tam in locis Danielis quàm Apocalypticis, exponunt intervallum præ manibus de perſecutione *Antichriſti* non *Antiochi*, præciſe annorum trium & ſemiſſis: Imò hoc inprimis fundamento demonſtrant, ſecundum *Bellarmini, Sanderi, Leßii* & aliorum Jeſuitarum phraſin, Romanum Pontificem eſſe non poſſe *Antichriſtum*, nec *Antichriſtum* adhuc veniſſe in mundum. In hac lite multa à noſtrorum multis contra Jeſuitas ſcripta ſunt. Nos pro præſenti inſtituto hæc pauca tantùm notamus. *Sententia Pontificiorum falſa.*

Primò. Qui *Antiochum Epiphanem* à *Daniele* locis prædictis deſignari volunt (quod *Scaliger, Iunius, Rollocus*, & alii multi ex noſtris, variis argumentis contendunt) hi ſententiæ Pontificiorum primum fundamentum evertunt. Dato enim tyrannidis *Antiochi* rabiem perſeveràſſe tres annos & dimidium, quid hoc ad *Antichriſtum*. 1.

Deinde. *Ioannes* in Apocalypſi in Propheticâ ſuâ *Antichriſti* hiſtoriâ alludat ad tempora *Antiochi*, an ideo neceſſum eſt ut tempora typi ita accommodentur ad tempora antitypi, ut hæc extendi non poſſint ultra præciſos illorum terminos? Tum arcta identitas inter durationes typorum & antityporum non ſolet requiri.

Tertiò. Quid ſi Pontificiis concederemus (in quo quidem orthodoxi non ſunt difficiles) ut in longâ Antichriſtorum Romanorum ſerie aliquis in ſeculi fine, ſodalibus ſuis licet improbiſſimis, quâdam tamen improbitatis ἐξοχὴν nequior exoriatur, qui *Antiochi* dies proximus referat, nihil ex hac conceſſione ipſi lucrarentur.

Obſervamus ſecundò, *Calvinum, Bullingerum*, & alios quos nos in quæſtione præcedenti ſequuti ſumus; dum negant per 2.

cornu

cornu parvum (*Dan.* ſaltem ſeptimo) *Antiochum* deſignari, totamque beſtiam quartam ad Regnum Romanum applicant, nihil tamen Pontificiis in controverſiâ de *Antichriſto* largiri. Nihil enim ad rem hanc facit utrum *Antiochus*, an *Antichriſtus*, an quis alius eo loci à Prophetâ indigitetur: præſens enim omnis quæſtio eſt de duratione iſtius Dei hoſtis, quiſquis tandem fuerit. Licet enim evinceretur *Danielem* de ſolo *Antiocho* ubique loqui, & *tempus, tempora*, & *dimidium temporis* ei ſoli attribuere, difficultas tamen intacta remaneret in locis Apocalypticis. Sicut enim *Iunius* & turba ſequacium *tempus, tempora*, & *dimidium temporis* dieſque & menſes, qui tres annos & medium conficiunt, interpretantur in Apocalypſi de diebus, menſibus, & annis Propheticis; ubi unuſquiſque dies extenditur in annnm, ita quid nos & alios vetaret eodem commentario apud *Danielem* uti? per quem aſcribentes Romani Pontificis ſummæ tyrannidi tres annos & dimidium, non magis eam intra cancellos annorum Aſtronomicorum cogeremur compingere, quàm ii qui parem annorum ſuorum Propheticorum numerum extendunt ad Aſtronomicos mille ducentos ſexaginta.

3. Obſervamus tertiò. Qui ex locis citatis ſeu *Danielis* ſeu *Ioannis* Antichriſto dant annos præciſè tres cum dimidio, ideos abſque ullius commodæ rationis fulcimento facere videri. Quod pleniſſimis buccis crepant auctotitatem Patrnm, nullum cordatum dimovebit, qnid enim ad fidem divinam humana Patrum ſine Scripturis auctoritas? Quantillum eſt in Patribus pondus, dum Prophetiarum nondum completarum obſcura conantur enarrare, ſecundum hypotheſes traditionum quas ipſi Pontificii nobiſcum falſas confitentur? Agnoſcunt illi pene omnes Patres *Papiæ* fabulis ſeductos multa Chiliaſtarum ſomnia imbibiſſe, ex quibus multa & de *Chriſti* & *Antichriſti* Regno incerta, frivola, & falſa reliquerunt; quæ à Jeſuitis non ſecus ac à noſtris hodie repudiantur. Non ergo nos debent in hoc argumento Patrum auctoritate premere.

Auguſtinus ab Hieronymo ſeductus.

Quanta antem eorum temeritas eſt qui altâ ſupinitate Patrum omnia dictata abſque ullo examine amplectuntur, in re præſenti palpate. *Auguſtinus* lib. 20. de Civit. Dei cap. 23. probat *Danielem* per *tempora* intelligere duos annos non plures, ex eo quòd textus Hebraicus (intelligit Chaldaicam Hebraici Dialectum) vocem legit in numerô duali non plurali: dicuntur enim, inquit, Hebræi tam quam Græci numerum habere dualem. Ingenuè reverendiſſimus Pater ait *dicuntur*; nam ipſe quidem quid haberent aut non haberent Hebræi, omninò neſciebat: Sed hoc, ut alia in Hebræis *Hieronymo* iſtarum literarum callentiſſimo fide implicitâ credebat. *Ludovici Vivis* annotata ad hunc locum Jeſuita *Coquæus* (ut aliàs ſæpe ſolet) deterioravit multa omittendo, quæ habet omnia à *Vive* Jeſuitâ mutuatur ſine gratiis, ſed uterque commentator craſſum quod tango ſphalma tranſilit. *Vives* quidem notat partem erroris *Auguſtini*, ſignificans Interpretem Græcum habere pluralem καιρῶν, non Dualem καιροῖν, ſed quid hîc haberet Chaldæus non docet. In re ipſâ non tam miror *Auguſtini* ſimplicitatem qui ab *Hieronymo* accepit, quod ipſe non valebat examinare; quàm *Hieronymi* non dicam falſandi propoſitum, ſed certè ſecuram nimis in dictando præcipitantiam: nullum enim apud *Danielem* eſt jota de numero Duali: tam enim Chaldaicus textus cap. 7. v. 25. *gnidanin* עדנין quam Hebraicus cap. 12. *mognadim* מועדים habent exertè Pluralem non Dualem. Si quis *Hieronymi* manuſcriptum Hebraicum à noſtris impreſſis diverſum vellet fingere, quî hoc novum commentum probaretur? Præſertim cum Interpres Græcus, imo & omnes Latini, ipſaque *Hieronymi* tranſlatio Pluralem hic diſertè exprimant.

Obſervamus quartò, tempus trium annorum cum dimidio *Antichriſti* Regno malè adaptari, ſi cæteram Scripturam conſulas, eos inprimis locos, qui diem adventus *Chriſti* faciunt occultum, omnibus Angelis, imò & ipſi Chriſto quà homini, nedum aliis mortalibus, Chriſtumque venire ad judicium inexpectatum ut furem noctu: ſententia autem quam refutamus *Chriſti* adventus diem facit determinatiſſimum; & toti mundo clariſſimum: ut primum enim apparuerit *Antichriſtus*, numera inde tres annos & dimidium, de quibus Daniel. 12. v. 7. & triginta inſuper dies verſ. 11. expreſſos, & denique dies quadraginta quinque verſ. 12. nominatos, habebis ipſiſſimum adventus *Chriſti* diem certiſſimè, clariſſimè, diſtinctiſſimè, ſecundum *Bellarminum* & pleroſque Pontificios: uſque adeò tamen craſſa eſt hæc Scripturis apertis contradictio, ut tam *Ribera* in Apoc. 20. quàm *Alcaſar* in 11. eam repudiet; nobiſcum uterque docens ignorum omnino mortalibus diem Domini, adeoque Regnum *Antichriſti* tam parvo & diſtincto trium annorum & dimidii ſpatio determinari non debere. 4.

Denique quintò obſervamus, Pontificiorum hanc ſententiam cæteris ipſorum etiam in hoc argumento placitis non ſatis bellè conſonare: eas enim *Antichriſto* actiones aſcribere ſolent, quæ nulli hominum utlibet à Cacodæmone ſecundato præſtitu ſint poſſibiles, triplici eo de quo diſputa- 5.

mus ſpatio. *Alexander Macedo* qui victoriarum magnitudine, multitudine, & celeritate cunctos mortales longè ſuperavit, in perdomandâ aliquotâ Aſiæ & parvâ Africæ parte annos duodecim inſumpſit. Ecquid homo ille peccati totum terrarum orbem tribus annis & dimidio ſubjugabit? Judæorum gentem, nationum omnium quæ hodie in terris vivunt ſine pari numeroſiſſimam, longè latéque per Europam, Africam, Aſiam, & Americam diſperſam, ab *Antichriſto* in ſuam teterrimam hæreſin & Idololatriam eodem ſpatio pertrahi volunt, etiam ante inchoatum contra gentes bellum. An mundus ille Judæorum, infamia ante omnes mortales obſtinatione, cordiſque ad quicquam credendum duritie; peculiariter ab Idololatriâ poſt primi templi incendium abhorrens, parvo adeo temporis momento totam *Antichriſti* perfidiam, & horribiliſſimam Idololatriam univerſus perſuadebitur amplecti? *Chriſtus* & Apoſtoli miraculosâ Spiritus Sancti præſentiâ multos annos triverunt in adducendâ mundi parte ad veram fidem: Nunquid Diabolicæ *Antichriſti* præſtigiæ divinam virtutem tam longè ſuperabunt? *Solomon* Regum ditiſſimus & ſapientiſſimus centenis aliquot operarum millibus templum & Regiam domum non niſi annis uno & viginti valuit erigere; Num hic nequam tam minutâ ſui triennii & ſemiſſis particulâ templum & Regia palatia, totamque Hieroſolymam magnificentiſſimè à fundamentis exædificata perficiet? Nunquid Chriſtianæ omnes Eccleſiæ, totus Clerus, & ipſe Pontifex Romanus tam malè ſunt in fide fundati, ut omnes paucis menſibus ad apertam à *Chriſto* ad *Antichriſtum* Apoſtaſiam vel ſponte perſuaderi, vel perſecutione compelli poſſe videantur? ut ad tot tantáque peragenda ulli uni mortali, quantâvia creatâ potentiâ ſuffulto, tam anguſti temporis cancelli ſufficiant, tam eſt abſimile vero, ut Jeſuita *Alcaſar* in operoſo illo ſuo ad Apocalypſin commentario cap. 11. v. 2. ſodalium ſententiam apertè relinquat, & tres noſtros annos cum dimidio à Patribus *Antichriſto* attributos, pro Propheticis & parabolicis accipiat; talibus ſcilicet quos neceſſe eſt multùm ultra Aſtronomicorum limites extendere.

Grotii & Hamondi ſententia abſurda.

Tertia ſententia eſt *Hugonis Grotii* ejuſque paraſitaſtri Doctoris *Hamondi*. Qui ipſorum commentarios in locos præ manibus conſuluerit, animadvertet eos hìc, ut alias ſæpe, ſingulares & abſurdas novitates affectare. Volunt *Danielem* ubique *Antiochi* tempora indigitare, nec quicquam omnino de *Antichriſto* memorare; in hoc *Iunis* ſatis ſequaces; Sed in Apocalypſi mirè ſunt verſipelles & perfrictæ frontis. Contrà Proteſtantes omnes, *Antichriſto* tribuunt annos tantùm tres cum ſemiſſe, intervallumque noſtrum tam undecimo capite & duodecimo quàm decimotertio, volunt præcisè Aſtronomicum, abſque ullâ dierum naturalium extenſione, ut hac ratione Pontificiis gratificantes omnem ab ipſorum Pontifice *Antichriſti* notam longè depellant. Imò verò cum quidam ex noſtris, inprimis doctiſſimus *Mareſius*, modeſtè ſatis & nimiâ Grotiani nominis cum reverentiâ, his ſe novitatibus oppoſuiſſent, *Grotius* non tantùm in *Mareſium* excanduit, ſed & in omnes Eccleſias reformatas magnum calumniarum & contumeliarum flumen evomuit, nec antè ſuo furori modum impoſuit, quàm pleniſſimum ſuum offenſum propalâſſet in craſſiſſimas hæreſes, Idololatrias, tyrannides, quas Synodus ipſa Tridentina mundo propinat, totaque plauſtra convitiorum in totam Proteſtantium nationem congeſſiſſet, quòd non ſatis promptos inveniret ad ipſorum, ſe monitore, ſchiſma cognoſcendum, veterique Pontificis jugo nimis temere olim excuſſo, colla ſubmittendum. Hæc Belgarum Arminianorum tragœdiæ cataſtrophe eſt, qua ſequacibus ſuis Ladenſibus Anglicanis, inprimis harum hodie partium Anteſignano *D. Hamondo*, planiſſimam Romam verſus viam præmonſtrârunt, niſi quòd utrique nimis quàm ſæpe in devium Socinianiſmi callem ament divertere. Utcunque, quàm ineptè uterque tam *Grotius*, quàm *Hamondus* locos præ manibus depravent, quovis Chriſtiani nominis judice (Pontificios ipſos hìc non recuſo) ſic conor oſtendere.

Eorum commentarii in Apocalypſeos cap. 11. falſitas.

Quadraginta duos menſes, & mille ducentos ſexaginta dies cap. 11. verſ. 2. 3. &c. interpretantur de tribus annis Aſtronomicis & dimidio, quibus civitas Hieroſolymitana ab *Ælio Adriano* ſub ſuo Æliæ nomine reædificata, conculcabatur ab Ethnicis Coloniæ Romanæ, qui in templo *Iovis Olympici* in Zione extructo idola colebant: etiam à profanis Judæis, contra quos duæ Eccleſiæ Chriſtianæ, altera ex Judæis, altera ex gentibus Hieroſolymis tum congregatæ, eorumque duo Epiſcopi dicto tempore prædicabant; donec *Barcozab* ſeditioſorum Judæorum dux, occupatâ Æliâ duas illas Eccleſias Romanorum partibus contra ſe adhærentes peſſundediſſet. Parvo tempore ſub *Barcozaba* pedibus quaſi mortui jacentes miraculoſa Dei virtute liberati, cum Romanorum legiones *Barcozabam* Hieroſolymis expuliſſent, refloruerunt perdurantes Hieroſolymis in hunc diem, & in æternum ibi locorum perduraturi.

Miſerrimam hanc Apoſtolici textûs depravationem, contra omnium Chriſtiano-

rum veterum & novorum mentem, ſic nos ex ipſo textu oppugnamus. Primò. Id quod ab Angelo menſurabatur verſ. 1. & 2. erat aliquid in rerum naturâ exiſtens, quod Deus ſingulari amore & honore proſequebatur: Atqui templum Hieroſolymitanum, & altare holocauſti *Adriani* diebus non erat in rerum naturâ, nec ulli poſt ea tempora ad hunc diem ibi locorum Deum adorârunt. Quantillum Dei in illa loca quondam Sanctiſſima ſtudium poſt *Chriſti* mortem ſuit, & quanta eorum averſatio, patet non tantùm ex horrendâ iſtorum locorum deſolatione per *Titum*, ſed etiam ex iteratâ Dei vindictâ diebus *Iuliani*, & ex fœdiſſimâ abominatione, quæ aliquot jam ſeculis in Turcica Moſki, in ipſis Sancti Sanctorum pomœriis ſtante, hodiernodie conſpicitur.

2. Secundò, Id quòd gentibus traditum fuit conculcandum, erat atrium templi exterius: illa montis Moriæ pars, quæ ultra altare æneum ad populi ſacros conventus ſuo muro includebatur: totum autem illud atrium, totuſque mons Moriæ tam quàm priſca ſedes templi, quantum ex hiſtoriâ ſecundum ipſos adverſarios liquet, à novâ *Hadriani* urbe Æliâ ſecluſa fuit.

3. Tertiò. Civitas à gentibus conculcata fuit Sancta: Sed Ælia *Adriani* talis non fuit, utpote plena profanis gentibus quæ ipſius Hieroſolymæ nomen reſpuebant: nequaquam in priſcæ civitatis veſtigiis ædificata, ſed ab omni priore in vicino loco Sanctitate uſque adeo abhorrens, ut in ipſâ portâ fœditatis & pollutionis characterem, imaginem ſuis haberet depictam.

4. Quartò. Civitas ab Apoſtolo memorata tam informis fuit libidine, & Sanctorum perſecutione, ut Sodomæ & Ægypti titulis inſigniretur, ſed tale nihil de Æliâ diebus *Adriani* à quoquam eſt notatum.

5. Quintò. Civitas Sancta conculcata eſt à gentibus tribus tantùm annis & dimidio: Sed templum *Iovis Olympici* in Zione ſtetit, & gentes Ethnicæ dominatæ ſunt Æliæ annis ſupra ducentos uſque ad *Conſtantini* Imperium.

6. Sextò. Diſtinctio duarum Hieroſolymis Eccleſiarum, unius ex Judæis, alterius ex gentibus, quæ duos habebant Epiſcopos, ſibi invicem non ſubordinatos, inſolens eſt *Grotii* & *Hamondi* ſomnium contra expreſſas Scripturas: quæ ſæpe unam tantum Hieroſolymis Eccleſiam ex quotvis congregationibus conflatam afferunt. Parvam etiam *Hamondus* gratiam à ſuâ factione Epiſcopo mane referet ob geminationem Hieroſolymis Epiſcoporum. Duo enim in unâ civitate Epiſcopi ipſis duo ſunt monſtra, quæ Eccleſia antiqua, ſecundum eos, nunquam conſpexit. Certè multiplicatio linguarum non multiplicabat Eccleſias, niſi tot Hieroſolymis Eccleſias velimus conſtituere, quot peregrinas Hieroſolymis linguas Act. 2. 9. legimus. Plerique Judæi tum temporis erant Helleniſtæ, qui loquebantur & ſcribebant Græcè, & verò poſt conjunctos, ut volunt, Judæos & Gentes in unam Eccleſiam, eamque ſub uno Epiſcopo, ſecundum *Hamondum*, tanta fuit in eâ Eccleſiâ linguarum diverſitas quanta priùs, cùm ob linguarum diverſitatem diſtinctas fingunt. Quid quod longus ille Epiſcoporum apud *Euſebium* & alios Catalogus, qui Eccleſiam Hieroſolymitanam ad *Adriani* dies gubernabant, ex iis ſolis conſtaret qui Judæorum linguâ loquebantur, & ex circumciſis prognati ſunt. Profectò hæc Eccleſiarum Judaicarum ab Eccleſiis gentium diviſio non tantùm Hieroſolymis, ſed etiam Romæ, Alexandriæ, Antiochiæ, & tum temporis ubique, commentum eſt ridiculum & multò putidiſſimum.

Septimò. Falſum eſt prædicationem Prophetarum Hieroſolymis non ultra tres annos & dimidium duràſſe. Nam poſt excidium urbis à *Tito*, in paucas quæ reliquæ erant domos redierunt. Pellâ Chriſtiani, ibique ad eſtructionem Æliæ Eccleſia remanſit, ac in poſterum uſque ad *Conſtantinum*: quin & *Adriani* diebus illi tres anni & dimidium non inveniuntur, nam incipit *Barcocheva* bellum anno *Adriani* undecimo, nec finitum eſt ante ejus vieeſimum. 7.

Octavò. Si *Baronio* credimus, à quo tam *Grotius* quàm *Hamondus* omnes ſuos teſtes nullo excepto mutuantur (etſi omnino diſſimulent cujus araverint vitulâ) totum fundamentum ipſorum ædium omninò corruit. Nam Æliam non condidit *Adrianus* ante bellum Judaicum finitum & necatum *Barcochevam*; adeò ut *Barcochevas* Æliam nunquam conſpexerit: conceſſo autem ante bellum inceptum extructam Æliam, ut contra *Epiphanium* & *Caſſiodorum Dion Caſſius* innuit; nullum tamen ex auctore quoquam jota vel *Grotius* vel *Hamondus* citant, quod vel leviter importet *Barcochevam* Æliam unquam ingreſſum, nedum ut ibi unquam dominatus ſit. Afferunt quidem ex *Baronio* unum aut alterum teſtem, quo probent Chriſtianorum multos à *Barcochevâ* necatos, ſed ullum ab ipſo necatum Hieroſolymis nemo quiſquam antiquorum prætenditur affirmare. 8.

Nonò. Cum 42. menſes & 1260. dies ad definitum trium annorum & dimidium ſpatium reſtringunt, cur tres dies & dimidium, quibus Chriſtianorum, ut volunt, cadavera in Æliæ ſtratis inſepulta jacebant, ad tempus indefinitum extendunt; id ſcilicet 9.

licet totum qun *Barcochevas* in eâ urbe dominabatur? Certè tres illi dies & dimidium hac ratione lnngiores erunt tribus annis & dimidio, datn enim ab extructâ Æliâ *Adriani* undecimo ad dominatum *Barcocheva*, ejuſqoe Hieroſolymis Chriſtianorum perſecutionem fluxiſſe tres tantùm annos & dimidium *Adriani* decimnquarto; certè inde ad belli finem, quo ſubverſa eſt *Barcocheva* potentia *Adriani* vigeſimo, fluxerunt anni integri ſex: imò ad *Adriani* decimum octavum, quaodo *Iulius Severus* in Aſiæ Proconſulatu *Ruſo* ſuffectus *Barcocheva* potentiam cœpit refrænare, tranſiêrunt anni nnn panciores quatuor.

10. Decimò. Duo teſtes triennio ſuo & ſemiſſe ſplendidiſſima miracula ediderunt, qualia *Moſes* in Ægypto & *Elias* in Iſraële: nihil autem ejuſmodi legitur de Chriſtianis Æliæ diebus *Adriani*, vel apod ipſum *Prochorum* & *Dorotheum*, ſuppoſititios multorum fictorum miraculorum in iſto ſeculo auctores.

11. Denique poſt teſtium reſurrectionem tam florentes in Civitate Sanctâ fuere res Chriſtianorum, & abjectæ Idololatrarum Paganorum, ut nihil ſuprà. Atqui poſt *Barcocheva* necem & devictos Judæos minimum Hieroſolymis vel Paganæ Idololatriæ deceſſit, vel Chriſtianæ Ecceleſiæ extra ordinem aceeſſit. Nam Romani perſeverarunt in urbe dominari, & *Iovis Olympiei* Idolum in Zione ſolenniter coli, imò verò in ipſo *Christi* ſepulchto locoque paſſionis, loco etiam nativitatis Bethlehemi, tria nefariorum Dæmonum, *Iovis*, *Veneris*, & *Adonidis* ſimulachra poſita ſunt, & ad *Constantini* dies publicis quotidie ſacrificiis honnrata. De capite undecimo non plura.

Non minus abſurda commentantur in caput duodecimum.

Quod caput 12. fugam mulieris in deſertum ad dies mille ducentos ſexaginta verſ. 6. & ad tempus, tempora, & dimidium temporis verſ. 14. *Grotius* & *Hammondus* interpretantur de duplici Eccleſiæ fugâ ex urbe Rnmâ; altera *Claudii* ſecundo, cùm veniſſet Romam *Simon Magus*, ad præveniendum ibi primum Chriſtianotum ortum, quaodo tantùm incrementi ſua ſumpſit hæreſis, ut ei tanquam Den Sancto ſtatua Romæ publicè erecta ſit: altera *Neronis* duodecimo, quando *Simon Magus* Romam reverſus volavit in aëre, unde *Petri* precibus præcipitatus primùm crura caſu fregit, deinde podore confuſus ex diverſorii culmine ſe dans in caput, animam efflavit: *Nero* autem amici ſui *Simonis* interitum *Petro* imputans, Chriſtianos urbe ejecit, quo tempore eorum exilium duravit ad tres annos & dimidium.

Quantum in hiſce perverſiſſimis oovitatibus abſurdi ſit, ex ipſo ſacro textu diſpiciamus.

1. Primò. *Claudii* ſecundo Eccleſia Rnmana, ſeu Eccleſia Catholica Rumæ nequaquam ſuit mulier induta Sole, & coronata duodecim ſtellis. Talis quidem tum ſuit Eccleſia Judaica ſed minimè omnium Romana, quæ tum temporis vix cœperat in cunis vagire, nullus tum illuc Apoſtolus advenerat, neque *Petrus* neque *Paulus*. Ex *Priſcilla* quidem & *Aquila* aliorumqoe informatinoibus, aliqui forte tum Romæ converſi erant ad fidem, ſed inſtituta Eccleſia, formata congregatio, erectum miniſterium nondum apparebat Romæ.

2. Secundò. Quod volunt *Simonem Magum* Draconis caudâ ſignificatum ſois dolis ſeduxiſſe magnam partem *Cleri* Romani, tertiam ſcilicet partem ſtellarom cœli traxiſſe in terram, quàm eſt vanum? Nullus enim rum temporis fuit Romæ *Clerus* qoi ſeduceretor, neque verò inquam *Clerus* Romanus vel ab ipſo *Simone*, vel ab ejus diſcipulis *Carpocrate* & *Menandro* ad Gnoſticorum hæreſes & horrenda ſcelera ſeductus fuit.

3. Tertiò. Maſculum à muliere editum qui recturus erat totum mundum virgâ ferreâ, volunt Romanos tunc ad fidem converſos. Profectò qui *Claudii* ſecundo Romæ ad *Christum* converſi ſunt, tam paoci fuerunt numero, & tam parvæ auctoritatis, ut gubernatio mundi & omnis virga nedum ferrea, ab eorum mente & fortunâ longiſſimè abſuerit. Id autem quod à bonis noſtris viris hîc inſinuatur, eſt Romani Pontificis in totum mundum dominatus, quaſi textu hoc jure divino ſtabilitus: tam craſſum abſurdum, ut ex Pontificiis plerique illud repudient.

4. Quartò. Quòd ob *Simonis* dogmata & honores ulli Chriſtiani Româ ſugerint in deſertum, nedum ut eâ causâ in exilio tribus annis & ſemiſſe perdnraverint, gratuitum eſt & ſine omni teſte ſomnium. Judæorum Rnmâ expulſio non ante *Claudii* nonum contigit, ut *Baronius* demonſtrat: quamdio autem duraverit omnino incertum eſt. *Simon* etiam cum ſequacibus ſuis in Chriſtianorum præjudicium Judæis favebat.

5. Quintò. Quòd *Michaëlis* & *Draconis* pugnas ad *Petri* cum *Simone Mago* Romanum certamen applicent, id ſine omni fronte contra omuem Chriſtianorum gentem, antiquam, novam audent affirmare. Præterquam enim qood tota ea de *Petri* cum *Simone* certamioe hiſtoria multis vitis doctis mera fabula videatur, ipſi Apocalyſeos rextoi commentatios hic apertè repugnat. Capite enim quarto primo docet *Christus* res viſionibus omnibus ſequentibus expreſſas oon præteritas aut præſentes, ſed tempore futuro eventuras, duodecimo autem *Neronis*, quando *Simon Magus* per

Petri preces de cœlo præcipitatus dicitur, nulla iſtarum viſionum *Ioanni* fuit revelata: imò in Patmon inſulam *Ioannes* non erat relegatus ante *Domitiani* decimum; diu poſt tam *Petri* quàm *Simonis Magi* mortem, ſi vel antiquis, vel recentioribus Chriſtianorum temporum teſtibus ulla fides habeatur.

6. Sextò. Exilium Chriſtianorum poſt *Simonis* mortem *Neronis* duodecimo ad tres annos & dimidium Sacræ hiſtoriæ repugnat. Nam anno *Neronis* duodecimum inſequenti facta ſunt bella civilia *Othonis*, *Galbæ*, & *Vitellii*, quando pacem Chriſtianis reſtitutam ipſe *Grotius* affirmat, vera autem Chriſtianorum perſecutio, quæ *Neronis* decimo accidit, dum incenſæ à ſe urbis crimen in Chriſtianos derivare vult, non duravit ultra annum unum; ejus enim undecimo *Paulus* liberè prædicabat Romæ Euangelium, ut duodecimo coronatus eſt martyrio.

7. Septimò. Angelos cum Dracone ejectos cœlo voluit hæreticos *Simonis* diſcipulos, qui Magiſtro mortuo ex Eccleſiâ ejecti ſunt. Certè poſt *Simonis* mortem plus à Gnoſticis Eccleſia vexata eſt (ſi ipſi *Hamondo* credimus) quàm ante *Simonis* mortem, quando (ſi Samariam excipias) reliqua Eccleſia à *Simonis* & Gnoſticorum hæreſi fere intacta permanſit.

8. Denique octavò, poſt dejectum Draconem de cœlo magna fuit Eccleſiæ pax & triumphus, ingenſque Regni Chriſti incrementum; at verò contraria omnia (vel adverſariis teſtibus) *Simone* precibus *Petri* victo apparuerunt. Nam ſecundum eos, *Neronis* duodecimo in vindictam *Simonis*, Apoſtolorum principes *Petrus* & *Paulus* à *Nerone* morte mulctati, & Eccleſia ingenti perſecutione diſſipata, quæ tribulatio licet anno ſequenti necato *Nerone* refrixiſſe videatur, tamen paucis pòſt annis imperante *Domitiano* referbuit.

Etiam in decimum tertium. Quod ad caput 13. quadraginta duos menſes interpretantur de tribus annis & dimidio perſecutionis *Domitiani*, prioremque beſtiam, cujus unum caput erat vulneratum lethaliter & poſteà ſanatum, intelligunt Romanam Idololatriam incendio templi *Iovis Capitolini* multùm labefactatam ſed reſtauratam, cum id templum *Domitianus* in Capitolio reædificâſſet. Poſteriorem beſtiam volunt *Apollonium Tyaneum*, qui ſuâ Magiâ Romanos in Idololatriâ confirmavit, iiſque imaginem fecit quæ loquuta eſt, umbram enim *Achillis* adduxit in ſuperias oras, & effecit cum mortalibus colloqui. Reſp. Deliria hæc non egerent refutatione, niſi magna auctorum eruditio & novitatis illicium prurientia quorundam ingenia ineſcarent: ſic ergo contra hunc etiam commentarium diſputamus.

Primò. Si duratio Beſtiæ notet tempus perſecutionis *Domitiani*, tum *Domitianus* fuit iſta Beſtia, ſed iſti nolunt *Domitianum*, aut ullos alios Imperatores fuiſſe Beſtias. Premunt enim Romanam Idololatriam in abſtracto, nullum Romanum in concreto fuiſſe beſtiam. 1.

Secundò. Beſtia ſecunda ipſis eſt perſona; *Apollonius* ſcilicet *Tyaneus*: prior ergo etiam erit perſona, quæ toto hoc capite ab Apoſtolo ſub habitu perſonæ deſcribitur. 2.

Tertiò. *Domitiani* perſecutio non poteſt reſtringi ad tres annos & dimidium; eſto enim finiverit, ut volunt, in ejus morte, anno ſcilicet ejus decimo ſexto: certè tamen non incepit ejus decimotertio, ſed quadriennio maturiùs, nono ſcilicet ejus anno, quando *Ioannem* Apoſtolum in vas ferventi oleo plenum Romæ immiſit, & ibi illæſum in Inſulam Patmon ablegavit, annóque duodecimo *Antipam* Pergami, *Ignatium* Antiochiæ, *Cletum* Romæ inſignes Martyres necavit. 3.

Quartò. Malè diſtinguitur Beſtia hæc, ejuſque perſecutionis tempus à prioribus Beſtiis, Imperio Romano Idololatrico & Pontificio: cum eædem Beſtiarum illarum partes & eadem triennii ac ſemiſſis duratio memoretur ab Apoſtolo. 4.

Quintò. Beſtia hæc præ omnibus aliis notatur crudelitatis & blaſphemiæ; *Domitianus* autem etſi valde crudelis & valde blaſphemus fuerit: nihilo tamen crudelior & blaſphemior, variis tam ante quàm poſt ſe Romanis Imperatoribus fuit. 5.

Sextò. Quòd incendium Capitolii tempore *Domitiani* notari velint in lethali beſtiæ vulnere ridiculum eſt commentum, cum nihil omnino detrimenti paſſa ſit Romana Idololatria ex iſtius unius ædis incendio: ſæpè anteà & poſt etiam Capitolium conflagravit, & Idolorum variis caſibus incenſa ſunt templa: nuper imperante *Vitellio Iovis Capitolini* templum incendio vaſtatum erat, & à *Veſpaſiano* magnificentiùs reædificatum, nihil inde tamen *Iovis* cultui, vel acceſſit vel deceſſit. 6.

Septimò. Beſtia illa ſecunda non fuit *Apollonius Tyaneus*, illius enim falſa miracula ſequuta ſunt *Ioannis* Apocalypſin in inſulâ Patmo: Sed res geſtæ *Apollonii* pleræque anteceſſerunt. Præterea, poſterioris Beſtiæ opus & labor fuit priori beſtiæ inſervire, *Apollonius* autem *Tyaneus* uſque ad mortem profeſſus fuit hoſtis Imperatori Romano *Domitiano*, neque ipſi unquam curæ fuit Romana Idololatria, ſed Solis & ſyderum cultui ad modum Magorum Perſarum ſtudebat. Umbra autem *Achillis* 7.

quam loqui feciſſe fingitur *Apollonius*, tantum abeſt à re præſenti, ut ipſe *Hamondus* illud Magiſtri ſui *Grotii* delirium repudiet.

Tertiam ſententiam non ultra proſequemur, reliquaſque brevius perſtringemus.

Foxi ſententia improbanda. Quarta eſt *Joannis Foxi* Martyrologi Anglicani, qui graviter & ſeriò affirmat Martyrologii lib. 1. ſub finem, ut citat *Abbotus*, quòd inſpiratione divinâ edoctus fuerit menſes Apocalypticos interpretari de Sabbaticis: menſis autem Sabbaticus ipſi eſt ſeptennium, itaque quadraginta duo ſeptennia efficiunt annos ducentos nonaginta quatuor, quorum initium ponit in cæde *Joannis Baptiſtæ* & finem in principio *Conſtantini*; hoc pacto omnes noſtros numeros exponit de Judæorum & Romanorum Gentilium perſecutionibus Eccleſiæ Chriſtianæ. Sententiam hanc *Pareus* & *Abbotus* magnâ cum reverentiâ tecitant, neuter tamen eam audet amplecti, & nos quoque eam improbamus.

1. Primò. Quia viros graves vix decet pro ſuis dogmatis inſpirationes divinas proferre, hujuſmodi enim argumenta latam ſtatim *Enthuſiaſtis* portam panderent: prævidens hoc vir graviſſimus quam in Martyrologio narrat inſpirationem, in commentario ſuo Apocalyptico omnino ſupprimit.

2. Secundò. Nullum affert vel ex Scripturâ, vel ex ullo probato auctore exemplum, ubi menſis ſtat pro ſeptennio vel hebdomade annorum: nec ulla ratio commoda afferri poteſt, cur menſis pro ſeptennio accipiatur. Commentariis autem, qui neque exempla neque rationes proferunt, non ſunt probandi.

3. Tertiò. Ut ex capitis quarti primo probavimus, viſiones præ manibus ſunt de rebus futuris non præteritis, hic autem *Foxi* commentarius eas extendit ad multos annos, antecedentes Apocalypſin & adventum *Joannis* in Patmon.

4. Quartò. Tempora Apocalypſeos undecimo, duodecimo, & decimotertio capite expreſſa, rectè de unâ & eâdem periodo *Foxus* exponit: ſed ut perperam eam periodum inchoat à nece *Joannis Baptiſtæ*, ita & perperam terminat in *Conſtantini* principio, ſic enim ab omnibus illis locis communem omnium ſententiam omnis Antichriſti perſecutio excluderetur.

5. Quintò. Id quod in hac ſententiâ maximè diſplicet eſt, quòd intervallum hoc præ manibus & geminet & laceret, priores enim annos ducentos nonaginta quatuor aſcribit perſecutionibus Ethnicorum, & poſteriores perſecutionibus Turcarum, quas inchoat ab anno milleſimo trecenteſimo, & claudit in milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſexto; periodorum hæc geminatio eſt inſolens, nec poteſt admitti, multò minus concoqui poſſunt periodorum dilacerationes cum tantis in medio hiatibus, ut *tempus, tempora, & dimidium temporis* ſignificent ducentos nonaginta ſex annos geminos, inter quos interjiciendi ſunt anni ſupra mille.

Denique ſextò. Figmenti hujus inanitatem omnia revelans tempus dudum clariſſimè patefecit. Nam *Foxi* calculus Turcarum Imperium in anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo quarto claudit. Nihilominus immotum illud adhuc conſiſtit annis ſexaginta duobus ultra iſtum terminum. 6.

Veruntamen in hac ſententiâ probo modeſtiam, auctor enim nihil cuiquam Magiſtraliter præſcribit, ſed ſua ſenſa doctorum ſubjicit examini, imò verò totum ſuum in Apocalypſin commentarium ſub humillimo εἰκασμῶν ſeu conjecturarum titulo proponit.

Brightmanni & Medi ſententia refutatur. Quinta ſententia numeros noſtros omnes facit Propheticos, & determinatos annorum præcisè mille ducentorum ſexaginta: *tempus, tempora, & dimidium temporis* reſolvendo in tres annos & dimidium, vel menſes quadraginta duos, vel dies mille ducentos ſexaginta, quorum ſingulos more Prophetarum extendunt ad annum Aſtronomicum. Hujus periodi finem claudunt in anno *Chriſti* milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo, quo Romani Imperii, urbis Romæ, Antichriſti & Turcarum tyrannidis caſum referunt, quando Judæorum converſionem, quintamque Monarchiam Sanctorum, inprimis fidelium Judæorum, expectandam docent.

Commenti hujus fundamenta jecit *Thomas Brightmannus*, vir doctus & pius, hujus callem in pleriſque terunt *Joſephus Medus*, *Thomas Parkerus*, *Ephraim Huitus*, viri similiter cùm docti tum pii. Iſtam autem ſententiam probare non poſſumus.

Primò enim omninò nova eſt, ejuſque auctores ab aliorum omnium ante ſe Theologorum mente diſcedere profitentur, etſi ſæpe verbis ſatis modeſtis, eo tamen exitu ut præfidenter & ſuperciliosè ſatis ſuos ſenſus aliorum omnibus præferant, idque cum titulis nimis quam magnificis clavis Apocalypticæ, & apocalypſis Apocalypſeos. 1.

Secundò. Eorum temeritatem tempus ipſum jam confutavit, advenit annus milleſimus ſexcenteſimus quinquageſimus, & quinque inſuper pertranſierunt determinatiſſimum illum ipſorum calculum; ſtat tamen hodie Roma, Romanuſque Pontifex, & Romanus Imperator, Turcicumque Imperium, duratque Judæorum obſtinatio, & omnia 2.

& omnia perſeverant in eodem ſtatu quo ſuperiori ſeculo conſpecta ſunt. Extendit quidem aliquando *Brightmannus* ſuum calculum ad annum Milleſimum ſexcenteſimum octogeſimum ſextum, alibi tamen ea jecit fundamenta, quibus ſuperſtruxerunt ſequaces terminum præ manibus anni milleſimi ſexcenteſimi quinquageſimi, quem cùm primùm audirem Londini publicè in concionibus ad ipſa Regni comitia inculcatum, mirabar multùm virorum aliàs modeſtorum magnam audaciam.

3. Tertiò. Hæc commenta Britannicis hodie Eccleſiis plurimùm creârunt damni. Unde enim ad tot tamque immanes errores, totque ſchiſmata tam multorum excitata & præparata fuerunt ingenia, quàm ab æſtro iſtorum paradoxorum de exortu nobis viventibus & videntibus, novi cœli, & novæ terræ, veterumque omnium in novum prorſus habitum efformatione? Dolebam ſane cum ante annos duodecim, permultos ex eminentiſſimis omnium partium in Angliâ Theologis, non minùs Preſbyterianis quam Epiſcopaturientibus, ſed inprimis Independentibus & Anabaptiſtis, competiſſem *Brightmanni*, *Medi* & ſimilium phantaſmatis imbutos: multumque poſteà gaviſus ſum cum plerorumque virorum bonorum animos hoc fermento depuratos conſpexiſſem. Ut primo iſti igni frigidam jamdudum ſuffudit, cum tempeſtivus variorum contra Chiliaſtas labor, tum inprimis inopinata Dei rerum humanarum adminiſtratio, altas nimis lataſque, ſed carnales vanaſque hominum licet piorum ſpes omnino fruſtrans. Ita faxit Dominus quæ ab hoc principio in levibus & male ſanis multorum ingeniis, plurimorum peſtis prognata eſt, quàm fieri poteſt celerrimè ſuâ ſponte emoriatur.

4. Quartò. Iſti viri, licet aliorum ſcoteriias ob paucorum menſium, imò paucorum dierum anomaliam rejiciant, in ſuâ tamen annorum, imò centum quadraginta in unâ curatione vulneris beſtiæ parachroniſmum leviſſimè tranſvolant, ut in *Brightmanno* videre eſt ad Apocal. 13. v. 5. Sed non eſt hic animus ad particularem hujus ſententiæ cenſuram deſcendere, ne nimium ſupra cæterarum modum quæſtio præſens excreſcat.

Iunii & ſequacium ſententia improbanda. Sexta ſententia eſt *Iunii* & ſequacium, *Polani*, *Rolloci*, *Deodati*, *Naperi*, *Annotatorum Anglicorum* & aliorum. Hi numeros omnes noſtros volunt definitos, ſed in *Daniele* Aſtronomicos, at in Apocalypſi Propheticos: In *Daniele* etiam nolunt tres annos & dimidium, ſed tres annos & particulam anni quam ex Maccabæis ad decem dies reſtringunt. De hoc calculo fortaſſe aliàs: hîc tantùm noto Anglicanos Annotatores medios ad Daniel. 7: v. 25. malle anni dimidium ſex ſcilicet menſes quàm decem dierum particulam; ſed ultimos hîc medios deſerere, tacitóque eorum nomine ſatis acutè pungere ipſorum interpretamentum, de dimidio anni; non tantùm condemnantes falſi, ſed etiam àd Papiſtas Tridentinos eam ſententiam rejicientes ſatis aculeatè. In *Daniele* Annotatores Anglicani primi non ſequuntur *Iunium*, ſed in totâ Apocalypſi nihil aliud habent quàm notarum *Iunii*, ut profitentur, exſcriptionem: In Apocalypſeos autem undecimi ſecundo & tertio, & decimitertii quinto *Iunius* conjicit menſes & dies in annos mille ducentos ſexaginta, quos inchoat à paſſione *Chriſti*, & terminat in Pontificatu *Bonifacii* tertii, anno Chriſti milleſimo ducenteſimo nonageſimo quarto. Verùm cap. 12. verſ. 14. *tempus*, *tempora*, & *dimidium temporis* exponit de tribus annis Aſtronomicis & ſemiſſe, ab initio ſcilicet belli Judaici ad Hieroſolymorum ruinam, quando Chriſtiani ex urbe fugientes vixerunt Pellæ; & tamen eandem Mulieris fugam eodem cap. verſ. 6. exponit Propheticè de annis mille ducentis ſexaginta. In Apocalypſi *Deodatus*, ſicut ante eum *Calvinus* & *Beza*, omnino ſilet, in hiſce Myſteriis nihil habens quod proferret.

In hac ſententiâ Junianâ deſideramus 1.
Primò, quòd *Danielis* ſeptimi viceſimum quintum reſtringat ad tres annos, & dimidium *Antiochi Epiphanis*, quod multis rationibus & auctoritatibus ſuprà impugnavimus.

Secundò. Quod ſine ullâ vel ratione vel auctoritate Apocal. 12. v. 14. *tempus*, *tempora*, & *dimidium temporis* de annis Aſtronomicis, quibus Chriſtiani Pellæ commorati ſunt; contra omnes locos tam capitis 11. quàm 13. & in hoc ipſo cap. 12. quos ipſe facit parallelos. 2.

Tertiò. Quod calculum ſuum Propheticum inchoet à paſſione *Chriſti*, cùm tamen viſiones hæ cap. 4. v. 1. dicantur expreſſè de rebus futuris. 3.

Quartò. Quòd calculum ſuum Antichriſtianarum perſecutionum claudat ad annum *Chriſti* milleſimum ducenteſimum nonageſimum quartum, cùm tamen iſtarum perſecutionum fervor & furor in teſtes veritatis cap. 11. verſ. 7. multis annis ſequutus ſit. 4.

Naperus noſter *Iunio Brightmannum* jungens, & aliquid de ſuo addens, annos mille ducentos ſexaginta inchoat ab Imperio *Conſtantini*, quando *Sylveſtro* Papæ urbem Romam Imperator conceſſit, adeoque claudit in anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo, quando Scotia & Anglia & aliæ gentes Pontificium jugum excuſſerunt, *Etiam Naperi.*

1. runt. Calculus hic non poteſt probari, nam nulla tyrannis Romani Pontificis apparuit diebus *Conſtantini*, nec ante annum trecenteſimum poſt *Conſtantinum Bonifacio* Papæ conceſſit *Phocas* Imperator univerſalis
2. Epiſcopi titulum. Deinde ſi à *Sylveſtro* numeremus annos mille ducentos ſexaginta, incidimus in annum non milleſimum quingenteſimum ſexageſimum, ſed in annum milleſimum quingenteſimum ſeptuageſimum tertium, quando nullibi à Romano
3. Pontifice ulla defectio facta eſt. Denique reformatarum Eccleſiarum à Romano Pontifice ſeceſſio multis annis milleſimum quingenteſimum ſexageſimum antevertit, imò verò poſt eum annum plus incrementi quàm decrementi Pontificium Regnum cepit.

Bullingeri ſententia vera.

Ultima ſententia in quâ nos acquieſcimus eſt *Bullingeri, Bibliandri, Abbots, Parei,* & aliorum. Hi annorum numeros Dan. 7. & Apocal. 11. 12. & 13. non illubentes concedunt Propheticos eſſe, neque omnino Aſtronomicos; ſed Propheticos potius indefinitos: largiuntur definitiſſimos Deo, ſed eorum terminos uſque adeò ab hominibus celatos, ut ſimpliciter indeterminatos pronuncient.

Quod objiciunt *Annotatores Anglicani* ex *Bellarmino*, in Scripturâ numeros integros ſtare poſſe pro indefinitis, non autem fractos, dudum refutavit *Pareus*, multa afferens numerorum fractorum indefinitorum exempla: Matth. 18. v. 12. *Remittes fratri tuo ſeptuagies ſepties*; nil aliud hìc ſignificatur quàm multoties. Apoc. 14. v. 1. *Signabantur centum quadraginta quatuor millia*, hìc numeri fracti non ſtant pro ullo certo & definito. Et verſ. 20. *Stadia mille ſexcenta*, alibique ſæpe numeri fracti definiti pro indefinitis ponuntur.

Pro ultimæ hujus ſententiæ probatione non opus eſt alia afferre quàm ea, quibus ſuperiores ſententias refutavimus, illis enim cadentibus noſtra hæc ſtabit. Certè numerorum præ manibus determinatio adeò malè auctoribus omnibus ad hunc diem ceſſit, ut tutiſſimum ſit eorum determinationem uni Deo relinquere, ſaltem finem eorum ultra noſtros dies protelare, ne propinquum nimis terminum ſtatuentes, cum aliis multis vivi videnteſque vanitatis & temeritatis coarguamur. In hoc ſibi prudenter doctiſſimus *Pareus* cavit, ſtatutâ enim pro fixâ ſuâ mente numerorum indeterminatione, non videtur tamen abhorrere (ſi determinare numeros eos neceſſe eſſet) ut anni hi Prophetici mille ducenti ſexaginta haberent initium in Pontificatu *Bonifacii* tertii, anno *Chriſti* ſexcenteſimo tertio, & finem anno milleſimo octingenteſimo ſexageſimo ſexto. Quid in orbe Chriſtiano contingat poſt annos ſupra ducentos quidam ex noſtris trinepotibus fortaſſe videbunt. Sed nemo jam vivit qui de tam remoto tempore quicquam certi affirmaverit, & verò quod ad terminum ejus primum, annum *Chriſti* ſexcenteſimum tertium, multùm quidem incrementi tum temporis ceperat *Antichriſti* tyrannis, tamen cur ad hoc momentum particulare Epochæ hujus initium referatur, *Pareus* non docet.

In ultimâ hac ſententiâ numerari poteſt *Calvinus*, noſtrâſque *Forbeſius*: etſi enim *Calvinus* eâ fuerit humili modeſtiâ ut ſemper ab Apocalypſi manum abſtinuerit, tamen in ſuis ad *Danielem* Commentariis tam ſeptimo quàm duodecimo capite *tempus, tempora, & dimidium temporis* nil aliud vult ſignificare, quàm indefinitè tempus *diuturnum, diuturnius* & *abbreviatum*, in hoc appoſitè ad mentem noſtram: in eo etiam quod Beſtiam quartam & cornu parvum cap. 7. nolit ad *Antiochum Epiphanem*, ſed ad Imperium Romanum referri. Verum in hoc reverendiſſimus vir paucos habet ſequaces (ſi Annotatores Anglicos primos excipias) quòd parvum cornu primos Imperatores velit ante *Veſpaſianum*, & quòd uſque adeò ab omni determinatione temporum abſtrahat, ut qui in *tempore, temporibus*, & *dimidio temporis* velit ultra deſcendere, quâm ad tempus aliquod indefinitum *longum, longius*, & *breve*, vel quàm ad annos decem, centum, & aliud inexpectatæ brevitatis, iis *Pythagoreorum* in numerationibus deliria objiciat.

Forbeſii ſententia.

Quòd ad *Forbeſium*, is determinationem omnem annorum in locis noſtris Apocalypticis rectè rejicit, ſeu Aſtronomici ſeu Prophetici fuerint, ſed perperam omnem indeterminationem pariter rejicit, idque iis rationibus quæ leviores videntur, quàm ut iis refutandis immorari expediat. Id autem quod ipſe ab hominibus omnibus (ut arroganter loquitur) diſſentiens procreavit, nobis videtur planè nugatorium; nimirum locos Apocalypticos, licet indefinitè intelligendi ſint, tamen numeris definitis exprimi; eò quòd res geſtæ Veteris Teſtamenti, ad quas hiſtoriæ illæ Apocalypticæ referuntur, eo definito tempore peractæ ſint, quod in Apocalypſi exprimitur, nimium in hoc ſuo novo commento quaſi magno myſterio gloriatur. Certè hac ſuâ futili, levi, & infructuoſâ ſubtilitate multò plus tenebrarum quàm lucis Apocalypſeos textui affunditur. Removet etiam ab hiſtoriis Apocalypticis omnes temporum Characteres, & omnia magnâ confuſione, ſi quiſquam alius, involvit. Novitatis & ſingularitatis affectatio raro cuiquam benè ceſſit.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

Quid de diebus bis mille trecentis Dan.8.v.14. ſentiendum?

MUltò major in hac quæſtione facilitas eſt quàm in priori, idcoque multo brevioribus hic nobis eſſe licet. Tres inprimis hac de re ſententias invenio. Prima communis eſt tam Pontificiorum quàm Proteſtantium, loqui *Danielem* de *Antiocho Epiphane*, dieſque quos nominat Angelus, naturales eſſe. Secunda eſt Judæorum, qui dies volunt Propheticos, annos ſcilicet bis mille trecentos, quibus exeuntibus purgationem templi per adventum *Meſſiæ* expectant. Tertia eſt Judaizantium nimis hodiernorum Chiliaſtarum, qui dies itidem volunt Propheticos, annos nimirum bis mille trecentos: ſed à quo, in quem terminum fluentes non ſeſe ſatis expediunt.

Communis ſententia vera. In primâ nos acquieſcimus, etſi diverſimodè à variis explicetur. *Calvinus* modeſtè & graviter, ut ſolet, dies hoſce reſolvit in annos ſex, menſes tres & ferè quatuor. Eorum finem ponit in anno Regni Græcorum centeſimo quadrageſimo octavo, menſis noni *Caſleu* die vicesſimoquinto, prout habetur expreſſè 1 Maccab. 4. v. 52. eorum verò principium generaliter in primâ Judæorum ab *Antiochi* perſecutione. Particulariùs non opus fuit deſcendere, nam ſi retrogradiendo numeremus ab anno centeſimo octavo, ejuſque menſis noni viceſimoquinto, Arithmeticus annorum paucorum calculus non poteſt errare: inprimis ſi rectum *Calvini* fundamentum ſupponamus, differentiam omnem inter annos antiquos Judæorum & hodiernos noſtros Julianos, aut alios etiam quoſcunque Lunares & Solares, per intercalationem incerto intervallo ſolitam olim conciliari, hodieque facile æquari poſſe.

Defenditur Calvinus. Quod autem *Calvinus* in locum præ manibus, velit pollutum & purgatum templum annis centum quinquaginta poſt mortem *Alexandri*, & tamen centeſimo quadrageſimo octavo Regni Græcorum, ἐναντιοφανὴς eſt ſolutu facile. Nam primò, prælectiones *Calvini* in *Danielem* ab ipſo non ſunt editæ, ſed (ut diverſa ejus alia) ab ore dictantis acceptæ, ſine ipſius recenſione evulgatæ ſunt, profitetur certè hoc loco disertè loqui ſe de ſummâ tantùm temporum παχυλῶς & ἐξωτερικῶς, non accuratè & acroamaticè, præterea Epocha Regni Græcorum in Maccabæis memorata, non incepit neque à Regno, neque à morte *Alexandri*, prout in hiſtoriâ diximus, ſed aliquandiu pòſt à Babylonico *Seleuci* Regno.

Improbatur Iunius. *Iunius* (ut in pleriſque) vult ad minutiſſima deſcendere, ut finem hujus periodi ponit in anno *Seleucidarum* centeſimo quadrageſimo octavo, menſis noni viceſimo quinto, ita principium in anno eorundem centeſimo quadrageſimo primo, cùm *Menelaus* Pontifex ad Gentiliſmum deſecit. Huncce calculum probat ex 1 Maccab. 1. verſ. 12. dies autem bis mille trecentos reducit ad annos ſex cum tribus menſibus & diebus octodecim, ſupponitque in unoquoque ſexennio geminam intercalationem, ſeu duos Februarios biſſextiles: ſex enim horæ quibus annis ſingulis curſus Solis excedit dies trecentos ſexaginta quinque, in unoquoque quarto anno efficiunt integrum diem viginti quatuor horarum.

Iunium ſequitur *Rollocus*, ut ſolet, de verbo in verbum, etiam *Deodatus*, *Polanus* quoque, ſed hoc addens, præciſum terminum initialem Epochæ præſentis cadere in anni centeſimi quadrageſimi ſecundi menſem ſextum die ſexto.

In hac *Iunii* ſententiâ improbamus reductionem dierum ad annos ſex, tres menſes, cum diebus octodecim, ſuppoſitâ enim prædictâ intercalatione, calculus hic ad amuſſim Arithmeticam quadrabit. Sed id quod deſideramus Primò eſt, quod *Iunius* hujus numeri principium ponat in anno centeſimo quadrageſimo primo, integro anno maturiùs debito: quod meritò *Polanus*, licet abſque redargutione, corrigit, etſi alii incogitantes errorem hunc ἀδοκιμάστως ſequantur. Secundò. Pro calculi hujus capite *Iuniani* omnes, etiam ipſe *Polanus*, citant 1 Maccab. 1. v. 12. nihil tamen illic apparet, quod huic numerationi ullum colorem præbet; ibi legimus *Antiochum Epiphanem* occupâſſe Regnum anno *Seleucidarum* centeſimo triceſimo ſeptimo, ſed quando Judæos vexare cœperit, vel quo temporis articulo *Menelaus* Apoſtata ad eum ſe contulerit, nullum ibi verbum.

Annotatores Anglicani notantur. Annotatores Anglicani primi dies noſtros conjiciunt in annos ſex, tres menſes, & dimidium. Malè hoc, & contra ſuum auctorem *Calvinum*, qui habet expreſsè pluſquàm dimidium, Secundi primorum errorem repetunt examinare negligentes, Tertii etiam eundem repetunt ſine rejectione, addunt tamen rectum *Polani* calculum non nominato auctore, ſed in hoc deteriotatum, quòd octodecim dies reddant aliquando dies novemdecim, aliquando tres hebdomadas quæ faciunt dies viginti unum, ſed, qui multò majoris abollæ lapſus eſt, ipſiſſimum hic Jeſuitarum calculum ſubjiciunt, qui utrumque hujus Epochæ terminum de recto loco ſubmo-

vet, locantes primum terminum in primo *Antiochi* Hieroſolymam adventu anno 143, & ultimum in ejus morte anno 149. In hoc malè non Proteſtantium modò, ſed ipſorum Pontificiorum cordatiſſimos deſerentes, ut ſtatim videbimus.

Pererii temeritas.

Pontificii ſatis hîc ſudant, ut numeros & hiſtorias primi libri Maccabæorum cum locis parallelis in libro ſecundo & apud *Ioſephum* concilient, & ſæpe ut Apocryphorum ſuorum auctoritatem ſtatuminent, tam *Torniellus* quàm *Salianus Ioſepho* iniquiores ſunt, ſed iſtas de Apocryphis lites ipſi viderint. Nos tantùm notamus *Pererii* temeritatem, qui Epochæ hujus principium ſtatuens in anno centeſimo quadrageſimo tertio, quærit quomodò hîc ad templi purgationem anno centeſimo quadrageſimo octavo menſis *Caſleu* viceſimo quinto numerari poſſint anni ſex, menſes tres, ac viginti dies, ac profitetur neſcire ſe quid hic reſpondeat: tantùm proponit hæſitanter extendi poſſe finem Epochæ ultra purgationem templi, uſque ad mortem *Antiochi* anno centeſimo quadrageſimo nono. Quod *Pererius* hæſitabundus proponit, id *Torniellus* & *Cornelius à Lapide* decretoriè aſſerunt, quin & Anglicani ſuprà dicti craſſum hunc errorem deglutiunt contra expreſſum *Danielis* textum, qui dies bis mille trecentos claudit diſertè in templi purgatione per *Iudam Maccabæum* anno centeſimo quadrageſimo octavo multis menſibus ante mortem *Antiochi*. Nihil hic omninò difficultatis fuit cur ultimus Epochæ terminus ſuo loco moveretur. Sed *Pererii* & ſequacium incogitantiâ primus terminus malè ſtatuitur in anno centeſimo quadrageſimo tertio, cùm multò antè Judæi Apoſtatæ templum & Dei cultum fœdè polluiſſent. Rectè igitur *Salianus* & Jeſuitarum alii *Polani* noſtri calculum retinent à purgatione templi ordine retrogrado numerantes annos ſex, tres menſes, & dies viginti, adeoque ex fixo fine principium ſtabilientes in anni centeſimi quadrageſimi ſecundi menſe ſexto, die ſexto vel octavo. Omnes Pontificii à noſtris hîc duobus diebus differunt, pro noſtrorum octodecim ſupponentes viginti, non tam interlinearia *Montani* ſequentes, quæ (ut notat *Salianus*) legunt annos ſex, menſes tres, & dies viginti, quàm obliti geminæ intercalationis à *Iunio* rectè obſervatæ.

Notat *Hieronymus* legiſſe ex Latinis Patribus quoſdam dies bis mille ducentos: certe ſeptuaginta Interpretes, quos peſſimè in multis *Ludovicus Capellus* Hebræo textui præfert, legunt dies bis mille quadringentos: ſed ipſi Jeſuitæ lectionem Hebræam dierum trecentorum ut genuinam amplectuntur.

L'Empereuri paroràma.

Quòd ad ſecundam ſententiam Judæorum, eam *Calvini* exemplo hîc negligimus, ſatis in eorum ſimilis delirii refutatione, quæſtione præcedente immorati: tantùm notamus craſſum doctiſſimi *L'empereuri παρόραμα*, qui in ſuis ad hunc *Iacchiada* errorem notis Dan. 8. 14. ſemel & iterum inculcat dies noſtros mille trecentos incipere ab abolito jugi ſacrificio per *Antiochum*, viceſimo quinto menſis *Caſleu* anni centeſimi quadrageſimi quinti, & deſinere in *Iudæ* de *Nicanore* victoriâ. Certè iſto tempore non fluxit pluſquàm dimidium dierum præ manibus, anni erant non plures tribus, nemo mortalium cum *L'Empereure* affirmaverit ſex annos intra iſtos terminos decurriſſe.

Parkeri argumenta refutantur.

Tertia ſententia eſt *Thomæ Parkeri*, *Roberti* Epiſcopomaſtygis filii Novo-Angli, cujus commentaria in Danielem *Ioſephus Carrellus*, primarius librorum ab Independentibus jamdiu Londini Cenſor, prælo commendavit. Vult hic Dan. 8. cornu parvum non eſſe *Antiochum*, ſed *Antichriſtum* Romanum, dieſque bis mille trecentos non naturales ſed Propheticos, quos licet à variis terminis inchoari poſſe putet, claudit tamen in anno *Chriſti* milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo.

Contra noſtram & communem ſententiam de *Antiocho* ſeptem affert argumenta. 1.
Primò. Cornu parvum capitis octavi, idem eſt cum cornu parvo capitis ſeptimi: Atqui cornu parvum capitis ſeptimi eſt *Antichriſtus* non *Antiochus*. *Reſp.* Major eſt mera petitio principii, quam nos ſine ullo argumento largiri non debemus, quandoquidem multis argumentis & auctoritatibus ſuperiùs probaverimus parvum cornu capitis ſeptimi in quartæ beſtiæ, Romanorum ſcilicet capite ſtetiſſe non tertiæ Græcorum. Et verò non minùs manifeſtum eſt, cornu parvum cap. 8. memoratum eſſe beſtiæ tertiæ non quartæ.

Secundò. Cornu parvum (inquit) exoritur in fine Regni Græcorum, quando peccatorum tranſgreſſio evaſit ad ſummum. *Antiochus* autem *Epiphanes* vixit in medio Regni Græcorum, diu antequam peccata vel Judæorum vel Græcorum ad culmen perveniſſent. *Reſp.* Verba textûs non ferunt abſolutum finem, ſed, ut rectè vertuntur, poſteriora tempora. *Antiochum* quidem *Epiphanem* varii ſubſequuti ſunt Reges Græci, ſed ab ejus diebus eo uſque contrita & diminuta fuit *Seleucidarum* potentia, ut parvi admodum nominis ejus ſucceſſores fuerint, & nullius unquam pòſt in Judæa potentiæ: quòd verò ad peccata attinet, ea in perſecutione *Epiphanis* ſummum procul dubio culmen attigerunt, nec in Regno Græcorum, Judæorum Apoſtatarum 2.

tarum tranſgreſſiones unquam eò abominationis proceſſerunt.

3. Tertiò. Cornu, de quo cap. 8. fuit initio parvum: Sed *Antiochus Epiphanes* ſtatim ab initio ſuo fuit vir magnus, *Antiochi Magni* filius. Reſp. *Epiphanes Magni* quidem fuit filius, ſed natu minor, cui, dum viveret frater natu major *Seleucus*, nihil omninò fuit potentiæ, nec ulla regio civitaſve cui dominaretur: imò verò captivi ad modum obſes in privata fortuna Romæ degebat; ita ut Principum pauci minora habuerint principia.

4. Quartò. Cornu parvum verſ. 9. cap. 8. crevit ſupra cornua priora: Atqui *Antiochus Epiphanes* nunquam æquavit potentiam vel ſui patris *Antiochi Magni*. Reſp. Verſus nonus loquitur de cornu parvo in ſe & reſpectu Auſtri, Orientis, ac Judææ, nulla autem inſtituitur ejus comparatio cum cornibus verſûs octavi, quaſi is major futurus fuiſſet, vel *Alexandro* vel quovis ex ejus quatuor ſucceſſoribus. Evaſit quidem valdè magnus reſpectu parvorum ſuorum principiorum, imò verò nullus ex *Alexandri* ſucceſſoribus ejus ſeculo eum vel potentiâ vel magnificentiâ æquavit. Certè *Ptolemaeis* in Ægypto, & *Perſeo* in Macedonia omni gloria anteibat, & verò patrem ſuum *Magnum* ſucceſſibus in Ægypto & Judæâ longè antecellebat.

5. Quintò. Magna fuit cornu parvi gloria in Auſtro, Oriente, & Judæâ: Atqui *Epiphanis* magna ignominia fuit omnibus iſtis locis, nam legatus Romanus *Popilius Lenas* virgâ viteâ eum ejecit Ægypto: *Iudas Maccabaeus* omne ejus robur in Judæa fregit, *Elymaita* in Perſia eum lapidibus propemodum obruerunt. Reſp. Diſtingue tempora. Maximam *Epiphanes*, quâ diu fruebatur, gloriam tandem ubique perdidit: miſera fuerint ejus prima & ultima, non media, ut *Daniel* ſatis clarè prædixit viceſimo quinto octavi.

6. Sextò. Cornu parvum perduravit verſ. 17. & 19. uſque ad mundi finem & iram Dei noviſſimam, non ita *Antiochus Epiphanes*. Reſp. *Daniel* non loquitur de fine ſeculi, ſed Regni Græcorum & perſecutione iſtius cornu, quod diſertè verſ. 9. exortum dicitur ab uno quatuor ſucceſſorum *Alexandri*, prout *Ephraim Huitus* in hunc locum rectè demonſtrat. Nec ipſe *Iacchiades*, qui *Parkero* in hac ſuâ ſententia præceſſit, in hoc articulo à nobis diſſentit: quanquam minimi pendendus videatur Rabbinorum iſtorum in pleriſque ſtolidiſſimorum vel conſenſus vel diſſenſus. Certè *Iacchiades* ad verſ. 8. cap. 8. quatuor *Alexandri Magni* ſucceſſores vult *Romulum* Romæ, *Alexandrum* Alexandriæ, *Herodem* Aconæ, & *Antiochum* Antiochiæ. Hujus delirii amentia & ſtupor non poteſt ſatis pro merito explodi.

Ultimum *Parkeri* argumentum. *Pererius* (inquit) in locum adæquat dies bis mille trecentos perſecutionibus *Antiochi*: illas autem inchoat anno Græcorum centeſimo quadrageſimo tertio, & claudit centeſimo quadrageſimo octavo, hoc pacto excluduntur tres menſes & duodecim dies à Propheta expreſſi. Ergò ſupputatio dierum naturalium non poteſt admitti Reſp. Quid ad nos unius Jeſuitæ auctoritas, ſingularem inprimis callem ab omnibus ſociis ſeparatim inſiſtentis? Deinde malè *Pererius* principium iſtorum dierum in anno centeſimo quadrageſimo tertio poſuit (ut ſupra demonſtravimus) licet in hoc errore ſequacem habeat *Hugonem Grotium*. Tertiò. Etſi malè *Pererius* antiquos terminos removerit, & dierum finem ultra templi purgationem prorogaverit, principiumque in anno centeſimo quadrageſimo tertio locaverit, non prout debebat cum *Saliano*, & aliis in anno priori; tamen à ſuo principio, ſcilicet initio anni centeſimi quadrageſimi tertii, ad mortem *Antiochi*, ſatis congruè bis mille trecentos dies naturales numerar, quod abſque ullâ ratione *Parkerus* conatur impugnare. 7.

Hæc *Parkeri* ſunt contra nos argumenta, pro ſe aliquot affert ut probet cornu parvum cap. 8. denotare Antichriſtum Romanum. Iſtis non expedit immorari, ſunt enim leviuſcula tantùm, quòd noſtram de temporibus quæſtionem ſpectat, videamus ut ille dies exponat. Vult iſtos eſſe Propheticos, ſed novo, & quantum arbitror, prorſus ſingulari modo. Primò affirmat diem hîc ſignificare non annum ſed anni dimidium, eò quòd nominet *Daniel* dies in quibus erat mane & veſpera; mane autem & veſpera ſunt initium & finis diei diſtincti à nocte, ita dies bis mille trecenti ſeu veſpera & mane dierum bis mille trecentorum diſtinctorum à noctibus, faciunt dies naturales viginti quatuor horarum, tantùm mille centum quinquaginta: hi autem anni incipientes à *Chriſti* trecenteſimo ſexageſimo, finiuntur in milleſimo quingenteſimo decimo, quando *Lutherus* oppugnabat Papam. *Parkeri abſurda novitates.*

Pronunciarem quidem ego hunc calculum ridiculum, niſi ex Nova-Angliâ vir doctus eum tranſmiſiſſet, & *Carrellus* illi ad prælum fuiſſet obſtetricatus, utcunque non poſſum non notare magnæ abſurditatis. Ordinarius enim dierum naturalium viginti quatuor horarum calculus in ſacris literis eſt per mane & veſperam. An Gen. 1. dies omnes ita numerati fuere tantùm dierum naturalium dimidia? Et verò an Mundus creatus eſt diebus ſex qui redigendi ſunt in naturales

naturales tres? Prætereà, ſi *Daniel* dies ſuos numeret à noctibus diſtinctos, quî fit ut *Parkerus* dies inde nobis excludat, etiam mille centum quinquaginta, quorum ſinguli viginti quatuor horis conſtant, nec eorum quiſquam ſuâ nocte caruerit?

Tertiò. Principium iſtorum dierum locat in anno *Chriſti* trecenteſimo ſexageſimo, ita abſque ullâ neceſſitate *Danielem* hiſtoriam multarum annorum centuriarum tranſilire facit; & verò magnam Epocham inchoare *Chriſti* anno trecenteſimo ſexageſimo, qui tamen nullo cujuſquam facinoris charactere inſignitur, & finire in milleſimo quingenteſimo decimo, ſeptem totis, ut ipſe fatetur, annis, priuſquam *Lutherus* ullum contra Pontificem verbum protuliſſet. Quod autem primam ſuæ Epochæ partem ab anno trecenteſimo ſexageſimo ad *Donnaſi* Pontificatum poſt annos ſeptem *Parkerus* transferre cupiat, ut in anno milleſimo quingenteſimo decimo ſeptimo claudat, quando *Lutherus* primum Romanis corruptelis cœpit contradicere, deſultoriam levitatem diceremus, niſi multò majori ſaltu omnia hæc ſtatim tranſiliret: non contentus enim à *Danielis* diebus adeoque annis Propheticis abſcidiſſe integrum dimidium, novo ac inaudito commento: ex reliquo dimidium adhuc alterum detruncat. Ex malè intellecto Exodi duodecimi ſexto colligit, unumquemque diem artificialem diſtinctum à nocte habere non tantum unam, ſed duas veſperas, adeoque geminum mane. Itaque *Danielis* dies bis mille trecentos redigendos non tantùm, ut priùs, ad mille centum quinquaginta, ſed ad iſtorum medietatem, quingentos ſeptuaginta quinque. Itaque ſinguli *Danielis* dies contrahentur non tantùm ad diei dimidium horas duodecim, ſed etiam ad diei partem quartam horas ſex, adeoque anni ejus ſinguli ad annorum quartam partem, contractio ridicula & monſtroſa, eò inventa ut claudatur Epocha magnæ templi purgationis ab Antichriſtianiſmo in anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo: cujus principium ut huic exitui, conveniat conſtituitur in primo Papæ *Hildebrandi*, anno *Chriſti* milleſimo ſeptuageſimo quinto. Sed de inſulſis hiſce nugis ſatis ſuperque.

QUÆSTIO V.

Qui ſint termini dierum 1290. & 1335. de quibus Daniel 12. verſ. 11. & 12?

Quæſtionis difficultas.

QUæſtio hæc gravis eſt & difficilis valdè in tantâ Doctorum diſcrepantiâ, noſtri ſimiles decet eſſe modeſtos. Nobis hîc erit curæ ſententiarum primarias quæ minus placent proponere, cum rationibus cur diſpliceant, noſtramque argumentis aliquot ſtabilitam ab obviis exceptionibus vindicare.

Contra ſententiam Rabbinorum argumenta.

Alienarum prima eſt Rabbinorum, qui, ut videre eſt in *Calvino* ad locum & *Iacobi a de L'empereur*, non tantùm dies ad annos extendunt, ſed utrumque numerum conjungunt, ita ut dies 1290. & 1335. ipſis efficiant annos bis mille ſexcentos, hos inchoant ab inſtanti hujus Prophetiæ diebus *Cyri & Danielis*, & claudunt in fine mundi ad annum præterpropter ſexies milleſimum à creatione. In hac ſententiâ plurima deſiderantur, nos in præſentiâ quatuor tantum indigitabimus. Primò. Abſque ullâ ne- 1.
ceſſitate dies hîc volunt eſſe Propheticos, & convertendos in annos. Secundò. Duos 2.
iſtos numeros peſſimè ita ſeparant, ut utrumque neceſſe ſit diſtinctè computari, cum uterque ſit unus & idem, niſi quòd poſterior addat priori dies quadraginta quinque. Tertiò. Eorum principium con- 3.
ſtituitur contra expreſſam Scripturam in diebus *Danielis* & *Cyri*, non enim eo tempore ablatum erat, ſed reſtitutum juge ſacrificium. Diebus quidem primo *Nebuchadnezaris*, & deinde *Antiochi*, ac denique *Veſpaſiani* ſacrificia ſolennia Judæorum ſublata fuerunt, ſed nequaquam temporibus *Danielis* & *Cyri*. Quartò nimis diſtinctè 4.
determinant mundi finem in anno à creatione ſexies milleſimo, quandoquidem illius horæ diei aut anni Angeli in cœlo omnino ſunt inſcii.

Cur Calvini ſententia diſpliceat.

Secunda ſententia eſt *Ioannis Calvini*, quam an quis hîc ſequatur neſcio, vult ille numeros hoſce nihil aliud ſignificare quàm tempus diuturnum, tempus diuturnius, & breve: quaſi in Eccleſiæ calamitatibus, licet pii diem crucis æſtiment pro ſua infirmitate integrum annum, imò plures annos, tamen Dei bonitas tempus id quantumcunque abbreviet in anni quaſi dimidium. Si autem etiam hoc anni dimidium diutius aliquando extendi videatur, non tamen Dominus ſinit longinquum nimis illud tempus evadere, ſed ad dies paucos ſcilicet quadraginta quinque paterna Dei miſericordia reſtringit. Qui ad magis diſtinctam & particularem horum numerorum computationem deſcendunt, vult Pythagoricos, & ineptire de numeris. Sublationem etiam jugis ſacrificii à *Daniele* memoratam, exponit de ultimâ vaſtatione templi per *Titum*.

Hæc viri maximi mens non ſatisfacit, nam eſto ſint Pythagorici, & ineptiant qui curioſè nimis & audacter abſque Scripturis & probabili ullâ ratione, ſeculorum revolutiones ex hiſce numeris minutatim determinant, tamen nimis quàm jejunum eſt *Danielis* myſteria in numeris cùm iiſdem tum diverſis, toties repetita de nullo alio inter-

interpretari, quàm generali de abbreviatione crucis doctrinâ piis omnibus ſemper notâ, in quâ nullum latet myſterium.

Præterea ſuæ ſententiæ duo fundamenta ſubſternit *Calvinus*, quorum neutrum eſt firmum: prius deſolationem templi à *Daniele* hîc notatam fuiſſe ultimam, quæ nunquam pòſt reparata eſt; alterum abominationem deſolationis cap. 12. eandem eſſe cum eâ quam cap. 9. & Matth. 24. v. 15. legimus. Neutrum hoc licet concedere: Non prius, nam apertum eſt finalem vaſtitatem templi cap. 12. v. 11. & 12. non indicari, ſed talem quæ mox erat reparanda, & ex cujus reparatione Judæi magno gaudio erant exultaturi: uberi quidem poſt dies mille ducentos nonaginta, ſed uberrimo poſt mille trecentos quinquaginta quinque.

Quod ad ſecundum, negamus undecimum verſum capitis 12. parallelum eſſe cum vigeſimo ſeptimo noni, nam nonum loquitur de vaſtatione Romanorum, ſed duodecimum de clade per *Antiochum*: & *Chriſtus* Matth. 24. v. 15. de Romanâ vaſtatione loquens refert ad nonum nón duodecimum; ut apud *Paræum*, *Deodatum*, *Annotatores Anglicanos* primos & ſecundos, alioſque interpretes videre eſt. *Anglicani* quidem ultimi volunt *Matth.* viceſimum quartum ad noſtros præ manibus locos *Dan.* 12. referri, ſed contra *Calvinum* abominationem deſolantem ad *Adriani* tempora ultra *Veſpaſianum* extendunt: quin & ſibimetipſis ut aliàs ſæpè putidè hîc contradicunt, nam ad *Matthæi* vigeſimi quarti decimum quintum, docent deſolationem ibi notatam eſſe Romanorum, & eandem cum eâ quam *Daniel* indicat tam cap. 9. quàm 12. Nihilominus tamen ad *Dan.* duodecimi undecimum disertè obſervant, & rectè (licet ſua vineta cædentes) abominationem cap. 12. expreſſam diverſam eſſe ab cap. 9. hanc enim fuiſſe per Romanos & *Titum*, illam verò per Græcos & *Antiochum*.

In Bullingeri ſententiâ deſidero.

Tertia ſententia eſt *Bullingeri*, qui cum *Calvino* quidem *Danielis* nonum & duodecimum ac *Matth.* viceſimum quartum exponit de unâ & eâdem Judæorum per *Titum* vaſtatione, ſed addit *Danielis* numeros de diebus Aſtronomicis accipiendos, primique numeri dierum 1290. principium ponit in decimo ſeptimo Maji *Neronis* decimotertio, cum *Veſpaſianus* bellum contra Judæos inciperet; & finem in octovo Septembris *Veſpaſiani* ſecundo: numerans in toto intervallo aliquantò plus quàm tres annos & dimidium, additionem autem dierum quadraginta quinque in numero poſteriori accipit de diebus, quibus poſt captam urbem *Titus* Judæos de ſuis latebris extrahebat: alios ad cædem, alios ad ſervitutem, alios ad triumphum.

In hâc ſententiâ peculiariter diſplicent. 1.
Primò. Quod etſi doctè & accuratè dies *Danielis* cum hiſtoriâ Romanâ conetur componere; tamen in primi numeri calculo, ubi plus quam tres annos & dimidium numerare profitetur, in ſuo computo tres annos & quatuor menſes non compleat, quodque numeri poſterioris quadraginta quinque dies, *Titi* Hieroſolymis poſt vaſtationem commorationi aſcribat, ſine cujuſquam auctoris teſtimonio.

Secundò. Dies ſuos incipit *Daniel* poſt 2.
ſublatum juge ſacrificium, non autem illud ſacrificium fuit ſublatum tribus annis & dimidio ante templi incendium, nam ad ultimum ſtantis templi diem juge ſacrificium perſeveravit.

Tertiò. In fine iſtorum dierum magna fuit Judæorum lætitia & ſelicitas: atqui in fine poſterioris numeri fatetur *Bullingerus*, ſecundum ſuam ſententiam, perſeveràſſe Romanorum in Judæos crudelitatem, & in fine prioris numeri nullam aliam Judæis exortam lætitiam & ſelicitatem, quam quæ horrenda urbis, templi, & totius terræ vaſtatione miſerrimo populo potuit contingere. Quod verò ad Eccleſiam Chriſtianam, etſi ab iis adorata ſunt juſta Dei in obſtinatos Judæos judicia, tamen non potuit iis magnus luctus non oboriri, ex tantâ Dei populi & ſuorum conſanguineorum ſtrage, in quâ cum corporibus tot animarum myriades in inferna præcipitatæ ſunt.

In Pontificiorum ſententia diſplicet.

Quarta ſententia eſt Pontificiorum penè omnium, qui locum hunc exponunt de ſuo *Antichriſto*, regnante poſt ſublatam de Eccleſiâ miſſam, ipſis ſolenne ſacrificium, 1.
dies mille ducentos nonaginta, poſt quos, *Antichriſto* interfecto dies fluunt quadraginta quinque, in quibus *Elias* prædicat Euangelium, ut lapſi ab *Antichriſto* revocentur ad reſipiſcentiam. Hanc Papiſtarum fabulam ſuprà refutavimus. Addimus hoc loco jactare Pontificios pro principali ſuæ ſententiæ fundamento auctoritatem Patrum. In primis *Hieronymi* & *Theodoreti* commentarios in Dan. 12. Certè Pontificiis auctoritas Patrum parvi admodum eſt ponderis, cum ipſorum dogmatis contradicit. Inpræſentiarum *Theodoretus* *Eliam* vult diebus quadraginta quinque uſque ad Domini adventum prædicare Euangelium. *Pererius*, *A Lapide*, & tota Jeſuitarum turba *Theodoretum* hîc flocci faciunt, & *Eliam* ab *Antichriſto* interfectum nolunt ante diem Domini reſurgere.

Præterea in hoc ipſo argumento tam 2.
Hieronymum quàm *Theodoretum* numerantes ab interfecto *Antichriſto* ad Domini ad-

veotum dies præciſè quadraginta qninqne Pontificii rejiciunt. Rectè quidem Jeſuitæ Domini adveotum nolunt ab ullo mortali determinare cognitum, ſed malè ex 39. Ezechielis tempus poſt *Antichriſtum* interfectum ad finem muodi ſeptem anuos definiuot. Quid enim Prophetarum *Gog* & *Magog* ad *Antichriſtum?* Profectò ridicule *Cornelius à Lapide* ex *Sibylla* oraculis ſeptem illis anois orbi terrarum imperitare facit quandam viduam, quæ omne aurum, argentum, æs, & ferrum de totâ terrâ collectum in maris profuodum projiciet. Equidem tam hìc varii & incerti ſunt receotes Jeſuitæ, ut *A Lapide* dies illos quadraginta quinque aliquando in annos ſeptem, aliquando in quadraginta quinque, aliquando in tempus omuino indefioitum convertat.

3. Tertiò. Tam *Theodoretus* quàm *Hieronymus* ſententias ſuas frivolo admodum fundamento ſuperſtruuot. *Theodoretus* non vult *Danielem* loqui de *Antiocho*, eò quod profanatio templi ab illo patrata duraverit cap 8. dies bis mille trecentos: profanatio autem cap. 11. tantum dies mille ducentos nooaginta. Argumentum hoc oihil concludit, nam, ut ſupra dictum, loquitur Daniel cap. 8. oon tantùm, ut duodecimo, de profanatione templi, ſed etiam de conculcatione populi, quæ toto triennio antecesſit abominationem deſolationis in templo poſitam. *Hieronymus* ſenteotiam *Porphyrii* (quam aliquorum etiam Catholicorum *A Lapide* fatetur, aſcribentium dies mille ducentos nonaginta non *Antichriſto* ſed *Antiocho*) veram fatetur, ſi tempora non diſcreparent, tempora autem diſcrepare hac unâ ratione ter repetita probat, quòd *Antiochi* profanatio tam io libris *Maccabæorum*, quàm apud *Ioſephum* duràſſe dicatur annis præciſè tribus, profanatio autem à *Daniele* memorata cap. 12. permanſit annis tribus & dimidio. Nullo negotio ipſi Jeſuitæ, *A Lapide*, *Salianus*, & alii ſolvent hunc nodum, affirmando cum *Ioſepho* rectè dici poſſe pollutum ab *Antiocho* templum non tantùm tribus annis, ſed etiam tribos annis, & dimidio, eò quòd *Antiochus* per ſuum legatum *Apollonium* urbem & templum cædibus repleverit & ſacrificia perturbaverit totis ſex menſibus ante poſitum ſuper Dei altare *Iovis* idolum, & verò concedunt malè *Hieronymum* compegiſſe mille duceotos oonaginta dies io annos tres ac dimidium, ſuperſunt enim dies minimum duodecim: quin ſi menſes æquales numeros dierum triginta ſingulos, mille ducentos nonaginta dies efficient non tantùm annos tres & ſemeſtre, ſed plus etiam quàm ſeptimeſtre, ita ut iotegro menſe differat *Danielis* calculus à tempore qnod *Antichriſto* vel Patres vel Pontificii tribuunt.

Quartò. Pontificii ab *Antichriſti* primo ortu ad ejus exitum non numeraot niſi aooos tres cum dimidio: atqui *Daniel* id tempus tribuit tyranno à ſe nomioato, quiſquis tandem ſuerit, oon à primo ſui ortu, ſed ab ἀκμῇ & culmioe ſuæ potentiæ: abolitio enim jugis ſacrificii actus ſuit ſummæ tyrannidis & dominationis pleniſſimæ. 4.

Brightmannus, Medus, Parkerus quomodo inter ſe conveniant & differant.

Quinta ſententia eſt Anglorom, non dicam Chiliaſtarum, ſed certè nimis quàm χιλιαζόντων. Eorum princeps eſt *Thomas Brightmannus*, iſtum κατὰ πόδας ſequitnr *Ephraim Huitus*; hi cum ſequacibus profitentur dies mille ducentos oonagioia exponere ſe poſt Rabbinos Propheticè de annis: ita ut hi dies ipſis ſtent pro totidem aonis, & oumerns poſterior mille trecentorum triginta quioque dierum pro annis quadraginta quinque ſupra priorem ſummam. In hoc omnes χιλιάζοντες conſentiunt, ſed de annorum iſtorum terminis & characteribus multa eſt inter ipſos diſcrepantia: *Brightmannus* & *Huitus* eos inchoant anno *Chriſti* trecenteſimo ſexageſimo, dum imperaret *Iulianus* Apoſtata, & claudunt in milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo, cum converſi Judæi io Chananæam reverſi Turcarum Imperium ſuis armis evertere cœperint, urbe Româ tum incenſâ, & quadrageſimo quinto poſt ſuam ab infidelitate reſurrectiooem Turcas omnino aboleverint.

Sed *Ioſephus Medus* longè alios iſtorum annorum ſtatuit terminos, alioſque characteres. Inchoat enim ab *Antiochi Epiphanis* pollutione templi aote *Chriſtum* annis centom ſexaginta ſeptem, & claudit in *Antichriſti* revelatiooe & Valdenſium ab Eccleſiâ Romanâ ſeceſſione anno *Chriſti* milleſimo centeſimo viceſimo tertio.

Robertus Parkerus io characteribus ſequitur *Medum*, *Antichriſtum* ſupponens pro Turcâ, ſed *Brightmannum* in terminis, incipiens ab anno *Chriſti* trecenteſimo ſexageſimo, & claudeos io milleſimo ſexcenteſimo qnioqnageſimo. Ne autem feſtinatio nimis exitu in errore manifeſto etiam à ſecum viventibus deprehenderetur (quemadmodum omnes qui Epocham hanc in 1650. finiunt, jamdudum deprehenſi ſunt) ſingularibus commentis optionem facit non taotùm ſtatuendi Epochæ hujus finem vel in anno 1650, vel in 1859. pro cnjuſque arbitrio, ſed etiam principium vel in anno *Chriſti* trecenteſimo ſexageſimo, vel io trecenteſimo oonageſimo, vel in milleſimo centeſimo ſexageſimo, vel in milleſimo ſeptuageſimo quinto, vel in milleſimo ducenteſimo ſexageſimo, vaſtis intervallis, & accuratâ magis ſubtilitate, quam ut quiſquam

quam ſobrius et refutandæ digoctur immorari.

Argumenta contra Brightmannum. Contra autem primaria ſententiæ hujus quiotæ fundamenta ſic argumentamur.
1. Primò. Sententia hæc novitas eſt profeſſa contra omnes Orthodoxos; antiquos, novos, à *Brightmanno* inventa, & à *Medo* polita, etſi in ſuâ ruditate ſatis adhuc impolita jaceat. *Medus* quidem eam iocruſtare conatur quibuſcunque poteſt Patrum teſtimoniis, ſed ejuſmodi quæ Chiliſtiarum hæreſi contra Patrum Orthodoxorum mentem apertè patrocinantur.

2. Secundò. Novæ hæ Chiliaſmi Lacioiæ ab Ioſeris Anglorum manibus reſuſcitatæ, uſque adeo variè ab ioterpolatoribus exprimuntur, ut ſibi invicem adverſis frontibus incurſent. Io multis magni momenti *Medus* à *Brightmanno*, & ab utroque *Packerus* differt, imo vix unus eſt qui ſibi ipſi io hoc Chiliaſtarum ſomoio ſatis conſtare videatur.

Tertiò. Amplectimur quod *Medus* contra ſuos ſocios nobiſcum dierum mille ducentorum nonagiota principium ſtatuat in pollutione templi per *Antiochum Epiphanem*: etſi oon probemus ἀνἀφοϱὰν, quâ periode putat *Medus* à quonam aono ſexennii perſecutioois, ſaltem triennii pollutionis numeremus. Ubi enim Propheta ſingulos dies diſtinctiſſimè computat, ibi mortales non decet liceotiam uſurpare, quinque ſaltem binos totos annos pro ſuo libitu tranſcurrere.

Contra Medum. Sed io *Medo* inprimis diſplicet, quòd dierum horum finem putet ſtatuendum non in ullo ſeu myſterii ſeu actionis ſeu rei cujuſquam vero fine, ſed tantùm io quâdam revelatione finis iſtorum myſteriorum: quaſi Propheta taotùm collimâſſet ad annum revelationis *Antichriſti*, oon ad ejus verum vel ortum, vel progreſſum, vel exitum. Nec hoc inprimis io *Medo* improbamus, quòd aliquantùm fluctuet in ſtatuendo hoc ipſo ſuo fine dierum ſeu mille ducentorum oooagiota, ſeu mille trecentorum triginta quinque (ponit enim illorum finem aliquando in milleſimo centeſimo ſexto, aliquaodo io milleſimo centeſimo viceſimo, & aliquando in milleſimo ceoteſimo viceſimotertio; & horum in aono quovis à milleſimo ceoteſimo ſexageſimo ad milleſimum ceoteſimum ſeptuageſimum) Iſta miooris momenti παϱοϱάματα facilè condonamus: ſed primarium *Medi* ſphalma hîc arbitror ſingulare ejus in quo gloriatur inventum, quaſi in novâ à Spiritu Sancto luce, quod ſcilicet Angelus *Danieli* non loquatur de ullo fine, ſed de revelatione myſterii finis: certe paradoxum hoc viri doctiſſimi ſatis eſt ἄτοπον.

1. Primò enim commentarium hunc ſuum novum & ſingularem nullâ auctoritate, nullâ ratione firmat.

Secundò. Loquitur *Daniel* hoc ipſo cap. de fine non minùs ſexies verſ. ſcilicet 4, 6, 7, 8, 9, 13 & toties etiam cap. præcedeoti alibique multoties: nuſquam tamen exponi poteſt de revelatione finis, ſed ſemper de ipſo fine, ſeu rei alicujus vero exitu. Senſus ergo hic *Medi* non tantùm eſt præter, ſed contra omnes Scripturas quæ de fine loquuntur. 2.

Tertiò. Dato temporibus à *Medo* nomioatis revelatum *Antichriſtum*: oihil tamen quicquam à *Medo* citatum loquitur de *Antichriſti* fine, *Antichriſti* finis ejus initia & progreſſum clarè ſpectantibus occultiſſimus eſſe poteſt: jam loquitur *Daniel* non de quocuoque myſterio, ſed myſterio finis, non priucipii aut progreſſus. 3.

Quartò. *Antichriſti* revelatio anno 1120 ante Waldenſes annis quioquaginta, uſque adeo tenuis & tam paucis facta eſt, tenebræque *Antichriſti* ac ejus tyrannis centenis aliquot aonis poſt eos dies tam craſſæ fuerunt, ut parvi momenti ea revelatio habenda videatur. 4

Denique ad poſterioris numeri dierum mille trecentorum trigiota quinque finem magna fuit piorum pax & ſupra priora tempora lætitia ac beatitudo, ſed *Medus* fatetur ſui computi finem 1160. & 1170. uſque adeò luctuoſum & ioſelicem, ut pejora tempora piorum io terris Eccleſiæ nunquam expertæ ſint. Certè eâ tempeſtate ſupra decies ceoties mille Chriſtiani crudeliter occiſi ſunt.

Io *Medi* ſenteotiâ diſplicebat finis, ſed in *Parkeri* & aliorum tam principium quàm finis. De fine noo eſt quod dicamus, quaſi anno 1650. Roma fuiſſet evertenda, Judæi convertendi, Turcæ exterminandi, Regnumque mundi io piorum manus tradendum. Somnia hæc dies & oculi invigilantibus dudum refutârunt. Verum eſt aooo 1639. ioprimis 1643. & 1645. Seotorum arma contra Malignantium partes io totâ Britanniâ mirè florentia, magoas io multorum animis tam cis quam citra mare ſpes excitâſſe, de propinquâ *Antichriſti* ruinâ, & multarum Prophetiarum complemento jamjam ingruente: ſed anno 1650. cum noſtrorum arma frangi, noſtrumque Regnum, & Eccleſia ſub oovæ factionis pedibus teri conſpicerentur, tum in omnibus Orthodoxis illæ ſpes decollare & pro tempore omnino refrigeſcere.

Quod ad ipſorum Epochæ principium anno *Chriſti* trecenteſimo ſexageſimo diebus *Iuliani*, omnioo non quadrat cum verbis Angeli Dan. 12. Tres vult *Brightmannus* hujus principii characteres, primus eſt ex verſ. 7. conſummatio diſperſionis populi *Contra principium ipſorum Epochæ.*

Sancti; ſecundus ex 11. abolitio jugis ſacrificii. Tertius ex eodem, erectio abominationis deſolantis. Jam verò nullus trium huic exordio convenit.

1. Ad primum quod attinet, An *Chriſti* anno 360. Judæi populus Dei Sanctus dici merebantur? Qui à Deo repudiati omnem veræ fidei profeſſionem dudum abjecerant, & contra *Chriſtum* apertas atque acerbas inimicitias præ ſe ferentes, nullum in Eccleſiâ & Dei populo locum magis quàm hodierno die poſſidebant. Præterea, an eorum diſperſio diebus *Iuliani* complebatur? Multos equidem *Iulianus* pro ſuâ impietate favores Judæis largitus eſt, certè nihil ille addidit priori ipſorum ſervituti & diſperſioni. Profecto ſi non *Titi*, tamen *Adriani* diebus, multis ante *Iulianum* ſeculis, Judæorum diſperſio in ſupremum culmen impoſitum eſt.

2. Quod ad ſecundum characterem, Non fuit diebus *Iuliani* ſublatum juge ſacrificium, nam poſt incenſum à *Tito* templum, nullum ad hunc diem extitit apud Judæos vel juge, vel aliud quodcunque ſacrificium. Impedimentum à Deo miraculosè poſitum ne rèſtauraretur templum, & in eo ſolennia ſacrificia, malè dicitur ſublatio templi & ſacrificiorum, quæ tunc temporis nuſquam erant in re; etſi in voto & ſpe *Iuliani* Apoſtatæ & blaſphemorum Judæorum.

3. Tertius etiam character, erectio abominationis deſolantis nihil ad hoc principium. Multa Hebraicatur *Brightmannus*, diſtinguendo inter abominationem deſolantem ac deſolatam, quaſi מְשֹׁמֵם eſſet vocis activæ, & שֹׁמֵם Paſſivæ, verùm contra rationem Grammaticæ uſumque Scripturæ, ac optimos Interpretes, ac rectam etiam rationem. Nam *Benoni Kal* eſt formæ activæ non paſſivæ, ſi verò ſumas שֹׁמֵם non pro Participio ſed Nomine *Toar* ſeu verbali, etiam ſic, fatente *Brightmanno*, Dan. 8. ſumitur activè, & verò omnes hîc interpretes activè accipiunt: nec quiſquam etiam ſequacium *Brightmanni* Magiſtrum hîc tenet, abominationem deſolationis interpretantem de abominatione populi deſolati & calamitatibus fracti: ſed omnes exponunt de abominatione cauſante in populo deſolationem. Abominatio deſolati eſt interpretamentum omnino novum, nullâ vel ratione, vel exemplo vel teſte fundatum: utcunque, erectio abominationis ſeu deſolantis ſeu deſolati non convenit diebus *Iuliani*. Quicquid enim fiat vel de *Iuliani* vel de Judæorum intentionibus & deſideriis erigendi omnes abominationes, nihil tamen abominabile valuerunt erigere: loquitur autem Propheta de abominatione actu erectâ, non de intentione erigendi, nunquam redactâ in actum.

Denique; Etſi lex cæremonialis poſt deſtructum templum fuerit non tantùm mortua ſed mortifera, nuſquam tamen in ſacris literis horrido abominationis deſolantis titulo ea lex inſignitur: infamia hæc craſſiſſimæ Paganorum Idololatriæ ſolet appropriari. Reliquum hujuſce diſputationis remittimus ad quæſtiones in Apocalypſin, ſi eo uſque opuſculum hoc continuare Deus dederit. 4.

Sexta ſententia Iunii.

Sexta & ultima ſententia eſt eorum qui dies Aſtronomicos volunt: principium ponentes quando abominatio deſolationis; ſeu ſtatua *Iovis Olympici* ſuper altare *Iehovæ Antiochi* mandato collocata eſt viceſimoquinto menſis *Ciſleu* anni *Seleucidarum* 145. & finem in die Aſtronomico, milleſimo trecenteſimo trigeſimoquinto poſt dictum principium. De genere & terminis horum dierum, inter ſententiæ auctores conſenſus eſt, ſed de characteribus non item. Principium quidem omnes ſtatuunt in pollutione templi per *Antiochum*, finem etiam ſecundi numeri ejuſque dierum locant in *Epiphanis* morte, ſed de fine numeri prioris, adeoque principio poſterioris differentia eſt. *Iunius*, & poſt eum *Piſcator*, *Polanus*, *Rollocus*, *Brughtonus*, *Deodatus*, *Grotius*, & alii, numeri prioris, nimirum dierum mille ducentorum nonaginta, finem ponunt in *Antiochi Eupatoris* pace 2 Maccab. 11. verſ. 33. quando Judæis αὐτονομία, plenáque libertas conceſſa eſt. Sed Annotatores Anglicani medii, pleniuſque ac diſtinctiùs ultimi hunc characterem, ut mihi quidem videtur, rectè tranſiliunt, & finem numeri prioris, principiumque poſterioris ponunt in illuſtri aliquâ Dei erga Judæos miſericordiâ, de quâ Scriptura ſilet, ut etjam de cæterâ totâ iſtorum ſeculorum hiſtoriâ: libri quoque Maccabæorum atque *Ioſephus* vel tacent, vel huic *Anglorum* charácteri tempus nominatum aſcribere negligunt.

In quibuſdam corrigenda.

Iunii quidem ſententia, etiamſi auctores nominati eam præcisè ſequantur, videtur negligentiùs exponi, utcunque, in eâ hæc quinque deſideramus.

Primò. Quòd characterem ſuum de *Antiocho Eupatore*, probet ex 2 Maccab. 11. v. 33. Iſtud enim ſiſtet fundamentum, hæc Junianæ ſententiæ pars falſa ſit oportet. Nam loco dicto *Antiochus Epiphanes* in filii *Eupatoris* literis prædicatur mortuus ante finem numeri primi & principium ſecundi: nihilominus numeri ſecundi finis ſtatuitur à *Iunio* in *Epiphanis* morte: ergo, ſecundum *Iunium*, morietur *Antiochus* & ante principium & poſt finem numeri illius, quod eſt impoſſibile. 1.

Secundò. *Iunius* Chronologiam ſecundi Maccab. 11. approbat, quâ mori vult 2.

Epipha-

Epiphanem anno Græcorum centeſimo quadrageſimo octavo, contra libri primi caput ſextum, & ipſius *Iunii* ſententiam de morte *Epiphanis* anno centeſimo quadrageſimo nono. Contradictio hæc non poteſt reconciliari.

3. Tertiò. *Iunius* in verſ. 7. capitis 12. numerat tantum annos tres & dies decem: ſed textus originalis expreſsè addit ad annos tres anni dimidium non partem. *Annotatores Anglicani* ultimi non debuerunt hic *Iunium* ſequi, inprimis cùm medii, deſerto hic *Iunio*, textum originalem ſequuti ſint.

4. Quartò. *Iunius* ex diebus mille ducentis nonaginta conſtituit tres annos, ſeptem menſes, & tredecim dies. Rectè hic utrique Anglicani *Iunium* corrigunt, ponendo tantùm menſes ſex.

5. Quintò. Etiam in menſibus hoc loco errare videtur *Iunius*. Nam *Xanthicum* vult menſem penultimum, hoc eſt, undecimum atqui in notis ad 2 Maccab. 11. *Xanthicum* facit menſem quintum, licet quæſtio ſit inter doctos quiſnam fuerit primus, *Hyperberetæus* an *Xanthicus*; nunquam tamen *Xanthicus* eſſe poterit vel quintus vel penultimus. Nam ſi annum Macedonicum incipias ab Autumni *Hyperberetæo*, qui noſtro Octobri reſpondet, tum *Xanthicus* qui noſtro Martio convenit, erit ſextus, ſin autem à Vere numeres, tum *Xanthicus* erit primus.

6. Denique *Iunius* vult *Iovem Corinthium* menſem ſeptimum aptum ſationi: certè in Macedonia noſter Junius *Iovi Corinthio* reſpondens videtur ineptus ſationi. Deinde *Dioſcorum* hunc oportet fuiſſe intercalarem, non vulgarem menſem: imò tale menſis cujuſquam nomen apud Græcos nunquam auditum eſt, & ab auctore Maccabæorum videtur confictus: & verò, ſi *Scaligero* credas, menſis Macedonum intercalaris antecedebat, non ſequebatur *Xanthicum*.

Quàm facile eſt viris doctiſſimis & acutiſſimis in hujuſmodi minutiis errare, dum feſtinantes multa non vident, vel non curant examini ſubjicere. Utcunque, ſententiæ Junianæ ſummam ſubſtantiamque nos amplectimur, & contra oppugnantium tela tueri conabimur.

Iunius defenditur contra Brightmanni exceptiones. 1.

Brightmannus in Dan. locum pag. 92. ſic objicit. A pollutione templi ad decretum de αὐτονομίᾳ Judæorum *Xanthici* decimo quinto non numerari dies mille ducentos nonaginta, Nam, inquit, à pollutione templi viceſimo quinto *Ciſleu* anni Græcorum 145. ad purgationem fluxerunt præcisè tres anni ſeu dies mille octoginta: inde ad decimum quintum *Xanthici* ſunt dies centum & octo, hi juncti non aſcendunt ad ſummam mille ducentorum nonaginta, deſunt enim ſeptuaginta ſeptem dies Si autem verſ. 7. ſecundum falſam *Ioſephi* fabulam, numeres tres annos & dimidium, hi quidem efficiunt dies mille ducentos ſeptuaginta duos. Veruntamen etiam ſic de ſummâ mille ducentorum nonaginta deerunt octodecim. Quod ſi addas dies centum & octo qui fluxerunt à viceſimo quinto *Ciſleu* ſeu *Apellæi* ad *Xanthici* decimum quintum, tum ſumma numerum noſtrum ſuperabit diebus nonaginta.

Reſp. Primò. In *Brightmanni* hac Arithmeticâ varia videntur paroramata, quæ tamen tranſilimus; Itaque dato calculum totum eſſe rectum, nihil tamen ad nos hoc argumentum, qui *Eupatoris* decretum *Xanthici* decimo quinto non facimus numeri prioris finem nec poſterioris initium, adeoque quod adfert de annis ſuis tribus & diebus decem, reliquiſque qui ſequuntur à purgatione templi ad pacem *Eupatoris*, ſeu à viceſimo quinto *Ciſleu* ad decimum quintum *Xanthici*, nos non tangit.

Secundò. Ratio hæc ſuâ ſponte cadit, ſi verſu 7. numerentur tres anni & dimidium; hoc autem etſi *Iunius* neget, tamen textus affirmat; ubi medium, non pars, expreſſè legitur. Et verò non eſt hæc *Ioſephi* fabula: nam præter alios tam Proteſtantes quàm Pontificios, Annotatores Anglicani medii, imò ipſorum *Brightmanni* ſequacium primarius *Huitus*, eum verſus ſeptimi ſenſum amplectuntur.

Quod verò objicit *Brightmannus*, deeſſe adhuc ad numerum complendum dies octodecim, facile reſpondemus id contingere ex errante *Brightmanni* calculo, numerat enim ille in ſuo anno dies tantum trecentos ſexaginta ex menſibus duodecim æqualibus triginta dierum; oblitus ſingulis annis adjectitios quinque dies, & ſex horas in tribus annis & dimidio aſſurgere ad dies novemdecim, quos certis cyclis ſemper intercalabant, qui menſes & annos æquales uſurpabant.

Quòd premit nonaginta dierum additionem ad priorem ſummam, nos non ſpectat, qui *Eupatoris* characterem negamus: neque etiam *Iunium*, qui pro anni dimidio ſemper legit anni partem, dies nimirum decem.

Plura objicit *Huitus*, præcipua hæc ſunt. Primò. Ubicunque loquitur Scriptura de *Antiochi* actionibus, addit ſemper circumſtantias quæ notant actionum ejus fœditatem: Sed Dan. 12. verſ. 11. nulla circumſtantia fœda exprimitur. Reſp. Nulla eſt in Majori neceſſitas: utcunque, Minor falſa eſt. Nam Dan. 12. v. 11. exprimuntur actiones quæ ſuâ naturâ erant peſſimæ, & quæ virum fœdiſſimum unicè decebant, nimirum ſuppreſſio per immanem perſecu- *Refutantur exceptiones Huiti.* 1.

tionem cultûs Divini, & erectio per horribiliſſimam Idololatriam abominationis deſolantis.

2. Secundò. Inter finem numeri prioris & poſterioris tantum fuit intervallum, ut difficulter qui vivebant in illo ad hunc eſſent ſuperfuturi: Atqui multò facillimum fuit ad dies quadraginta quinque perdurare. Reſp. ad Majorem, nihil omnino habet Propheta quod minuit difficultatem perſeverandi à fine prioris numeri ad finem poſterioris, *Huius* hoc ſibi ſumit ſine omni probatione.

3. Tertiò. In fine numeri poſterioris magna & inexpectata felicitas Judæis promittitur: Atqui mortuo *Antiocho Epiphane* nulla fuit Judæorum felicitas. Reſp. Maximi Judæis beneficii & inſigne gaudii argumentum fuit *Epiphanis* mors, ſcilicet ſummi & crudeliſſimi, qui ad eum diem Judæos vexâſſet, tyranni: fracti quidem antea à *Maccabæo* fuerunt ejus exercitus; ſed quos facilè tyrannus, ſi vita & valetudo remanſiſſent, in vaſto ſuo Imperio reparare potuiſſet: ſat etiam multæ poſt ea tempora fuerunt Judæorum calamitates; ſed tamen per aliquot ſecula nihil iis accidit ad *Epiphanis* perſecutionem æquiparandum.

Contra Medi & Petavii inſolentiam argumenta.

Verùm maximo omnium impetu inſurgit *Medus* contra noſtram hancce ſententiam; ſic ille magnâ cum fiduciâ argumentatur. A purgatione templi 25. *Caſleu Seleucidarum* 148. ad *Antiochi* mortem ante decimum quintum *Xanthici* anni 149. non erant menſes integri quatuor, qui ad tres annos pollutionis templi additi non faciunt ultra mille ducentos dies: ita ut hi *Danielis* numeri nullo modo poſſint hiſtoriæ *Epiphanis* accommodari, hoc ad oculum demonſtrare ſe prædicat in figuris & tabulis menſium Macedonicorum, & rerum ab *Antiocho* geſtarum ad iſtorum menſium dies accommodatarum; unde ſuam non exiguam admirationem profitetur, tot fautores Junianam ſententiam reperire potuiſſe, eoſque viros doctiſſimos qui tam inſigniter fallerentur, & tam manifeſtè hiſtoriæ fidem pervertetent. Reſp. Oratione hac Thraſonicâ *Medum* uti non decuit, contra tot inſignes Eccleſiæ reformatæ Doctores, inprimis in argumento ubi apertè inſolentiſſimum Jeſuitam *Petavium* ſe profitetur ſequi, idque in lite contra reformatam Eccleſiam. Maccabæorum libros noſtri probant Apocryphos ex hoc præter alia indicio, quòd in Chronologicis apertè errent. Afferunt inſtantiam *Antiochi Epiphanis* mortem, quam liber primus accidiſſe refert anno Græcorum centeſimo quadrageſimo nono, ſed ſecundus centeſimo quadrageſimo octavo. Varias varii Pontificii contradictionis hujus Chronologicæ conciliationes commenti ſunt: ſed cum ab omnibus per noſtrorum argumentorum vim depulſi ſunt, Jeſuita *Petavius* novum procudit, cujus fiduciâ noſtrorum omnium inſcitiam ab alto petulantiſſimè deridet.

Σοφὸν ejus φάρμακον hoc eſt, anni Græcorum duo fuiſſe principia, nimirum vel ab Autumno vel à Vere, vel à noſtro Octobri, Macedonum *Hyperberetæo*; vel à noſtro Aprili Macedonum *Xanthico*: primi Maccabæorum auctorem, utpote Judæum Palæſtinum annum ſuum incipere à Vere, ſed autorem poſterioris Judæum Alexandrinum annum Alexandræum incipere ab Autumno, pro novo more Macedonum: qui poſt debellatum ad Arbela *Darium* Octobris octavo, ſuum deinceps annum ab hoc menſe & die in *Alexandri* honorem inchoârunt, Alexandrini (ut cætera Macedonum gens) hanc ſequuti ſunt mutationem: Syri autem & Palæſtini non item. Hoc pacto facilè conciliatur librorum Maccabaicorum differentia, nam *Antiochus* moriens principio *Xanthici* cum libro primo, qui annum incipit à *Xanthico*, rectè dici poteſt mortuus anno centeſimo quadrageſimo nono; nec minus rectè cum libro ſecundo anno centeſimo quadrageſimo octavo; quia auctor hic incipiens annum ſuum Alexandræum ab *Hyperberetæo* Autumni, *Xanthicus* ſequens erit ipſi menſis ſeptimus anni centeſimi quadrageſimi octavi, licet alteri auctori primus centeſimi quadrageſimi noni.

In hoc clypeo multùm gloriatur *Petavius*, miraturque *Scaligeri* puerilem inſcitiam & oſcitantem lectionem librorum Maccabæorum, quin & jocularem ejus hallucinationem.

Inſolentiſſimam hanc vanitatem, ut domeſticam & propriam Jeſuitis, *Petavio* lubentiùs indulgeo quàm *Medo*, qui Jeſuitarum maledicentiam non debuit in noſtros convertere.

Utut eſt, nulla omnino cauſa tantæ vel 1.
Medi vel ſui auctoris *Petavii* gloriationis apparet. Nam primò inventum ipſum & omnia ejus fundamenta Jeſuita mutuatur à noſtro *Scaligero*, qui editione poſteriori ſuæ *Temporum emendationis*, diverſa hæc anni Græcorum principia expiſcatus eo hauſtro Maccabæorum auctores ea contradictionis Chronologicæ barathro extrahere conatus eſt: ob quod tamen magnum Pontificiis beneficium nihil aliud gratiæ ab ipſis refert, quàm falſum riſum & ludibria.

Secundò. Dato verum hoc & ſolidum 2.
Scaligeri inventum, duo tamen adhuc reſtant probanda: unum auctorem libri ſecundi Maccabæorum incipere ſuum annum ab Autumno: ſatis quidem probavit *Scaliger* & ea eo *Petavius*, auctorem primi libri incipere à Vere & *Xanthico*, ſed neuter

probat

probat (quod inprimis egebat ptobatione) auctorem Secundi incipere ab Autumno & *Hyperberetao*. Deinde hoc etiam conceſſo, Secundum incipere ſuum annum ab Autumno, adhuc remanet dubium, num autumnus ille ſequatur an præcedat *Xanthicum*. Certè tanta in Græcorum iſtorum annorum numeratione perplexitas eſt atque confuſio, ut acutiſſimus ipſe *Scaliger* eam fateatur, & tam *Serrarius* quàm *Tornellus* toto biennio ſecundum auctorem à primo in ſuis numerationibus differre profiteatur, licet uterque hic Jeſuita ob ſuos labores à fratre ſuo *Petavio* valdè vapulet.

3. Tertiò. Quanquam omnia *Petavii* Medique poſtulata largiremur, non tamen ipſorum hæc Medicina morbum curat: ecce enim in quas ſe conjiciunt anguſtias. Fatetur *Medus*, *Epiphanem* oportuiſſe mori *Xanthici* principio, neque ſeriùs neque ocyùs; non citiùs, quia ante *Xanthicum* annus centeſimus quadrageſimus nonus inceperat: non ſeriùs, quia centeſimi quadrageſimi octavi *Xanthici* decimoquinto mortuum pronunciat liber ſecundus. Addamus ex *Scaligero* Græcorum annum Autumnalem non à primo *Hyperberetæi* ſed octavo, adeoque Vernum ab octavo non primo *Xanthici* incipere: itaque oportuit *Antiochum* mori poſt diem octavum *Xanthici*, & de ejus morte filium *Eupatorem* ad Judæos ſcribere ante decimumquintum. Iter Elymaide in ultimâ Perſiâ, vel etiam à montibus Mediæ ubi mortuus dicitur *Antiochus*, Antiochiam Syriæ, ſedem *Eupatoris*, multò plurium eſt dierum quam ſeptem: ita ut nuncium paternæ mortis ad *Eupatorem* tantillo tempore pervenire non potuerit. Dato enim ipſo primo die anni centeſimi quadrageſimi noni mortuum, octavo ſcilicet *Xanthici*, num ante decimumquintum *Eupator* non tantùm illud nuncium certo accipere, ſed etiam à *Lyſiâ* per literas de pace cum Judæis ſolicitari, & de iſtius pacis legibus cum ſuis conſiliariis deliberare ac decernere valuerit, quodque decreviſſet ad Judæos perſcribere? Cui iſta vel *Medus* vel *Petavius* perſuaſerit?

4. Quartò. Maturior *Antiochi* mors eſſe non potuit quàm ipſo primo die, vel primo menſe anni centeſimi quadrageſimi noni, nam purgavit templum *Iudas* anni centeſimi quadrageſimi octavi menſis *Caſleu* ſeu *Apellæi*, noſtri Decembris viceſimoquinto. Deinde poſt dierum octo ſolenne feſtum multo labore montem Sionem mœnibus ac munitionibus circumdedit, & poſteà plurima prælia cum *Edomitis*, *Ammonitis*, *Arabibus*, *Philiſtæis*, *Syris*, ac *Græcis*, depugnavit: multas arces ac munitas urbes cepit, ut videre eſt 1 Maccab. 5. iſtorumque nuncium ad *Antiochum Epiphanem* pervenit Ecbatanis Mediæ, menſium aliquot itinere à Judæâ diſtantibus, atque ex triſti illo nuncio decubuit *Antiochus* per multos dies, tandemque mortuus eſt, ejuſque mortis non fama, ſed certum nuncium ad filium in Syriâ delatum eſt, poſteaque legatis ultrò citróque inter *Iudam* & *Lyſiam* commeantibus, pax inter *Eupatorem* tum Regem & Judæos transacta eſt & ſtabilita. Num tot tantáque tribus menſibus hybernis poſt initium ſcilicet Januarii & ante medium Aprilem potuerunt peragi?

Verumenimverò abrumpentes Apocryphas nugas, ſic irrefragabiliter demonſtramus commenti Petaviani, in quo tantopere ſibi placet *Medus*, certiſſimam falſitatem. Si auctor ſecundi Maccabæorum ſuoa annos incipiat ab Autumno, ita ut *Hyperberetæus* ei ſit menſis primus, & *Xanthicus* ſeu *Niſan* ſeptimus, tum menſis Δυςρὸς Hebræis *Adar*, *Niſan* proximè antecedens, illi erit ſextus: quemadmodum libro primo qui *Niſan* & *Xanthicum* facit primum, *Adar* & Δυςρὸς eſt duodecimus & ultimus: Jam verò ſecundi Maccabæorum auctori Δυςρὸς & *Adar* non eſt ſextus, ſed duodecimus & ultimus, ut expreſſè legimus cap. 15. v.37. Ergo clarum eſt & certum ſecundi Maccabæorum auctorem, eodem modo quo auctorem primi annos ſuos & menſes numerare, & apud utrumque idem eſſe principium eundemque finem annorum. Cum enim utrique *Adar* ſit menſis duodecimus, utrique etiam *Niſan* vel *Xanthicus* primus ſit oportet.

Dum in Jeſuitâ tam jocularem hallucinationem & puerilem oſcitantiam advertere eſt (ut illi de *Scaligero* triumphare placet) certè *Medo* magis fuiſſet decorum cum populari ſuo *Reinoldo* ſociâſſe arma contra falſarium Apocryphum (quem *Reinoldus* egregiè demonſtrat omnium bonarum artium, inprimis Chronologiæ rudem) in hoc inquam campo cum ſuis ſodalibus decuit *Medum* decertâſſe contra hoſtes Eccleſiæ, potiùs quàm ab iis contra fratres argumenta mutuâſſe, quæ, cum ad incudem revocantur, planè vitrea ſunt & facile diffringuntur.

Utcunque rejicientes ſecundi Maccabæorum auctorem, & ex primo *Danielem* interpretantes; videmus quomodo à templi pollutione anno Græcorum centeſimo quadrageſimo quinto ad *Antiochi* mortem anni centeſimi quadrageſimi noni, non die primo ſed quovis die iſtius anni, vel etiam ultimo (nullus enim vel dies vel menſis iſtius anni exprimitur) *Danielis* ultimus numerus dierum mille trecentorum quadraginta quinque ſalvari poterit.

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

De quibus temporibus loquatur Daniel Cap. 11. à verſu 36. ad finem?

Quinto-Monarchici. PLures in *Danielem* quæſtiones non movebimus quàm hanc unam: variæ autem admodum de eâ ſunt ſententiæ tam recentium quàm antiquorum, nobis primarius ſcopus eſt obviam ire *χιλιαζόντων* phantaſmatis, qui ex hoc etiam loco primarium fulcimentum petunt iſtis ſuis ſomniis, quibus in magnam noſtram cladem populum Britannicum nuper excitârunt ad expectandas, & quantùm in ipſis fuit, promovendas maximas in orbe gubernationum civilium mutationes: firmiter credentes Antichriſto Turcaque abolitis, & Judæis converſis ac Sanctis inter gentes multùm ultra priores omnes Eccleſiæ reformationes progreſſis, quiniam totius mundi Monarchiam ſibi in manus traditum iri.

Omiſſis aliis, quinque tantùm primarias ſententias conſiderabimus. Prima eſt *Iudæorum*, ſecunda *Calvini*, tertia *Brightmanni* & *χιλιαζόντων*, quarta *Pontificiorum* & multorum etiam *Proteſtantium*, quinta denique *Iunii*, quæ eſt Proteſtantium communis, quam nos amplectimur.

In Iudæorum ſententiâ notanda. Judæorum ſenſum videre eſt in *Iarchiada* ad hunc locum commentariis, unde nos hæc obſervamus. Primò, rectè Judæos

1\. priora capitis ad Reges Græcos *Seleucidas* & *Lagidas* referre; etſi magnâ *ἀνεγορείᾳ* multa peſſimè applicent, quæ *Antiocho Magno* conveniunt, ejus filio *Epiphani*, & quæ *Epiphani* ſunt propria ejus ſucceſſori *Demetrio* attribuentes, & putidiſſimas aliquot fabulas interjicientes.

2\. Secundò. Quæ clariſſimè ad *Epiphanem* ſpectant verſu 35. & ſequentibus, ea ad *Titum Veſpaſianum*, contra hiſtoriæ fidem applicant, uſque ad verſum triceſimum ſeptum.

3\. Tertiò. Deſultoriâ levitate à *Tito* ad *Conſtantinum Magnum* tranſiliunt, & huic omnes *Antiochi Epiphanis* impietates maximâ blaſphemiâ attribuunt, ob ſuam in Jeſum Chriſtum fidem.

4\. Quartò. Non contenti tranſmutâſſe *Antiochum* Regem Aquilonis in *Conſtantinum* verſ. 40. transformant tam Auſtri quàm Aquilonis Reges in unum Turcam, quem totius mundi faciunt Imperatorem: & tamen ab ejus Dominio Idumæos, Moabitas & Ammonitas eximunt.

5\. Denique planè ad Anglorum *χιλιαζόντων* mentem verſ. 44. & 45. affirmant Turcas ob rebellionem Judæorum in Aquilone & Oriente, contractis ſuis in Judæâ copiis ibi caſtra metari, ibique victus excindi, ut orbis Monarchia ad Judæos tandem perveniat. Deliriis iſtis refutandis non immorabimur; indicâſſe eſt refutâſſe.

Secunda *Calvini* ſententia eſt, Prophetam à verſ. 36. ad finem de Romanis loqui, idque temporibus poſt *Antiochum Epiphanem*, nec ultra natum *Chriſtum*. In hac ſententiâ probamus quod verſibus ante 36. velit *Antiochum Epiphanem* indigitari: probamus etiam quòd nolit in fine capitis notari ulla tempora poſt natum *Chriſtum*; fabulaſque de Turcis & Monarchiâ Judæorum non modò excludat, ſed etiam explodat.

Verùm in hoc *Calvini* commentario plura improbamus, ut nimis ſubtilia: nec ſine aliquâ torturâ verba textûs ab *Antiocho* ad Romanos deflectentia. Videte verſum triceſimum ſextum.

Inde ſic argumentor Primò. Rex de quo verſ. 36. idem eſt de quo verſibus ſuperioribus actum eſt, nullum enim in textu ſignum eſt mutationis perſonarum, imò verò Pronomen demonſtrativum ה Regi præfixum, expreſſè videtur concludere eundem omnino Regem illic exprimi, de quo ſolo multis prioribus verſiculis fiebat ſermo. Jam verò largitur *Calvinus* priores verſus de *Antiocho Epiphane*, non verò de *Romanis* loqui. *Contra Calvini ſententiam argumenta.* 1.

Secundò. Etſi de vocibus nolimus contendere, tamen Regis nomen multò convenientiùs tribuitur *Antiocho*, qui fuit una perſona & verè Rex, quam Senatui Populoque Romano, eo inprimis tempore cum Regis nomen ipſis erat ſacrum & abominabile. 2.

Tertiò. Licet Romani pro ſuâ ſuperbiâ pleraque in Provinciis agerent ad ſuum beneplacitum, eâ tamen tempeſtate multò magis ſæva & arbitraria inprimis in Judæos tyrannis *Antiochi* fuit quàm Romanorum: Senatus enim Romanus eo tempore aliquâ juris & benignitatis ſpecie cum Provincialibus nullâ ſe injuriâ provocantibus procedebat: verùm *Antiochi* in in ſuos ſubditos inprimis Judæos crudelitas tam fuit immanis & inſolens, ut inde *Epimanis* i. e. amentis & inſani infamiam homo ille cerebroſiſſimus apud omnes jure referret. 3.

Quartò. Licet Romani valde fuerint impii, & omnibus Diis libidinem ſuam prætulerint, variaque ſcommata & blaſphemias *M. Tullius*, aliique ſcriptores Romani in Deum Iſraëlis eructaverint: tamen in hac *ἀθεότητι* ab *Antiocho Epiphane* longè ſuperabantur. Hic enim gentibus omnibus in ſuo Imperio patrios omnes Deos ſub pœnâ mortis abjicere, & Græcorum extraneos Deos colere mandavit: tamque blaſphemus in Deum Iſraëlis fuit, ut libros omnes ſacros flammis abolere præce- 4.

præceperit, nec ullibi *Iehova* cultum vel tenuiſſimum celebrari pateretur : nihil à Romanis ante natum *Chriſtum* uſquam terrarum, nedum apud Judæos ſimile patratum eſt.

3. Quintò. Rex de quo verſu illo *Daniel*, proſperè agebat donec in Judæos ira Dei fuit perfecta ; tunc enim à Judæis in illum Regem ira divina converſa eſt. Jam verò iſta in *Antiocho* ad oculum videre fuit, in Romanis nequaquam. Nam donec perſecutio Judæorum ad *ἀκμὴν* perveniſſet, omnia *Epiphani* in Judæâ, totaque Syriâ ad mentem fluebant; ſed cum Divinæ iræ poculum Judæi epotaſſent, ſtatim omnia *Epiphani* retro referri, donec Divina manus eum miſerrimè confregiſſet. Quòd autem ad Romanos, nunquam proſperiori fortunâ ſunt uſi quàm poſt Hieroſolymorum cladem & extremam Judæorum diſperſionem. Si verò iram conſummandam exponas de Divinâ in Judæos vindictâ, quæ in hodiernum diem durat, & duratura eſt uſque ad eorum converſionem; certè Romanorum proſperitas euſque non perduravit, quandoquidem multis ab hinc ſeculis omni calamitatum genere populus Romanus fractus & verè deletus fuit. Qui enim in hodierno veteris urbis cadavere ſtabulantur, nihil quicquam ad Romanorum priſcorum ſanguinem ſpectant.

6. Ex verſibus 37, 38, 39. ſic argumentamur contra ſententiam præ manibus. Rex de quo ibi Propheta, Deos patrios contemnebat : Atqui hoc fecit *Antiochus* præ Romanis, ille enim Syrorum omnes Deos, quos longo ordine patres ſui Syriæ Reges colebant, Denique Iſraëlis, quem multis donariis & ſacrificiis majores ſui multoties honorârunt, ſub pœnâ mortis colere vetuit ; Deus autem, cujus cultum maximè præ ſe ferebat, erat ipſi alienus, *Iupiter* enim *Olympius*, utcunque ab Athenienſibus & quibuſdam Peloponneſiis, qui ad urbem Olympiam juxta Elidem Achajæ habitabant, ut Deus patrius coleretur, nihil tamen vel *Olympius* mons, vel *Olympia* civitas vel *Iupiter Olympius* ad Macedonas. *Alexander* quidem, peculiari ſuperſtitione (an ambitione?) *Iovem Hammonem* affectabat, ſed nequaquam *Olympium*, licet mater ei *Olympias* fuerit. Quod ad Romanos, tanta eorum ſuperſtitio fuit, ut vicinorum penè omnes Deos in urbem ſuam accerſiverint, ſuorum autem nullum ex urbe unquam eliminaverint, ante tempora Chriſtiana.

7. Secundò. Quæ de Romano mulierum contemptu in frequentibus divortiis obſervat *Calvinus*, nullum peculiare ſcelus in ea gente præter alias habent : & verò mulierum contemptor *Antiochus* ſingulari jure dici poteſt, qui tantum abfuit ut Judaicarum lamentis & immanibus clamoribus moveretur, ut ipſarum plurimas unà cùm circumciſis infantibus matrum uberibus annexis, ex altis arboribus ſuſpenderet.

Tertiò. Deus quem Romani ſupra alios 8.
omnes colebant, fuit *Iupiter Capitolinus*, revera idem cum *Antiochi Iove Olympio*; hic verò Romanis non fuit Deus alienus, ſed inprimis patrius & paterrimus, nam ipſi primi Patres conſcripti, mox urbe fundatâ in monte Tarpejo jacientes fundamenta templi *Iovis*, invenerunt ſepultum caput cujuſdam *Toli*, unde ſaxo *Tarpejo* Capitolii nomen indiderunt, cùm antea mons *Tarpejus* diceretur à *Tarpeja* virgine veſtali, quam ibidem Sabini ſcutis ſuis obrutam necârunt ; itaque Romani à primis ſuæ urbis incunabulis & Capitolii primo nomine *Iovem Capitolinum* pro ſummo Deorum agnoverunt. Nunquam ergo hic peregrinus ſed ſemper civicus & civicorum Deorum primus Romæ fuit.

Ex verſibus 40, 41, 42, 43. hæc oppono. 9.
Primò. Regi, de quo ibi *Daniel*, Ægyptii moverunt bellum, ſed poſt *Antiochum Epiphanem*, nullum Ægyptii bellum moverunt unquam Romanis : tanta enim Romanorum potentia & Ægyptiorum iis ſeculis infirmitas fuit, ut ibi ſub illorum tutelâ lubentes latuerint, rebellârunt verò nunquam. Quòd ad arma *Cleopatra* contra *Cæſarem Auguſtum*, ea auſpiciis *Antonii*, & ſub Aquilis Romanis pro Romana Repub. quaſi contra factionem vi & arte in rempub. invadentium tyrannidem ſuſcepta ſunt.

Secundò. Is de quo *Daniel*, fuit Rex 10.
Aquilonis contra quem Ægyptii Auſtrales bellârunt, Romanis autem Regis Aquilonaris titulus non competit, ſed rectè *Antiocho*, vel ipſo *Calvino* judice, qui *Antiochum* verſibus ſuperioribus Aquilonaris Regis nomine indigitari fatetur. Vult quidem ille per Regem Aquilonarem hic intelligi *Mithridatem* Bithyniæ, & *Tigranem* Armeniæ Reges ; ſed gratis : Hi enim contra Romanos quidem bellârunt, ſed nequaquam contra Regem Auſtri : atqui *Daniel*, ut ſæpe verſibus ſuperioribus, ita hoc etiam Regem Auſtri & Regem Aquilonis committit, ut capitales & hæreditarios hoſtes.

Tertiò. Rex de quo ibi *Daniel*, poſt de- 11.
victam Ægyptum ſubjugavit Judæam, non autem Idumæam, nec Moabitas, nec Ammonitas : hæc *Antiocho* rectè conveniunt, ut ex *Ioſephi* & *Maccabæorum* hiſtoriâ patet, Romanis non item: non enim illi ex Ægypto in Judæam tranſiverunt. Nam Ægyptus longè poſt Judæam & Syriam à *Pompejo* ſubjugatas redacta eſt ab *Auguſto* in Provinciam. Quod autem à Romano jugo vel Idumæi vel Ammonitæ vel Moabitæ liberi fuerint, vel quod Æthiopia & Libya

ante *Chriſtum* natum Romanis ſubditæ fuerint, quis antiquorum teſtetur neſcio.

12. Denique ex verſibus 44. & 45. hæc objicimus. Primò. Rex de quo *Daniel*, ab Ægypto avulſus eſt per adverſos ex Aquilone & Oriente rumores: Verum hoc eſt de *Antiocho* non *Romanis*, ultima enim ejus expeditio poſt tertiam Ægypti invaſionem fuit contra *Artaxiam Armenium* in Aquilone, & Orientales Perſas. Romani quidem in *Craßi* clade magno à Parthis damno ſunt affecti, ſed nihil hujus cladis nuncio turbati, nec etiam tum temporis hoſtilem in Ægyptum pedem intulerant.

13. Secundò. Rex de quo ibi *Daniel*, ſiniſtris illis rumoribus commotus magno cum impetu Orientem & Aquilonem invaſit; Atqui Romani nulla contra Parthos in *Craßi* vindictam arma moverunt ante natum Chriſtum. *Antonii* in Armeniam excurſiones ſuâ ſponte nullo Senatûs mandato ſusceptæ, & magno cum ſuo ſociorumque damno peractæ, parvi fuerunt momenti.

14. Tertiò. Rex de quo ibi *Daniel*, tentoria ſua fixit in montibus *Iuda*, jam verò Antiochus illud præſtitit, non autem Romani. Dùm *Antiochus* cum dimidio ſui exercitûs iret in Perſiam, Præfectum ſuum Syriæ *Lyſiam* cum filio *Eupatore* & altero exercitûs dimidio ingenti militum numero miſit in Judæam. *Lyſias* hic *Antiochi* regia tabernacula fixit Emmaunte in montibus Judææ non procul Hieroſolymis, inter duo maria Mediterraneum & Mortuum, ut libri *Maccabæorum* & *Ioſephus* teſtantur. Iſta Romanis non aliter attribuit *Calvinus*, quàm aſſerendo eorum Dominium & tentoria fixa à mari Euxino uſque ad Perſicum, Ægyptiacum & Rubrum. Verum hoc non eſt figere tentoria in monte decoris ſancto, ſeu in Judæa inter duo maria.

15. Deniquè. Rex de quo ibi *Daniel*, dum pergeret verſus Aquilonem & Orientem, haberetque etiam intereà temporis in Judæa exercitum regalem, divinâ manu percuſſus ita fuit, ut, nullâ ei hominum vi opitulari valente, miſerè interierit: hoc de *Antiocho* verum omnes nôrunt, de Romanis verò nullus. Obvia hæc ſunt, & tot alia contra *Calvinum* argumenta, ut paucos hîc ille, ſi ullos, ſuæ ſententiæ ſequaces habeat.

Contra Brightmannum argumenta.

Sequitur tertio loco *Brightmannus*, Χιλιαζόντων hìc Coryphæus, à quo cæteri primaria ſua argumenta contra communem ſententiam mutuantur: Hic verſus à trigeſimo ſexto ad quadrageſimum cum *Calvino* interpretatur de *Romanis*, ſed ſenſu longè diverſo tamque detorto & ſingulari, ut ipſius diſcipuli hactenus eum non ſequantur, verùm à verſu quadrageſimo ad finem *Calvinum* deſerit, & per Regem Auſtri intelligit *Saracenos*, & per Regem Septentrionis *Turcas*, quos à Judæis tandem in terra Canaan deletum iri pronunciare hîc *Danielem* arbitratur.

Contra *Brightmannum* pleraque faciunt quæ contra *Calvinum* attulimus; ſed hæc inſuper contra eum ſingularia aſſerimus. Verſu 36. Regem ſe exaltantem ſupra omnes Deos interpretatur de Romanis ſe exaltantibus ſupra Reges & Magiſtratus. Concedimus Scripturam aliquando Deos de Magiſtratibus intelligere, ſed nequaquam hoc loco, ipſe enim *Brightmannus* quod in eo verſu ſequitur de Deo Deorum interpretari cogitur de Deo cœleſti: Ergo de eodem & non de terreſtribus Diis loquuntur verba immediatè antecedentia. Prætereà non ſe tum temporis nec unquam Romani extollebant ſupra omnes Reges mundi, ſed tantùm ſupra aliquot vicinos à ſe ſubactos, qui ad reliquos terræ Reges, quibuſcum nihil unquam Romanis negotii, pauci fuerunt.

Verſum 37 Interpretatur *Brightmannus* de Imperatoribus Romanis, evertentibus omnes Deos ſeu magiſtratus patrios, & negligentibus contra ſuarum uxorum deſiderium Imperii hæreditatem ſuis liberis relinquere. Audaces haſce novitates quis concoquet? Cur contra *Calvinum* à Senatu Romano ad Imperatores deſultat; deinde tantùm abfuerunt Imperatores à contemptu priſcorum Magiſtratuum, ut ipſi Dictatorum, Conſulum, Pontificum, Tribunorum plebis, & aliorum ſummorum Magiſtratuum cùm nomina tum res exercere multis ſeculis ſtudioſè præ ſe ferrent: inferiores autem Magiſtratus abſque invidiâ & ullo impedimento muneribus ſuis ut olim ſub Senatu, ita ad ſeram poſteritatem ſub Imperatoribus fungebantur: & verò omnes Imperatores motu proprio non minùs quam uxorum ſuis filiis, cùm haberent, & filiis deficientibus, ſuis proximis agnatis Imperii ſceptrum relinquere cupidiſſimè nitebantur.

Verſum 38. & 39. interpretatur de *Pompejo* qui in templo Hieroſolymitano obtulit ſacrificia, in primis de *Cæſare Auguſto* qui Clientis ſui *Herodis* operâ templum Hieroſolymitanum maximis opibus, auro, argento, & gemmis adornavit. Verum enimverò, num quis unquam mortalium vel ante vel poſt *Brightmannum* hujuſmodi commenta ſomniavit? Certè vult Propheta Regem de quo agit agnoviſſe Deum illum extraneum, eumque ſuis opibus coluiſſe non alienis: nunquid autem *Auguſtus Cæſar*, nedum *Pompejus* Deum Iſraëlis unquam agnovit? Vel in ejus cultum teruncium ex ſuo impendit? Apage nugas! Iſta

tam

tam ſunt extravagantia, ut primarii ſequaces *Brightmanni Parkerus* & *Huitus* ea rejiciant. Uterque ab Imperio Romano ad Antichriſtum Romanum declinantes, ſed cum hoc diſcrimine, quòd *Parkerus* inducat *Antichriſtum* à verſu 21. exinde *Antiochum*, imo imperium Romanum omninò excludens; *Huitus* verò admittat *Antiochum*, ad verſ. 36. exinde verò inducat Imperatores Romanos unà cum *Antichriſto*, verſ. tamen 38. & 39. ſolum vult *Antichriſtum* omni alio excluſo.

In poſterioribus verſibus major eſt concordia, nam *Brightmannus*, *Huitus*, & *Parkerus* per Regem Auſtri intelligunt *Saracenos*, qui magna Regno Romano ſeu Regi Aquilonis mala inflixerunt.

1. Contra hunc commentarium ex ipſo textu ſic arguo. Primò. Rex Auſtri in fine temporum arma movet: Atqui Saracenorum arma in Imperium Romanum duce *Mahomete* mota ſunt primùm anno *Chriſti* ſexcenteſimo trigeſimo: procul tum aberat finis vel Imperatorum vel Pontificum Romanorum, ab eo enim tempore fluxerunt jam anni ſupra mille, & tamen vel Imperii vel Antichriſti Romani nullus dum finis apparet.

2. Secundò. *Danielis* Rex Auſtri à Regis Septentrionis armis eſt impetitus; Atqui Saraceni à Turcis (quos multoties volunt Regnum Septentrionis) non ſunt armis impetiti.

3. Tertiò. Si *Parkero* credimus, verſ. 21. Saracenorum & Turcarum arma contra Papam Romanum inculcantur, quorſum ergo, ut loquitur *Huitus*, recocta crambe poſteà reponeretur?

4. Verſibus poſtremis Turcarum volunt arma deſcribi unà cum ipſorum ruinâ manibus Judæorum. Commentarium hunc non poſſumus probare. Primò. Quia novus eſt & ſingularis valdè.

5. Secundò. Quam maximas Imperiorum mutationes minutatim valdè in circumſtantiis multis ac planis, exponit multò clariùs, quàm ullæ ejuſmodi prophetiæ ante eventum enarrari ſolent.

6. Tertiò. Audaces hujuſmodi de rebus futuris conjecturæ tam facilè reſpuuntur quàm urgentur.

7. Quartò. Rex Aquilonis contra Regem Auſtri militans, ſi *Parkero* credimus, eſt *Antichriſtus* Romanus in ſacro ſuo bello contra Saracenos: ſed ſi *Brightmanno* & *Huito*, eſt *Turca* belligerans contra Mammalucas in Ægypto. Duo hæc commenta nequeunt ſimul conſiſtere.

8. Quintò. Turcæ prius Mammalucarum Ægyptum quàm Judæam ſubjugârunt, etſi in primo tranſitu Syriam ac Judæam malè mulctârunt, Turcarumque manus, Edomitæ, Moabitæ, & Ammonitæ in Arabiæ aditu non effugerint: *Daniel* autem de Rege ſuo Aquilonari omnia contraria.

Denique. Quod rumores ab Aquilone 9.
& Oriente ſint fama de Judæorum Aquilonarium & Orientalium ad Chriſtianiſmum converſorum armatâ inſurrectione, quodque caſtrametatio Regis Aquilonaris in monte Sancto ſit Turcarum in Judæa exercitus, & quòd ejus à Deo ruina ſit quinta Monarchia à Deo Judæis data, idque, ſecundum hos auctores, ipſo anno Chriſti 1650. Omnia hæc gerræ ſunt germaniſſimæ, nullo teſtimonio, nullâ ſolidâ ratione fundatæ, quibus ipſum jam tempus meritum ruborem incuſſit; Pergere tamen volunt χιλιάζοντες eſſe moleſti, & cùm una non ſucceſſerit, aliis continuò viis ſuas phantaſias aggrediuntur ſtatuminare.

Quarta ſententia eſt eorum qui hunc *Contra*
Danielis locum de *Antichriſto* exponunt, *Pontificios.*
Antiochum omninò excludentes. Hæc mens eſt *Hieronymi* & *Theodoreti*, & fere omnium Pontificiorum: *Lutheri* etiam, *Bullingeri*, & aliorum Proteſtantium. Contra hanc ſententiam nolumus hìc diſputare, cùm ne ſimus prolixiores, tum quòd ſatis nobis placeat multa hìc *Danielis* verba ad *Antichriſtum* applicari; tantumque diſpliceat *Antiochum* ut *Antichriſti* typum omnino excludi, ac non potiùs (ut facit gloſſa ordinaria & diverſi interpretes) utrumque includi ut typum & antitypum.

Quòd negat *Huitus Antiochum* dici poſſe *Antichriſti* typum, eò quod omnes typi ad ſolum *Chriſtum* referantur, nimis eſt argutum: quis enim quarumcunque partium Theologus negaverit *Pharaonem* Diaboli, Templum *Solomonis* Eccleſiæ Chriſtianæ, ac Hieroſolymam terreſtrem civitatis ſupernæ typum? Et ſi quis ſcrupuloſior *typi* vocem colans reſpuat, dicas *Antiochum* Antichriſti *εἰκόνα*, exemplar & vivam imaginem.

Prætereà. Quidam ex Danielis verſibus tam difficulter *Antichriſto* accommodantur, ut *Lutherus* & *Graſerus* ad ſubtiliores allegorias excurrant, quàm ipſe *Parkerus* valet concoquere. Pontificii quidem eo lubentiùs poſt Patres hunc locum de ſolo *Antichriſto* accipiunt, quòd hac ratione ſperent noſtrorum argumenta de Antichriſtianiſmo Papæ faciliùs ſe eliſuros. Sed Profectò *Lutherus*, & inprimis *Polanus* ex hoc ipſo loco ad Antichriſtum applicato, duras & urgentes multas rationes proferunt, quæ Pontificem Romanum τὸν Ἀντίχριστον eſſe demonſtrant.

Ultima ſententia eſt eorum qui locum *Sententia*
totum de *Antiocho Epiphane* exponunt, ita *vera fun-*
tamen ut non negent ad Pontificem Ro- *damenta.*
manum accommodari poſſe. Hæc mens

eſt *Pelicani*, item *Iunii*, *Polani*, *Rolloci*, *Piſcatoris*, *Deodati*, Interpretum omnium Anglicanorum, &, quod mireris, Jeſuitarum *Maldonati*, *Sanctii*, & *A Lapide*, qui pro ſe citant *Chryſoſtomum* & alios, qui locum hunc non de *Antichriſto*, ſed de *Antiocho* disertè interpretantur. Pro affirmativâ ſunt
1. hæ rationes. Primò. Verſibus antecedentibus agit Propheta de *Antiocho Epiphane*, & verò nullum eſt in textu ſignum quod in verſ. 36. mutationem perſonæ vel leviter ſubinnuat.

Parkerus hoc argumento, ut videtur, victus concedit oportere interpretari Prophetam à verſ. 36. de eâdem perſonâ de quâ verſus præcedentes loquuntur. Vult quidem ille loqui *Danielem* verſibus præcedentibus, nimirum à 21. de *Antichriſto* Romano, nequaquam de *Antiocho*: ſed in hoc ſingularis eſt, nullum habens, quantum ſcio, vel auctorem, vel ſequacem ſuæ ſententiæ.

2. Secundo. Articulus demonſtrativus ה quem notificantem vocant, ſolet notare ſubjectum id de quo priùs actum eſt, idque cum aliquâ Emphaſi, itaque Rex hoc loco dictus hunc articulum notificantem ſibi præfixum habens, non debet abſque neceſſitate de alio accipi Rege, quàm iſto de quo notum & clarum eſt *Danielem* in præcedentibus loquutum.

3. Tertiò. De eo loquitur *Daniel*, cui hiſtoriæ rerum geſtarum eò loci memoratarum conveniunt. Atqui rectius *Antiocho Epiphani* quàm alii cuiquam tota ea hiſtoria convenit, ut tum ex dictis, tum ex dicendis liquebit.

4. Quartò. Incongruum eſt Prophetæ narrationem abrumpere, & valdè multorum ſeculorum hiatu interrumpere: hoc autem facit ſententia quam refutamus, vult enim Prophetam à perſecutione *Antiochi* ſtatim & immediatè tranſilire ad ultima tempora perſecutionum *Antichriſti*, & ad *Antichriſti* in ipſo fine mundi ruinam; omittendo primaria Eccleſiæ fata quæ à diebus *Antiochi* ad hodiernum, annis propè bis mille contigerunt.

5. Quintò. Tertiam habuit *Antiochus Epiphanes* in Ægyptum espeditionem, poſt ſecundam illam à quâ per Romanos deterritus eſt: tres enim expeditiones *Antiochi* in Ægyptum verſ. 29. implicantur. In prima & ultima res erant proſperæ, in mediâ res ei pejus ſucceſſerant; de tertiâ hac quæ ſecundâ fuit felicior, agit Propheta poſt verſ. 36. Præcipua hîc quæſtio erit de rectâ verſione verſus viceſimi noni, Hebræa hæc ſunt וְלֹא תִהְיֶה כָרִאשֹׁנָה וְכָאַחֲרֹנָה vertit *Pagninus*, *Et non erit ſicut prius & ſic poſterius*. Rectius LXX. Interpretes de verbo in verbum ſine ullâ mutatione καὶ οὐκ ἔσται ὡς ἡ πρώτη καὶ ἡ ἐσχάτη, quaſi diceret, *non erit expeditio hæc ſecunda tam felix quàm vel prima vel ultima*, quemadmodum Biblia noſtra vulgaria, *But it ſhall not be as the former, or as the latter*, ſequentia hîc *Iunium*, *Sed non erit ut prior expeditio aut ut poſterior*: quem etiam ſequitur *Piſcator*, *Sed non fiet ſicut primâ vice. aut ſicut alterâ vice*. Etiam *Deodatus*, Ma la coſa non riuſcera come la prima el' ultima volta. Agnoſcit *Brigtmannus* ſecundum hanc verſionem tres eſſe oportere *Epiphanis* in Ægyptum expeditiones, ſed ut vim argumenti eludat contendit falſam eſſe *Iunii* tranſlationem hoc fundamento, quòd cum nota ſimilitudinis adverbium כ duplicatur, ſemper prius vertendum ſit per *ut* & poſterius per *ita*: hoc probat tribus exemplis, & ex hac hypotheſi locum vertit hoc pacto, *& non erit ut prius ita & poſterius*: hac ratione neceſſitatem tertiæ expeditionis evitans.

Verùm ſolida non videtur hæc *Brightmanni* argumentatio, agnoſcimus locis ab eo citatis & aliquot aliis, dum duplicatur *Caph*, poſterius vertendum, ut loquitur ille, redditivè per *ita*, non propoſitivè, & prius vertendum per *ſicut*. Sed negamus vel ſemper vel plerumque & in primis loco præ manibus hoc fieri poſſe: Nam hoc loco præter *Caph* eſt Conjunctio *Vau* adverbium *Caph* antecedens, quam *Brightmannus*, ut & iſti Interpretes, quos ille hîc ſequitur, vel omnino expungunt, vertentes *& non erit ſicut prius ita poſterius*, vel ponunt Conjunctionem poſt Adverbium hoc pacto, *& non erit ſicut prius ita & poſterius*, quorum utrumque eſt textûs originalis corruptio. Rectè igitur *Iunius* verſiones Latinas ad Originalem hîc revocat, & malè *Brightmannus Iunii* verſionem corrigere conatur.

Fateor *Piſcatorem*, *Iunii* hic ſequacem, alterum effugium pandere ad argumentum noſtrum eludendum; agnoſcit quidem ex hoc loco tres *Antiochi* expeditiones, ſed duas vult antecedere illam quam impedivit legatus Romanus *Popilius Lenas*: Verum commentum hoc (etſi temerè ultimis Annotatores Anglicani tertii illud amplectantur) vanum eſt & frivolum. In verſibus enim antecedentibus viceſimum nonum, nulla præter unam *Antiochi* expeditio in Ægyptum apparet; nec ulli auctores probati duas ponunt ante *Antiochi* cum *Popilio* congreſſum. Utque *Brightmannus* & ſequaces, quibuſcum unis hic nobis res eſt, nolunt plures quàm unam.

Quæ contra hanc noſtram de *Antiocho* ſententiam objiciuntur multa ſatis & difficilia, ad eorum pleraque ſuprà reſpondimus, dum diſputaremus contra *Calvinum*, quæ addunt *Brightmannus*, *Huttus*, & *Parkerus* ex *Graſero* primaria hæc ſunt. *Objectiones refutantur.*

Primò.

1. Primò. Nulli auctores quicquam memorant de ullo *Antiochi* bello contra Ægyptios, poſtquam *Populus Lanas* eum coëgit ex Ægypto diſcedere, nec ullum ipſi bellum fuit vel in Oriente vel in Septentrione paulò ante ſuam mortem. Reſp. Quæ affert *Iunius* ex *Zonara*, *Livio*, *Floro*, & *Iuſtino*, etſi ea *Annotatores Anglicani*, *Polanus*, & alii fide *Iunii* (quanquam ſuppreſſo ejus nomine) verbatim repetant, tamen dum hiſtoricos illos volvo & revolvo, nihil in eorum quoquam reperio quod ad noſtram rem quicquam facit, hæc tamen in aliis auctoribus occurrunt.

Cornelius Tacitus hiſtoriarum quinto (ut rectè citat *Grotius*) diſertè narrat *Antiochum Epiphanem* poſt ſua in Ægypto & Judæâ bella in Oriente & Aquilone, nimirum cum Parthis bellâſſe, & verò Parthico hoc bello impeditum, quominùs Judæorum ſuperſtitionem omnino deleret. Non poſſunt hæc exponi de ſeriori multo *Antiochi Sideta* contra Perſas expeditione (prout perperam conantur oppugnantes eludere) nec de ullo alio *Antiocho* poſſunt intelligi quàm *Epiphane*, idque prope mortem poſt ſuas omnes contra Ægyptios & Judæos expeditiones.

Præterea *Appianus* in Syriacis (ut cum *Grotio Uſherius* rectè citat) affirmat *Antiochi* victoriam contra *Artaxiam Armenium* Regem Aquilonarem.

Denique apud *Hieronymum* in locum legimus *Porphyrium* aſſerere, *Epiphanem* anno ſuo penultimo, qui dui antedictas in Ægyptum expeditiones ſequutus eſt, moviſſe contra *Philometorem* arma, quæ divertere coactus eſt in novos hoſtes in Oriente & Aquilone. Iſta *Porphyrii* non rejicit *Hieronymus*, licet in aliis multis ibi illum meritò reprehendat.

2. Objiciunt ſecundò. Rex Auſtri verſ. 40. provocat Regem Aquilonis ut turbo: tranſcurrit totam regionem Auſtralem: Atqui verò nunquam provocavit *Epiphanem Philometor*, & poſtquam juſſiſſent Romani *Antiochum* abſtinere Ægypto, nunquam ille auſus eſt Ægyptum invadere, nec tale quicquam ullus priſcorum hiſtoricorum de eo memorat. Reſp. Parca valdè eſt hiſtoria iſtorum ſeculorum in rebus Orientis & Auſtri: Imo verò ipſius Romanæ & Græcæ hiſtoriæ fontes, *Polybius*, *Livius*, *Dionyſius Halicarnaſſeus* penè toti interciderunt, *Joſephus* etiam & *Maccabæi* de Syriacis & Ægyptiacis pauciſſima delibant, & verò paulò antiquiores, qui in illo ipſo ſeculo magno numero ſcripſerunt, omninò toti deperditi ſunt. Quod ſi eorum quas ex *Porphyrio*, *Appiano*, & *Tacito*, citavimus narrationes extarent, in propatulo eſſent quæ jam latent. Certè *Epiphanes* internâ calamitate edoctus ſemper ſibi à Romanis valdè metuebat, non obſtante tamen hoc metu, auſus eſt variis prætextibus non ſemel Ægyptum invadere. Equidem poſt ſecundam ſuam expeditionem, à quâ legatus Romanus eum retraxit, nova fratrum diſcordia, quâ *Phyſcon* ex Ægypto fugere coactus eſt, & tandem Romæ ad opem contra fratrem *Philometora* flagitandum ſe ſiſtere, latam *Antiocho* portam pandere viſa eſt, per quam Romanis non ingratiis quaſi *Phyſconi* opitulaturus, in *Philometorem* tertio irrueret.

Tertia objectio. Ante verſum 36. clara eſt *Epiphanis* hiſtoria, Ergo in poſterioribus de alio agitur quàm *Epiphane*. Reſp. Si cum Jeſuitâ *Sanctio* dicamus repetere Prophetam, ut clariùs enarret quæ ſuprà breviùs tradidit (prout Sacris Scripturis ſatis eſt familiare) effugiemus priores difficultates de tertiâ *Epiphanis* in Ægyptum expeditione, poſt ſecundam à quâ Romanorum auctoritate repulſus eſt. Sed hoc omiſſo negamus ante verſ. 36. finitam *Epiphanis* hiſtoriam, nam nihil de variis ejus actibus annis ſuis ultimis, inprimis de glorioſiſſimâ Dei in ipſum vindictâ, ob immanem in Iſraëlem crudelitatem auditum eſt ante illum locum: hæc tacuiſſe fuiſſet Dei gloriam populique ſolatium plurimùm offuſcâſſe. 3.

Objiciunt quartò. Rex de quo *Daniel*, omnia agebat pro ſuâ libidine, more ſcilicet ſummi Imperatoris, non tyranni: *Epiphanes* autem præterquam quòd immaniſſimus tyrannus fuerit, plurima pro ſua libidine vel in ipsâ Judæâ à *Maccabæo* impeditus non valuit præſtare. Reſp. Agunt pro ſuâ libidine non minùs tyranni quàm Juſti Imperatores, Imò magis illi quàm hi, nimirum magis ſuâ libidine ab omni legum vinculo ſoluti. Deinde in *Antiocho* diſtingue locos & tempora. In Ægypto præſentibus Romanis nihil pro ſuâ libidine præſtabat, ſed in Syriâ & Judæâ abſolutiſſimum dominum & tyrannum agebat ad aliquod tempus: non autem loquitur Propheta de omni tempore, nec de eo cum *Antiochi* furentis rabiei *Judæ Maccabæi* fortitudo fibulam impoſuiſſet. 4.

Quintò. Locum hunc *Danielis* applicat *Paulus* 2 Theſſ. 2. verſ. 4. ad *Antichriſtum*, Ergo loquitur *Daniel* de *Antichriſto*, non de *Antiocho*. Reſp. Nulla eſt conſequentia, loquitur enim Propheta de *Antiocho*, etſi quæ de *Antiocho* habet *Daniel*, applicet *Paulus* ad *Antichriſtum*. Quòd hîc regerunt *Antichriſtum* non eſſe antitypum *Antiochi*, quia omnium typorum antitypus eſt ſolus *Chriſtus*, ſuprà diximus novam hanc de typis doctrinam eſſe paradoxam, contra omnes loci Interpretes, tam antiquos Pa-

tres quàm Doctores Proteſtantes & Pontificios, qui typos & antitypos extendunt ultra *Chriſti* perſonam ad alia multa, inprimis ad *Antiochum* & *Antichriſtum*: utcunque, dato *Antiochum* non eſſe typum, erit tamen, quod nemo negaverit, valdè viva imago & *εἰκὼν Antichriſti*. Certè ob magnam ſimilitudinem illius attributa ad hunc ab Apoſtolo aut alio quovis applicari poſſunt.

Denique. *Antiochus* non fixit tentoria ſua, nec mortuus eſt in monte Sancto decoris. Reſp. Non ibi loquitur Propheta de loco mortis *Antiochi*, ſed tantum de ejus tentoriis, rectè autem ibi dicitur *Antiochus* fixiſſe tentoria, ubi Syriæ legatus *Lyſias* ejus mandato regale tabernaculum fixit; circumcingente illud in monte juxta Hieruſalem dimidiâ totius Syriaci exercitûs parte, in præſentiâ *Eupatoris* unici *Epimanis* filii. Reliquæ objectiones faciliores ſunt, itaque eas omittimus.

QUÆSTIO VII.

Quibus temporibus aſſignanda ſint quæ de Gog *&* Magog *habet Ezekiel Capitibus* 38. *&* 39?

Quæſtionis difficultas.

RESP. Tanta hîc difficultas eſt, ut hac de re diſſerens doctiſſimus *Prideaux* meritò pronunciet, inter Scripturæ *δυσνόητα* vix aliud involutius oraculum occurrere, & *Paræus* in Apoc. 20. v. 7. cum loco noſtro ſi non eundem, certè ſummè parallelum *Joannem* affirmet non exponere, ſed *αἰνιγματίζοντα* rem involvere ænigmate. Obſcuriſſima enim, inquit, nobis eſt hæc oraculi pars, ut quid ſibi velit Propheta vix divinare liceat, & tot ſint veterum recentiumque opiniones fere quot capita. Certè quod habet *Hieronymus* de Ezekielis 40. & ſequentibus (apertè, inquit, imperitiam confitemur, melius arbitrantes nihil quàm pauca dicere) rectiùs noſtro præ manibus loco convenit. Ita ſi in tam arduis nihil clari & certi afferre valeamus, id humanæ infirmitati jure condonandum videtur.

Invenio illuſtriores hîc ſententias ſex; obſcuriores multas quas Jeſuitæ *Bellarminus* & *Alcaſar* corradunt, non moror.

Theodoreti ſententia à Jeſuitis non intellecta.

Prima eſt *Theodoreti* in locum, qui totum utrumque caput exponit literaliter & hiſtoricè de gentibus Scythicis, quæ ſtatim à *Zorobabelis* reditu ante templum extructum à Judæorum hoſtibus pecuniâ & promiſſis attractæ cum maximis copiis in Judæam profectæ ſunt, & omnia ea fecerunt ac paſſæ ſunt quæ Propheta memorat. *Theodoreti* ſententiam non tantùm *Bellarminus*, *Alcaſar* & *à Lapide*, ſed etiam noſter *Prideaux* ita proponunt, ut ſatis appareat ipſos *Theodoreti* locum vel nunquam inſpexiſſe, vel, ſi aliquando legerint, oblivioni totum tradidiſſe: ajunt enim omnes quatuor *Theodoretum Gog* & *Magog* referre ad *Antiochum Epiphanem* & tempora *Maccabæorum*: tantum tamen ab hoc abeſt *Theodoretus*, ut probet *Ezekielem* loqui de temporibus *Cyri* & *Zorobabelis* ante extructum templum ſecundum, centenis aliquot annis ante natos *Maccabæos*, hoc argumento quod *Zorobabel* ex ſpoliis *Gogi* & *Magogi* templum illud extruxerit.

In optimo ſenſu eſt error. quia 1.

Utcunque, contra *Theodoretum* ſic argumentor. Victoria Iſraëlis de *Gog* & *Magog* multò maxima fuit, cui ſimilem Dei populus nullam unquam de ullo hoſte reportavit: *Ezras* autem & *Nehemias* accuratam valdè & particularem hiſtoriam conſcripſerunt de omnibus quæ *Zorobabelis* tempore Judæis contigere, neuter tamen ullum de hac victoriâ verbum.

Secundò. Diebus *Zorobabelis*, dum regnarent in Aſiâ *Cyrus*, *Cambyſes* & *Darius*, nullæ gentes Scythicæ imperârunt Perſis, Ægyptiis, Æthiopibus, & aliis, ex quibus *Gogi* exercitum conſtitiſſe narrat Propheta Cap. 38. v. 5. & 13. Imò verò ultra portas *Caſpias* Maſſagetarum terminos, aut ripas Danubii occidentalium Scytharum limitem, populus ille pedem non extulit, nedum ut in intima Aſiæ minoris & Syriæ Judæam verſus tenderet. Iſtorum ſeculorum hiſtoriam accuratè texunt *Herodotus*, *Xenophon*, *Cteſias*, *Beroſus*, & alii. Ex his clarum eſt nulla Scythas arma moviſſe intra fines Imperii Perſici, dum viveret *Zorobabel*. 2.

Tertiò. Bellum *Gog* & *Magog* contra Judæos motum eſt, poſt reditum in Chananæam non tantùm Judæorum, ſed etiam & Iſraëlitarum, & poſt omnium duodecim tribuum in unum Regnum redintegrationem: Cap. enim 37. reditus *Ephraim* & decem tribuum, earumque cum *Judâ*, *Benjamine* & *Levi* reconciliatio fusè deſcribitur ante bellum Gogicum cap. 38. nec in unum Regnum cum *Judâ* & *Benjamine* reductæ ſunt ad hunc diem. 3.

Quartò. Poſt bellum Gogicum proſperrimus in æternum eſt Eccleſiæ ſtatus, ut legimus Cap. 39. v. 22. & 29. Atqui poſt dies *Zorobabelis* maximæ fuerunt Eccleſiæ calamitates, cùm ab *Antiocho* tum à *Romanis*, tum ab *Antichriſto* Pontifice Romano. 4.

Theodoreti argumenta refutantur.

Pro ſe hæc affert *Theodoretus* argumenta, etiam cum ſtomacho & indignatione contra omnes Chriſtianos quaſi Judaizantes, qui bellum hoc Gogicum credunt adhuc futurum & nondum præteritum.

Primò. Conjuncta eſt hiſtoria belli Gogici cum hiſtoriâ reditûs ex Babylone cap. 37. Ergò duo hæc ſimul acciderunt. Reſp. 1.

Omiſſo

Omiſſo antecedente, conſequentia appaparet nulla hoc ſimili argumento. Hiſtoria reparationis Templi & Eccleſiæ Chriſtianæ conjuncta eſt cap. 40. cum hiſtoriâ belli Gogici cap. 39. Ergò reformatio Eccleſiæ Chriſtianæ perfectiſſima in fine ſeculi conjuncta eſt cum bello Gogico diebus *Zorobabelis*. Agnoſcit *Theodoretus* hoc abſurdiſſimum.

Secundò argumentatur. Per cladem *Gogi* cognoverunt gentes potentiam Dei Iſraëlis: Atqui temporibus Chriſtianis gentes edoctæ ſunt potentiam Dei Iſraëlis per Euangelium. *Reſp.* Licet gentes per Euangelium Dei omnipotentiam cognoverint, nihil hoc impedit quò minùs Divinam ipſi potentiam ſpectârint & magnificaverint, in inſigni illâ Gogicis temporibus fidelium de infidelibus Dei hoſtibus victoriâ. Non quidem, ut premit *Theodoretus*, clades Gogica erat potentius medium ad illuminandum gentes quàm Euangelium, ſed tamen medium hoc conjunctum cum Euangelio & Euangelio ſubordinatum, in afficiendo gentes vim non exiguam habere potuit.

Lactantii & Chiliaſtarum error.

Secunda ſententia eſt *Lactantii* & aliorum multorum Patrum, qui *Chiliaſtarum* veſtigiis inſiſtentes, *Gog* & *Magog* ad ultimos ſui Millenarii annos referunt: quando Satanas ſolutus gentes Paganas concitans contra Sanctos, qui Hieroſolymis & in Judæâ cum *Chriſto* feliciter mille annos peregerunt, attrahità Deo ignem de cœlo, qui (ut olim Sodomitas) ita tum gentes iſtas toto triduo perimet, Sanctis interim in ſpecubus ſubterraneis ſecurè latentibus.

Vix aliter Judæi, ut habet *Hieronymus* in locum, & *Galatinus* lib. 5. cap. 11. niſi quòd illi *Antichriſtum* velint *Gogi* & *Magogi* ducem, & miraculoſum ignem à commentitio ſuo *Meſſiâ* immitti fingant. Non opus eſt huic fabulæ refutandæ immorari, jamdudum enim exploſa in ſuo ſepulchro conquieviſſet, ſi per recentium aliquot Anglorum importunitatem licuiſſet. Etſi *Bellarminus* & Jeſuitarum aliorum turba in præſenti membro Chiliaſmi, quod *Gog* & *Magog* ſpectat, in multis ab antiquis hæreticis & Judæis non recedant.

Utcunque, à ſequendo *Lactantio* deterrent præter alia multa, manifeſtiſſimi, & multò putidiſſimi ejus hic anachroniſmi: vult enim cum aliis Chiliaſtis mille annos incipere à ſeptimo mundi millenario, & in fine ſexti *Antichriſtum* poſt trium annorum & ſemeſtris regnum occidendum: finem verò ſexti millenarii ponit in ſexcenteſimo poſt natum *Chriſtum*: inſcribit enim ſuos libros *Conſtantino Magno* jam Chriſtiano, quem poſt ducentos annos vehementer hortatur aurea Chiliaſtarum ſecula certiſſimâ fide expectare. Ex malâ enim LXX. Interpretum verſione multi Patres tam Græci quàm Latini annos ſupra mille in ſuâ Chronologiâ ultra verum numerant.

Hieronymi, Auguſtini, & aliorum ſententia improbanda.

Ab hoc Chiliaſtarum literalem ſenſum prementium extremo, decurrit in contrarium extremum *Hieronymus*. Nihil ille vult *Ezekielem* habere hiſtorici, nam omnia capitis 38. & 39. myſticè & allegoricè interpretatur de Hæreſiarchis & hæreticis, qui magno conatu Eccleſiam moliuntur deſtruere, ſed divinâ ope omnes eorum errores tandem profligantur.

Hanc *Hieronymi* ſententiam ſequitur gloſſa tam Interlinearis quàm ordinaria marginalis, communiter tamen rejicitur ab Interpretibus tam Proteſtantibus quàm Pontificiis. Certè hic *Hieronymi* commentarius egregium cuivis cordato lectori documentum eſſe poteſt, quantâ cum audaciâ ab aliquibus maximis viris etiam in antiquâ Eccleſiâ, multi Scripturæ loci ad ſenſus alieniſſimos abſque ullâ ſolidâ ratione detorqueantur.

Auguſtinus etiam hîc eſt allegoricus, etſi ab *Hieronymo* aliquantùm diverſus; vult enim ille *Gog* & *Magog* nullas certas gentes denotare; ſed quoſvis Eccleſiæ hoſtes à Diabolo excitatos, in primis *Antichriſtum* in fine ſeculi, de Civit. Dei lib. 20. cap. 13. *Auguſtini* verba nedum ſenſum mutuantur *Beda*, *Primaſius*, *Haymo*, & plerique alii Interpretes Latini, nihilominus quæ hîc addit *Hieronymo Auguſtinus*, non minùs contorta & à textu abſona videntur, quàm ea in quibus *Hieronymum* deſerit. Ignem de cœlo devorantem *Gog*, nihil aliud eſſe vult quàm invidiam torquentem hoſtes Eccleſiæ, Sancti conſtantes in perſecutione ſunt ipſi cœlum, & firmamentum Ira, odium, & invidia, quæ contra Sanctos ob ſuam in fide conſtantiam perſecutores concipiunt, ſunt ignis cœlitùs defluens. Hæc & alia etiam plura hoc loco *Auguſtini* tam aliena ſunt, ut ipſi Pontificii non poſſint concoquere.

Euſebii & Ambroſii.

Euſebium & *Ambroſium* tantùm obiter nomino: ille *Gog* de Imperatore Romano & *Magog* de Imperio Interpretatur: hic verò utrumque de Romani Imperii maximis hoſtibus Gothis, contra quos *Arcadium* Imperatorem concitat certâ ſpe ex *Ioannis* Apocal. cap. 20. ſplendidiſſimæ victoriæ, de quâ nihil audet *Hieronymus* determinare, donec eventus declarâſſet belli Gothici cataſtrophen.

His & aliis adhuc multis ſententiis præteritis, duæ nobis inprimis conſiderandæ reſtant. Prior eſt plerorumque Proteſtantium, qui poſt *Bibliandrum* & *Iunium*, *Gog Ezekielis* intelligunt de *Antiocho Epiphane*:

altera

altera plerorumque Pontificiorum, qui *Gog* tam *Ezekielis* quàm *Ioannis* de uno *Antichriſto* exponunt. Dico *plerorumque*, quia Jeſuitæ *Alcaſar*, *à Lapide*, & *Ribera*, cum prioribus eouſque jungunt, ut *Gog Ezekielis Antiochum* eſſe concedant Antichriſti *Ioannis* typum.

Contra communem Proteſtantium ſententiam perpendenda offeruntur.

In priori libenter acquieſcerem, quia in eâ penè omnes noſtros reperio, nec quenquam novi qui ullum contra eam argumentum afferat; ego autem minimè omnium contra Patres & fratres in quoquam amo novare; hic tamen à me impetrare non poſſum quin hæc doctioribus perpendenda proponam.

1. Primò. *Antiocho Epiphani Gogi* nomen non videtur omnino applicabile. A magno, fateor, *Iunii* ingenio & doctrinâ profectum eſt, quòd Syriæ & minoris Aſiæ Regnum, à *Gyge* Lydorum Rege, *Crœſi* avo vel proavo, Gogicum hodie à tam multis dicatur, ut urbs *Gygæta* & lacus *Gygæus*. Hæc mihi, etſi à permultis doctiſſimis viris fide *Iunii* implicitâ (ut alia plurima ejus viti commenta) concoquantur, à vero aliena videntur. Nam primò cùm *Gyges* Rex Lydiæ *Ezekieli* coætaneus fuerit, veriſimile non eſt tam properè nomen eum ſuum Aſiæ minoris populo potuiſſe imponere, idque apud Judæos qui de hoc *Gyge* ne fando qui dem unquam videntur audiviſſe.

Quod ad lacum *Gygæum*, apparet id nomen nequaquam illi impoſitum à *Gyge* Lydo; *Homerus* enim multis ſeculis ante *Gygem* illum natum *Gygæi* lacûs meminit, à Gigante quidem *Briareo* fratre Centauro

Centimanumque Gygem, *ſemiboremque virum*

dictus fortaſſe lacus ille prope Sardeis fuit, ſed à *Lydo Iunii* nequaquam.

Quod ad urbem *Gygarta*, eſto vox hæc exponatur ſecundum *Iunii* lubitum *Gog carta* urbs *Gygis*, eadem quæ *Hierapolis*, *Scythopolis*, & urbs *Magog*, ſeu ad Euphratem *Edeſſa* & *Bambyce* dicta: ſeu ad pedem Libani, ubi idolum *Decreto* vel *Atargatis* colebatur. Iſta omnia licet *Iunio* conceſſa, nihil videntur ad rem præſentem facere: civitas enim *Magog* longè ultra Lydorum fines poſita, à Scythis eò penetrantibus nomen accepit, nequaquam à *Gyge*.

Præterea quid *Gygi* cum Principe *Meſek* & *Tubal?* Gentes illæ procul ad Septentrionem (Iberi & Albani) nunquam Lydorum Regno paruerunt: fatetur *Iunius* Lydos tempore *Crœſi* ultra Halyn fluvium longè ab Albaniâ & Iberiâ terminatos: ſed putat patrem *Crœſi Halyattem* ulteriùs Regni Lydiei fines extendiſſe: verumtamen nullius auctoris teſtimonio hoc ſuum placitum probat. Quin & hoc etiam ei gratis conceſſo, nihil tamen vel *Gyges* vel *Halyattes*, vel *Crœſus* ad *Antiochum Epiphanem*, neque enim ille de ſtirpe *Gygis*, nec de gente Lydiâ ortus eſt, nec unquam ille fuit Princeps terræ *Magog* ſeu Scytharum, vel terræ *Meſech* & *Tubal*, ſeu Iberorum & Albanorum. Ipſius *Alexandri* dominatio non fuit tam Septentrionalis.

Antiochus quidem *Magnus Epiphanis* pater, Lydiam, & cæteram pleramque Aſiam minorem aliquandiu poſſedit, ſed poſtquam à *Scipionibus* fractus erat, totâ cis Taurum Aſiâ cedere coactus eſt, ita ut ejus filius *Epiphanes* vel ipſius Lydiæ nedum Iberiæ & Albaniæ Dominium nunquam attigerit.

Non negamus Scythas in bello Medico diebus *Cyaxaris* ad Euphratem & Libanum excurrentes, urbem à ſe ibi vel inventam vel conditam ſuo nomine *Magog* dixiſſe, quam Syriæ Reges ejectis Scythis tenuerunt: nulla tamen ratio eſt cur iſti Reges ob ejus ſolius urbis dominium, cùm in Scythiâ verâ terrâ *Magog*, vel *Iunio* Judice, nullum unquam pedem poſſederint, principes terræ *Magog* celebrentur: imprimis ab *Ezekiele* qui hæc de *Gog* & *Magog* ante Scytharum illam excurſionem & conditam Hierapolin prophetârit, ſaltem antequam ulli Judæorum eam urbem ſub nomine *Magog* cognoverunt.

Quod autem Jeſuita *Alcaſar* in confirmationem *Iuniana* ſententiæ urget, *Antiochum Magogi* Principem eo nomine inprimis celebratum apud Judæos, quòd ad *Magogi* idolum *Derceto* Dagonem virum vel potiùs fœminam ſemipiſcem colendum extremis illos ſuppliciis compulerit, nequaquam admittimus. Nam cùm apud hiſtoricos pateat tam Syrorum quàm Judæorum Deos *Antiochum* coli vetuiſſe, neſcimus quo teſte *Magogi Derceto* ab hoc regio edicto exemptam docebunt. Utcunque, quod ſemipiſcis illius cultus unquam Judæis imperatus fuerit, nullum novi præter *Alcaſarem* qui tale quicquam affirmet. *Iovem* quidem *Olympium* à Judæis & Samaritanis mandavit *Antiochus* coli; ſed quod ulli Syrorum *Derceto* colendam propoſuerit, nondum à quoquam ſumus edocti.

Secundo. Bellum Gogicum geritur poſt Iudæorum converſionem ad fidem Chriſtianam & reditum decem tribuum, earumque redintegrationem cum Iudæis in unum Regnum, nedum in unam Eccleſiam: Atqui hæc, nullus dubitat, noſtra tempora, nedum *Antiochi Epiphanis* ſequuntur. De Majori omnis quæſtio eſt, de eâ nihil audeo peremptoriè pronunciare. Veriſimile tamen videtur capitis trigeſimi ſeptimi hiſtoriam quæ res geſtas capitibus 38. & 39. antecedit, dicta omnia importare. Ultima Iudæorum converſio à *Paulo* 2.

Rom.

Rom. 11. v. 15. expreſſe vocatur *reſurrectio à mortuis*, quid ergo vetat reſurtectionem Iſraëlis ab *Ezekiele* ſuo triceſimo ſeptimo tam fusè, tam dilucidè, & patheticè expreſſam, ultra reditum à captivirare Babylonicâ de noviſſimâ plenáque reſtitntione populi iſtius interpretari? Imprimis cùm repetitione typi demonſtret Propheta nequaquam ſe loqui de tali reſurrectione Iſraëlis, quæ ad ſolos Iudæos ſpectaret, ſed de tali quæ totam domum *Iacobi*, duodecim omnes tribus ab exilio revocaret: imo verò quæ omnes ſub *Davidis* & *Christi* gubernamine poneret. Certum eſt iſta ante dies *Antiochi* non facta, & num talis totius domûs *Iacobi* reſurrectio ad hunc diem contigerit, meritò dubitatur. Certè reſtauratio à Propheta promiſſa jungitur cum purgatione decem tribuum non rantùm ab Idololatriâ, ſed & ab omni iniquitate quâ ſe polluerunt iu locis ſui exilii c. 37. v. 22. inprimis ab infidelitate & rebellione coutra Euangelium, jam verò talis vel plerorumque Judæorum, nedum plerorumque Iſraëlitarum purgatio nondum apparuir, tantùm abeſt ut dies *Antiochi Epiphanis* anteceſſerit.

3. Tertiò. Rex *Gog*, de quo *Ezekiel*, innumerabilem habebat exercitum, conſtantem inprimis ex Scythis Seprentrionalibus, & Æthiopibus ac Afris Meridionalibus: At *Antiochus Epiphanes* nullum unquam vel contra Ægyprios vel Perſas, nedum contra infirmos Judæos exercitum duxit numero valdè notabilem vel ſingularem: & verò in ejus exercitu nulli unquam Scythæ, nulli Ærhiopes uotantur; nulli iſtorum populorum Epiphaniæ ditionis fuerunt, nec *Epiphanis* ſeculo in Syriâ merere ſtipendia ſolebant.

4. Quartò. Invadente *Gogo*, Dei populus in villis apertis habitabat ſecurè, nec ullas arces aut munitas civirates habebat cap. 38. v. 11. Atqui diebus *Antiochi Epiphanis* mulri Judæi munitiſſimas civitates poſſidebant, & Hieroſolyma talibus muris ac propugnaculis munita fuir, ut *Epiphanis* vi ſuſtinendæ ſuffeciſſet, ſi abfuiſſet dolus.

5. Quintò. *Gogi* milites mutuis ſe vulneribus confecerunt 38. v. 21. Arqui nihil tale in *Antiochi* exercitu accidit, fuerunt quidem civilia inter *Epiphanis* ſucceſſores bella, ſed nullus ipſius exercitus per inteſtinam ſeditionem mutuis vulneribus confectus eſt.

6. Sextò. *Gogi* exercitus igne de cœlo extraordinariâ ſtrage delatus eſt, Verum hoc non fuit de *Epiphane*, inſignes quidem & illuſtres valdè fuerunt Maccabæurum de *Antiocho* victoriæ, nou tamen miraculoſæ: multa illi hoſtium millia variis prælüs ceciderunt, ſed tam immenſam ſtragem quam *Ezekiel* memorat, uon legimus à Maccabæis perpetratam.

Septimò. Rex *Gog* unà cum ſuo exercitu uno tantùm prælio in quo nihil pugnæ fuit populi, ſed totum Dei in montibus Iſraëlis conciditur, & ipſe *Gog* non minùs quàm ejus exercitus cadir, ipſéque non minùs quàm ſui milites ſepelitur in terrâ Judæorum: Atqui nihil tale de *Epiphane* verum fuit.

Octavò. Deleto exercitu *Gogi*, Iſraëlitæ eorum omnia arma flammis abſumpſerunt, & ipſi in magnâ pace vixerunt: Arqui Iudæi extincto *Antiocho Epiphane* nulla arma conſumpſerunt, ſed quàm potuere plurima recollegerunt, urbeſque & arces ſuas communiverunt, ut contra formidabiles frequenteſque ſucceſſorum *Antiochi* inſultus ſe tutarentur.

Quòd ad ſeutentiam alteram Pontificiorum, qui bellum Gogicum tam *Ioannis* quàm *Ezekielis*, volunt eſſe unius *Antichristi* contra Eccleſiam in fine ſeculi, & hinc unam ſuarum demonſtrationum extruunt de noſtrâ hæreſi blaſphemiaque, qui Pontificem Romanum docemus *Antichriſtum*. Nolumus hìc quidem ingredi locum communem de *Antichriſto*: certè à multis maximis Theologis altè adeo *Antichriſti* characteres Pontifici Romauo impreſſi ſunt, ut nulla unquam Jeſuitarum ars iis delendis ſuffectura ſit; ego tantùm pauca ex texru præ manibus contra hunc commentarium proſeram. *Contra communem Pontificiorum ſententiam argumenta.*

Primò. *Gog* eſt Princeps gentium Septentrionalium qui maximas copias adducit in terram Iſraëlitarum ut perdat Judæos: Atqui *Antichriſtus*, ſi Pontificiis credimus, erit ipſe Judæus & Judæis amiciſſimus, imò Judæorum Pſeudo-Meſſias, qui Judæam contra gentes exteras tutabitur; & Judæorum armis multas ſplendidas victorias de omuibus gentibus reportabit. 1.

Secundò. *Antichriſtus* eſt Pſeudopropheta qui ſuis miraculis ſeducebat gentes coram beſtiâ & purpuratâ meretrice, qui unà cum beſtiâ projectus iu lacum ignis Apoc. 19. ante exortum belli Gogici cap. 20. Itaque bellum illud Gogicum uon eſt *Antichriſti*, qui diu antè debellatus, & in ſtagnum ignis præcipitatus fuit. Quod autem Pſeudopropheta cap. 19. ſit *Antichriſtus*, affirmanr ipſi Jeſuitæ, *Sanctius*, *Ribera*, *Alcaſar*, *Pererius* & alii. 2.

Tertiò. Poſt mortem *Antichriſti* ad mundi finem ſunt dies tantùm quadraginta quinque, ſecundum *Bellarminum* & commune Pontificiorum placitum; Sed poſt mortem *Gogi* numerat *Ezekiel* annos ſeptem quibus ejus arma Iſraelitæ comburebant. 3.

Jeſuitarum hîc duo ſunt effugia. Prius, tot fuiſſe *Gogi* exercitus arma, ut ſeptem totis annis materiam igni præbere potuerint. Certè reſponſio hæc non ſatisfacit, nam cap. 39. verſ. 9. expreſſè Propheta affirmat Iſraëlitas ea arma actu combuſſiſſe, noo comburere potuiſſe integro ſeptennio. Altera eorum eluſio eſt, ſeptem dcfioitos annos ſumi pro tempore indefinito. Sed nec hæc reſponſio tenet, nam ſi aliqua neceſſitas cogeret definitum numerum pro indefinito accipere, oporteret illum indefinitum numerum vel ſuperare vel aliquo modo æquare definitum, ſed tam paucorum dierum ſcilicet quadragiota quinque, tanta eſt imparitas ad ſeptem annos, ut hi pro illis ſtare oon poſſint. Profectò *à Lapide* in locum pro nobis citat ſodales ſuos *Riberam*, *Pintum*, *Baradium*, & alios, quibus ipſe ſuum addit calculum.

4. Quartò. Princeps *Magog* Judæam invaſit ut ab Iſraëlitis prædam colligeret quam diſtribueret gentibus; ſed *Antichriſtus*, ut volunt Pontificii, quæ à gentibus rapiet ſpolia Judæis donabit, & ex iis templum Hieroſolymitanum extruet ſummâ magnificentiâ.

5. Quintò. *Gog* necatur & ſepelitur in valle *Hamon Gog* juxta locum Geneſareth, ut habet *Ezekiel*: Atqui ſecundum Pontificios, *Antichriſtus* etſi io monte Oliveto occidendus, tamen nullibi ſepelietur, ſed præcipitabitur in inferna.

6. Sextò. *Antichriſtus* omnibus ſuis bellis prætendet Religionem, gloriam Dei & bonum Eccleſiæ: ſed in hoc bello *Gog* detectâ facie contra Deum & Sanctos quâ tales ob merum civile dominium belligerat, Religionem omnem ex profeſſo oocculcans.

7. Septimò. Ut *Sanctius* & alii inter Pootificios, ita *Polanus* & alii inter Proteſtantes locum *Ezekielis* intelligunt & de *Antiocho* & de *Antichriſto*, ut typo & antitypo. Secundum hos parum lucrabuntur Pontificii, etſi *Gogum* Aotichriſtum coocederemus, non enim incommodè *Polanus* quæ vel *Ezekiel* vel *Joannes* habet de *Gog* & *Magog* ad Pontificem Romanum applicare ſibi videtur, verùm nos qui noo putamus vel *Ezekielem* vel *Joannem* quicquàm loqui vel de *Antiocho* vel *Antichriſto*, hoc argumento non utemur.

Brightmannus, *Paræus*, *Medus*, *Piſcator*, *Alſtedius*, & *Archerus*, Ezekielis *Gog* ad *Antiochum* referentes, tamen de *Gogo* Joannis peculiares habent ſinguli ſententias, quibus examinandis non immorabor, in iis tantùm pauca obſervans in tranſcurſu.

Conſideratur ſententia Paræi. *Paræus Gog* & *Magog* rectè ſtatuens populos Septentrionales, non debuit Apoc. 20, bellum Gogicum incipere à præliis Saraceoorum contra Chriſtianos in bello ſacro, quando *Saladinus Rhenati* Tripolitani Comitis fraude proditos noſtros omnes Judæâ totaque Aſiâ expulit; nam Saraceni, Arabes, Ægyptii & Auſtrales Aſri ad Septentrionales *Gog* & *Magog* oihil quicquam pertineot.

Brightmanni. Secundò. *Brightmannus*, etſi commodè ſatis *Gog* & *Magog* de *Turcis* & *Tartaris* videatur interpretari, tamen quòd tam hic quàm *Paræus* bellum Gogicum ad centenos aliquot annos exteodant, ad ſacras literas non poteſt accommodari. Nam tam *Ezekiel* quam *Joannes* bellum Gogicum faciunt breviſſimum, & paucis, ſi ullis, præliis conſtans; nam ut primùm *Gog* circumcingit caſtra Sanctorum, non ei permittit Deus ullam io Sanctos victoriam, ſed priuſquam ad manus venitur, omnes *Gogi* copias flamma cœleſtis abſumit. Turcarum autem & Saracenorum contra Chriſtianos prælia ab annis jam ſexcentis fuerunt plurima, in quibus vario Marte multas cruentas victorias alteri de alteris mutuò retulerunt, iotegris adhuc utrinque viribus, nam ſtant hodie tam Chriſtianorum quàm Mahometanorum multa & potentia valdè regna.

Medi. Tertiò. Quòd *Medus* ratiunculis aliquot Sophiſticis colligit, *Gog* & *Magog* eſſe geotes Americanas, quæ poſt mille annos Regoi Sanctorum invadent Europam, Aſiam, & Africam totas tum Chriſtianas, & ab integris mille annis ſanctas, conjectura eſt, ut pleraque illius viri, audax nimis, minimumque fundata, oe dicam deridicula.

Piſcatoris, Alſtedii, & Independentium. Quartò. Non magis placent quæ *Piſcator* in Apoc. 20. commentatur, nec quæ ei addit *Alſtedius*, miniméque omoium craſſiſſimus & pleniſſimus Chiliaſmus, quem *Archerus* & *Goodvvinus Piſcatori* ac *Alſtedio* ut Colophonem impoſuerunt; tu magnum reformatarum Eccleſiarum dedecus, niſi ab iis omnibus homines iſti novaturientes ſe ſeparâſſent.

Piſcator mille plenis annis poſt deletam Romam & deſtructum Antichriſtum bellum Gogicum differt: *Alſtedius* cum *Piſcatore* conſentit in mille aonis, ſed reſurgentes Martyres, quos *Piſcator* aſcendere facit in cœlum, ut ibi cum Chriſto regnent; *Alſtedius* detinet in terrâ uſque ad mundi finem. Atqui *Archerus* & *Goodvvinus*, Independentis nuper Arnhemii Anglorum Eccleſiæ hic cum *Philippo Nayo* Doctor ille Paſtor uoicus; oihil de pleno Chiliaſmo fecerunt reliqui. Nam *Chriſtum* de cœlo deducunt; reſurrectionem Martyrum mille annis ante mundi finem docent, *Gog* & *Magog* cum ſuo exercitu contra *Chriſtum* in medio Sanctorum Hieroſolymis regnantem immittunt; & putidiſſima alia veterum

Chi-

Chiliaſtarum ſomnia eructant, ut rectè notavit doctiſſimus *Voetius* in ſuo ad mille annos appendice ex *Archero*, & nos etiam fuſiùs ex *Goodvvino*, *Borrovvao*, aliiſque ejus ſectæ erroribus in noſtrâ Diſſuaſoriâ.

Pro noſtrâ mente propoſimus Nolumus in præſentiâ profundiùs hiſce litibus noſmet immiſcere, tantùm poſt aliorum ſententias etiam noſtrum ſenſum propoſitionibus aliquot humiliter & ingenuè doctorum examini ſubjiciemus.

1. Primò. In arduâ omni materiâ proclivius multò eſt aliorum ſententias impugnare quàm propriam ita exponere, ut ab aliorum exceptionibus ſit libera. Certè quod in re præſenti à multis ex *Irenæo* citatur, excuſationem ignorantiæ ſi non erroris cuivis modeſto præbet, qui cum aliorum placitis nequit acquieſcere, quod ipſi videtur ita proponit, ut nemini quicquam præſcribat; ſed ab alio quocunque meliora diſcere patulâ aure præſtolatur. Omnis Prophetia, inquit *Irenæus* lib. 4. cap. 43. priuſquam impleatur ænigma eſt, quando autem impleta fuerit, manifeſtam habet expoſitionem & intelligentiam. Quæ de *Gog* & *Magog Ioannes* nemo dubitat nondum impleta, & cur quæ de iiſdem *Ezekiel* nondum etiam impleta videantur rationes multas ſuprà perpendendas propoſuimus.

2. Secundò. Quæ de nominibus *Gogi* & *Magogi* primus *Hieronymus*, & poſt eum turba Scriptorum tam nunc quàm olim tradiderunt, non videntur ſolida. Scopus *Hieronymi* eſt in *Gogi* etymologiâ notare hæreticorum occultas fraudes, & *Magogi* apertas inimicitias. Sed primò diſtinctio hæc nulli tempori, nec ulli ſpeciei hoſtium Eccleſiæ peculiaris eſt: nam ab initio mundi ad finem uſque contra Eccleſiam hac ratione pugnavit & pugnabit *Gog* & *Magog*, nimirum hoſtes tecti & detecti.

Secundò. Quòd clandeſtinos hoſtes *Gogi* nomine vult *Hieronymus* denotari, incongruum eſt: nam tecti metaphorâ *Chriſtus* ſæpe utitur ad contrarium denotandum. Et certè ſecundum Judaicarum ædium fabricam, quæcunque in tecto quiſquam dicebat aut faciebat, ea in propatulo in omnium auribus & oculis dicta & facta profitebatur, metaphora ergo tecti & nomen *Gog* ad ſignificandum hoſtes clandeſtinos non eſt aptum.

3. Tertiò. Ut nolim cum *Hieronymo* contendere aut *Iunio* de mutatione vocalium in derivatione vocum, ita ut *Gog* à *Gag* vel *Gig* rectè ſatis formari poſſit (licet *Vau* ſeu *Cholem* ſeu *Shurek* ſeu *nudum*, inprimis cum radicalis eſt, rariùs in derivatione mutari ſoleat) tamen ut *Magog* formetur à *Miggag* non tam facilè conceſſerim, nam præpoſitio *Min* cum nominibus aut verbis præficitur, incipientibus à conſonante dageſhabili qualis eſt *Gimel*, nunquam admittit ſub ſe punctum *Patach* vel *Cametz*, ſemperque conſonantem ſequentem *dageſhat*, quorum neutrum in nomine *Magog* videre eſt. Certè ſi radix vocis *Magog* quærenda eſt ad manum eſt thema מוג *Mug, liqueſcere, deficere* in Scripturis uſitatiſſimum, unde in *Piel* מגג *Mogeg*, ex quo ſervatis omnibus conſonantibus formari poſſet *Magog*, in genuinâ etiam ſignificatione, quaſi gens ſuo terrore & barbarâ crudelitate aliorum animos deficere & liqueſcere faciens.

Tertiò. *Annotatores Anglicani* primi qui commentaria ſua Genevæ compilârunt, ex *Calvini*, & *Bezæ* quà potuerunt ſcriptis, & quà illa deficerent (nam in poſteriora *Ezekielis* & Apocalypſeos modeſti illi viri nihil unquam voluerunt ſcribere) ex colloquio. Hi bellum Gogicum *Ezekielis* ad Apocalypſeos vigeſimum extendunt, nec de *Antiochi* aut ullâ Eccleſiæ perſecutione ante dies *Meſſiæ* intelligi volunt. Hos ego ſequens exiſtimo quæ *Ezekiel* de *Gogo* & *Magogo* narrat, vera non eſſe de ullo ante nos ſeculo, rectéque eam Prophetæ hiſtoriam reſtringi ad tempora, quibus eam ipſe Dei Spiritus Apoc. 20. accommodat, non ut ad typum, qui olim in figurâ tranſiit; ſed ut ad inſigne promiſſum, cujus complementum ad tempora à *Ioanne* deſignata reſervatum eſt.

Quartò. Cavendum ne cum *Thoma Collero* in nuperâ ſuâ ad *Cromvvecum* pro Judæorum petitione Apologiâ, hæc *Ezekielis* capita de Judæis in ſuâ infidelitate perſeverantibus interpretemur: quaſi commodum eſſet Londini & cæteris totius Inſulæ civitatibus Synagogas *Chriſti* nomen blaſphemantes, & quotquot poſſunt ſuo exemplo ad Judaiſmum ſe ducere paratas, publicè cum plenâ & ſecurâ libertate, prout petit *Manaſſes Ben-Iſraël* erigere; hoc inter alia prætextu, quòd Judæos debellato mox *Gogo* gentium omnium dominos futuros prudentiæ ſit tempeſtivis beneficiis devincire, ut ipſis amicioribus utamur in ipſorum, quod inſtat, imperio. Certè Propheta locis illis nihil habet de Judæis infidelibus. Ab iis quidem in eo infidelitatis ſtatu Chriſtianis omnibus valde cavendum eſt, nobiſque Britannis ante alios, hac inprimis tempeſtate, cum epidemico aliiſque ſeculis propè inaudito pruritûs morbo, multi inter nos mortales ad teterrimos quoſvis errores & blaſphemias aures animaſque nimium patulas & repandas habere videamus: quicquid autem locis citatis *Ezekiel* felicitatis ſpondet Judæis, id apertè promittitur pœnitentibus fidelibus, & à diuturnâ ſuâ obſtinatione reverſis ad Dominum.

5\. Quintò. Ut Annotatores Anglicani medu malè cum *Iunio* diſceſſerunt à primis in Interpretando *Ezekielis Gog* de temporibus *Antiochi*, ita tam medii quam ultimi in Apoc.2 x.8. pejus diſcedunt à *Iunio* & omnibus orthodoxis, dum nimium χιλιάζοντες Gogicum *Ioannis* bellum totis mille annis poſt deſtructum *Antichriſtum* & converſos Judæos differunt: abſit, abſit, ut dilectiſſimus noſter ſponſus *Ieſus* ſuas tamdiu nuptias prolonget. Ponimus quidem bellum Gogicum poſt Pſeudoprophetæ Romani depulſionem in tartara, Judæorumque ac Iſraëlitarum reditum ad obedientiam ſuo *Davidi*, & fidem in *Ieſum Chriſtum* Ezek.37. & 38. ſed *Gogi* conatus in Eccleſiam toto millenario poſt id ſeculum protelare velle, eſt *Chiliaſtis* nimium indulgere.

6\. Sextò. Quandoquidem bellum Gogicum in ſe magnum ſit myſterium, & ejus peractio poſt hunc diem futura, commodum videtur abſtinere à peremptoriâ omni determinatione, vel de ejus tempore vel de perſonis vel de plurimis in eo circumſtantiis, audacia enim in ejuſmodi ſingularibus decreta, à multis cenſuram temeritatis, & ab aliis irriſionem erroris procurat: hoc tamen bonâ cum doctorum veniâ proferre ſi non pronunciare poſſe videmur; *Gog* non eſſe *Antichriſtum*, cum hic cap.11. Apoc. exeat ante illius introitum cap.20. & *Antichriſtus Romanus* omnia ſub Religionis prætextu ut *Chriſti* vicarius peragat: *Gog* verò tam apud *Ezekielem* quàm *Ioannem* depoſito & ſpreto omni prætextu Religionis, Sanctorum omnia caſtra aperto marte invadit, pro imperio potius quàm errore decertans. *Gog* etiam in nomine, moribus, & militibus Septentrionem ſpirat, *Antichriſtus* autem *Romanus* à multis jam annis nihil aut parum cum Septentrionibus habuit negotii. Primò enim Græcorum & poſteà Proteſtantium à Romanis ſeparatio Aquilonares penè omnes ex *Antichriſti* gremio rapuit.

Neque etiam *Turca Gogi* nomine videtur indigitari. Turca enim hoſtis jam vetus ab annis quadringentis & ſenio effœtus ad interitum cum *Antichriſto* palpabiliter dudum vergens ruinam minatur. Sed *Gog* hoſtis novus & vegetus majori, & magis formidando impetu quàm ante ipſum quiſquam quaſi *Leviathan* totam Eccleſiam uno hauſtu devoraturus imminet.

7\. Septimò. Etſi nolim eum Jeſuita *Sanctio* & aliis *Magogi* titulum ad Indiæ Regem multò maximum, *Magorem* de *Tamerlanis* ſtirpe prognatum applicare: neque *Gog* & *Magog* cum *Paulo Veneto* in Tartarorum *Tenduc* Septentrionis orientalis ultimâ provinciâ quærere, tamen *Ioannis* cum *Ezekielis* proſopographia conjunctà indicare videtur profanum quendam & crudelem ex Septentrione Orientali Principem: & certè vel præſentem, vel ante aliquot ſecula orbis terrarum ſtatum prudenter inſpectanti, & formidandam *Tamerlanis* totius Aſiæ conculcationem cum nuperâ Tartarorum Carhajenſium ſubjugatione Chinæ; Tartarorum aliquis *Cham* videtur *Gogo* ſimilior, quàm quivis alius hodie in terra mortalis. Sed iſta tempori pandenda relinquentes, piorum omnium putamus officium ſua pectora confirmare contra horridiorem adhuc ex Septentrionibus tempeſtatem, quàm quæ ullo ſeculo à bulla mundi plaga ſanctæ civitati incubuit. Contra hanc procellam à Sp.Sancto munimur, non tantùm certiſſimâ fide illuſtriſſimæ multò victoriæ reditusque *Chriſti* ad judicium tunc in foribus, ſed etiam quantum vel ex *Ezekiele* vel *Ioanne* valemus colligere, bonâ ſpe *Gogi* formidandum conatum nihil ultra minas proceſſurum, nullam enim cujuſquam ſanctorum ſanguinis guttam armis Gogicis fundi legimus: ſed pii omnes in ſuis caſtris deliteſcunt eâ tempeſtate, donec ab omni metu cœleſtibus à *Chriſto* flammis in hoſtilem exercitum immiſſis pleniſſimè liberantur. Ad minutiora non deſcendimus, aliis ad quæſtiones Apocalypticas remiſſis.

QUÆSTIO VIII.

Ad quæ tempora templi fabrica & partitio terræ, aliaque Ezekielis quadrageſimo ac ſequentibus, referenda ſint?

Quæ habet *Ezekiel* capitibus ſuis ultimis novem ad Eccleſiæ conſolationem apprimè commoda, ſed ſummè difficilia & obſcura lucem caperent Inprimis à tempore, ſi conſtaret ad quod tandem tempus certò referrentur: aurea profectò clavis tempus hic eſſet ad pandenda quæ penitiſſimè reconduntur ſuaviſſima myſteria: ſed quam Interpretes ſemper faſſi ſunt in *Ezekielis* Chorographia inextricabilem difficultatem, eadem, ſi non major, in ejus Chronographiâ ſeriò inſpicientibus apparebit. Ab hac *Ezekielis* parte mandabant olim Judæi omnes cavere ante ſacerdotalem triginta annorum ætatem, ut habet ex Rabbinis *Galatinus*, *Sanctius*, & alii. Certè *Deodatus* & multi omninò ab ea interpretanda abſtinuerunt, & ex Interpretibus tam veteribus quàm recentioribus plerique ea afferunt, quæ parum ad locum illuſtrandum faciunt. *Quæſtionis difficultas.*

Hieronymus, cùm *Euſtochii* virginis precibus victus obſtinatum ſilendi propoſitum & tacendi perſeverantiam rupiſſet, profitetur in explanatione templi *Ezekielis* trepidationem ſuam, & in opere difficillimo ſuſpiciones ſuas, denuncians lectori ſuo, ſi verita- *Hieronymus modeſtus.*

veritatem deſideraret, eam ab aliis quàm à ſe ibi quæreret. Ad ſuum hìc commentarinm applicat eum metum & tenebras, quæ olim puer Romæ in ſubterraneis cryptis, ubi Apoſtoli & Martyres ſepulti erant, expertus eſſet; illud *Virgilianum* uſurpans

Horror ubique animos, ſimul ipſa ſilentia terrent,

& illud Prophetæ, *Nubes & caligo ſub pedibus ejus, tenebra latibulum ejus*, ſimpliciter confitens coactum ſe dicere *O profundum divitiarum ſapientia & ſcientia Dei! quam inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles via ejus? Iudicia Domini abyſſus multa.* Templum ergo *Ezekielis* qnod cuncta ſecula tacuerunt, non ſe velle temeritate diſſerere, ſed in fide & timore Dei conjecturam ſuam ſe legentibns tantum proponere illud Poëtæ afferens

Hic labor ille domûs & inextricabilis error,
Ut quondam Cretâ fertur Labyrinthus in altâ
Parietibus textum cacis iter, ancipitemque
Mille viis habuiſſe dolum, qua ſigna ſequendi
Falleret indeprenſus, & irremeabilis error.

Et quod habet ad initium capitis 42. *Volueram deſperatione & magnitudine rei præſens teſtimonium ſilentio præterire, ſed melius arbitratus ſum quodcunque dicere quam nihil dicere, Socraticum illud uſurpans, Scio quod neſcio, pars enim ſcientia eſt ſcire quod neſcias.*

Ieſuita Sanctii blaſphemia. Magnam hanc maximi viri modeſtiam magis probo, quàm nltimorum Annotatorum Anglicanorum confidentius promiſſum de luce à ſe in poſteritatis opem conferenda, etſi horum meritam in *Sanctium* Jeſuitam notam amplectamnr, qui auſns eſt ſemel & iterum accuratiſſimam, ſi quæ unquam, ſancti Prophetæ Chorographiam ut inſulſam, imò iterum ut inſulſam blaſphemare. Si tam nefaria vox noſtrorum cuiquam excidiſſet, quas, pnratis, clamoſi illi viri tragœdias excitâſſent? Hæc ſumus præfati, ut ignorantiæ vel etiam erroris in hac quæſtione excnſatio nobis eſſet paratior.

Contra Theodoreti ſententiam arg. 1. Quatnor hìc ſnnt ſententiæ, qnibus nos quintam addemus. Prima eſt *Theodoreti, Sanctii*, & aliorum, qui etſi aliquas Prophetæ partes exponant myſticè de eccleſia *Chriſti* ſnb Euangelio, tamen ipſam domum & urbem interpretantur de templo ſecundo à *Zorobabele*, & de urbe Hieroſolymâ à *Nehemiâ* ædificatis: non negamus in ſolamen Judæorum Babylone exulantium poſt ruinam templi & nrbis accuratam ab Angelo imaginem deſcribi; ſed quòd ea imago nòn ſit templi, nrbis aut ſtatûs Iſraëlis, mox à captivitate Babylonicâ, ſic probamus.

Primò. Peribolus ſeu murus extimus circumcingens templum *Ezekielis* & omnia ejus atria, erat quadrangulus & quatuor æqualibus lateribus conſtans, in qnorum ſingulis erant quingenti, adeoq; in toto bis mille calami, quorum ſinguli conſtabant ex ſex cubitis ac ſex palmis cap. 42. v. 16. & ſequentibus; hoc eſt, octo milliaribus Italicis aut minimùm quatuor, nam cubitus vulgaris ex ſeſqnipede conſtat, ita ut ſex cubiti faciant novem pedes, palmorumque ex quatuor digitis vel tribus pollicibus conſtantinm ſex faciant pedem & dimidium: ergo calamus *Ezekielis* erat decempeda, & aliqnid ultra, qnod omittimus: quinque autem pedes conficiunt paſſum majorem geometricnm, quorum mille efficiunt milliare Italicum. Itaque bis mille calami conſtantes ex decem pedibus, ſeu duobus paſſibus aut ſex cubitis & ſex palmis efficinnt qnatnor milliaria Italica; ntrum autem aſcendant ad octo meritò dubitari poteſt.

Nam *Iunius* commentario ſuo in Ezek. 40. & alii poſt eum, menſuras omnes ſacras facinnt communium dnplices; ita ut ſacer calamus duorum paſſuum ad ſacroſancta Dei ædificia metienda ab Angelo adhibitns, contineat paſſus communes quatuor. *Malè Iunium menſuras ſacras facit communium duplas.* Fateor *Iunium* non plnres quàm duos paſſus in *Ezekielis* calamo numerare, ſed hoc profectò minus ad ſnum calculum accommodè, nam ſi menſuræ ſacræ ſint ad communes dnplæ, & Angeli calamus ad ſola ſacra menſnranda adhibitns ſit ſacratiſſimus, quidni ejus numeri, ſi ulli alii, ſint duplices? Nihilominns quotqnot ad manum ſunt hac de re ſcriptores *Ezekielis* calamnm ſeu communem, ſeu Regium, ſeu ſacrum non extendunt ultra ſex cubitos & ſex palmos communes.

Et certè rationes *Iunii*, quibus menſuras ſacras probat communium duplices, non videntur ſolidæ: prior ex 2 Chron. 3. v. 3. ubi cubiti ſexaginta longitudinis templi, & viginti latitudinis dicuntur menſuræ primæ. Nullum hìc apparet de duplicatione verbum; nam menſura hæc prima referri poteſt ad typum, qui anteà *Davidi* à Deo oſtenſus fuit, vel etiam ad menſuras à *Moſe* in tabernaculo uſurpatas, in quibus cubiti nominati non poſſunt de duplicibus intelligi. Profectò qui luci ſancti longitudinem, latitndinem, ac altitndinem Sancti Sanctorum 20. cubitorum ad 40 dilatet, nullins memini.

Altera *Iunii* ratio, quòd *Solomonis* Regia qnam ſnæ habitationi extruxit, & plurimæ apud Chriſtianos hodie ædes ſacræ templo Hieroſolymitano longè erunt anguſtiores, niſi menſuras templi duplicaverimus. Reſp. licet menſuras eas duplicaverimus, majora tamen templo erunt tam *Solomonis* palatia quam Chriſtianorum multæ Baſilicæ, ob

hanc palpabilem rationem. Templi ſacrarium uni tantùm homini Pontifici Max. patebat, & domus exterior ſolis ſacerdotibus ad altare thymiamatis menſam & candelabra inſervientibus, qui fuerunt pauci; ſed palatium *Solomonis* & Chriſtianorum Baſilicæ ad totius populi conventum deſtinabantur. Si comparatio inſtituenda foret, *Solomonis* curia & Chriſtianorum ſacræ ædes non cum templo, ſed populi atriis debent comparari: hæc autem Regum quorumcunque palatia tam longitudine quàm latitudine multùm ſuperabant.

Villalpandi error. *Villalpandus* inter doctos architectus accuratiſſimus ad ſex cubitos unum tantùm palmum addendum contendit, ſed fatetur hìc ſibi adverſari etiam ex ſuis viros doctiſſimos, *Vatablum*, *Pintum*, aliosque qui ex capitis 43. verſ. 13. rectè aſſerant unumquemque cubitum requirere additamentum palmi, adeoque ſex in calamo cubitos jure poſtulare ſex palmos ſeu cubitum communem ſeptimum.

Certè ipſe *Vallalpandus* & docti omnes poſt *Herodotum*, Regium cubitum nedum ſacrum ex ſeſquipede & palmo componunt, quidni igitur calamus Angeli ex ſex cubitis conſtans ad unumquemque cubitum additamentum palmi habeat? *Villalpandus* in ſuo calculo palmum quem ſex cubitis addit, extendere cogitur ultra vel tres pollices, vel quatuor digitos, vel ullam à quoquam nominatam palmi menſuram.

Utcunque, ſint templi menſuræ quàm voles parvæ, noſtrum argumentum tenebit. Peribolus bis mille calamorum ex cubitis ſex ac palmo quocunque modo conſtantium, efficiunt quatuor milliaria Italica: Atqui ad hunc ambitum templum *Solomonis* nedum *Zorababelis* nunquam pervenit. Imo verò tota urbs Hieroſolyma temporibus ſuis florentiſſimis tantùm ſpatii non videtur occupâſſe.

Iunius corrumpit ſacrum textum. Ad hoc argumentum reſpondentur tria. 1. *Iunius* vult in ſingulis lateribus, non calamos ſed cubitos, ita ſpatium ſextuplo minus facit. Replico 1. admiſſâ etiam tantâ hac diminutione, tamen templi *Solomonis* peribolus à ſpatio præ manibus longè aberit. 2. *Iunius*, & qui eum ſequuntur, apertè hìc textum corrumpunt, cubitos pro calamis infarcientes non tantum contra noſtros *Piſcatorem*, *Deodatum*, *Anglicanos* omnes tres & alios communiter Proteſtantes; ſed omnes etiam Pontificios. Verum eſt in verſ. 20. tam Græca quàm Latina verſio pro calamis legunt cubitos; ſed ipſi Jeſuitæ, *Maldonatus*, & *à Lapide* fatentur verſionum iſtarum manifeſtum vitium, quod corrigunt delentes cubitos ac reponentes calamos, idque disertâ *Hieronymi* auctoritate, qui ſuam hìc unâ cum LXX. Interpretibus inadvertentiam fatetur, dum præfeſtinans ad Hebræum textum vocem *cubitus* adjecit.

Villalpandi error alter. Confeſſum hunc *Hieronymi* errorem contra textum Hebræum *Sanctius* & *Villalpandus* Ieſuitæ ſe profitentur defendere; ille ab *αὐθεντείᾳ* verſionis Latinæ, hic quaſi Propheta verſu ultimo loqueretur de alio muro interiori quàm de quo prioribus quatuor verſibus agebat. Utraque ratio mala eſt, ſed tamen ut verſibus prioribus legerentur cubiti pro calamis, ne iſti quidem affirmant. Mirum ergo *Iunium* hanc lectionem in omnibus iſtis quinque verſibus amplexum: putabam initio doctiſſimum virum deceptum voce Hebræâ verſûs 16. quæ per literæ metatheſin pro מאות *Meoth* legitur אמות *Emoth*, *cubitus*: Sed ſcribæ hìc lapſum marginale *keri* ſtatim corrigit, adſcribens מאות *meoth*, correctionemque hanc ſequentium quatuor verſuum ſinguli manifeſtè approbant, omnes disertè legentes מאות *meoth*, non אמות *emoth*, & hanc lectionem verſiones omnes, Græca, Chaldaica, Latina, & vulgares confirmant: ita ut hìc Juniani erroris fons non videatur.

Item tertius. Reſponſio ſecunda eſt *Villalpandi*, Prophetam nimirum alii muro calamos & alii cubitos applicare: illos peribolo extimo ambeunti atrium gentium, hos muro interiori ambeunti atrium populi. Replico. Reſponſio hæc confirmat, non enervat argumentum, quod deſumptum fuit à peribolo extimo ex verſ. 16. aliiſque ante 20. etſi diſtinctio hæc *Villalpandi* à ſuis etiam ſodalibus, *à Lapide* & aliis meritò rejiciatur, qui rectè docent Prophetam de nullo alio muro loqui verſ. 20. quam de quo verſſ. quatuor prioribus, adeoque verſum illum non minùs de calamis quàm hos interpretari oportere.

Etiam quartus. Tertia reſponſio eſt etiam *Villalpandi*, qui verſu 26. quingentorum calamorum menſuram non vult de uno aliquo latere ſeorſim, ſed de omnibus quatuor lateribus in circuitu intelligi; ita ut ſingula latera ſeorſim calamos tantùm centum viginti quinque, & omnia ſimul quingentos, nequaquam vero bis mille habuerint. Replica. Inventum hoc *Villalpandi Sanctius* primò rejicit, ut quod nec amet nec capiat; poſteà tamen inconſtans homo hæc retractans id inclinatur amplecti, etſi ægrè: ſed *à Lapide*, *Maldonatus*, & alii apertè rejiciunt, ut audax & falſum commentum. Certè cùm Propheta multò disertiſſimè non ſemel ſed quinquies unicuique lateri ſeorſim; ſcilicet orientali, occidentali, boreali & auſtrali, & omnibus ſimul tam in latitudine quàm longitudine quingentos calamos attribuat, profligatæ audaciæ eſt cuivis mortali illis centum viginti quinque ſolùm

velle

velle attribuere. Tam craſſus *Villalpandi* in meuſuris lapſus ſuſpicari cogit, non tam felices quàm aliquando putabam illius viri maximos & perdoctos iu ſacra Prophetarum architecturâ labores. De nihilo non eſt quòd *Sanctius*, *à Lapide*, & alii Jeſuitæ *Villalpandi* Mathematica ſe uon capere apertè profiteantur.

Secundum argumentum contra Theodoretum.

Argumentum ſecundum, quo probamus templum *Ezekielis* imaginem nou fuiſſe templi *Solomonis*, nec exemplar *Zorobabelis* propoſitum, ad quod templum ſuum ſecundum efformaret. Templum tam *Solomonis* quam *Zorobabelis* fuit intra mœnia & portas urbis Hieroſolymæ: Atqui templum *Ezekielis* fuit multis paſſuum millibus extrà mœnia Hieroſolymorum, ſeu quæcunque urbs ſancto Iſraëlis fuerit aut futura ſit. Majorem nemo controvertit: nam etſi tam prior quàm poſterior Hieruſalem fuerit duplex ſuperior & inferior, imò triplex; urbs tota tamen & in primis templum unis mœnibus extimis continebatur. Minorem probat caput 45 & 48, ubi divino mandato ſeparari jubentur in terræ primitias, vicies quinquies mille calami, tam in longitudine quàm latitudine, quorum viginti quinque in longitudine, & decem in latitudine cedebant ſacerdotibus, totidemque tam in longitudine quam latitudine Levitis, & viginti quinque in longitudine ac quinque in latitudine ſanctæ civitati *Iehova Shamma*.

Iſtarum partium longitudo & latitudo numeranda aliter atque totius terræ. Nam longitudo Chananææ cum *Ioſhua*, tum *Zorobabelis*, tum *Ezekielis* temporibus, menſurabatur à Septentrione in Meridiem: eò quòd hæc dimenſio quadrupla aut ſextupla eſſet ad latitudinem ab Occidente in Orientem, ſeu à mari Mediterraneo ad Jordanem vel mare ſeu Geneſareth, ſeu mortuum. Atqui primitiarum & ſacræ portionis dimenſiones contrario modo menſurandæ ſunt: ſacerdotum enim viginti quinque calamorum millia in ſua longitudine proceduut ab occaſu in ortum, & minor eorum meuſura, latitudo ſcilicet decies mille calamorum ab Aquilone in Meridiem, quo toti terræ non latitudo ſed longitudo vergebat. Eadem eſt ratio portionis Levitarum & urbis.

Utcunque in meditullio ſortis ſacerdotalis ſtabat templum, inter quod & extima urbis mœnia interjacebat tota portio Levitarum, decem millibus calamorum lata: & fere etiam dimidium portionis ſacerdotum, ſaltem ſupra quatuor millia calamorum. Jam verò quatuordecim millia calamorum efficiunt milliaria Italica viginti octo, quantum diſtare oportuit templum *Ezekielis* ab urbe ſanctâ. Nihilominus Jeſuita *Sanctius* affirmare audet templum hoc infra illam urbem ſtetiſſe, ſed ſine ullo argumento. Quod ſi typos vel *Fulleri*, vel *à Lapide*, vel *Lyrani*, vel ipſum textum intueare *Ezekielis*, inſulſum hoc *Sanctii* pronunciabis παϱόραμα.

Argumentor tertiò. Urbs ſancta conſtat 3.
ambitu decies octies mille calamorum, hoc eſt, milliaribus Italicis triginta ſex; paſſibus duobus vel pedibus decem unicuique calamo attributis: Atqui Hieruſalem in terris quartam iſtius ſpatii partem nunquam attigit. Non equidem aſſentior Annotatoribus Anglicanis mediis, qui ad Ezekielis 43. v. 18. affirmant nominatim, civitatis ſanctæ ambitum æquâſſe & longè ſuperâſſe totius Chananææ terminos; nam licet extendas octodecim illa millia calamorum in circuitu ad viginti quinque millia in longitudine, & decem in latitudine, quod eſt ſpatium multò amplius: tamen & hoc intervallum illi auctores ibidem non faciunt excedere nonaginta ſeptem milliaria in longitudine, & triginta novem in latitudine, quæ procul abſunt à milliaribus centum ſexaginta, quæ poſt *Hieronymum* docti omnes Chananææ longitudini aſcribunt, & ſexaginta quæ ejus latitudini attribuuntur.

Annotatores Anglicani notantur.

Corrigunt quidem hîc Medios Ultimi; hi enim in quadrageſimi quinti primum & decimum ſextum, viginti quinque illis millibus calamorum aſcribunt tantùm milliaria octoginta & unum: etſi quî hic calculus veritati conveniat, & alii etiam tres quos ibidem nominant admodum confusè & indeterminatè, ſcilicet milliarium ſeptuaginta ſeptem, vel centum quinquaginta quatuor, vel centum ſexaginta duorum, non video. Utcunque, noſtrum argumentum tenet, Hieroſolymam in terris octodecim millia calamorum quomodocunque ſumptorum nunquam attigiſſe.

Sanctii error.

Ut hoc evitet argumentum *Sanctius*, affirmat octodecim illa millia non de calamis ſed de cubitis intelligenda. Replica 1. Etſi textus ſacer in toto illo capite 48. nomen Calami non exprimat, tamen omnes Interpretes tam veteres quàm novi de calamis intelligunt. 2. Menſura capitis 48. intelligenda eſt de eâ per quam Angelus capitibus præcedentibus templum & ejus atria menſus eſt, hæc autem menſura fuit calamus non cubitus, ut videre eſt 48. 16. & alibi. 3. Civitas *Ezekielis* cum civitate *Ioannis* eſt parallela, & habet ad eam aliqualem proportionem; hæc autem ſi non in ſingulis lateribus, attamen in ambitu habebat ſtadiorum duodecim millia, hoc eſt, milliaria Italica mille quingenta, & ſecundum aliquorum calculum tot milliaria Germanica, ut notat *Pareus* Apoc. 21. v. 16. Imo verò

Nova Hieruſalem altitudo prodigioſa. verò in altitudine nova Hieruſalem pauciora habere non potuit milliaria Italica mille quingentis, quàm rectè Annotatores Anglicani ultimi prodigioſam vocant altitudinem, adeoque neceſſariò myſticam. Itaque ne inter illas duas civitates omnis proportio deſtruatur, menſura prioris oportet ſit major calamorum nun minor cubitorum, cùm poſterioris menſura non ſit ipſe calamus ſed ſtadium.

4. Quartum argumentum. In partitione *Ezekielis* omnibus duodecim tribubus una Chananææ & æqualis pars attribuitur: Atqui tempore *Zorobabelis* & ſecundi templi nulla omnino decem tribubus portio eſt aſſignata, nondum enim illæ redierant, & pauci qui cum Judæis miſti ſunt, nullam ſunt nacti vel ab aliis vel inter ſe diſtinctam habitationem: imò verò Judæorum & Benjamitarum portiones commiſcebantur, nec vel iſtarum duarum tribuum ſors fuit in totum diſtincta.

Hoc argumentum aliter ſic propono. Partitio *Ezekielis* omnino diverſa fuit ab omni, quæ vel diebus *Ioſhua* vel ullis poſterioribus facta eſt. Nam Ezekielis cap. 48. unaquæque tribus æqualem & diſtinctam ſortem aſſequitur, ſed tempore, vel primi, vel ſecundi templi ſortes tribuum fuerunt admodum inæquales & inter ſe commiſtæ. Sortes *Iuda* & *Ephraim* majores fuerunt quàm tribuum cæterarum fere omnium: & *Iuda* ac *Benjamin* ita commiſti erant, ut Hieroſolymorum aliqua pars ad unum, aliqua ad alterum ſpectaret. *Gad* in ſortitione *Ioſhua* ultra Jordanem in maximè Orientali & Septentrionali Regione Chanaan ſitus eſt, ſed in partitione *Ezekielis* in maximè Meridionali ac Occidentali: *Dan* in partitione *Ioſhua* jacuit in medio Philiſtinorum, ſed in *Ezekielis* proximè Damaſcum, ubi pars iſtius tribûs olim occupaverat *Lachiſh* ad caput Jordanis. *Ioſhua* locavit *Naphtali*, *Iſſachar*, & *Zebulun* in Galilæâ, Hieroſolymis ad Septentrionem: ſed *Ezekiel* eos locat ad civitatis ſanctæ meridiem. In prima partione Levitæ & ſacerdotes etſi urbes & ſuburbia in omni tribu haberent, nullam tamen ſortem peculiarem & diſtinctam acceperunt. At partitione poſteriori, primitialis ager Sacerdotum, Levitarum, & civitatis, milliarium quinquaginta latitudine *Iudam* à *Benjamine* ſeparabat, & *Iudam* à Septentrione, ac *Benjaminem* à Meridie locabat.

5. Quintum argumentum. Ex templo *Ezekielis* fluebat fons aquæ vivæ qui mox in magnum flumen evadebat, quod in ripis veſtiebatur copiâ arborum, quæ perpetuis foliis ac fructibus menſtruis florebant, hujuſque rivi aquæ in mare mortuum fluentes curabant fœtidum illum lacum *Aſphaltiten*, ita ut in poſterum in eo piſces affatim viverent; nihil autem tale in templo vel primo vel ſecundo apparuit; nullus ibi omnino fons, neque ullus Hieroſolymis rivus, per ſecretos quidem aquæductuum meatus (ut narrat *Ioſephus*) ſub altare holocauſti fluebant ſubterreſtres aquæ ad ſacrificiorum ſordes evehendas in torrentem *Kidron*, qui ex monte Oliveti per vallem Hinnon orientale Hieroſolymorum latus tranſiens, per deſertum Judæ in lacum Aſphaltiten fluebat; ſed torrens hic procul abfuit à fluvio, ejuſque ripæ plerunque nudæ erant omni vel arbuſtu: ad hunc diem manet mare mortuum amariſſimum & fœtidiſſimum, omneque quod illabitur animal necans.

6. Denique argumentor. In agro primitiali magna portio aſſignatur Principi quæ ambiebat portionem ſacerdotum, Levitarum, & urbis: Atqui nihil tale tempore ſecundi templi accidit. Nam Principes Judæorum poſt captivitatem Babylonicam qui ante Maccabæos vixerunt, parvæ admodum erant majeſtatis & rei valdè tenuis paucorumque agrorum, imò nullorum à cæteris tribubus diſtinctorum: & verò à lateribus portionis ſanctæ nihil ad Principes in terra Chanaan remanebat ſpatii; hæc enim portio quadrangula habebat undique vicies quinquies mille calamos, hoc eſt, milliaria Italica præter propter quinquaginta; terra autem à *Dan* ad *Beerſchebam* patebat tantum centum ſexaginta milliaria Italica & quà fuit latiſſima, etiam partes transjordanas includens, non ſupra ſexaginta: à mari verò Mediterraneo ad Jordanem vix quinquaginta milliaria reperies; ut patebit vel *Adrichomii*, vel *Fulleri*, vel cujuſcunque aliûs terræ ſanctæ Chartas conſideranti, & cum iis comparanti, ſeu *Cornelii à Lapide* ſeu *Richardſoni* in *Fullero* typos ex *Ezekiele* deſcriptos. Polliciti quidem ſunt Annotatores Anglicani ultimi ad finem quadrageſimi octavi *Ezekielis* ſubſequuturam Chorographicam Mappam, ſed id promiſſum non præſtiterunt. Ex hujuſmodi tabulis facilè perſpicies in Chananææ longitudine inter ſacram portionem & ſortem *Iuda* ad Aquilonem, eandemque portionem ac ſortem *Benjamini* ad meridiem, Principi nihil relictum intervalli. Nam termini longitudinis terræ etiam in *Ezekiele* fere iidem ſunt cum *Ioſua* & *Solomonis* Chorographiâ: *Ezekiel* enim ad Aquilonem non procedit ultra Damaſcum, & ad Meridiem non ultra civitatem *Tamar* & *Cadeſchbarnea*: hi autem erant antiqui terræ ſanctæ termini ſub primo templo. *David* enim, *Solomon*, & *Ieroboam* ſecundus Aquilonarem ac Orientalem ſuum limitem ultra Libanum & Damaſcum uſque ad Euphratem exten-

extenderunt, ac Meridionalem non tantùm ad civitatem *Tamar*, quam malè *Sanctius* vult *Iericho*, civitatem palmarum quæ in tribu *Benjamin*, totâ tribu *Iuda* & Hieroſolymis etiam fuit Septentrionalior: Malè etjam *à Lapide* & alii volunt *Palmiram*, quæ Euphrati propinqua fuit, poſitam etiam ad rivum Ægypti: non quidem Nilum aut ullum ejus oſtium, ſed Sichor qui ad *Rinocoluram* (limitem tribûs *Simeon* Ægyptiacum) in Mare Mediterraneum influebat. Jam ſi unicuique ex duodecim tribubus dies vel dimidium, imo vel ſextam, vel fere ullam proportionalem partem cum portione ſacratâ quinquaginta milliarium, nullus pes Principi in terræ longitudine remanebit: nam tota terra longa fuerat milliaribus tantùm centum quinquaginta, & ex his quinquaginta erant attributa ſacerdotibus, Levitis, & civitati, ſi reliqua centum inter duodecim dividas, unicuique non ſupererunt milliaria novem, neque etiam plus in terræ latitudine Principi videtur ſuperfuturum, nam quà latiſſima, transjordanas quoque partes aſſumendo, non patebat ultra milliaria ſexaginta. Et verò intra Jordanem & mare Magnum, extra quos terminos *Ezekiel* reducem ſuum populum non locat, quinquaginta nunquam exceſſit, ſi credas illis quas hodie habemus chartis. His poſitis nullus agri palmus vel digitus etiam in latitudine Principi reſtabit. Nam vicies quinquies mille calami ſortis ſacratæ quinquaginta illa milliaria plenè exhauriunt. Quod *à Lapide* vult calamos eos non continere ultra quadraginta quinque milliaria, ita ut hac ratione aliquantum Principi reſtet, hoc facit ex errore calculi; attribuens *Ezekielis* calamo pedes tantùm novem, cum ei plus quàm decem debeantur.

Contra Iudæorum ſententiam argumentum 1. Hæc de ſententiâ primâ, cæteras breviter perſtringemus. Secunda eſt Judæorum, qui etſi olim, ut habet *Hieronymus* in locum, in primâ erant ſententiâ, tamen ab aliquot jam ſeculis, ut docet *Lyranus*, ipſe Judæus gente, hæc *Ezekielis* capita de tertio templo & novâ in terris felicitate per *Meſſiam* populo Iſraëlitico obventurâ interpretantur. Commento huic praviſſimo refutando non immorabimur, quæcunque enim pro veritate Religionis Chriſtianæ adducuntur, huc faciunt. *Lyranus* etiam in locum & ex eo *à Lapide* in hoc argumento breviter & nervoſè Judæis os abunde obſtruunt, nos pauca tantum ad hominem addemus.

Primò. Doctiſſimi Rabbinorum negant templum in terris extruendum, idque ex divinâ prorſus ipſis traditione, etſi nobis falſiſſimâ fabulâ. Docent enim, ut habet *Galatinus* lib. 5. cap. 14. *Moſen* pridie mortis ſuæ tranſlatum in cœlos ac colloquutum cum venturo *Meßiâ*, quem vidit ſtantem cum *Aarone* in tertio templo, quod Deus tum non in terris, ſed ſupremo cœlo ex gemmis totum fabricabat.

2. Secundò. Princeps *Ezekielis* non fuit *Meßias*, hic enim liberos neque ſucceſſores ſecundum Rabbinos & rei veritatem habet: Atqui ſupponit *Ezekiel* ſuum Principem habere tum liberos tum ſucceſſores, regulæ enim iſti Principi præſcribuntur de filiorum ſuorum hæreditatibus, & cavetur ne Princeps iſte cum ſucceſſorum ſuorum præjudicio, regios agros in ſervorum gratiam alienet.

3. Tertiò. Tertium templum quod Judæi à *Pſeudo-Meſſia*, & Pontificii ab *Antichriſto* extruendum fabulantur, intra Sanctam civitatem collocant: Atqui templum *Ezekielis* 28. minimùm milliaribus extra civitatem ſitum eſt.

4. Quartò. Templum tertium Judæi & Pontificii multò magnificentius tam primo *Solomonis* quàm ſecundo *Zorobabelis* affirmant. Sed templum *Ezekielis* non fuit auguſtius vel ſecundo *Zorobabelis*, nedum primo *Solomonis*; quod enim de magnificentiâ templi *Ezekielis* præ *Solomonis* habet *Hieronymus*, id de atriis & circuitu intelligendum: nam ipſum Sanctum non exceſſit quadraginta cubitorum longitudinem, & latitudinem viginti, ac altitudinem triginta. Sanctum verò Sanctorum diebus *Solomonis* non excedebat viginti cubitos vel longitudine, vel latitudine vel altitudine 1 Reg. 6. v. 3. Quod autem legimus Ezræ 6. v. 3. de longitudine & latitudine cubitorum ſexaginta, neceſſe eſt id vel cum *Iunio* de cubitis communibus intelligere, ad quos ſacri fuerunt dupli; vel potius cum Annotatoribus Anglicanis ultimis de templo ſimul cum ædificiis proximè adjacentibus. Utcunque templum *Ezekielis* templo *Solomonis* nihilo fuit majus, vel in longitudine vel in latitudine (ut videre eſt Ezek. 41. v. 2. & ibi apud *Villapandum*, *Maldonatum*, *à Lapide*, *Iunium*, *Annotatores Anglicanos* ultimos, & alios) adeoque *Herodis* templo *Ezekielis* domus fuit multò minor, ſi *Ioſepho* credimus Antiquit. 15. v. 14. hic enim *Herodem* aſſerit novum à fundamentis ſtruxiſſe templum, longitudine cubitorum centum, & latitudine eâdem, altitudine verò centum viginti.

Verum eſt veſtibulum templi *Solomonis* longum viginti cubitis & decem latum, fuiſſe altum centum viginti: ſed cætera tota domus non excedebat triginta cubitos in altitudine, Sanctum verò Sanctorum omnino quadratum non ſuperabat viginti.

Quod igitur *Herodis* templum tam amplum fuerit ut in eo ipſum Sanctum Sanctorum, nedum Sanctum; altum fuerit

centum viginti cubitos & centum laium, non poſſum *Ioſepho* etſi oculato teſti fidem adhibere: inprimis cùm ibidem aſſeveret, ex templi altitudine ſuis diebus viginti totos cubitos ſubſediſſe, manifeſta fabula. Nam ut in annis paucis qui ab *Herode Magno* ad *Ioſephi* adoleſcentiam fluxerunt, domus hæc in rupe firmâ fundata tot cubitos ſubſideret, quis credat? Cum templum *Solomonis* omnibus quibus ſtetit ſeculis vel unum ſubſediſſe palmum non legamus.

Ioſephi fabula.

5. Quintò. Adveniente *Meſſiâ* ajunt Judæi omnes in toto orbe Iſraëlitas in Sanctam Terram confluxuros, & ſortes ab *Ezekiele* deſcriptas occupaturos: hoc autem ſtantibus *Ezekielis* menſuris, neque rationi neque fidei conſentaneum eſt. Nam, ut ſuprà dictum, extremi Chananææ termini, de quibus *Ezekiel*, non excedunt limites antiquos temporibus *Davidis*; qui ad Septentrionem fuere *Damaſcus*, ad Meridiem *Rinocolura*, ad Orientem *Iordanes*, ad Occaſum *Mare Mediterraneum*. Hi verò fines Iudæorum in terris etiam hodie notorum vel decimæ parti habitationem non exhiberent. Itaque *Ezekiel* de hoc ſuppoſititio Iudæorum ſtatu non loquitur.

6. Denique *Pſeudo-Meſſias* expectatus à Iudæis opulentiſſimus ſupponitur, & florentiſſimus Princeps, qui latiſſimos ex ſuo abſque ullâ ex alieno rapinâ fundos poſſidet: Atqui Principi de quo *Ezekiel* latifundia ſunt admodum anguſta, ut ſuprà probavimus; ei enim vel ad Meridiem vel ad Aquilonem nihil, & ad Orientem & Occaſum admodum parum ſupereſt, ſi terminos terræ ab *Ezekiele* deſcriptos non longè tranſilias.

In ſententiâ communi deſideramus.

Tertia ſententia eſt communis Chriſtianorum, *Hieronymi, Gregorii, Lyrani, Iunii* & penè omnium tam Proteſtantium quàm Pontificiorum, qui *Ezekielis* hæc capita intelligenda arbitrantur myſticè de Eccleſiâ temporibus poſt *Chriſtum* natum ad hunc diem. Summa hujus ſententiæ nobis non diſplicet, in eâ tamen ſicut à pleriſque exponitur, varia deſideramus.

1. Primò: Ubi tam longa, tam accurata & particularis narratio hiſtorica ab *Ezekiele* inſtituitur, eam in puram putam allegoriam & ſenſus merè myſticos tranſmutare duriuſculum videtur.

2. Secundò. Senſus hîc myſtici uſque adeò multiplices ſunt & varii, ut fere ſinguli Interpretes tam antiqui quàm novi & medii, peculiares ſuas accommodationes habeant, in quibus ab aliis omnibus differunt.

3. Tertiò. Myſtici multorum ſenſus tam à ratione, ſaltem ab *Ezekielis* mente alieni videntur, ut paucis cordatis poſſint probari; *Hieronymus* quinque cubitos portarum quinque ſenſus externos vult denotare, & viginti quinque cubitos calamorum ſenſus ſpirituales corporeis quintuplo præſtantiores. *Gregorius* probat omnia hic *Ezekielis* neceſſariò myſticè & ſpiritualiter intelligenda, eo quòd primæ iſtæ menſuræ cap. 40. v. 5. ſint ſimpliciter impoſſibiles: ibi enim, inquit, totius ædificii latitudo & altitudo dicitur unius tantùm calami, & tamen portarum ac atriorum dimenſiones dicuntur multorum calamorum, quaſi totum ædificium continens illas partes multò eſſet anguſtius variis ex ſuis illis partibus. Certè *Gregorii* reverentiâ pauperrimum hoc eſt ſophiſma; ædificium enim ibi ab Angelo menſuratum eſt peribolus ſeu murus extimus, qui etſi latitudine & altitudine unius tantùm eſſet calami, benè tamen ambire potuit atria & ædes quæ variis dimenſionibus multa millia calamorum continebant. Cùm in limine tam abſurdè *Gregorius* ceſpitet, minùs miramur quam plurima ejus in progreſſu maximè contorta Myſteriorum commenta. Nihilominùs tamen gloſſa ordinaria ex *Hieronymi* & *Gregorii* Myſticis ſenſibus multa verbatim tranſcribit. Et *Lyranus* in ſua Poſtilla alia ex ſuo cerebro Myſteria comminiſcitur, eaque omnia ut ſenſum ipſiſſimum à Propheta intentum. Magna hæc profectò audacia, ſi non petulantia humani ingenii efficit, ut Myſtici hic plerique ſenſus meo guſtui minimè ſapiant.

Hieronymi & Gregorii vana myſteria.

A Lapide plurima hîc Philoſophatur de operibus & potentiâ Clericorum jure divino ſupra populum & ipſos ſummos Principes. Verùm in hoc genere *Alcaſar* palmam omnibus præripit, qui in Apoc. 3. v. 12. Prophetam per *Iehovam Shammah* civitatem Sanctam intelligere vult urbem *Romam*, ubi *Iehova* in Pontificis ſui in terris vicarii pectore habitat, & per templum ab urbe ſeparatum Prophetam indigitare vult *Romanos Monachos*, qui licet in urbe mediâ locis amœniſſimis ſua palatia habeant, ab urbe tamen & mundo per ſua ſancta vota, inſtituta, & totam vitam longè ſeparantur, imò verò *Biblianđer*, *Polanus*, & alii ex noſtris, qui ad ſenſus myſticos particulares minuratim valdè deſcendunt, ea ſæpè afferunt quæ licet in ſe veriſſima & fidei analoga, ſi quis tamen Spiritus Sancti mentem eo loci affirmet, ſuæ temeritatis cenſuram ab harum rerum peritis vix poterit evadere.

Alcaſaris myſteria ridicula.

Quarta ſententia eſt eorum qui locos hos *Ezekielis* interpretantur de temporibus Chriſtianis, ſed ſeris admodum & ultimis, quando poſt reditum Judæorum ad fidem, Eccleſiæ in terris reformatio ad ſuam ἀκμὴν perveniet. Non hîc numero Chiliaſtas neque χιλιάζοντας, ſed alios viros doctos & pios, qui Judæos ad fidem Chriſti converſos

Quarta ſententia non probatur.

in terram Chanaan reducendos arbitrantur, ut ibi Hieroſolymam reædificent, & priſcis ſuis habitationibus fruantur, ubi ritu Chriſtiano in magnâ pace & felicitate etiam mundanâ ad ſecundum Chriſti adventum Deum colant. Ad hoc propoſitum loci hi *Ezekielis*, ſi qui alii, multùm tendere videntur, quomodo autem applicent ſingulas Prophetiæ partes literaliter, aut quas earum myſticè interpretentur, me latet, nondum enim hujus ſententiæ aſſeclarum ulla in *Ezekielem* ſcripta in meas manus pervenerunt. Eſt quidem primâ facie ſententia hæc ſpecioſa, quæ multos Prophetarum locos aliàs difficiles facilè explanat, ſed præterquam quod nova ſit, alium à Proteſtantibus omnibus Interpretibus tramitem inſiſtens, metuo valdè cùm totam lucem prodiêrit, ne nimis Chiliaſtarum vitulâ arâſſe comperiatur. Utcunque, eam in præſentiâ non examinabimus, præſtolantes dum integram apertâ facie & remoto omni velo conſpiciamus.

Neque quinta. Quinta ſententia eſt eorum qui *Ezekielis* templum, urbem, & terræ diviſionem, unà cum *Ioannis* novâ Hieruſalem Apocal. 21. 22. ad Eccleſiam in cœlis triumphantem referunt, in hujus etiam ſententiæ examen nolumus hîc deſcendere, cùm proprius magis & commodior ei locus in quæſtionibus Apocalypticis remaneat.

Sexta ex aliis conflata eſt probabiliſſima. De aliorum mente diximus, noſtra (ſi Judæos excludas) ex reliquis eſt conflata. Ultima hæc *Ezekielis* viſio ad Judæos Babylone exules conſolandos à Deo miſſa, ad tempora quatuor referenda videtur. Primò, multa habet de reſtauratione templi ſecundi & populi reditu ad deſertam ſuam & deſolatam patriam. Secundò, quæ huic tempori accommodari non poſſunt ſat multa, eorum magna pars ad priora Eccleſiæ Chriſtianæ tempora ſpectant: ubi Dei populus ex Judæis & gentibus compoſitus auguſtius multò templum, & ampliora tùm in Spiritualibus tum in temporalibus à Deo dona poſſedit, quam ſeculis prioribus aſſequebatur. Tertiò, aliquam multæ viſionis partes referri videntur ad tempora Eccleſiæ in terris ultima, quando tota domus *Iacobi*, & integrum Iſraëlitarum corpus in infidelitate ac craſſis tenebris hodie ſepultum reſurget à mortuis, & unà cum gentium plenitudine fruetur iis Dei promiſſis, quæ nondum præſtita apparent. Quartò, quæ in hac viſione & aliis Prophetiis Eccleſiæ ſeu Judæorum, ſeu gentium, ſeu utriſque mixtæ in terris non conveniunt, ea ad ſupernam Hieruſalem ſecurè, & abſque periculo erroris referri poſſunt: diſtinguere autem viſionis partes, & ſuo quaſque tempori adaptare ad Interpretes loci magis ſaltem priùs quàm ad Chronologiam ſpectat, utcunque nobis in præſentiâ ad hanc operam neque otium eſt, neque animus.

QUÆSTIO IX.

An ad hanc Epocham maximarum urbium Ninives *&* Babylonis *excidium ſpectet?*

Maximarum urbium ſiniſtima ſolent eſſe fata, paucarum memini in antiquâ hiſtoriâ quæ ſub inſignibus calamitatibus ſæpè non gemuerunt; imò verò hodie in ſuis ruderibus (ſi modò ſuperſint vel rudera) pleræque ſepultæ jacent, antiquarum facilè principes *Ninive* & *Babylon*, regiæ Monarcharum Aſſyriorum & Chaldæorum ſedes, utra major inter maximos auctores controverſum. *Diodorus Siculus* ex *Cteſia* quem ſequitur *Strabo*, *Niniven* vult duodecim præterpropter milliaribus *Babylonem* ſuperare, *Ninives* enim peribolo aſcribit milliaria ſexaginta: trium ſcilicet dierum, ut habet Propheta *Ionas*, iter pedeſtre ſeu ſtadia quadringenta octoginta, *Babyloni* verò tantùm ſtadia trecenta octoginta quinque. *Nam Babylone Ninive fuerit major.* Aſt *Herodotus* Babyloni non tantùm tot ſtadia quot *Diodorus* Ninive aſſignat, ſed *Pauſanias* in ſuis Arcadicis ſeu libro ſuo octavo, Babylonem non tantùm expreſſè Ninive ſeu Nino, ſed omnibus etiam quas Sol unquam aſpexit urbibus magnitudine præfert, *Diodoro* & *Straboni* totâ fronte occurſans, qui Niniven non tantùm Babylone multò majorem affirmant, verum etiam omnium quæ unquam fuerunt aut futuræ ſunt urbium ampliſſimam prædicant. *Saliani* conciliatio tam apertas contradictiones non ſonat, diſtinguit hic inter Babylonem à *Semiramide* conditam & eandem à *Nebuchadnezare* amplificatam, quaſi illa *Ninive* fuiſſet minor, hæc major. Sed inanis eſt hæc diſtinctio, cùm auctores de utraque urbe loquantur in ſuo flore. Præterea aſſcitur gratis ſine omni teſte Babylonis veteri peribolo à *Nebuchadnezare* quicquam adjectum nedum centum tota ſtadia.

Non quidem placet *Diodori* hyperbole, quòd *Ninus* extruxerit *Ninus* eâ amplitudine ut non tantùm omnes priores ſed futuras etiam omnes civitates ſuperaret. Nam præterquam quòd de futuris contingentibus veritas non ſit determinata, & τὸ μέλλον omni mortali ſit ἄδηλον, certè ſi vera ſint quæ de Tartariæ *Cambalou* ſeu Chinæ *Quinſey* aut Ægypti *Cairo* recentiores memorant, hæ *Niniven* multùm excedere videntur. Utcunque, extra controverſiam eſt maximas illas Aſſyriæ urbes *Niniven* & *Babylonem* inimicitiis & crudelitate in veterem Dei populum omnes quas Sol unquam aſpexit urbes anteceſſiſſe. Nam *Ninive* de-

cem tribus ſi non delevit, in eam tamen captivitatem abduxit, unde ad hodiernum diem non redierunt, imò ubi terrarum hodie extent nt aliquando reducantur, ab omni neſcitor mortali: *Babylon* autem reliquas duas tribus ſeptuaginta annorum duriſſimâ ſervitute & captivitate preſſit, templo Hieroſolymis, omnibuſque Judææ urbibus exciſis funditus.

Deus calamitatum ſui populi certiſſimus & ſeveriſſimus vindex utrique huic urbi ob oppreſſum Iſraëlem, ultimum exitium plenumque exterminium variorum Prophetarum ore denunciavit. Quæſtio eſt de tempore quo *Iſaia*, *Ieremia*, *Nahumi*, *Zephania*, & aliorum minas in *Babylonem* & *Niniven* Dominus eſt exequutus.

Ninive ab Arbace primò deſtructa. Ut ἐναντιοφανεῖς Doctorum tam recentium quàm antiquorum ſententias conciliemus, diſtinguamus oporret iſtarum urbium ruinæ diverſos gradus, qui temporibus diverſis contigerunt. Quòd ad *Niniven* ter eam minimùm oportuit everti. Primò, poſt Prophetam *Ionam* paucis annis, nam *Sardanapalus* ultimus Mooarcharum Aſſyriorum (quem, ſi *Saliano* aut etiam *Hieronymo* credimus, *Ionas* ad pœnitentiam adduxit) in priora peccata relabens ab *Arbace Medo* Regno ſimul & vitâ exutus eſt, Niniveque Imperii ſedes capta & ſolo æquata, antequam io Dei populum quicquam peccaſſet, quotcunque tandem in ipſum Deum fuerint ejus flagitia. Quod autem extincto *Sardanapalo* Ninive deſtructa ſit, & cives ejus in pagos vicinos ab *Arbace* diſperſi, narrat diſtinctè *Diodorus Siculus* libro ſuo ſecundo poſt medium.

Secundò à Cyaxare. Poſt hanc ruinam neceſſe eſt reædificatam *Niniven*, nam teſtantur ſacræ literæ, quinque minimùm ſi non Monarchas, certe Reges Aſſyriæ ibi dominatos, nimirum *Phul*, *Tiglath-peleſer*, *Salmanaſſar*, *Senacherib*, & *Aſſerhaddon*, hi *Sardanapali* exitio nihil deterriti ad ſummam in Iſraëlitas crudelitatem nihil fecerunt reliqui, donec primo decem tribus extirpâſſent, & in Mediæ montibus cum gentibus commiſcuiſſent. Aliquas enim Mediæ partes novi hi Aſſyriæ Reges occupârunt, quod ipſis non fuit difficile, quandoquidem ab *Arbace* Medis libertate conceſſâ per multos annos populus iſte per Democratiam diſſolutus ſua totari non valeret, donec *Dejoces* Regni gubernamen In volentes reſumpſiſſet: hujus nepos *Cyaxares* primus, *Aſtyagis*, pater (ut habet *Herodot.* lib. 1.) Aſſyrium Regnum delevit, & *Niniven* evertit ſecundò; propè ea tempora quibus à *Byzante* Megarenſi prima Byzantii ſeu Conſtantinopoleos fundamenta jacta ſunt. *Cyaxarem* hunc multi *Nebuchadnezaris* faciunt ſocerum, qui generum, *Nitocridis* ſuæ filiæ *Aſtyagis* ſororis maritum, in obſidione & ſecundâ *Ninives* everſiooe habuit ſocium.

Herodotus, quem ſolum ex antiquis ſecundi hujus Ninivitani excidii teſtem invenio, uno tantùm verbo rem tam illuſtrem tranſilit, alibi ſe eam hiſtoriam plenè traditurum ſpondens; quod tamen promiſſum vel nunquam præſtitit, vel hoc ejus ſcriptum inter alia plurima proborum auctorum deperditum eſt.

Multùm hic ſudat tam *Petavius* quàm *Salianus*, ut *Tobiæ* anachroniſticas fabulas cum verâ Chronologiâ concilient: novumque *Nebuchadnezarem* coguntur fingere, qui poſt *Aſſerhaddonem* Medis imperaverit, & tamen idem ſit cum *Dejoce* Medo Ecbatanorum extructore. Putida hæc ſunt tam in tempora quàm io hiſtoriam peccata. *Nulla tertia ſub Ninives deſtructio.*

Præter duo iſta *Ninives* excidia, adhuc tertium, ſi non plura videntur ſtatuenda. Nam diu poſt *Nebuchadnezaris* tempora *Niniven* adhuc ſuperfuiſſe confidenter affirmat, non tantùm ex *Ammiano Marcellino Ioſephus Scaliger* animadverſionibus in *Euſebium* pag. 74. ſed etiam doctiſſimus *Bochartus* ex *Philoſtrato* in ſuo Phaleg. lib. 4. cap. 20. hæc ſi vera ſint, neceſſe eſt ſtatuamus *Niniven* tertiò conditam ut tertiò excindatur: exciſam enim bodie nemo dubitat. Certè *Purchaſius* in ſuâ peregrinatione lib. 1. cap. 14. oculatos inducit teſtes *Sherlaum* & *Cartvvrightum*, qui *Ninives* rudera ſpectârunt, & diu antè *Aitonus Armonus* apud *Bochartum*, ubi ſupra urbem hanc omnino deſolatam vidiſſe ſe teſtatur. Sed à quo tertiùm vel condita vel vaſtata ſit, altum invenio apud omnes auctores, qui quidem in meas manus venerunt, ſilentium: ita ut valdè ſuſpicer tam *Bochartum* quam *Scaligerum* falli, dum temporibus etiam Romanis *Niniven* florere volunt. Certè *Lucianus* nimis quam doctus & in ejuſmodi ſatis certus auctor, qui *Ammiano* & *Philoſtrato* æqualis, ſi non major tam ætate quàm auctoritate, in ſuo Dialogo Επισκοποῦντες affirmat *Niniven* ſuis diebus uſque adeo devaſtatam, ut nullam ejus veſtigium remaneret, nec obi terrarum aliquando fuiſſet, ulli mortali tum certò cognitum. *Cyrillus* etiam *Alexandrinus* iis temporibus proximus in *Nahumi* ſecundum idem affirmat, quin & *Pauſanias* lib. 8. eandem profitetur ſententiam.

Quod autem ad *Ammianum* attinet, tria quæ ex eo citat *Bochartus* teſtimonia, rectè videntur exponi poſſe de *Ninive* quæ olim fuit maxima & celeberrima civitatum potiùs, quàm de ullâ urbe diebus *Iulians* exiſtente, de quâ poſt everſam Monarchiam Chaldæorum, non tantùm apud omnes ſeſilentium eſt, ſed etiam teſtimonia multa in oppoſitum afferri poſſunt.

Phi-

Philoſtratus plenus mendaciorum. *Philoſtratus* autem nullius eſt apud ullum cordatum auctoritatis, ita ut miter doctiſſimum *Bochartum* tantâ cum fiduciâ ex hoc mendaciſſimo ſcriptore quamcunque concluſionem probare velle. In *Philoſtrato Baronius*, & ex eo *Poſſevinus* errores varios notat, ſed multò plura craſſiſſima mendacia attentus quilibet lector obſervaverit. Fateor *Apollonium Tyaneum*, de cujus vitâ totus *Philoſtrati* liber eſt, inſignem fuiſſe Magum, utpote qui non diſſimulet frequentia ſua cum Dæmonibus colloquia, attamen plurima quæ de eo narrat quaſi ab ejus ſervo *Damide* ſibi tradita *Philoſtratus*, ejuſdem planè commatis ſunt cum fabulis magicis *Apuleii* in ſuo aureo aſino. Quaſi verò non tantùm ipſe *Apollonius* abſque omni ſtudio aut labore omnes calluiſſet linguas, etiam avium & piſcium ac brutorum, futuraque omnis generis certiſſimè cognoviſſet, ſed tota etiam apud ludos gens *Brachmannis* vicina ſciviſſet exactè Græcè, & ſibi ignotiſſimos ut primum viſos ſuis nominibus potuiſſet compellare. Credamus ſine ſcrupulo *Apollonium*, & turbam etiam Magorum Indicorum reſuſcitâſſe pro ſuo libitu multos verè mortuos, nedum lethales quoſque morbos ſanâſſe, concedamus etiam à Dæmonibus parata fercula homunculos æneos ſuis manibus appoſuiſſe menſæ, & iſtos homuneiones æreos vel ferreos totum cœnarum miniſterium peregiſſe; attamen vel *Damidi* vel *Philoſtrato* non magis credo veteris *Ninives* temporibus *Domitiani* exiſtentiam, quàm in Caneaſi rupibus piper & aromata in magnâ copiâ gigni, ac ſimiarum opera ad valles deferri, imò Caucaſum ad Maris Perſici oram pertingere, quin & in Arabiâ & Perſiâ populos eſſe, qui, licet Tropico Cancri non appropinquent, nequeant tamen polum, imò ne ipſam quidem Urſam conſpicere. Tam turpiter in Aſtronomicis, Geographicis & Phyſicis, nedum Theologicis ceſpitanti *Philoſtrato* quis in quoquam fidem adhibeat? Certè *Lemnius* hic (ſi quis alius inter veteres) nequiſſimus eſt ſcriptor, erroribus omnigenis ſcatens.

Bocharti error. *Bocharti* commentum de duplici *Ninive*, utrâque *Philoſtrati* & *Ammiani* diebus exiſtente, videtur minimè fundatum. Certè qui veterem ullam *Ninum* Euphrati ad Occidentem ponat præter mendaciſſimum *Philoſtratum*, nullius memini. *Benjamin Tudedenſis* Itinerarii ſui pag. 62. memorat ad Occidentalem Tigris ripam vidiſſe ſe ſplendidiſſimam civitatem Moſſalen, è cujus regione trans fluvium ad Orientem pagi erant & vici, ubi priſca *Ninus* olim ſita putabatur. Non p'ura de *Ninive*. Ejus tertius vel ortus vel interitus nullus apparet: primus autem & ſecundus ad ultima Monarchiæ primæ; nequaquam ad Epocham jam præ manibus aut ullam poſteriorem ſpectant.

Babylon varias rerum vices experta eſt, donec tandem ad oculum Prophetarum omnes miuæ, & quicquid ipſi Deus olim interminatus eſt, totum incubuit. Babylonicæ captivitatis principium fuit, cùm *Darius Medus* ſeu *Cyaxares* ſecundus, *Cyri* avunculus & ſocer, urbem vi & arte cepit: Tum quidem *Baltaſſare* cæſo, & cæteris peractis, quæ à furioſo milite in urbe, poſt longam & difficilem obſidionem armis ſubacta, patrari ſolent ſpoliata, & ab omni Imperio in æternum dejecta eſt. Omnia tamen in mœnibus, & ædificiis publicis ac privatis manſerunt integra, donec ſub *Dario Hyſtaſpide* ſecundus Babylonicæ miſeriæ gradus contigit. *Prima Babylonis calamitas.*

Tum enim temporis dum *Zorobabel Darii* favore Hieroſolymam & templum inſtaurabat, Babylon ex irâ divinâ ejuſdem *Darii* magnum & meritum furorem ſenſit. Rebelles enim contra *Darium* Babylonii, urbem ſuam ad obſidionem communiverunt, & ut duraret annona maximam mulierum ſuarum partem ſuis ipſi manibus ſtrangulârunt. Quantus ſtrangulatarum numerus fuerit conjecturam facere eſt ex eo, quòd urbe captâ ad ſupplendam ſobolem non pauciores quinquaginta millibus ex viciniâ adductas *Darius* Babyloniis comparare neceſſe habuerit. In octodecim menſium obſidione multa paſſi ſunt mala, ſed cùm *Zopyri* artibus urbs in *Darii* manus perveniſſet, præter cædem & rapinam irrumpentium vi militum, *Darius* mœnia *Semiramidis* ex mundi miraculis unum, omuia æquavit ſolo, & civitatem in villam redegit. Iſta *Herodotus* & *Diodorus Siculus* fusè. *Secunda.*

Neque verò hic ſtetit Dei in Babylonem ira, *Darii* filius *Xerxes Beli* templum non tantùm pretioſiſſimis ornamentis ſpoliavit, ſed turrim illam maximam *Nimrodi* opus vel eo etiam antiquius in linguarum confuſione ſtrui cœptum deſtruxit. *Alexander* enim *Magnus* dum Babylonem veniſſet, ingens hoc ædificium ſuis ruderibus ſepultum invenit.

Poſt *Xerxem* in Monarchiâ Perſarum *Babylon* de priſtino ſuo ſplendore multum recuperavit, ita ut initio Imperii Macedonum deſcribatur à *Curtio* lib. 5. urbs multò florentiſſima, licet ab eo quod aliquando fuit tertiam aut quartam partem minuta, ex trecentis enim aut quadringentis octoginta antiquis ſuis ſtadiis non plura tunc quam nonaginta ædificabantur, cætera in hortos, agros, & vivaria ceſſerant. *Tertia.*

Quæ habet *Ariſtoteles* Polit. 2. 3. de *Babylonis* magnitudine ter Peloponneſo quaſi æquali, vera nunquam fuerunt, nedum tempore *Alexandri*.

Quarta ab ortu Seleuciæ.

Sed quartum & maximè lethale vulnus *Babylonis* inflictum eſt à *Seleuco Nicanore* divinâ manu ejus cor dirigente ad totalem dominatricis illius civitatis ruinam, abſque armis aut ullâ vi. Statuerat *Alexander* Babyloni priſtinam totam amplitudinem reſtituiſſe: ſumma loci amœnitas & vicinorum camporum ſertilitas (ubi vinum erat ipſum vetus nectar, & frumentum incremento aliquando trecenteſimo & vulgo ducenteſimo) ejus animo ita allubeſcebat, ut hìc Imperii regiam ſedem ponere meditaretur. Verùm hujus & cæterorum ejus conſiliorum infinitum ſtamen abrupit mors. *Seleucus* qui magni ſui Regni Metropolin diu Babylone fixit, tandem tamen ad Tigris & Euphratis confluentiam, nonageſimo ſaltem quadrageſimo lapide Babyloni ad meridiem conſtruxit Seleuciam, & in eâ ſexcenties mille civium magnâ parte Babyloniorum, coloniam collocavit.

Hoc pacto, ut rectè notat *Plinius* lib. 6. & *Strabo* 16. ac *Pauſanias* 1. Babylon mox deſolata & in ſolitudinem redacta fuit. Certè *Hieronymus* in Iſaiæ 13. v. 14. ab oculato teſte Monacho Perſa didiciſſe ſe affirmat, Babylonem nihil habuiſſe præter antiquos muros, qui pro ſepto erant, quo concludebantur Regis Parthorum leones, apri, & aliæ ſetæ regio venatui deſtinatæ. *Theodoretus* paulò poſt *Hieronymum*, in *Iſaiam* & *Ieremiam* teſtatur ſuis diebus omnino deſolatam urbem, nullum habuiſſe Aſſyrium, nullum Chaldæum incolam, nec alios quàm paucos Judæos. Summam etiam Babylonis vaſtitatem *Lucianus* in ſuo Charonte quaſi prædicendo prædicat.

Iſta cùm citet doctiſſimus *Bochartus*, neſcio qui fiat ut tam amplam fidem adhibeat fabuloſiſſimo & mendaciſſimo Mago *Philoſtrato Lemnio*, qui fingit *Domitiani* diebus Regem Parthorum *Vardanem* Babylone glorioſiſſima etiam tum civitate, aulam ſuam habuiſſe. Certè eo ſeculo Parthorum Reges (ut priùs Græci, dum eſſent in Auſtro) hiemebant Seleuciæ, & ut urbis hujus maximo tumultu liberarentur, in vicino pago Cteſiphonte; qui mox ipſe in magnam & munitiſſimam civitatem evaſit.

Sed de *Babylone* apud iſtorum temporum veros hiſtoricos, nullum eſt, quantum memini, verbum. Videat qui volet *Trajani*, *Gordiani*, *Iuliani*, & aliorum Imperatorum contra Parthos expeditiones, infrequenti *Niſibis*, *Cteſiphontis*, & aliarum multarum Aſſyriæ urbium mentione, altum ſemper inveniet de Babylone ſilentium.

Turcarum Bagdat non eſt antiqua Babylon.

Verum eſt in hiſtoriâ Saracenica & recentiori Turcarum frequenter memorari *Calipham* & *Paſſam* Babylonicum, ſed Babylon hæc omnino eſt à aliâ à noſtrâ veteri; ſcilicet Saracenica *Bagdat* quam *Almanſor* ad Tigrim in veſtigiis Seleuciæ tertio à Cteſiphonte lapide extruxit. Ut Seleucia olim, eo quòd civibus Babylonis, à *Nicanore* impleta eſſet, Babylonis nomine apud multos inſignita eſt, ita & *Bagdat* poſteà in Seleuciæ ruderibus ſeu Babylonis etiam nomen à permultis accepit. Sed quod *Bagdat* à veteri Babylone tantum diſtet quantum olim ab eâ aberat Seleucia, nimirum milliaribus minimùm triginta octo, à nemine doctorum jam dubitatur.

Bagdat licet hodie Turcici Baſſæ ſedes; multùm tamen abeſt ab eo ſplendore, in quo ante annos quingentos *Benjamin Tuledenſis* eam ſpectavit, ſæpe enim poſt hæc tempora quà à Tartaris, quà à Saracenis ipſis, quà à Chriſtianis, quà à Turcis, malè mulctata & propemodum vaſtata fuit. Nihilominus magna adhuc civitas eſt, & totius Aſſyriæ quaſi caput. Vetus autem *Babylon* à multis jam ſeculis omninò fuit ſepulta.

Babylonis ruinæ hodie non extant.

Quod de ejus muris à *Pauſaniâ*, *Hieronymo*, & aliis cæteræ urbi ſuperſtitionibus habetur, id de novis, incertum à quo extructis, intelligendum: veteres enim lateres *Semiramidis* bitumine compactos *Darius Hyſtaſpis* evertit, & quòd de turri ac ſepulchro *Beli* aliquot auctores memorant, verum eſſe non poteſt, dato à *Xerxe* deſtructam illam turrim unà cum cæteris Chaldæorum templis. Certè dum hac tranſiret *Benjamin*, teſtatur vidiſſe ſe Babylonis rudera, ita ut nihil in iis exiſteret præter reliquias palatii *Nebuchadnezaris*, eaſque mutatas in tot ſerpentum ac ſævarum beſtiarum latibula, ut nemo auderet appropinquare. Poſt hunc *Texeira* ab Indiâ in Hiſpaniam iter faciens memorat (citante *Bocharto*) Babylonis illa veſtigia deſolata magis quàm quævis totius Meſopotamiæ loca. Affirmat certè *Theodoretus* Euphratem ſuis diebus priſtinum locum deſeruiſſe, & tenuem tantùm ex eo rivulum Babylonis rudera permeâſſe.

Quid ſibi velit *Ioſephus Scaliger* animadverſionibus in *Euſebium* pag. 318. dum aſſerit veterem illam Babylonem permanſiſſe à multis Judæorum millibus habitatam ultra annum Chriſti milleſimum centeſimum; ipſe non declarat, nec ego ullâ valeo conjecturâ aſſequi.

Utcunque ex ſuperioribus ad quæſtionem reſpondeo, excidii Babylonici primum, ſecundum, & tertium gradum ſub *Cyro*, *Dario*, & *Xerxe*, non ad noſtram Epocham, ſed prima Imperii Perſici tempora ſpectare: quartum in tranſlatione populi Babylonici à *Nicanore* Seleuciam initio noſtræ Epochæ contigiſſe: quintum autem & ultimum iſtius ruinæ gradum ad nullum

certum

certum tempus referri poſſe, paulatim enim ab urbe ad ſolos muros cum paucis ædibus, & inde ad meras ruinas & rudera ſine ullâ vi humanâ ſolâ manu Dei evaneſcebat: donec ab aliquot ſeculis ipſa rudera à tranſeuntibus vix poſſint certò cognoſci. Quæ enim à quibuſdam apud *Purchaſium* lib. 1. cap. 20. itinerantibus pro priſcæ Babylonis ruderibus accepta ſunt, ipſa eſſe non poſſunt, cùm in mediâ propè viâ intèr Bagdatam ſeu Seleuciam & priſcam Babylonem jaceant.

CAPUT XIII.

De rebus geſtis Epocha nobis ſeptima, ab Ariſtobuli *in Iudæa Regnum ad natum* Chriſtum.

Seculum ante Chriſtum fuit miſerrimum.

QUemadmodum clariſſimum mane antecedere ſolent craſſiſſimæ tenebræ, & appropinquante crepuſculo obſcuritas pleſumque quàm in mediâ nocte major, ita ſeculum clariſſimam & feliciſſimam Domini nativitatem præcedens, priorum quodvis caligine cùm iniquitatum tum calamitatum ſuperabat.

Apud Judæos Dei populum res ſic ſeſe cum temporis habebant. *Ariſtobulo* ex Aſſamonæis primo Rege defuncto, Regni ſui anno ipſo primo, ejus uxor *Salome* (cui eo-cognomen *Alexandra*) ſagaciſſima mulier mariti tres ſuperſtites fratres vinculis, in quæ ab *Ariſtobulo* conjecti erant, ſolvit, eorumque natu maximum *Iannæum* (cognomento *Alexandrum*) in Regis cùm throno tum toro collocavit.

Alexander multas Syriæ civitates Regnô Iudæorum adjungit.

Primum *Alexandri* facinus fuit fratrem alterum ſibi inſidiantem obtruncare: alterum ingenii placidioris in vitâ quietâ degere permiſit, ipſe omni vitâ perpetuâ Pontificatûs curâ tactus, in Regno totus nihil aliud quàm Martem armáque ſpirabat. Subactis vicinis Syriæ multis oppidis, Ptolemaidem obſedit: obſeſſi *Ptolemæum Lathyrum* ex Cyprò, ubi *Cleopatra* matris vim fraudeſque vitans agebat, vocabant in opem. Dum in viam ſe dediſſet *Ptolemæus* cum magnis copiis, metuentes obſeſſi ne pejus à *Ptolemæo* quàm ab *Alexandro* mulctarentur, auxilium ejus repudiârunt, nec intra urbem voluerunt admittere. *Alexander* metu *Ptolemæi* ſolverat obſidionem, ſed animadverſâ Ptolemaidenſium à *Ptolemæo* alienatione, cum eo amicitiæ fœdus init, pactus quadraginta talenta; ut arma ſecum contra inimicos ſociaret. Intereà cum *Ptolemæi* matre & infeſtiſſimâ inimicâ clam agebat, ut illa copias maturaret, quibus filium depelleret Syriâ in priores Cypri latebras, *Ptolemæus* compertâ *Alexandri* fraude, contra eum arma convertit. Urbes aliquot Galilææ vi capit, multa Judæorum millia delet, & verſus Hieroſolymam moventi occurrit *Alexander* ad Jordanem cum millibus octoginta: ſtrenuè pugnatur utrimque, tandem tamen fugit *Alexander* cæſis ex ſuis triginta, ſecundum alios, quinquaginta millibus. *Ptolemæus* quoſcunque in vicis nactus eſt, membratim diſſectos coqui & aſſari præcepit, quò majorem Judæis ſuorum metum quaſi ἀνθρωποφάγων incuteret. Vaſtanti Judæam *Ptolemæo* ſupervenit cum magnis copiis ab Ægypto *Cleopatra*, filius ut vacuam occuparet Ægyptum eò properavit: ſed omnia tam probè munita reliquerat *Cleopatra*, ut neceſſe habuerit *Ptolemæus* ad priſtinum ſuum exilium in Cypro retrocedere.

Alexander Phariſæorum perſecutor.

Alexander Ægyptiorum metu liber ad vicinas Syriæ urbes occupandas ſe convertit: Gazam proditione captam tantum non funditus evertit. Dum ob victorias lætus in templo ſacrificaret, à Phariſæorum quibuſdam contumeliâ affectus euſque excanduit, ut eorum ſex millia necaret, propterea homines populares & factioſi per totam vitam multas ipſi turbas concitârunt, in quibus non pauciores quinquaginta millibus Judæorum perierunt: aliquando enim Arabas, aliquando Syros, aliquando alios vocabant rebelles ad ſibi ſuppetias ferendum; cum quibus Rex vario Marte certavit, donec tandem victor maximè ſeditioſorum octingentos Hieroſolymam adductos crucibus affixit, uxoribus ac liberis in ipſorum conſpectu priùs contrucidatis, dum ipſe interim cum ſuis amicis & concubinis ſplendidè convivaretur.

Alexandra Phariſæis adulari cogitur.

Ex temulentiâ tandem quartanâ febri correptus, poſt triennem morbum à bello nunquam ceſſans interiit. Ante mortem lugenti uxori ſuaſit, ut corpus ſuum Phariſæis ex ipſorum arbitrio dilaniandum traderet, fide datâ ipſam non niſi ex eorum arbitrio Regnum in poſterum adminiſtraturam. Hac arte conciliati Phariſæi omnia bona ad populum de *Alexandro* & *Alexandrâ* concionantes, illi ſplendidiſſimam ſepulturam, & huic ſecurum pacatumque Regnum præſtiterunt. *Alexandro* duo fuerunt filii *Hircanus*, placidi & ignavi vir ingenii, *Ariſtobulus*, ambirioſi ac turbidi. *Alexandra* Phariſæorum favore ſuffulta ex mariti Teſtamento habenas Regni ſibi ſoli retinuit, Pontificatu *Hircano*, & opibus privaris *Ariſtobulo* conceſſis. Si per Phariſæorum avaritiam & ſuperbiam licuiſſet, prudens mulier generem in pace & opulentiâ continuiſſet: alebat enim magnam manum extraneorum militum, qui per præſidia diſperſi ſeditioſorum motus ut primum ortos ſupprimebant.

Vicinos eâ tempeſtate inteſtina bella

adeo

adeo vexabant, ut nihil ab illis Judæi metuerent. Ægyptus bello civili permultis annis flagrabat, *Cleopatra* quoad vixit filium *Lathyrum* in Cypro exulem Ægypto abarcebat, & copiis in primis Judæorum regiam ſuam tyrannidem tutabatur.

Seleucidæ bellis inteſtinis ſe perdunt.

Seleucidæ mutuis armis ita ſe conterebant, ut vicinis majorem miſericordiam quàm metum moverent. *Gryphus* & *Cyzicenus* fratres ad mortem uſque ſe invicem infeſtabant. *Grypho Heracleonis* inſidiis ſublato, ejus filius *Seleucus* patruum *Cyzicenum* in prælio necavit. *Cyziceni* filius fuit *Antiochus Pius*, ſic ab impietate dictus, quòd uxorem duxiſſet *Selenen*, quæ prius *Cyziceno* patri, quin & *Grypho* fratri nupſerat, uti primùm ſuo ipſius fratri *Lathyro*, à quo per matrem *Cleopatram* abſtracta & *Grypho* miſſa eſt. De hac *Pius Antiochum Aſiaticum* ſuſtulit, qui, dum regnaret in Syriâ *Tygranes*, delituit in Aſiâ Minori. *Pius* hic *Seleucum* bello victum in Ciliciam expulit, ubi *Seleucus* dum ad reparandum exercitum ſeverè nimis Mopſueſtiæ pecunias exigeret, ab inſurgente plebe cum ſuis in theatro vivus eſt concrematus.

Grypho præter *Seleucum* quatuor alii erant filii, quorum hiſtoria ſatis eſt tam ab antiquis quàm recentioribus intricata, ſic nos eam paucis expedire conamur. Secundus natorum *Gryphi* cum *Pio* dimicans, exercitum ſimul & vitam amiſit. Poſt eum tertius *Philippus* aliquam Syriæ partem occupavit, etiam quartus *Demetrius Lathyri* milite munitus coronam induit. Uterque frater contra *Pium* belligeravit, donec *Pius* Galadenorum Reginam contra Parthos adjuvans in prælio cecidiſſet; *Aſiaticum* puſilli animi juvenem poſt ſe relinquens.

Demetrius à Phariſæorum factione in Judæam vocatus, magno prælio *Alexandrum* debellavit: ſed cùm interim frater *Philippus* ejus ditionem invaſiſſet, *Demetrius*, ut ſua tueretur, Judæam reliquit, & *Philippum* Berææ obſedit. Verum mox *Philippo* in auxilium advolârunt tam Arabes quàm Parthi, qui captum *Demetrium* in Parthiam miſerunt: ubi à *Mithridate* ſatis honorificè habitus, mox morbo interiit. Exinde in Syriâ ex *Seleucidis* regnavit ſolus *Philippus*, illi ſtatim abripuit ex fratribus quintus *Antiochus Dionyſius* Damaſcum, etſi non magno ſuo commodo: nam paulò pòſt contrà Arabas fortiter pugnans *Dionyſius* necatus eſt, & *Aretas* Arabs ditionem ejus Damaſcenam ſuo Regno adjecit.

Tygranes occupat Syriam.

Syri continuis *Seleucidarum* inter ſe contentionibus afflicti, de novo patrono cogitantes *Tygranem* Armeniæ, qui Parthis Meſopotamiam & alia Regna abſtulerat, ut ſibi imperaret advocârunt. Adeſt *Tygranes* cum quingentorum millium exercitu, de *Philippo* quid factum nihil ultra legimus, videtur morbo metuque expirâſſe. In eo periit tota *Seleuci* ſtirps, ſaltem *Seleucidarum* Regnum interiit. *Aſiaticus* quidem *Pii* filius cum in angelo Ciliciæ toto Regni *Tygranis* octodecennio latuiſſet, & *Lucullus* tandem *Tigranis* potentiam fregiſſet, ad Syriæ Regnum aſpiravit, ſed *Pompejus* omnes ejus ſpes accidit, Syriâ in populi Romani provinciam redactâ.

Ptolemæi Lagidæ ſe invicem perdunt.

Ex *Alexandri* ducum proſapiâ & Regno Græciæ nihil tum aliud remanebat præter *Lagidas*, in Ægypto ad pauciſſimos redactos. *Ptolemæus Phyſcon Cleopatræ* uxori Ægyptum reliquit tradendam cui vellet ex filiis. Studebat illa *Alexandro* natu minori, ſed à populo coacta eſt *Lathyrum* natu majorem Regem dicere; hunc tamen mox expulit in Cyprum, & permultis annis ipſa regnavit ſola, donec tandem Regium nomen *Alexandro* tribuit. Hic animadverſo matris etiam ſui faſtidio & contra ſe inſidiis, eam prævenit, venenumque quod ſibi illa paraverat, ipſam bibere coëgit. Populus Alexandrinus præclarum, ut vult *Salianus*, ſed ut alii, impium facinus reſciſcens, *Alexandrum* Ægypto expulit, & *Lathyrum* ex Cypro ad ſolium revocavit. *Alexander* Tyri expiravit, theſauros ſuos cum filio etiam *Alexandro* Romanorum curæ relinquens.

Lathyrus non diu ſupervixit, eo mortuo *Sylla* & Romanorum favore ſublevatus *Alexander Alexandri* filius Ægypti Regnum occupavit, ſed tyrannicè ſe gerens ab Alexandrino populo diebus novemdecim ab initio Regno necatus eſt. Poſt hunc *Lathyri* filius, ſecundum aliquos nothus, cognomento *Auletes*, Regnum poſſedit: in cujus filio *Dionyſio*, filiaque *Cleopatrâ* (de quibus pòſt) *Lagidarum* Græcorumque omnium Principum genus evanuit. *Lathyri* & *Alexandri* frater nothus *Cyrenes* Regnum tenuit, hoc ille moriens Romanis Teſtamento reliquit, quod hi in Provinciam redegerunt.

Ariſtobulus contra matrem & Phariſæos rebellat.

Sed revertamur in Judæam. *Alexandra* vicinorum metu libera mercenario milite & Phariſæorum favore populum in altâ pace per novennium continuit, ſed diutiùs Phariſæorum crudeliſſima dominatio tolerari non potuit. Dum ipſis Regina permitteret omnia, illi inimicos ſuos, quibus *Alexander* Rex inprimis favebat, unum poſt alterum neci dedebant; cumque nullus modus, nullus finis eſſet cædium, tandem conſpiratione factâ ſuperſtites *Alexandri* amici Reginam magno numero circumſiſtunt, de Phariſæorum crudelitate conqueruntur, & quò ab ipſorum manibus ſecuri in poſterum viverent, in propinquas arces ſecedendi poteſtatem poſtu-

lant;

lant; abſtinere polliciti ab omni publico munere. Hoc impetrato *Ariſtobulus* ad eos dilabitur, & quàm potuit celerrimè exercitum parat, Phariſæi tempeſtatem præſentientes à Regina jam moribunda totius Regni vires ac opes accipiunt, quibus ſub *Hircani* Pontificis nomine *Ariſtobulo* occurrunt. Concurſu facto *Ariſtobulus* victor Regnum ſimul & Pontificatum adipiſcitur, perſuadetque *Hircano* fratri ut in pace privatus ageret.

Antipater Hircanum contra Ariſtobulum inſtigat.

Hoc quidem ille lubenter ad vitæ finem præſtitiſſet, ſed *Antipater Idumæus Herodis Aſcalonitæ* filius qui à puero captivus Aſcalone abreptus ab Idumæis, ad magnas opes inter eos pervenit, & ab *Alexandro* Rege toti Idumææ præfectus fuit: magnæ vir hic ambitionis & audaciæ ab *Ariſtobulo* ſibi metuens, *Hircano* aſſiduè inſuſurrabat ut vitæ ſuæ caveret, cui procul dubio *Ariſtobulus* inſidiaretur: populique primoribus in aurem occinebat, iniquiſſimum quod *Ariſtobulus* fratrem ſuum majorem tam de Pontificatu quàm Regno dejeciſſet: nec iſta deſtitit ſuggerere, donec *Hircanum* induxiſſet ad *Aretam* Arabem Hieroſolymis noctu ſecum aufugere. *Aretas* ab *Antipatro* perſuaſus quò *Hircanum* reduceret in Regnum, quinquaginta militum millia in Judæam ducit: *Ariſtobulus* cum quantis potuit copiis occurrens victus eſt, & Hieroſolymam fugit.

Pompejus Ariſtobulum in vinculis Romam mittit.

Intereà *Pompejus Tygranem* in Armenia perſequebatur, miſſo in Syriam *Scauro* legato, qui Damaſci Syros in fidem populi Romani ſe dedentes acciperet. Ad *Scaurum* tam *Hircanus* quàm *Ariſtobulus* mittunt, qui donis ad ſe Romanos allicerent. *Scaurus Ariſtobulum* quadraginta talenta paciſcentem *Hircano* præferens, *Aretæ* mandavit in Arabiam reditum, ut *Ariſtobulus* regnaret in pace. *Ariſtobulus* reſtitutus poſt digreſſum *Scauri Aretam* & *Antipatrum* novo prælio ſuperavit. Ut verò *Pompejus* ipſe Damaſcum venit, *Antipater* tantâ arte & diligentia *Hircani* cauſam egit, ut *Pompejus Ariſtobulum* comprehenſum Romam miſerit, & *Hircano* Pontificatum cum aliquali principatu, ſed nequaquam Regio diademate conceſſerit.

Romani horrendâ crudelitate orbem vexârunt.

Locus hic requirit ut de rebus Romanorum aliqua carptim delibemus. Romani poſtquam Macedoniæ Reges extirpâſſent, & *Seleucidas* ita fregiſſent, ut nullus ab illis ultra metus eſſet, immanem ſuam ſuperbiam, avaritiam & crudelitatem diu tectam, rejecto omni pudoris velo, orbi propalârunt. Non tantùm Macedoniam ſed & cæteram totam Græciam, cui diu adblandiebantur, in Provincias redegerunt. Achæorum Rempublicam nihil peccantem diſſolverunt, & civitates ſocietatem ultra colere vetuerunt: Corinthum libertatis antiquæ tenaciorem in cineres converterunt, pleriſque civibus ferro necatis, & ſuperſtitibus cum uxoribus & liberis ſub haſtâ venditis: ut horrendo hoc ſeveritatis exemplo cætera Græcia conterrita, ſub Romano jugo ut libet duro preſſa, non ampliùs hiſceret.

Græciam totam ſub jugum miſerunt.

Eodem anno par injuſtiſſimæ crudelitatis exemplum in Carthaginem ediderunt. *Maſiniſſam* Numidiæ Regem ob navatam *Scipioni* in ſecundo bello Punico operam multis Carthaginenſium ſpoliis ditârunt; Hic non contentus Regni ſui latiſundia dilataſſe acceſſione magni Pœnorum territorii, ſibi à Romanis donati, voluit inſuper, quod Pœnis ex pacto cum Romanis ſupererat, de die in diem ipſis abripere. Cùm nullus à *Maſiniſſâ* injuriarum eſſet finis, poſt multas Romanis querelas ſine fructu delatas, tandem arma contra *Maſiniſſam* ſumpſerunt. Habebat tum *Maſiniſſa* annos ſupra nonaginta, & tamen more Numidarum militiæ labores quotidie ferebat in equo abſque ephippio. Carthaginenſes, etſi non ad priſtinas, tamen ad magnas vires tum redierant. Romani variis eo tempore in Hiſpania, Gallia, & Italia bellis diſtracti, legatos in Africam miſerunt, qui *Maſiniſſam* ſi victum viderent cum Carthaginenſibus reconciliarent, ſin victorem, contra Carthaginem arma ſumerent quaſi fœdifragam, quòd bellum contra illos, ſe inconſultis, moviſſent. *Maſiniſſam* quidem invenerunt legati Carthaginenſibus multo ſuperiorem, nam ex eorum centum viginti millium exercitu plus quàm dimidium deleverat; hîc ergo, prout in mandatis habebant legati, Carthagini bellum indicunt, multùm fremente *Maſiniſſâ*, quaſi bolum ſuis faucibus, omneque victoriarum ſuarum præmium eriperent.

Pœni Romanorum metu omnia Senatui offerre; poſtulârunt illi primùm trecentos obſides ex familiis nobiliſſimis, iſti Romam miſſi ſunt. Poſtulârunt ſecundò claſſem, etiam & hanc acceperunt, & in conſpectu Carthaginis incenderunt. Poſtulârunt tertiò civitatis arma, & hæc etiam licet ægerrimè, tradita tamen ſunt, eáque tot quot Africæ toti armandæ ſatis ſuperque fuiſſent. Nondum tamen Romanis ſatisfactum eſt, certis Carthaginis ruinâ priſtinas ſuas calamitates ab *Hannibale* ulciſci.

Cato major Carthaginem injuſtiſſimè procurat delendam.

Diu & acriter de Carthaginis fortunâ in Romano Senatu diſceptatum eſt. *Scipio Naſica* Senatûs princeps omni ope nitebatur urbem antiquam ſervare, ut cos eſſet Romanæ juventuti fortitudinis & omnigenæ virtutis: verùm *Cato* tum ſupra octogenarium Senatui tandem perſuaſit ejus excidium, ne Romam illa aliquando perderet.

Secundum hoc Senatûs ſecretum conſultum poſtularunt tandem quartò legati ut Carthago deſeretetor, populuſque quas vellet novas ſedes ſibi ſumeret, modò ſtadiis ſexaginta à mari. Plebs accepto boc poſtulato verè furere, ſenatores ſuos qui obſides, claſſem, & arma tradiderunt, lapidibus obruete, arma nova, claſſemque ac bellica ioſtrumenta diu noctuque ſabricare, donec incredibili induſtriâ, eum terrâ marique exercitum comparáſſent, qoi multas Romanis ſimul & *Maſiniſſa* clades intulit, Conſules aliquot & varios exercitos ſregit, & niſi per unius *Scipionis* virtutem ſtetiſſet, omnino deleviſſet.

Scipio hic annorum triginta juvenis majoris *Africani* nepos ab exercitu Romam coocеſſir, ædilitatem petiturus: verùm à populo Coosulatum ipſum diu ante legitimam ætatem nihil de eo cogitans obtiouit, eique Provincia Africa ac delenda Carthago commiſſa. Ut ad exercitum Conſul rediit, milites antiqua diſciplinâ ſtatim ita inſtruxit, ut Pœnos conſeſtim intra urbis muros arctâ obſidione concluderet, & tandem vi caperet. Maxima Carthaginienſis populi ſtrages fuit, & urbs ſeptemdecim dierum continuo incendio, illachtymante *Scipione*, conſumpta eſt, ſecundum crudele *Catonis* placitum.

Haſdrubal Pœnorum dux ſe dedidit, ſed ejus uxor majoris animi fœmina in arce incenſâ, dum inſpectaret *Scipio*, doos filios confodiens ſeſe dedit in flammas, ſuperſtites venondati, molti ex armatis objecti beſtiis, & urbs complanata, diris teſtatoribus devotis.

Crudelitatem hancee Romaoorum in vicinos fere omnes numen mox vindicavit; etſi enim inter gentes nulla Romanam vim eâ tempeſtate valebat retundere, vindex tamen Deus ſoas ipſorum manus in ſe ipſos convertit.

Deus Romanorum manus in ſeipſos convertit.

Inter Hiſpanos Numantini fortiſſimè pro patriæ libertate certabant: poſt mulias Romanis inflictas clades, tandem Conſul *Mancinus* com millibus trigintaNumantiam arctâ obſidione cinxit; erumpentes obſeſſi Conſulem conjiciunt in fugam, & iis locorum anguſtiis ſugientes concludunt, ut Conſul fœdus pacis ad ſe exercitumqne à præſenti interitu ſervandum lubenter iceret. Senatus fœderi illi inhoneſto noluit ſtare, ſed Conſulem *Mancinum* nudum, manuſque poſt terga revinctum Numantinis dedidit. Numantini intra portas non recipere, ſed triginta millia militom quos fœdus ſervaverat ſibi dedi poſtolare, vel fœdus integrum ſervari: petitiones illas æquiſſimas Romani rejicere, Nomantini ad extremum ſpiritum ſe tueri, id que multorum ex Romanis millium interitu. Tandem *Scipio Africanus* minor iterum Conſul ad eos perdomandos mittitur, hic ſuâ virtute Numantinos fregit, non domuit; cum erumpere per munitiſſima *Scipionis* caſtra non poſſeot, urbem incenderunt, & ſe, uxores, liberoſque plerique incendio immiſerunt, ne io crudeliſſimas Romanorum maous venirent.

Numantia caſus horribilis.

Gracchorum ſeditiones.

Tiberius Gracchus Africani majoris ex ſorore nepos, *Mancini* quæſtor erat, cum fœdus infame iceret; hic ſeu metu pœnæ à Senatu, ſeu ambitiooe percitus, ut populum ſibi devinciret, leges agrarias tulit; qoibus præter alia popolo gratiſſima ſtatuit, ot qood quiſqoam ex agro publico ſupraquingenta jugera poſſideret, pauperibus divideretor; etiam ut theſauri Regis *Attali Pergameni*, qui ſua omnia populo Romano legaverat; diſtribuerentur ad coëmenda ruſtica inſtrumenta, quibus pauperes coloni ſuum agrum colerent: Dum leges haſce *Gracchus* invito ſenatu tumoltuosè urget, *Scipio Naſica* Pontif. Max. Senatum alioſque ſecum duceos, impetum facit in *Gracchum*, factoque tumulto *Gracchus* cadit, & cum eo treceuti; quorum cæde territus populus aliquantiſper quievit. Sed poſt onum aut alterum annum reſpirans, iis ubiqoe conviciis *Naſicam* ubicunqoe obviom impetebat, ut Senatus neceſſe habuerit honeſtâ legationis ſpecie virum in Aſiam ablegare, ubi Pergami propè exul interiit.

Tiberii Gracchi frater *Cajus* populi favore tribonatum adeptus, fratris veſtigiis voluit ioſiſtere: dum eaſdem agrarias leges promolgat, adverſarium habuit ſuum conſobrinum & levirum *Scipionem Æmilianum Africanum* minorem. Hic ab uxore *Semproniâ Gracchi* ſorore vel veneno vel laqoeo in lecto ſtrangulatus eſt. Nemo tamen de ejus morte quæſtionem audebat movere: ſed mox Senatus doce *Opimio* Conſule majores animos ſumens, *Cajum Gracchum* Tribunum plebis, & *Fulvium* Conſulem cum tribus ſequacium millibus in ſtratis necavit, eorumque bona ſub haſta vendidit. Ioitia hæc ſuere civilium armorum, qoæ mox urbem ſangoine & rapinis repleruut, ob divinam vindictam, & aliquale ſolameo reliqui orbis, in quo Romani tam largos innocui ſanguinis rivos effuderaot, & unde tam magnos prædæ acervos corraſerant.

Iugurthini belli origo.

Moriens *Maſiniſſa* propè centenarius Regnum ſuum inter filios tres legitimos *Scipioni* tunc Carthaginem obſideoti divideodum reliquit. Decrevit *Scipio* ut natu major *Micipſa* Regio nomine & auctoritate frueretor, fratribuſqoe *Gulaſſa* & *Manaſtabali* regiones ſatis amplæ attribuerentur. Diſceſſit *Gulaſſa* ſine liberis, *Manaſtabali* unus tantùm fuit nothus *Iugurtha*, *Micipſa*

duo

duo erant legitimi *Hiempſal* & *Adherbal*. *Ingurtha* eò animi & fortitudinis evaſit, ut *Micipſa* ab eo timeret ſuis liberis: ergo ut de via tolleretur eum miſit eum copiis Numantiam ad *Scipionem*: Hic tam egregiè ſe geſſit *Ingurtha*, ut bello finito, laudibus cumulatum *Micipſæ Scipio* remiſerit. *Micipſa* mutato tunc conſilio ſtatuit beneficiis *Ingurthæ* animum, ſibi ſuiſque liberis devincire; eoque fine eum ſuis filiis cohæredem Regni moribundus conſtituit. *Ingurtha* Regni tertiâ non contentus, ad totum quibuſvis artibus aſpirabat. *Hiempſalem* immiſſis percuſſoribus in lecto confodit, ejuſque partem Regni occupavit: *Adherbalem* quoque adortus, eum adegit ad Romanos confugere: miſſis illi legatis inſpexere Numidiæ res, *Ingurtha Opimium* Conſulem & *Scaurum* Senatûs principem cæteroſque omnes legatos donis ſuis pervertit, ita ut Regnum inter eum & *Adherbalem* diviſerint, nullo viro ſceleratiſſimo *Ingurtha* inflicto ſupplicio; is verò impunitate audacior, *Adherbalem* mox toto Regno ejecit, obſeſſumque in regia urbe, & captum necavit.

Tam fœda tum Romanorum fuit avaritia, ut magnatum plerique auro corrupti *Ingurthæ* facinora excuſaverint, & ægrè Tribunorum plebis importunitas contra ſceleſtum à Senatu bellum decerni impetraverit: tam vaſto autem & induſtrio *Ingurthæ* ingenio fuit, ut Conſules eum exercitu aliquot annos eluſerit, aliquos prælio fregerit, plures auro corruperit, donec *Cæcilius Metellus* venit in Numidiam; contra hujus integritatem, fortitudinem, & induſtriam nihil valuerunt omnes *Ingurthæ* artes. Pletaſque hic Numidiæ urbes expugnavit, *Ingurtham* ſæpe fudit, fugavitque, neque quicquam ipſum à bello finiendo remoratum eſt, niſi legati ſui *Caji Marii* invidia & ambitio.

Metellus Ingurtham frangit.

Gracchorum fratrum ſeditioſus ſpiritus cum ipſis non eſt extinctus, urbana plebs licet iſtorum cæde aliquandiu conterrita quieverit, mox tamen ſe colligens, ut ex *Gracchorum* cineribus novam flammam excitaret, utriuſque ſtatuas in iiſdem quibus cæſi ſunt locis erexit, iiſque ut novis Diis ſacrificia & thura obtulit; hac apertâ inſaniâ inflammans ſeditioſi cujuſque animum, ut audacter in populi gratiam contra Senatum inſurgeret, *Cajus Marius* homo omnino novus & obſcurus, tribunatum nactus ſtatim legem tulit de judiciis à Senatu ad populi ſuffragia transferendis, cùm huic legi Senatus-conſultum opponerent Conſules, *Cajus Marius* curiam intrans periit à Conſule *Cottâ*, ut illud ſenatuſconſultum reſcinderetur. Rogavit *Cotta* ſententiam collegæ *Metelli Dalmatici*, ſub cujus patrocinio *Marius* ejuſque majores vixerant: cùm uterque Conſul pro ſenatuſconſulto ſtaret, *Marius* advocatum in Curiam lictorem juſſit utrique Conſuli vincula induere, vinctoſque inducere in carcerem, quo facto legem ſuam nemine ultra contradicente promulgavit. Aliquot poſt annos ſub *Metello* in Numidia militans *Marius* fortem ſatis & induſtrium ſe præſtitit, ſed eum à *Metello* dimitti Romam poſtularet, ut Conſulatus candidatus appareret, & non niſi ægrè ac ſerò miſſionem impetraſſet, exercitum quantum potuit contra *Metellum* commovit, variaſque calumnias à multis Romam perſcribi curavit: quaſi *Metellus* à *Ingurthâ* ſicut alii corruptus bellum protelaret. *Marius* ut Romam venit non tantùm Conſulatum adipiſcitur, verum etiam ad exercitum in Numidiam ſtatim mittitur, ut belli à *Metello* tantum non confecti gloriam caperet: *Metellus* exercitum animo nolentiſſimo dimiſit, triumphum tamen & *Numidici* titulum à populo ut libet ſtulto & ingrato nactus eſt.

Parvus *Mario* cum *Ingurtha* jam fracto labor erat, attraxerat *Ingurtha* in belli ſocietatem ſuum generum *Bocchum* Regem Mauritaniæ: ad hunc *Marius* miſit *Syllam* legatum, ut eum ad populi Romani amicitiam pelliceret, &, ſi poſſet *Ingurtham* ſocerum tradere perſuaderet. Tam dextrè *Sylla* volatile *Bocchi* ingenium pertractavit, ut omnia ab eo tandem impetraverit, etiam *Ingurtham* in vinculis, magno *Marii* cum dolore: ita enim belli confecti gloria in *Syllam* tranſlata eſt. Utcunque *Marius* duxit *Ingurtham* in triumpho, & in carcere Romæ confectum vel inediâ vel laqueo necavit.

Sylla Ingurtham Bocchus tradit.

Tunc temporis centena aliquot *Cimbrorum* & *Teutonum* fortiſſimorum virorum millia tendebant in Italiam, ut à Romanis agros extorquerent. *Scipionem* Conſulem in Gallia Tranſalpina ſe objicientem cum octoginta Romanorum millibus internecione deleverunt, alioſque etiam exercitus fuderunt. Contra hos unica ſpes populi *Marius* fuit: & is quidem tam induſtriè fortiterque bellum geſſit, ut ſupra ducenta *Teutonum* millia prope Maſſiliam necaverit, *Cimbrorum* etiam ad Padum ſupra centum millia, reliquâ barbarorum colluvie omni ſub haſta venditâ. In hujus laboris præmium à populo volentiſſimo *Marius* quot libuit Conſulatus impetravit, cùm tamen nullus ab hoſte metus premeret, ſextum Conſulatum cupidiſſimè appetitum, & largitione magna mercatum vix potuit obtinere.

Marius Cimbros profligat.

In hoc Conſulatu *Metellum* oppreſſit: *Saturninus* Tribunus plebis legem tulit de diviſione agrorum in Gallia, quos *Marius* ſuis

Marii fraude Metellus exulat.

ſuis armis acquiſiverat: legi addidit, ut ſinguli ſenatores eam ſuo jurejurando ſancirent, alioquin Senatu moverentur, & viginti talentis mulctarentur. *Marius* in Senatu contra hoc jusjurandum declamavit, & ab eo ſumendo omnes ſuo exemplo avertit: ſed en veterum prævaricatorem! Cum *Saturninus* urgeret juramentum, id *Marius* ſine ſcrupulo præſtitit, & poſt eum omnes præter *Metellum*, cui uni laqueus ille à *Mario* tendebatur: recuſantem *Metellum* non tantùm ex ſenatu, ſed ex tota Italia *Saturninus* ejicit, aquâ & igni interdicendo. Sed ecce cœlitus properam vindictam. Dum favente *Mario Saturninus* Conſulatum ambiret, *Memmius* unà cum eo ſuit candidatus: animadverſo autem populi in *Memmium* præ ſe ſavore, immiſſis percuſſoribus in ipſo foro *Memmium Saturninus* curat necandum. In atroci hoc ſcelere populus tumultuari, *Saturninus* Capitolium occupare: ſed dum aqua intercluditur, ſiti ferè enectus, *Mario* ſe tradidit. Hunc *Marius* quaſi judicio reſervans cuſtodiæ commiſit, populus *Marii* fraudem ſuſpicatus, *Saturninum* ſtatim lapidibus obruit. Eo ſublato *Metellus* junior pullatus à populo reditum patris ſupplicat; dum omnes redire permittunt, unus *Furius* Tribunus *Marii* impulſu ſupplicantem juvenem rejicit: hunc obſtinatæ perverſitatis virum populus in comitiis diſcerpſit. Redeuntem *Metellum* urbs tota magno gaudio ſuſcipit. Unus *Marius* viri conſpectum non ferens in Aſiam proficiſcitur; quaſi vota ſoluturus matri Deorum, revera ut *Mithridatem* contra Romanos concitaret, eo fine ut ipſe bello huic conficiendo admoveretur. Sed hac ſuâ ſpe *Marius* egregiè falſus eſt.

Bellum ſociale difficile.

Italiæ populi junctis viribus cum Romanis, omnes vicinos longè lateque Romæ ſubjugaverant: æquum ergo cenſebant, cùm in omni bello majores ſemper ipſorum quàm Romanorum fuiſſent copiæ, ut jus civitatis & partem Imperii opúmque ſuo ſanguine & armis quæſitorum participarent. Romani diu ipſos hac ſpe duxerunt, ſed cum ſe tandem ludificari certò comperiſſent, junctis conſiliis arma corripuerunt. Bellum hoc ſociale & Italicum annis quatuor duriſſimum & cruentiſſimum fuit: æqualibus enim armis, viribus, & artibus pugnabatur. Multa & atrocia variis locis prælia commiſſa ſunt, meliori plerunque ſociorum fortunâ: ſed tandem *Marii, Syllæ, & Quinti Pompeii, Magni* patris, virtute ſociorum vires labefactatæ ſunt. Ante omnia hæc Romanorum ars ſocios confregit; *Volſcis, Hetruſcis*, & aliis urbi propinquioribus civitatis jus conceſſerunt, quorum viribus ipſi feſſi, & propè fracti cæteros ſocios peſſumdederunt; tanta in hoc bello *Syllæ* virtus emicuit, ut Conſulatus, atque Aſia bellumque Aſiaticum decernerentur. Dum cum legionibus quinque verſus Aſiam properaret, & ad Nolam reliquias belli ſocialis diſſiparet, nunciatur *Sulpitium* Tribunum tuliſſe legem quâ poteſtas *Syllæ* abrogaretur, & legiones bellúmque *Mithridaticum Mario* jam ſeptuagenario committerentur.

Marius ægrè mortem evadit.

Dum *Pompejus* alterius Conſulis filius *Syllæ* gener obloqueretur, à Tribuno necatur. Hoc accepto nuncio revertitur in urbem *Sylla*, occurrunt *Mariani*, poſt pugnam *Sylla* victor urbem occupat. *Marium, Sulpitium*, & alia factionis flabella proſcribit, in fuga captus *Sulpitius* confoditur, abſciſſumque caput pro roſtris collocatur. *Marius* oculorum tenus in Minturnenſi palude demerſus, diu delituit ignotus: tandem extractus eſt, & loro collum circumjecto in carcerem publicum conjectus: Minturnarum carnifex *Germanus* bello Cimbrico captus cum gladio in carcerem miſſus eſt ut captivum necaret; ſed ut *Marium* magno ejulatu vociferantem agnovit territus, abjecto gladio ex carcere fugit. Minturnenſes tanti viri calamitatem commiſerantes, eum cum viatico in navicula dimiſerunt: appulſus hic in Africam, in pauperculo tugurio Carthaginenſi, diebus multis, dum deſæviiſſet tempeſtas, latuit; inde mox ad magnam patriæ calamitatem proditurus.

Bellum Mithridaticum.

Mithridates Ponti Rex maximi ingenii & animi vir, etſi diu contra Romanos arma meditatus, tamen ad ea voluit apertâ Romanorum injuſtitiâ pertrahi; curaverat quidem *Ariobarzanem* Cappadociâ & *Nicomedem* Bithyniâ ſuis artibus expelli; ſed cum illos *Sylla* Prætor reduxiſſet in regna, uterque à Romanis Proconſulibus inſtigatus eſt ad *Mithridatem* ſine ullâ cauſâ provocandum. *Mithridates* multas injurias pati, & de iis ad Romanos in Aſia Magiſtratus querimoniam deferre; illi verò cauſam belli quærentes, *Mithridatis* querimoniam negligere. Dum ſuas ille contra *Nicomedem* injurias vindicare conatur, Proconſules ei bellum indicunt; orare *Mithridates* vellent rem totam Senatui remittere; illi orantem ſpernere, & ſupra quadraginta millia legionariorum militum, ac quinquaginta millia ſociorum in campum deducere. *Mithridates* inſtructiſſimum exercitum ducenties mille peditum & quinquaginta equitum ſecum trahens in prælium deſcendit, in quo victor plurimam Romanorum ſtragem edidit, Cappadociam, Bithyniam, & multas circumcirca Provincias occupavit, quin & per totam Aſiam ſecretum ad Satrapas, urbiumque præfectos mandatum emiſit, ut uno die quotquot reperirentur Romani

aut

aut Italici generis in ſuis diſtrictibus, omnes cum conjugibus & liberis obtruncarentur, & direptis bonis inſepulti projicerentur. Maxima hæc calamitas Romanis incubuit, nam Romanorum civium uno die, maximam partem in templis, ſupra centum quinquaginta millia confoſſi ſunt.

Sylla in Athenienſes crudelitas.

Nuncium hoc Syllam in Aſiam acceleravit, etſi non ante reductam Græciam, quæ fere tota inprimis Athenienſes, ad *Mithridatem* defecerat. Diu hæſit *Sylla* in Athenarum obſidione, tandem fame domitas Athenas vi cepit, magnamque obviorum ſtragem edidit, nulli ætati, nulli ſexui parcens. Nihilò mitior eodem tempore *Marius* Romæ erga *Syllæ* amicos. Vix ex Italiâ *Sylla* digreſſus fuit cum *Cinna* Conſulatum adeptus eſt, jurejurando priùs pactus *Syllæ* ſe partes non deſerturum: ſed trecentorum talentorum munus à *Marianis* datum effecit, ut Conſul factus ſtatim jurisjurandi religione ſpretâ ad *Marii* partes tranſiverit: dum *Cinna* Italicos magno numero in urbem acceſſiviſſet cum armis, & ſervos ad pileum vocâſſet ut novas leges vi conderet, alter Conſul *Octavius* eum majore vi urbe ejecit & proſcripſit. Proſcriptus *Cinna* exercitum qui Nolam obſidebat, ad ſuas partes largitionibus attraxit, magnumque Italicorum ac ſervorum numerum ſpe certâ adipiſcendæ civitatis.

Marii & Cinnæ in Syllanos furor.

Marius etiam ex Africâ reverſus *Cinnæ* ſe adjunxerat, *Octavius* contrà advocavit *Pompejum* Proconſulem cum ſuo exercitu, contrarii hi exercitus ad urbis muros aliquan diu decertârunt, donec *Pompejus*, & multi ſuorum fulmine icti interiêrunt, & urbs annonæ inopiâ preſſa eſt. Tum Senatus *Cinnam* & *Marium* quibuſcunque conditionibus admiſerunt in urbem, admiſſi *Syllam* proſcribunt, bona diripiunt, domum evertunt, uxorem & liberos ad necem quærunt, *Octavium* Conſulem, *Metellum*, *Catulum*, *Antonium*, magnumque nobiliſſimorum ſenatorum, & equitum numerum, & quoſcunque *Syllanarum* partium nanciſci potuerunt, crudeliſſimè confodiunt, capita pro roſtris ſtatuunt, & nuda corpora inſepulta projiciunt. *Marius* & *Cinna* ſeipſos dicunt Conſules, *Marius* ſeptimi ſui Conſulatûs initio moritur, dum quotidianâ ebrietate metum à *Syllâ* diſcuit.

Fimbria perdit Ilium.

Cinna Valerium Flaccum Mario Conſulem ſubſtituit, & in Aſiâ contra *Mithridatem* cum duabus legionibus mittit. Imperitus omnino *Flaccus* rei militaris erat, militibuſque exoſus; ſed *Fimbria* ejus legatus ſatis iis gratus. Dum *Flaccus Fimbriam* negligit moto tumultu Conſulem in Aſiâ *Fimbria* obtruncat, ac ſuâ auctoritate exercitûs imperium occupat, *Mithridatem* aliquoties fugat, urbes Aſiæ deprædatur. Ilium, quòd ab eo metuens ad *Syllam* miſiſſet, ferro flammâque delevit, mœnibus ædibuſque ſacris & profanis dirutis. Ad *Syllam* plerique Senatores in Græciam, omneſque ſuperſtites amici confugere, ut ad perditam patriam recuperandam vellet properare urgentes: totum tamen triennium in bello Mithridatico trivit, certus non redeundi Romam, niſi hoſte externo prius devicto. Occurrit ei *Archelaus* ad Cheronæam cum centum viginti millibus, horum tertiam numero non æquabat *Sylla*, prælio tamen conſerto ſupra centum millia hoſtium occidit. Dum iterum ad Orchomenum *Archelaus* cum novo centum millium exercitu compareret, *Syllani* milites metu conſternati decernere recuſant, verùm *Sylla* deſcendens equo ex ſigniferi manibus Aquilam corripuit, & cum ſuo ſatellitio in hoſtem vadit, hoc pudore concitatæ legiones ſequuntur, & ſecundò maximâ cum ſtrage hoſtem funduut.

In Aſiam poſt geminam victoriam *Sylla* trajicit, & *Mithridati* petenti pacem dedit, eâ lege ut totam claſſem cum impenſis belli traderet, & patrio Ponti Regno ſe contineret.

Mithridatem & Fimbriam Sylla compeſcit.

Hoc bello defunctus ad *Fimbriam* ſe convertit. Ut ad ejus caſtra appropinquavit, multi militum transfugere, *Fimbria* ſuo ſe gladio jugulare, mortuo Imperatore exercitus *Syllanis* ſe ſtatim adjungere, ab Aſiæ civitatibus quinquennale tributum (ſupra viginti talentorum millia) ſtatim extorſit, magno ipſorum cum gemitu.

Tum demum ad bellum civile paratus, quantò ociùs Romam properavit cum exercitu forti, ſibique ad omnia obſequentiſſimo, & claſſe mille ſexcentarum navium Brunduſium appulit. Conſul *Cinna* ſtatuerat inGræciâ ipſi occurrere, eo fine legiones aliquot in Dalmatiam præmiſit, ſed dum milites tumultuantes imperioſiùs compeſceret, à ſuis eſt confoſſus. Occurrerunt in Italiâ *Syllæ* ex amicis *Metellus Pius*, *Cethegus*, & *Pompejus* cum aliquot copiis, inceſſit per Calabriam & Apuliam agmine ordinatiſſimo, ſed mox crudeliſſimi belli flammâ tota Italia exarſit.

Sylla Marianos debellat.

Papyrius Carbo, & *Caius Marius* Majoris filius adoptatus viginti ſex annorum juvenis, Conſules fortiſſimi, in variis exercitibus habebant legionariorum ducenta millia; multis & cruentis præliis aliquot annis eſt certatum, plerique Italici Conſulibus adhærebant, tandem Syllanæ partes ſuperiores evaſerunt, *Marius* junior manus ſibi intulit. *Sylla* Romam veniens, ſenatores & equites bis mille proſcripſit: immani crudelitate viri multi nobiliſſimi ab obvio quoque totâ Italiâ confodiebantur, capita pro roſtris figebantur, corpora uncis tracta in Tiberim

ſine ſepulturâ abjiciebantur, multæ civitates transmigrationibus exhauriebantur, non pauciores quingentis millibus Italorum tempeſtas hæc *Sylla* & *Mariu* abſumpſit.

Pompeji juvenis crudelitas. *Pompejus Carbonem* in Africam perſequutus, eum ibi debellavit, ex viris primariis multos captos crudeliter occidit, *Carbonem* ter Conſulem ad ſuos pedes in vinculis abjectum obtruncavit, miſſo ad *Syllam* capite.

Sylla Dictaturâ ſecurè ſe abdicat. Tandem cædium & Imperii pertæſus *Sylla* Dictaturâ ſe abdicavit, & privatus ſeceſſit in Cumanum, eâ ſecuritate quaſi nulli unquam mortalium ullam intuliſſet noxam, ibique in ſummis deliciis ad vitæ finem tranſegit. Habebat quidem in Italiâ ſupra centum viginti millia quibus proſcriptorum agros diſtribuerat, & Romæ ſervorum *Corneliorum* decem millia, quibus libertatem & jus civitatis dederat, alioſque multos, qui ſummorum ipſius ſcelerum inſtrumenta fuerant, qui ab ejus licet privati nutu omnes pendebant: hinc viri orta eſt in maximâ tyrannide ſumma ſecuritas, & tanta confidentia, ut depoſitâ Dictaturâ ſe offerret ad reddendam unicuique de omnibus ſuis factis rationem. Inventus quidem unus adoleſcens qui redeuntem domum ſine lictoribus per ſtrata convitiorum flumine proſequutus eſt, quæ omnia tacitus *Sylla* tulit, tandem in domûs limine ad amicos converſus, hic, inquit, adoleſcens efficiet ne quis alius meo exemplo talem magiſtratum deponat. Perpetua tyrannorum hunc praviſſimum ad vitæ finem anno ætatis ſeptuageſimo felicitas comitata eſt, unde *Fauſti* & *Felicis* cognomen ſibi ex adulatorum conſilio aſſumpſit. Unum tantùm moribundo divinæ iræ ſigillum impreſſum, quod Phthiriaſi medicamentum omne ſuperante & ſanguinis vomitu, in magnis doloribus extingueretur. Splendidiſſimum tamen quod unquam Italia vidit funus, ei in campo Martio, *Pompejo* maximè procurante, peractum eſt.

Poſt *Sylla* mortem in novas Romana Reſpub. turbas incidit. Conſul enim *Lepidus* Marianas partes redintegrare conatur. Ex Galliâ Tranſalpinâ ſuâ Provinciâ exercitum ad urbem adducens, *Pompeji* operâ inde ſubmovetur: ipſe in Sardiniam fugiens, morbo ibi interiit, magnam exercitûs partem *Perpenna* in Hiſpaniam ad *Sertorium* adduxit; reliquæ *Lepidi* copiæ ſub *Bruto* ſeſe *Pompejo* dediderunt, *Pompejus Brutum* deditum ſuâ cum infamiâ cecidit.

Bellum Sertorianum. *Sertorius* Marianarum partium dux impigerrimus Luſitaniam, & cæteram pro magnâ parte Hiſpaniam poſt ſe traxit, varios Prætorios & Proconſules cum ſuis copiis fudit fugavitque; *Metellum* magnum ducem contra ſe eum multis & validis legionibus miſſum aliquot annis eluſit, donec *Pompejus Metello* adjunctus eſſet; etiam tum utrumque ad annum decimum laſſavit, multiſque prælііs ſuperavit, Italiamque ad *Mariu* partes reparandas petiturus videbatur, niſi *Perpenna* invidiâ ſtimulatus, virum in convivio proditoriè confodiſſet. Hoc mortuo Hiſpani ad *Metellum* & *Pompejum* certatim tranſivere, & *Perpenna* facilè à *Pompejo* victus cum omnibus in *Sertorium* conjuratis obtruncatus eſt.

Et Spartaci. Inter gladiatores Thrax erat, nomine *Spartacus*; hic cum aliis ſeptuaginta cuſtodiâ effractâ ſe in libertatem aſſeruit; ad hunc tot ſe mox aggregârunt ut exercitum contraxerit, quo varios Romanorum duces profligavit, tandem hominum deſperatorum centum viginti millia in caſtris continens, ipſi urbi formidandus evaſit, hunc *Licinius Craſſus* Prætor varia prælia decertans tandem debellavit.

Mithridatem & Tygranem Lucullus frangit. Sed maximum Romanis bellum eâ tempeſtate à *Mithridate* incubuit. Reliquit *Sylla* in Aſia Proconſulem *Muranam*, hic triumphi Parthici avidus *Mithridatem* ad novum bellum invitum traxit: de multis injuriis patienter à ſe latis ad Senatum miſſis legatis queſtus eſt, dum nihil a qui refert, ad arma tandem confugiens *Muranam* magno prælio fudit, tum demum miſſo ad *Muranam* legato, mandavit *Sylla* ut *Mithridatem* in pace ſineret vivere, ita ſecunda pax coit, ſed tertium bellum à *Mithridate* ſua ſponte ſuſceptum eſt, cùm *Syllam* mortuum & *Sertorium* in Hiſpaniâ pleràque victorem, Aſiamque ſub Romanorum tyrannide gementem, ac generum ſuum *Tygranem* longè latèque dominantem animadvertiſſet, cum *Sertorio* junctis conſiliis Romanos invaſit. *Lucullus* Conſul ejus potentiam duobus præliis ſuperior eouſque fregit, ut relicto Ponto in Armeniam ad *Tygranem* fugerit, illuc eum *Lucullus* perſequutus eſt; *Tygranes* ſtolidâ ſuperbiâ inflatus contra *Luculli* undecim millia, prope trecenta millia adduxit, in quibus equites quinquagies mille: hos parvo negotio *Lucullus* in fugam conjecit ca ſix centum millibus, Regiamque Armeniæ *Tygrano* certam tradentibus Græcis cepit, & poſteà in Meſopotamiâ Niſibin. Dum totum Orientem tantum non ſubjugaſſet *Lucullus*, in militum ac populi Romani odium incidit. Fœneratores Romani, peſſima gens, Aſiam ſupra modum vexabant & ab horum peſte Aſiaticos *Luculli* juſtitia liberavit: hi vindictæ avidi, multis literis Romam miſſis, *Lucullo* invidiam creârunt quaſi ſuæ unius ambitioni & avaritiæ conſulens bellum protelaret; non quidem putavit commodum *Mithridatem Tygranem*que per invia ſequendo exercitum ſuum nequicquam delaſſare, ſed conſultius exiſtimavit

mavit ipſos permittere, vires recolligere, ut ſine labore quærendi cum omnibus eos copiis in campo raſo nactos aperto Marte, minori ſuorum militum labore ſimul & periculo contereret. Dum in hoc eſt, magno ſuo cnm labore mirtitur ei etiam invito ſucceſſor *Pompejus*.

Pompejus Lucullo gloriam præripit.

Pompejus cum ab Africâ ad *Syllam* reverteretur viginti quatuor annorum juvenis *Magni* cognomen à populo accepit, ſplendidiſſimum triumphum à *Syllâ* propè minis extorquens. Secundò de *Sertorio* & *Hiſpanis* triumphavit, tum lubentiſſimo populo Conſulatum ante legitimam ætatem adeptus eſt. Dum aliquot annis piratæ à *Mithridate* immiſſi totum Mare Mediterraneum ad magnum Romani nominis dedecus ſimul & detrimentum, plusquam mille navibus obtinerent, ſummum ei imperium ad triennium commiſſum eſt, cum copiis, navibus, pecuniis plurimis & poteſtate Proconſulari in omnes Provincias ad milliaria à mari quinquaginta. Tantâ ille induſtriâ negotium hoc tractavit, ut ſupra omnium fidem, tribus menſibus piratarum omne nomen perdiderit, liberumque ab eorum metu mare præſtiterit. In hujus gratiſſimi laboris præmium Mithridatici belli reliquiæ ei cupidiſſimo demandatæ ſunt, cum poteſtate in omnes Orientis Provincias & exercitus extraordinariâ.

Ut in Aſiam venit, ad eum ſtatim *Lucullo* propè deſerto milites tranſiere, iu colloquio crevit offenſio, *Lucullo* objiciente ambitionem *Pompejo*, & hoc iſti avaritiam. *Lucullus* Romam revertens ab omnibus honorificè acceptus eſt, triumphus tamen inimicorum artibus ad triennium dilatus eſt. Primus hic *Mithridatis* & *Tygranis* opibus Romam illatis, in ædificiis, conviviis, totóque cultu domeſtico & vivendi ratione Aſiaticam luxuriam induxit.

Miſſis ad *Pompejum* legatis voluit libenter *Mithridates* quibuſvis conditionibus pacem acceptare, ſed cùm transfugæ deditionem ipſorum à *Pompejo* premi didiciſſent, *Mithridates* ne à ſuis necaretur juravit nullam ſe cum Romanis pacem, niſi ipſis conſultis initurum. Cùm in interiora Regni ſe recepiſſet, *Pompejus* ægrè aſſequntus eum fregit; ad *Tygranem* fugiens, ab eo rejectus eſt. *Tigranis* filius *Phraates Parthi* ſui ſoceri conſilio ad *Pompejum* transfugerat, hoc accepto pater ſine ullâ conditione ſe ſuáque omnia *Pompejo* dedit in manus. *Pompejus* erga utrumque fuit humaniſſimus, donec expertus eſſet filii in patrem etiam ſe præſente αὐτοψίαν & inſidias, tunc quidem filium in vincula conjecit, Romamque ducendum tradidit. Patri reliquit Armeniam, Syriam verò ab Euphrate ad Nilum, quam aliquot annos *Tygranes* occupaverat, in Provinciam redegit, & præter ingentia dona ſexies mille talenta ad belli ſumptus à *Tygrane* exegit, multò plura dare parato.

Mithridates per multas incognitas nationes à mari Caſpio ad Boſphorum Cimmerium, & ultra cum copiis fugiens, plurimas gentes in belli ſocietatem quà donis quà ſuadelâ pellexit: præter enim Græcas literas, viginti duabus linguis eloquens habebatur. *Pompejus* ultra Hyberos & Albanos eum ſequutus, multos in viâ populos ſubegit.

Pompejus capit Hieroſolymam.

Damaſcum reverſus undique ad eum legati confluxerunt, ab Armeniâ, Arabiâ, Ægypto, omni Syriâ & aliunde, animus ei fuit Arabiam ad mare rubrum Romano Imperio adjicere, quemadmodum Afros ad mare Atlanticum & Gaditanum, Aſiaticos ad mare Hircanum & Pontum Euxinum ſubegerat: & quidem per ſuum legatum *Scaurum* potentiſſimum Arabiæ Regem *Aretam* ad petendam pacem adegerat. Inter alios ad eum venerant Damaſcum *Hircanus* & *Ariſtobulus*, fratres de Regno Judææ inter ſe decertantes. *Ariſtobulus* auream vitem quingentorum talentorum munus tradidit: audito utroque juſſit quieſcere, donec ipſe Hieroſolymam veniſſet. *Ariſtobulus* ſuo Regno metuens Hieroſolymam contra *Pompejum* munivit, ſed cùm ad urbem *Pompejus* acceſſiſſet cum exercitu ſuæ temeritatis pœnitens ad *Pompejum* in caſtra venit, urbem & magnam pecuniæ vim offerens: verum enimverò cum neque urbem neque pecunias à *Pompejo* miſſus acciperet, *Ariſtobulum* in vincula conjecit, & urbi caſtra admovit, qui *Hircano* favebant. *Pompejo* portas aperuerunt, ac fautores *Ariſtobuli* templum armis tutati ſunt. *Pompejus*, adjuvantibus Judæis, templi munitiones machinis ſuis concuſſit, & poſt trium menſium obſidionem vi cepit, cæſis ex defenſoribus duodecim millibus, perluſtravit quidem cum ſuis totum templum, etiam Sancta Sanctorum, ſed de ſacris vaſis aut theſauris nihil attigit. *Ariſtobulum* cum duobus filiis & totidem filiabus Romam miſit. Judæam cum cæterâ Syriâ Romæ fecit tributariam, civitatibus omnibus quas extra Judæam *Maccabæi* ſubegerant à Judæorum jugo liberatis.

Venerunt tunc temporis ad *Pompejum* legati ab Ægypto, Armeniâ, Parthiâ & Ponto. Invitabat *Pompejum Auletes* in ſuum Regnum, ſed metu oraculi noluit is Ægyptum ingredi. Poſtulabat *Tygranes* Romanorum contra *Parthum* auxilia, & *Parthus* Romanorum amicitiam; ſed noluit *Pompejus* victoriarum plenus, ſuæ fortunæ felititatem bello Parthico longinquo & difficili ſolicitare, tantùm miſſis legatis *Tygranem* cum *Phraate* reconciliavit. *Pharnaces* à Ponto miſerat ſuum patrem *Mithrida-*

tem

tem muriâ conditum, hunc ad majorum ſepulchra non conſpectum *Pompejus* remiſit; & *Pharnaci* Boſphori Regnum conceſſit, populique Romani amicitiam, Ponto in Provinciam redacto.

Mithridates à filio proditur.

Cùm *Mithridates* novum contra Romanos exercitum contraxiſſet, multaſque ac fortes nationes Scytharum in Romanos concitâſſet, haberetque in animo per Thraciam & Illyricum in Gallias penetrare, ut inde per Alpes Italiam invaderet, ab hac militiâ multi ſuorum abhorrentes ad *Pharnacem* defecerunt. Dum autem alienatum à ſe filium obſervaret, qui in ſuo conſpectu Regnum occupaverat, cùm veneno non poſſet, cujus eſui & uſui diurno ſine noxâ aſſueverat, ſuo ſe gladio jugulavit.

Pompeii insignis triumphus.

Pompejus Provinciis omnibus pro libitu conſtitutis, & Imperii pomœriis ac reditibus quam plurimum dilatatis, exercitum in Italiam reduxit: metuebant multi ne *Pompejus* exercitum & Imperium exemplo amici ſui *Sylla* retinere vellet, quod ipſi perfacile fuit factu: ut tamen Brunduſium appulit exercitum dimiſit, & cum amicorum tantùm paucis Romam profectus eſt. Inexpectata hæc viri maximi modeſtia ſummâ benevolentiâ & gaudio ab omnibus accepta eſt, quanquam illum ex civitatibus multitudo Romam deduxit, etiam ſine milite quicquid libuiſſet facilè potuiſſet. Triumphum egit prioribus omnibus multò ſplendidiorem in *Alexandri Magni* Chlamyde, auri argentique facti infectique, gemmarum & armorum maxima copia in ærarium & armamentarium illata.

Ut triumphi ſplendor tranſiit, & cum cæteris in Senatu ſedere cœpit, ſtatim invenit proſpere ſe nimis exercitum dimiſiſſe; *Lucullus* enim, *Metellus*, *Cato*, & alii, uſque adeò ei palàm adverſati ſunt, ut militibus ſuis agrorum, quos pollicitus eſt, diviſionem, aut geſtorum ſuorum ratihabitionem à populo impetrare non potuerit; ergo ut honori ſuo evaneſcenti conſuleret, ad Tribunos plebis colendos neceſſe habuit ſe abjicere.

Pompejus profligatiſſimo Clodio adulatur.

Publius Clodius vir nobilis, ſed omni ſcelere coopertus ut Tribunatum adipiſceretur, ejeratâ nobilitate ad plebem ſe contulerat. Ut primùm hic magiſtratum nactus eſt, leges de annonâ gratis diſtribuendâ, aliaſque ad popularem auram captandam multas tulit, ita ut ſtatim in flagrantem plebis gratiam evaſerit: ad hoc ſcelus ambiendum *Pompejs* magnitudo ſe dimiſit etjam lege ſummè pudendâ, ut *M. Cicero* amicorum primarius libidini Clodianæ traderetur.

Ciceronem Clodius opprimit.

Dum in Aſiâ abeſſet *Pompejus*, *Catilina* cum magnâ proditorum manu parum abfuit quin Rempub. everterit, ab hujus conſpiratione *Cæſar* & *Craſſus* non alieni habebantur. Conſul *Cicero* ſummâ ſuâ prudentiâ peſtem hanc averterat, ſumpto de primariis conjuratorum ſupplicio, hinc apud multos vir optimus magnâ invidiâ flagrare, inprimis *Clodium*, qui id ſuper omnia ſtudebat, ut *Ciceronem* perderet: hoc fine obſtricto ſibi populo legem impetravit, ut capitale eſſet, ſi quis abſque populi judicio civem ullum vel necaret vel necâſſet, hoc rete uni *Tullio* tendebatur, eumque, nequicquam frendentibus omnibus bonis, dum *Pompejus* ſileret, ſolum vertere coëgit.

Cato junior Cypri Regem injuſtiſſimè Regno & vitâ ſpoliat.

Anteà *Catonem* ſpecie honoris populus urbe depulerat, legem enim tulit multò iniquiſſimam, ut *Ptolemæus Auleta* Regis Ægypti frater Regno ſuo Cypri ſpoliaretur, & maximæ ejus opes in fiſcum populi Romani redigerentur, abſque ullius in populum culpæ prætextu, *Catonemque* ad legis hujus executionem in Cyprum amandavit: proficiſcens *Cato* miſit ad *Ptolemæum*, ut populi Romani arbitrio ſe ſubmitteret, ſed ille injuriæ impatiens, & ſui contra Romanos defendendi impotens, ſibi manus intulit.

Cùm magnas opes è Cypro Romam *Cato* detuliſſet, omnes ei Præturam ante legitimam ætatem, ut optimè de Repub merito, offerebant, ſed noluit vir graviſſimus leges violare; poſteà tamen cum ad compeſcendam *Pompeji*, *Cæſaris*, & *Craſſi* potentiam, primò Præturam & mox Conſulatum peteret, in utrâque repulſam tulit, Triumvirorum amicis à viri virtute ſibi metuentibus.

Continuata fuit *Clodii* in populo potentia, donec viri furor in ipſum *Pompejum* erumperet, tum enim *Pompejus*, operâ maximè *Milonis*, *Ciceronem* revocavit ad *Clodium* ſupprimendum.

Pompeii, Cæſaris, & Craſſi triumviratus.

Aſpirabant intereà ad ſumma homines non minùs quàm *Pompejus* ambitioſi *Cæſar* & *Craſſus*; hic in maximis opibus, ille in extremâ inopiâ; dum in Hiſpaniam Proprætor vaderet *Cæſar*, amicis affirmavit deeſſe ſibi ut nihil haberet, bis mille quingenties mille drachmas, id eſt, quatuordecies centena quinquaginta octo millia, trecenta triginta coronatorum; tam inſanis largitionibus, etiam adhuc juvenis populum demereri ſtudebat: proficiſcentem in Provinciam creditores detinuerunt, donec *Craſſus* eorum importuniſſimus pro talentis quingentis fidejuſſiſſet; ut his nominibus ſatisfaceret, multum à Provincialibus pecuniæ exegit. Poſt Præturam Conſulatum invito valde *Catone* aſſequutus ad devinciendum ſibi populum, repugnante ſenatu leges agrarias tulit, equitibuſque, quibus vectigalia locata fuerant, tertiam partem remiſit. His beneficiis utroque ordine ſibi obſtri-

obſtricto, acta *Pompeji* publico edicto rata pronunciavit: inter ſe *Pompejum*, & *Craſſum* tricipitinum fœdus conſtituit, ut ipſi tres omnia pro ſuo arbitratu in Repub. sdminiſtrarent. *Cato*, *Cicero*, *Lucullus*, & alii multi Romanorum optimi contra triumviratum ſtabant, ſed fruſtrà: tanta eoim iſtorum trium inter ſe adunatorum potentia fuit, ut omnia pro libitu ſerreot, raperentque: *Cæſari* utraque Gallia, *Pompejo* Hiſpania ac Africa, *Craßo* Syria ac adjaeentes Provinciæ cum ampliſſimâ poteſtate, & quot vellent legionibus in quinquennium decretæ ſunt.

Pompejus Hiſpaniâ ſuis legatis *Petrejo* & *Afranio* commiſſâ, urbem & Italiam in ſuo Albano cum *Iuliâ* novâ nupiâ deliteſcens regebat.

Cæſar ſingulis æſtatibus nationes Galliæ ſubigebat, inter Alpes, Pyrenæos, Rhenum & Ararim: tempore hyberno in Galliam Ciſalpinam *Pompejum*, *Craſſum*, & alios amicos ex urbe ad ſe convocabat: quorum opera magiſtratus omnes in annum ſequentem ad ſuum nutum conſtituebat.

Craſſus à Parthis meritò necatur.

Craſſus in Aſiam profectus avaritiâ non minùs quàm ambitione cæcus Imperia ſomniabat non tantùm ultra *Pompeii* & *Luculli*, ſed ipſius *Alexandri* terminos. Parthos primùm nihil offendentes ſine populi juſſu voluit invadere; ut Euphratem tranſiit cum ceotum millium exercitu ſatis læta habuit ioitia, multæ Græcorum Coloniæ Romanorum quàm Parthorum amantiores ſuas portas aperuerunt. Imparati Parthi ad interiora Regni ſe recipiebant, ſed imprudenter *Craſſus* Babylonem & Seleuciam oegligens, & in Syriâ ad hyberna retrocedens Parthis copias colligeodi tempus conceſſit.

In Syriâ magnâ avaritiâ pecunias undique corraſit, templum Hieroſolymitanum, cui *Pompejus* pepercerat rapaciſſimè ſpoliavit, quicquid ibi auri argentique (ſi *Ioſepho* credimus) ad decem millia talentorum avexit. Sed en numinis vindictam: dum peſſimè conſultus Armeniæ viam Parthorum equis incommodam repudians per planos Meſopotamiæ campos vult iter facere, ex improviſo circumfunditur infioito Parthorum equitatu.

Orodes Rex *Armenum* Romanorum amicum vexabat, ſed *Surenas* primarius Parthicæ militiæ dux, quà vi, quà fraude, *Craßi* legiones tam malè mulctavit ut pauci cum *Caßio* fugientes in Syriam evaſerint; ipſe *Craſſus* poſt filium necatum confoditur: ejuſque caput in Armeniam ad *Orodem* mittitur, huic ille aurum liqueſactum infudit, ut tandem auri ſatias caperet mortuum, cujus fames in vivo nunquam potuit extiogui: *Surenam* quoque Rex, tantæ victoriæ gloriam ipſi invidens curavit interfici. Cùm fracti exercitûs reliquiis *Caßius* vir fortis & prudens triumphantes Parthos intra Meſopotamiæ fines cohibuit.

Cæſarem Senatus adegit ad bellum civile.

Remoto *Craſſo*, *Iuliáque Cæſaris* filiâ *Pompeii* uxore mortuâ, nihil ſuperfuit impedimenti, quod *Pompejum* & *Cæſarem* utrumque ad dominatum aſpirantem à mutuo in ſe invicem incurſu cohiberet. Impetraverat *Cæſar* à Populo ſuis largitionibus & niſu *Pompeji*, alterum Imperii Gallici quinquennium; poſſidebat *Pompejus* præter Hiſpanias & Africam, per procurationem rei frumentariæ, propè omnem tam intra quam extra urbem poteſtatem: Magiſtratus omnes annui à populo apertis largitionibus corrupto diſtribuebantur, multò ſeditioſiſſimè *Clodius* manu gladiatorum cioctus, in ipſis comitiis centenos aliquot adverſariorum occidit, ipſe mox occurrens in ſuburbano *Miloni*, ab eo eſt interfectus: Deditâ operâ *Pompejus* ad haſce confuſiones connivebat, ut ad eas corrigendas ipſi Dictatura imponeretur, ſed ab eo conſilio eum *Cato* dimovit, Conſulatus tamen ei ſoli omnium votis committitur.

Cùm ſic ſatisfactum eſſet *Pompejo*, metuere cœpit Senatus à *Cæſare*, quò ergo ejus tyrannidem anteverteret juſtam ejus potentiam acriter oimis & præmaturè præſcidit: ante finitum ſecundum quinquenoium Conſules ei imperium io Gallias & exercitum ademerunt: alterum ex cooſulibus *Cæſar* mille quingentorum talentorum dono in ſuas partes pertraxit, & Tribunum plebis *Curionem* ſummum ſuum inimicum majori pretio conciliavit. Tandem cùm Senatus Provinciæ & exercitus traditionem ante legitimum tempus urgeret, coontentus erat *Cæſar* omne ſuum imperium deponere, modò Ciſalpina Gallia cum duabus legionibus relinqueretur, idque ad comitia tantùm conſularia. Promiſit etiam abſque omni conditione rediturum ſe in urbem merè privatum, ſi modò *Pompejus* eidem legi ſtare vellet. Sed cùm hæc rejicerentur, & ad certum diem ſub pœnâ perduellionis exercitum dimittere mandaretur, confeſtim armatus Romam verſus movet, omnes in viâ urbes non magno cum labore capit. *Pompejus* cum ducentis Senatoribus fugit Brunduſium, & hinc trans ſuperum mare Dyrrachium. *Cæſar* in urbe ſat mitem ſe præſtitit, ærarium tamen effractum omni publicâ pecuniâ exhauſit; cùm parvo tempore totam Italiam in ſuam poteſtatem redegiſſet, ut veteranum *Pompeii* exercitum à quo maximè metuebat ſubigeret, in Hiſpaniam properavit; in viâ Maſſiliam multo multorum labore menſium deditione cepit: ut Pyrenæos ſuperavit aliquaodiu cum damno à *Petrejo* & *Afranio* repulſus

eſt, tandem tamen iis ſuperatis & totâ Hiſpaniâ receptâ Romam rediit & Dictaturam ſuſcepit, ſed ad dies tantum undecim exercuit. Brunduſium cum multis legionibus accedens, *Pompejo* mari dominante difficulter viginti quatuor millia militum in Epirum potuit trajicere, relictis cæteris cum *Antonio*.

Pugna Pharſalica. Primæ pugnæ *Pompejo* proſperæ fuerunt, ſed cùm cæteræ ſuæ legiones ab *Antonio Cæſari* eſſent transmiſſæ, tandem in Pharſaliâ Theſſaliæ totis viribus concurſum eſt. Cogitabat *Pompejus* equitatu ſuo ſiniſtrum *Cæſaris* cornu circumvenire, ſed ut prævisu huic male mederetur, *Cæſar* cohortes aliquot in acie quartâ collocavit, quibus *Pompeii* equitatum ſuo cornui inſultantem repulit, hiſque fugatis in nudum latus peditum irruit, ſtatimque totam *Pompeii* aciem profligavit: fugientes ad caſtra *Cæſar* inſequutus eſt, & hæc poſt brevem pugnam occupavit: *Pompejo* ſe cum paucis in Leſbum conferente, & illinc in Cyprum.

Ejus legatus *Scipio* Antiochiam & cæteras Aſiæ urbes crudeli ſuâ avaritiâ multùm vexaverat, hinc factum ut primum Pharſalicæ *Pompeii* calamitatis fama diffunderetur, promptiſſimè omnes Aſiæ civitates pro *Cæſaris* partibus ſe declararent: Reliquæ erant *Pompejo* in Græciâ ingentes tam terrâ quàm mari copiæ, ſed has ſummâ celeritate *Cæſar* perſequens ſine ſanguine omnes ſibi adjunxit.

Pompeji miſera mors. *Pompejus* à Cypriis rejectus cum parva claſſe prope Peluſium appulit: *Ptolemæus Auletes* Regni ſui initio Romanorum amicitiam ingenti pecunia redemerat. uno *Cæſare* ſuo & *Pompeii* nomine ſex millia talentorum accipiente, dum ad alienum hoc tam vaſtum æs diſſolvendum ſubditos vexaret, & ipſe pro Rege *Auleten* ageret, Alexandrini eum Regno ejecerunt, filiâ natu maximâ *Berenice* in Reginam conſtitutâ. Exul à Regno *Auletes* Romam fugit, dum metus eſſet ne ejus reducendi ſpecie *Pompejus* Dominum Reipub. ſe conſtitueret, ad populo Religionem movendam Pontifices evulgârunt vetare carmina *Sibyllina*, ne quis Romanorum Ægypti Regem exulem reduceret cum exercitu. Cùm hac arte annos aliquot *Ptolemæi* reditus impediretur, tandem clanculario *Pompeii* mandato *Gabinius* Syriæ Proconſul decies mille talentorum mercede conductus, *Ptolemæum* vi ſolio ſuo reddidit. Ob hoc facimus *Gabinius* licet *Pompeii* ope Majeſtatis crimine abſolutus, tamen populi odio repetundarum damnatus, aquâ & igni interdictus eſt. Utcunque *Pompeii* operâ regnare ſe *Ptolemæus* agnovit. Moriens majori filio *Dionyſio* & filiæ *Cleopatræ* Regnum reliquit: dum *Cleopatra* fratri & marito adhuc puero vult prædominari, bellum inter eorum aſſeclas erupit. Habebat *Ptolemæus* caſtra ad Peluſium: *Photinus* Eunuchus puerum gubernabat, *Achillas* exercitui præerat, adventus fugati *Pompeii* omnes terrebat; ſi rejicerent, viri magni inimicitias metuebant; ſi reciperent, imminebat victor *Cæſar*; ergo ſtatuunt receptum necare, mortui enim non mordent, & ex ipſius nece à *Cæſare* ſperabant gratiam. Cùm ad ipſos de ſuâ claſſe *Pompejus* deſcendiſſet, in piſcatoriâ navi deducitur ad littus, quaſi omnia à *Ptolemæo* accepturus, ſed in ipſâ navi in ſuorum conſpectu virum nuper maximum Ægyptii confodiunt, corpus in littore crematum libertus in arenâ ſepelivit. Caput abſciſſum *Cæſari* ſtatim ſequuto *Photinus* Alexandriæ tradit, unà cum annulo ſignatorio: capiti *Cæſar* illachrymavit, & *Pompeii* amicis dedit ſepeliendum.

Cæſaris pugna difficilis Alexandrina. Dum cum parvo admodum exercitu Alexandriæ commoratur *Cæſar*, difficili aliquandiu bello implicitus eſt, controverſias inter *Ptolemæum* & *Cleopatram* ut Populi Romani Conſul, ſecundum *Auletæ* Teſtamentum voluit determinare; ſed cum conſueviſſet cum *Cleopatrâ*, & iſta apud eum omnia poſſet, *Ptolemæus* totam Ægypti potentiam contra eum concitavit. *Cæſar* magno ſuo cum periculo Alexandrinos à Regiâ abarcet, & frequentes tam mari quàm terra conflictus habet, tandem cùm adveniſſent ex Syriâ legiones, victor evadit. *Photinum* contra ſe molientem inſidias necat. *Achillas Berenicen* majorem *Cleopatræ* ſororem Peluſium evocârat, & Reginam loco *Cleopatræ* conſtituerat, ſed hæc *Achillam*, ut ab ejus nimiâ potentiâ liberaretur, occidit. *Ptolemæus* puer in pugnâ necatus, & ad Nili ripam cœno obvolutus, demum in aureâ ſuâ loricâ repertus eſt. *Cæſar* ſublato ex *Cleopatrâ Cæſarione* pacatum Regnum reliquit minori *Ptolemæo* eâ lege, ut ei nuberet *Cleopatra*, & ſimul regnaret.

Pharnacem Cæſar perdit. Intereà tumultus fit Romæ ab *Annio Milone* ac *Cœlio* Tribuno plebis pro partibus Pompejanis factionem concitantibus, ſed uterque à Conſulibus mox oppreſſus eſt. *Cæſar* per Syriam & Ciliciam iter faciens, tantumque in urbibus moratus, dum omnia ad ſuum libitum conſtituiſſet, verſus *Pharnacem* in Bithyniam contendit. Hic non contentus Boſphori Regno à *Pompejo* ipſi poſt ſuum parricidium conceſſo, ad totam patris potentiam aſpiravit. Armeniam minorem, Cappadociam, ac Pontum occupavit, Proconſulem *Domitium* cum ſuis legionibus internecione prope delevit, ut in Pontum venit *Cæſar*, *Pharnaces* variis artibus properantem Romam conabatur eludere, ſed fraudem perſentiſcens *Cæſar*, præſentibus

bus copiis, quæ fuerunt parvæ, cum *Pharnacis* multò majoribus ſtatuit decertare, & ut venit ac vidit, illicò vicit, ægrè elabente ipſo *Pharnace*, ut poſteà legati ſui *Aſandri*, quem Regno Boſphori præfecerat manibus caderet, retaliante numine quam in patrem ante aooos quiodecim fraudem perpetrârunt.

Catonem & Pompejanos in Africâ ſubigit.

Ut Romam venit *Cæſar* urbaoaſque res compoſuit, ſtatim in Africam trajecit: miſſus huc fuerat à *Cæſare* cum aliquot legionibus *Curio* Tribunus primaria belli civilis fax: hunc *Attius Varus* Regis *Iubæ* auxilio cum omnibus copiis deleverat. A pugnâ Pharſalicâ *Marcus Cato* cum magnis Pompejaoorum virium reliquiis navigârat in Africam: hic magnis validiſque copiis contractis de trajiciendo io Italiam cogitabat, ſed prævenit *Cæſar* conſultâ ſuâ celeritate: *Pompejani* libenter omnes *Catoni* deferebant Imperium, ſed is in ordine Prætorio noluit. *Scipioni* Proconſuli ſe anteferri, præliis aliquot primis *Cæſariani* malè mulctati ſunt, ſed tandem *Cæſaris* fortuna ſuperavit ingenti hoſtium cum ſtrage. *Cato* tum temporis Uticæ ſubſiſtebat, auditâ *Cæſaris* victoriâ more ſolito cœnatus noctu ſuo ſe gladio jugulavit: *Petrejus* & *Iuba* inter ſe decertârunt, primò *Petrejum* poſteà ſeſe *Iuba* necavit.

Tumultuantem ſuum in Italiâ militem Cæſar dimittit.

Civitatibus omnibus maximâ pecuniâ mulctatis, & *Iubæ* Regno in provinciam redacto, Romam *Cæſar* rediit; & licet maximis donariis ſuos milites remuneraſſet, tamen cum ipſorum avaritiæ nihil niſi Italiæ & Romæ direptio ſatisfaceret, ſeditioſeque tumultuantes miſſionem peterent, *Cæſar* vultu placido omnibus Sacramentum militare remiſit & exauctoravit, perſoluto quod debebatur ſtipendio. Dum nullam ultra ſui operam requirere Imperatorem viderent, ſtatim ſublatâ voce ſupplices orare, ut in militiam quâ vellet lege reciperentur; hîc ille laudatos in priores ordioes diſtribuit, tantùm centenis aliquot ex maximè ſeditioſis in longinquas Carthagiois & Corinthi colonias diſperſis.

Pompeji filios in Hiſpaniâ ægrè vincit.

Intereà *Cnejus* & *Sextus Pompeii* filii cum *Labieno* & aliis exercitum validum in Hiſpania collegerant: præliis aliquot æquo Marte pugnatum eſt; ſed io ultimo ad Cordubam de ipſa vitâ non ut prius de victoriâ certaſſe ſe *Cæſar* faſſus eſt, dum *Cæſaris* veterani à *Pompejanis* vera virtute repreſſi retrocederent, ac difficillimè *Cæſaris* enixis precibus conſiſterent; at *Labyenus* cum aliquot cohortibus ad caſtra defendenda retrocedens, à ſui conſilii neſciis fugere putatus, omnes io fugam traxit, cùm in manibus haberent victoriam. Ibi triginta millia virorum fortiſſimorum trucidata ſunt cum ipſo *Labieno*, *Lucius Pompejus* multis vulneribus ſaucius ægrè cum paucis evadens poſt aliquot dies captus occiſus eſt: caput ad *Cæſarem* relatum ſepeliri juſſum eſt: Hiſpaniâ multâ cum cæde magnâque direptione pacatâ.

Cæſaris affectatio Regni Bruti & Senatorum conjurationem attrahit.

Cæſar finito omni bello civili quatuor triumphos duxit de *Gallis*, *Pharnace*, *Iuba*, ac *Hiſpanis*, inſanis ſumptibus quos à victis extorſerat. In eum tuoc Senatûs populique adulationis oullus fuit modus, *Dictator* io perpetuum, *Conſul* ad decennium conſtitutus, ædes publicæ datæ, omnis pecunia, omoes exercitus, omnes magiſtratus in ejus arbitrio poocbantur, ut Divo & ſemideo templa aræque erigebantur, ſed quod libertatis priſtinæ amantes maximè urebat, ad Regnum apertè aſpirabat. Dum in via ab adulatoribus Rex ſalutaretur, tacitè reſpondit *Cæſarem* ſe oon Regem vocari. Dum ad bellum Parthicum ſe compararet ex populi magno deſiderio delendæ, quam à Parthis in *Craſſi* cæde magnam ferebant, ignominiæ; finxerunt, *Cæſare* favente, Pontifices Sibyllioa oracula pronunciare oon poſſe Parthos à Romano niſi Rege ſuperari. In Lupercalibus *Antonius* in Conſulatu collega ad eum in aurea ſella acceſſit diadema ferens, quod ejus capiti impoſuit, orans populi nomioe ut Regis nomen & ioſignia vellet ferre, ſed ille modeſtè diadema ad *Iovem* in Capitolium miſit, uoum *Iovem* Romanorum Regem perhibens: attamen cum ex plebe quidam ejus imagioibus coronas & diademata impoſuiſſeot, & Tribuoi plebis diademata detraxiſſent, ac imponentes mulctaſſent, iratus *Cæſar* Tribunos illos magiſtratu pepulit, hinc io eum magna invidiæ nubes exorta eſt.

Reipub. utilia in pace Cæſaris opera.

Summâ quidem clementiâ ex adverſariis permultos bonis & dignitatibus reſtituit, multaque egregiè in commodum Reipub. in quinque illis annis quos à bello civili egit in quiete, excogitavit; inprimis anni & Calendarii reformatiooem, io quo ſolſtitia & æquiooctia, adeoque omnia feſta totos ſexaginta quinque dies retroceſſerant, ita ut oeceſſarium eſſet, in anno correcto ante primum *Iulianum* duos integros menſes ἐμβολιμαίους ioter Novembrem & Decembrem ioterjicere: ſed nullæ virtutes, nulla beneficia ad libertatem ſuper omnia aſpirantibus tyrannidem faciebant tolerabilem: itaque *M. Brutus Catonis* ex ſorore *Serviliâ* nepos, exiſtimatus ipſius *Cæſaris* filius ex ſtupro cum ea genitus, cum *Caſſio* & aliis ſexaginta ſenatoribus conſpirantibus Idibus Martiis in Seoatu, qui eo die io foro *Pompeii* habebatur, eum confodit.

Cæſaris miſera mors.

Calphurnia uxoris ſomoia, Aruſpices non litantes, Aſtrologi monita eo die ſuadebant domi ſe continere; mittebatque qui convocatum Senatum diſſolverent, ſed *Decius*

Brutus cui Galliam Provinciam cum multis legionibus tribuerat, oravit ne vellet ſuperſtitionibus indulgere: eo die conſtitutum, ut ſenatuſconſulto Rex omnium extra Italiam Provinciarum declararetur, ita manu prehendens domo deduxit. In viâ ab *Artemidoro Gnidio* ſchedula totum conjurationis jam multis communicatæ ordinem continens in manum tradita eſt: ſed legere diſtulit, occupatus variis de induſtriâ totâ viâ conjuratorum colloquiis: cùm in ſellâ ſediſſet & *Antonium Trebonius* extra Curiam detineret, *Tullius Cimber* pro fratris ab exilio revocatione orans, nec votum impetrans. *Cæſaris* purpuream à pectore togam divellit: ut ſignum hoc conſtitutum conjurati conſpexerunt, omnes cum pugionibus advolarunt, cum primis percuſſorum *Cæſar* aliquandiu colluctatus eſt, ſed ut *Brutum* in ſe ruentem vidit, tantùm effatus, & tu quoque mi fili caput togâ involvens ſe placidè in humum demiſit, unde tractus ad *Pompeii* effigiem ad ejus pedes viginti quinque vulneribus laceratus expiravit. Curaverat *Brutus* ne cædibus ultra graſſarentur, itaque *Antonius* trepidans domum evadere permiſſus eſt, & *Lepidus* qui magiſter equitum in ſuburbanis aliquot habebat legiones, conſternatus ſe continuit: populus cædem & direptiones metuens ſilebat: conjurati eâ nocte in Capitolio permanſerunt, die craſtino *M. Cicero* in Senatu peroravit de pace & oblivione antè actorum. Eò lubentiùs *Antonius* Conſul in hanc pacem conſenſit, quod ſibi non tantùm à conjuratis ſed etiam à *Lepido* & *Octavio* metueret. *Lepidus* qui Galliam Tranſalpinam cum multis legionibus poſſidebat, ad *Cæſaris* potentiam aſpirabat.

Octavius ſenatui ſervit contra Antonium & Lepidum.

Octavius Cæſaris ſororis ex filiâ *Attiâ* nepos, à *Cæſare* in nomen & familiam Teſtamento adoptatus, octodecim annorum adoleſcens Apolloniæ literis operam dabat, ut cædem avunculi magni jam patris adoptivi accepit, ſtatim ſe Brunduſium contulit, hic ſe contra matris *Attiæ* & vitrici *Philippi* mentem hæredem *Cæſaris* profeſſus eſt, & pecuniam ac apparatum ad bellum Parthicum Brunduſii depoſitum occupavit, inde donativa veteranis liberaliter diſtribuit, plura pollicitus in poſterum. Hac arte militum gratiâ acquiſitâ Romam venit, & amicè ſatis à Senatu, omnibuſque patris neceſſariis acceptus eſt, præterquam ab *Antonio*; hic enim etſi aperto *Cæſaris* Teſtamento & pro ſuo arbitrio corrupto plebem contra conjuratos concitâſſet, & laceratum cadaver in foro ſpectandum, ad augendam invidiam propoſuiſſet, tamen cùm in animo haberet *Cæſaris* ſe in tyranoide ſucceſſorem conſtituere, *Octavium* ut puerum ſpernebat.

Prima ei cura fuit *Decium Brutum* Ciſalpinâ Galliâ ſuâ Provinciâ ſpoliare. Hunc dum Mutinæ obſidet, Senatus, qui tum à *Cicerone* totus pendebat, hoſtem dixit, & ad eum perſequendum *Octavium* cum exercitu miſit: dum ad Mutinam *Octavius* & *Antonius* decertant, novi Conſules *Hirtius* & *Panſa* à Senatu mittuntur, qui copias cum *Octavio* conjungerent, inprimis ut debellato *Antonio*, *Octavii* milites ad ſe abſtraherent, id ſatis perſpiciens *Octavius* diſſimulavit, ſed in prælio contra *Antonium* utroque Conſule cadente, non inſcio, ut putabatur, *Octavio*, facilè hic *Antonium* jam victum à Mutinæ obſidione depulit. Noluit tamen cum *Decio Bruto* à ſe liberato redire in gratiam, quòd conjuratorum in patrem hoſtem ſe perpetuum & vindicem fore juráſſet.

Senatus ab *Octavio* ſibi metuens *Marcum Brutum* in Macedoniam, & *Cajum Caſſium* in Syriam ſubmiſerat, Provincias milite & pecuniâ ad bellum Parthicum deſtinatis plenas; *Decio Bruto* in annum ſequentem Conſule deſignato eique ſoli bello contra *Antonium* commiſſo.

Octavius cum Antonio & Lepido ſe jungit in crudeliſſimo triumviratu.

Octavius his aliiſque à Senatu contumeliis irritatus exercitum ſuum ſubornavit, ut ſibi pecuniam & ſuo Imperatori Conſulatum ac triumphum poſtularet, cùm iſta Senatus negaſſet, ſtatim *Octavius* cum octo legionibus ad urbem ſe contulit, & tum plura petitis conceſſa ſunt. Cùm conſul eſſet renunciatus, omniſque etiam ſupra leges poteſtas ei concederetur, confeſtim judices conſtituit, qui cauſâ cognitâ omnes patris percuſſores proſcripſerunt, ipſe cum quantis voluit copiis contra *Antonium* profectus eſt.

Conjunxerat ſe *Antonius* cum *Lepido*, quapropter etiam *Lepidus* à Senatu dictus eſt hoſtis, ſed hic cum *Antonio* convertit ſe in urbem, poſtquam *Decium Brutum* ab exercitu ſuo relictum cepiſſet, & *Antonii* juſſu obtruncâſſet. Convenerat priùs clàm *Octavio* cum *Lepido* & *Antonio*, Ergo *Octavius* per Collegam & conſobrinum *Quintum Pedium* tulit ad Senatum ut priore decreto abolito *Antonius* & *Lepidus* ex hoſtibus pronunciarentur amici, Senatus oppreſſus nihil audebat tyranno denegare, itaque apertè *Octavius* cum utroque reconciliatus copias junxit, & Bononiæ per triduum ſoli colloquuti convenerunt, ut triumviratus ad quinquennium inſtitueretur cum poteſtate Conſulari. *Octavius* & *Antonius Brutum* & *Caſſium* perſequerentur, *Lepidus* maneret in urbe Conſul cum tribus legionibus, proſcriberentur omnes inimici quos quiſquam ex tribus nominâſſet. Fuit hæc proſcriptio triplo major & crudelior *Syllanâ*: ducentorum ſenatorum

& bis

& bis mille equitum nomina ſunt edita, *Ciceronem Octavius* conceſſit *Antonio*, & hic avunculum *Lucium Caſarem Octavio*, & *Lepidus* ſuum fratrem germanum proſcribi paſſus eſt. Cùm triumviri veniſſent in urbem & crudeliſſimè omnia ſanguine & rapinis miſcuiſſent, magiſtratus omnes ad quinquennium pro ſuo arbitrio dixerunt.

Dolobellam Caſſius opprimit.

Antonius Brunduſium, *Octavius* Rhegium cum ſuis legionibus conceſſerunt, *Dolobella* viginti quinque annorum juvenis deſignatus à *Iulio* ſibi in Conſulatu ſucceſſor, eo mortuo ſtatim magiſtratum invaſit, & conjuratos publicè laudavit; ſed cum *Antonio* rediens in gratiam in Aſiam cum imperio conſulari trajecit: *Trebonium* Proconſulem amicè conventum Smyrnæ obtruncari fecit, & caput in ſtratis ut pilam à militibus huc illuc impelli: hunc *Caſſius* Laodiceæ obſedit, & captâ urbe ad αὐτοφονίαν adegit.

Miſerat *Antonius* ſuum fratrem *Cajum* in Macedoniam contra *Brutum*, *Caii* milites ad *Brutum* transfugerunt, ipſe *Cajus* à *Bruto* benignè habitus eſt, donec *Decius Brutus* ab *Antonio* occiſus eſſet, tum quidem *Cajus* in *Lecu* vindictam à *Bruto* cædi juſſus eſt.

In atrociſſimâ Philippenſi pugnâ vincuntur Caſſius & Brutus.

Octavius Rhegii, cum *Sexto Pompejo* Siciliæ tum domino variis prælijs navalibus fruſtra decertavit, & *Antonius* Brunduſii cum claſſe *Bruti*. Tandem omnes utrinque copiæ juxta Philippos Macedoniæ convenerunt: *Brutus* & *Caſſius* habebant in caſtris octoginta peditum & viginti equitum millia, *Octavius Caſar* & *Antonius* plures pedites, nec equites multò pauciores. Nunquam plures Romani in uno campo ſteterunt, nec unquam cauſa major aut ferocior pugna: dum *Caſar* ſeu valetudine, ſeu ſomnio detentus abeſſet caſtris, ex occaſione obſtinatæ velitationis totis viribus concurſum eſt æquali damno; nam *Caſaris* caſtris potitus eſt *Brutus*, & *Caſſii Antonius*. *Caſſius* dolore & pudore confuſus ob amiſſionem caſtrorum, pulverulento cœlo impediente ne poſſet *Bruti* cognoſcere fortunam, miſit qui percunctaretur: Legato *Caſſii* occurrit turma à *Bruto* miſſa cum nuncio ſuæ victoriæ, ab hac turmâ circumfuſum ſuum legatum vidit *Caſſius*, nec ſtatim ad ſe præ lætitiâ redeuntem, putans ergo turmam illam hoſtilem ad ſe capiendum properantem, quaſi re totâ deſperatâ ſibi manus intulit. Gravis hæc *Bruto* plaga fuit & cauſa ruinæ, multò enim *Caſſius Bruto* in milites ſeverior & majoris auctoritatis.

Cum eo die exæquata eſſet victoria, aliquandiu utrinque in caſtris remanſum: *Brutus* omni operâ cavebat à prælio, ſine ſudore & ſanguine victoriam expectans, potens enim maris in diebus paucis hoſtes fame domitum iri cernebat. *Sextus* etiam *Pompejus* parabat in Italiam arma, occupaturus urbem, eò ardentiùs *Caſar* & *Antonius* prælium deſiderabant, ad id *Brutum* milites ſui invitum compulere. Miles *Bruti* victoriæ certus per Centuriones & Tribunos ſuo ardore & votis ſeditioni proximis pugnam *Bruto* extorſerunt. Diu ſummâ vi & arte pugnatum, duce & milite graviſſimè ſua officia præſtantibus, tandem vicit *Caſar*, ex ducentis millibus Romanorum ſuperfuere utrinque ad quatuordecim, æquato cæſorum numero: cæſis centum ſeptuaginta millibus & ultra: ſed *Brutus*, cùm ſua caſtra *Caſar* cepiſſet, & reliquæ ſuæ legiones à *Caſare* pacem poſtulare decreviſſent, ſervi operâ vitæ ſuæ finem impoſuit. In eo Romanæ Reipub. libertas in æternum periit. Divinæ Providentiæ viſum eſt, multò pejori parti victoriam indulgere, triumviri crudeliſſimi & avariſſimi tyranni ſceleribus quam plurimis cooperti; Reipub. verò ductores viri erant, virtute, literis, & æquitate præſtantiſſimi, pro legitimâ patriæ libertate decertantes: adorandæ ſunt inveſtigabiles viæ Domini. Percuſſores *Caſaris* rei erant ſubdolæ & ingratæ cædis, etſi hominis ſatis mortem merentis. A multis annis eâ ſuit avaritiâ, crudelitate atque ſuperbiâ populus Romanus, ut unius tyranni frænum cœlitùs poſtularet, nec à Senatu virorum juſtorum ac gravium gubernari poſſet.

Triumviri inter ſe dividunt orbem.

Poſt pugnam Philippicam victores orbem Romanum inter ſe diviſerunt, *Octavius* & *Antonius* parvi pendentes *Lepidum*; *Antonius* Græciam, Aſiam, & Orientales provincias ſibi ſumpſit cum bello Parthico, Occidentem cum bello Siculo relinquens *Octavio*, civitates Aſiæ congregavit Epheſi, & quòd *Caſſium* contra ſe licet inviti juviſſent, novem annorum tributo perſolvendo mulctavit.

Antonius Cleopatræ retibus capitur.

Cleopatram in Ciliciam evocavit, à quâ ſtatim captus eſt ad utriuſque perniciem; praviſſima mulier & artis meretriciæ magiſtra virum ineautum ita ſuis retibus illaqueavit, ut nunquam niſi mortuus iis ſe potuerit extricare. In *Cleopatræ* gratiam fratrem & maritum *Ptolemaum* minorem cum ſorore *Arſinoe* necavit.

Antonius Parthos fruſtra invadit.

Contra Parthos duxit peditum Romani nominis ad millia ſeptuaginta, cum equitum millibus duodecim, & auxiliariorum millibus triginta: vir aliàs fortiſſimus & magnæ cùm induſtriæ tum prudentiæ, ita *Cleopatræ* lenociniis dementabatur, ut poſt eam viſam mentis vix eſſet compos. Cùm Euphratis vada munita reperiſſet, iter per Armeniam faciens Phraata Mediæ regiam obſedit, multis hic præliis ſine fructu commiſſis cùm commeatu laborare cœpiſſet, in

Syriam rediit amiſſâ quartâ exercitûs parte, victorem tamen ſe prædicabat, quòd Parthorum manibus eſſet elapſus.

Fulvia Antonii bellum inter Marjtum & Octavium movet.

Octavius dum promiſſos in Italia agros militi diſtribuit, in varias incidit difficultates: magnus erat Italorum numerus qui ſuis agris, domibuſque militibus cedere coacti ſunt, inſolentia etiam militaris multos alios Coloniis vicinos vexabat. *Fulvia Antonii* uxor, magni & inquieti animi virago, dolebat quòd in ſe unum *Octavius* agrorum diſtributionem recepiſſet, volebar etiam maritum *Antonium* in Italiam à *Cleopatra* vel neceſſitate belli abſtrahere: tot illa *Octavium* contumeliis afficiebar, ut ejus filiam repudiaret, imperioſa mulier Senatui ac toti urbi inſolentiùs quàm unquam maritus *Antonius* dominabatur. Ad *Lucium Antonium* Conſulem Triumviri fratrem oppreſſi à *Cæſaris* milite confugiebant: ei urbs atque Italia plus quam *Octavio* favebant. Hac fiduciâ & *Fulvia* impetu contra *Octavium* arma ſumit *Lucius*, ſed poſt aliquot prælia Peruſii obſidione cinctus *Octavio* ſe dedidit ſine conditione, & benignè acceptus eſt: ita legionum Italicarum omnium *Octavius* evaſit dominus, *Lepidum* etiam in Africam detruſit, Galliâ Hiſpaniaque ab eo abſtractis.

Redeunt illi in gratiam iſtâ mortuâ.

Dum magno cum exercitu *Antonius* contra *Octavium* veniſſet Brundulium, maxima belli fax *Fulvia* expiravit, ut nuper *Marcellus Octavia*: exercitus utriuſque duces cupiebant reconciliari; amicorum interventu pax coiit *Octavia Antonio* tradita in uxorem, uterque *Cæſar* & *Antonius* Romæ ſummo cum honore recepti, *Sextum Pompeium* Siciliâ ejicere parabant, ſed cum eo in gratiam inviti redire coacti ſunt, tenebat ille ſuâ claſſe mare Ionium, tantaque vigilantiâ portus omnes Italiæ obſtruxit, ut populus Romæ inediâ oppreſſus pacem cum *Pompeio* ubique clamaret, eam dum *Cæſar* & *Antonius* differunt, uterque à famelica plebe lapidibus pene obrutus eſt; neceſſe ergo habent *Pompeio* pacis conditiones pro ſuo placito largiri: dum in unâ triremi cum *Pompeio* ad convivium ferrentur, inſuſurravit *Pompeio Menodorus* libertus videri commodum ut uterque confoderetur, retulit *Pompeius* hoc non incommodum, ſi ſe inconſulto perpetratum fuiſſet, ſed ſibi non licere maximo commodo perjurium redimere.

Uterque cogitur pacem Sexto Pompeio dare.

Redeunte in Aſiam *Antonio*, *Cæſar* in Dalmatia ad urbem Setoviam æger, decubuit per multos dies lapide genu læſo.

Ventidius Parthos invidente Antonio frangit.

Labienus Iulus Cæſaris Legati filius à *Caßio* ad *Orodem* Parthum ob auxilia miſſus, debellato *Caßio* apud Parthos remanſit: dum cum *Cleopatrâ* deliciaretur *Antonius*, ſuaſit *Orodi Labienus* contra Romanos arma ſumere; ipſe cum *Pacoro Orodis* filio in Syriam & Aſiam irrumpens multis præliis Romanos fregit, totamque Syriam Parthico Imperio adjunxit, ſed ſedente Alexandriæ *Antonio*, ejus Legatus *Ventidius* quater aut quinquies contra Parthos feliciter pugnavit, tam *Labieno* quàm *Pacoro* cæſis, hinc ſplendidum & gratum populo Romæ triumphum egit *Ventidius*, noluit autem ultrà ejus operâ *Antonius* uti, neque tamen ipſe quicquam contra Parthos pro ſuâ dignitate præſtitit, licet annis ſingulis aliquid conatus, & egregiæ rei benè gerendæ occaſiones ſeſe offerrent: *Orodes* enim occiſo *Pacoro* penè mutus & amens factus ex triginta filiis dubitabat quem nominaret ſucceſſorem, tandem omnium ineptiſſimum *Phraatem* elegit. Hic primò omnes fratres, poſteà patrem, denique ex nobilibus primarios necavit, contra hanc belluam facile fuiſſet *Antonio* bellum, niſi *Cleopatra* amoribus irretitus deſidiâ elanguiſſet.

Octavius Pompeium & Lepidum debellat.

Intereà non ceſſabat *Octavius*, nam contra *Pompeium* arma reſumens *Lepidum* ex Africa evocavit inopem; conjunctis copiis maximis diuturnum & admodum difficile bellum expertus eſt, variis tempeſtatibus & adverſis præliis vitæ diſcrimen aliquoties adiit; neſcivit tamen uti victoriâ *Sextus*, itaque tandem magnâ navali pugnâ victus fugit in Aſiam ad *Antonium*. Copiæ *Pompeii* terreſtres non *Octavio* ſed *Lepido* ſe dediderunt: hic viginti legionibus cinctus *Lepidus Octavium* adoriri cogitabat, ſed prævenit *Octavius*, & tantâ arte *Lepidi* duces tractavit, ut mox ad eum totus *Lepidi* exercitus transfugeret, & ipſe in veſte ſordida ad *Octavii* genua ſupplex procumberet: vitam *Lepido* indulſit *Octavius*, ſed in exilio.

Pompeium necat Antonius.

Sextus Pompeius ut in Aſiam venit, miſit in Ægyptum ad *Antonium* legatos, & alios ad *Phraatem* Parthum, benè ſatis erga *Pompeium* affectus erat *Antonius*, licet ejus ad Parthum legatos comprehendiſſet, ſed ut in Aſia parantem arma deprehendit, mandavit interfici.

Octavius Antonium pugnâ Actiacâ vincit.

Res jam tota Romana ſine æmulis ad *Octavium* & *Antonium* devenerat, hos invidia & ſuperbia quieſcere non ſinebat; bellare cupientibus nunquam deſunt cauſæ. Querebatur *Antonius* omnes tam *Lepidi* quàm *Pompeii* legiones & ditiones ab *Octavio* occupatas ſe excluſo: Expoſtulabat *Octavius Pompeium* à ſe dimiſſum necatum ab *Antonio*, *Artovaſdem Armenum* fraude captum Alexandriæ ductum in triumpho, *Cleopatra* multas Romani Imperii Provincias datas; Syriam, Cyprum, aliaſque ejus filium *Cæſarionem Cæſaris* legitimum vocatum, ſe à familia & ſucceſſione *Cæſaris* extruſo. Hæc & alia æmulos ad arma vocârunt:

runt: maximus utrinque fuit apparatus, ſed major *Antonii* promptiorque: deerat *Octavio* pecunia quæ *Antonio* ſuperfluebat: conabatur *Antonius* in octingentis navibus ſupra centies mille exercitum in Italiam adducere, ſed *Marcus Agrippa* in claſſe *Cæſaris* occurrens, effecit ut in Peloponneſo cum omnibus ſuis copiis *Antonius* hybernaret, claſſe ſuâ in ſinum Actiacum ſubducta: *Octavius* ſuam claſſem, exercitumque eodem appulit: inter propinquos frequentes fuerunt pugnæ, ſed parum ad rei ſummam; tandem malè conſultus *Antonius* decrevit navali prælio ſuarum fortunarum aleam committere, multis repugnantibus amicis qui ipſum tam pedeſtribus quàm equeſtribus copiis *Cæſare* validiorem, & terreſtris quàm maritimæ pugnæ peritiorem cognoſcebant, ſed *Cleopatra* ipſius perpetua calamitas, quo ipſa faciliùs fugeret perſuaſit navale prælium. Anceps diu certamen fuit, pugnæ principio *Cleopatra* cum ſuis Ægyptiis velis expanſis fugit, eam demens *Antonius* ſequutus eſt ejus tamen claſſis licet à duce deſerta prope ad noctem certare perſeveravit, tandem *Octavius* pugnans flammis victor evaſit. Habebat in littore *Antonius* adhuc integras virorum fortium legiones novemdecim & duodecim millia equitum, hi diebus totis ſeptem *Antonium* expectârunt nullo *Cæſaris* juſſu ſe dedere volentes, tandem tamen cum nuſquam appareret ipſorum Imperator, *Octavio* manus præbuerunt.

Hìc jam defunctus *Octavius* omni civili bello, totiuſque Romani orbis Dominus Brunduſium contendit, illic eum Senatus ac propè tota urbs convenit, totius Imperii negotia paucis ibi diebus tranſegit accelerans in Ægyptum ad *Antonium*. In Aſiâ multæ ab *Antonio* ac *Cleopatrâ* legationes cum ingentibus donis occurrerunt, accepit dona *Antonio* nihil reſpondens, ſed *Cleopatra* miſit nuncium qui pacem, ſi *Antonium* occidiſſet, offerret, nequiſſima mulier huic nuncio animum adhibuit, & licet bellum contra *Cæſarem* ſimularet, tamen accedenti Peluſium *Cæſari* ex ſecreto *Cleopatra* mandato urbs eſt tradita; hinc properavit *Cæſar* Alexandriam, ſtatuebat *Antonius* claſſe decertare, ſed ex clandeſtino *Cleopatra* imperio claſſis Ægyptia ad *Cæſarem* tranſiit, hoc nuncio *Cleopatra* quaſi territa ad ſuum Mauſoleum confugit, fingens velle ſe ſibi ſtatim mortem conſciſcere eo fine ut *Antonius* ejus mortis famam audiens ſibi manus inferret, & ipſi ad *Cæſarem* pateret tranſeundi via. Ingreſſa Mauſoleum ubi theſauros & gemmas ſummi pretii recondiderat, aditus omnes obſtruxit ferens ſecum aſpidem & ignem, ut ſi *Cæſar* quæ peteret, abnuiſſet, viperæ punctu facili letho expiraret, & igni à *Cæſaris* manibus omnia ſua bona eriperet. Dum mortis *Cleopatra* fama ad *Antonium* venit, ſuo ille gladio incumbens in terram cecidit, ſed cùm de Mauſoleo *Cleopatra* moribundum *Antonium* aſpectaret, Ægyptii ob vivam *Cleopatram* ſublato clamore *Antonium* à lethali ſomno excitârunt. Hic dum adhuc aliquis remaneret ſpiritus, trochleæ funibus attolli ſe fecit in Mauſoleum, & in *Cleopatra* gremio expiravit. *Antonii & Cleopatra autophonia.*

Deſideravit valdè *Cæſar Cleopatram* vivam in manibus habere, tum ut ab incendendo theſauro abarceret, tum ut eam in triumpho duceret: eo fine cum multis blanda ſatis verba mittebat: hinc in ſpem devenit *Cleopatra* poſſe ſe *Octavium* ſuâ formâ lenociniiſque captare, prout *Iulium* & *Antonium* ceperat, concedente *Octavio* privatum colloquium de Mauſeolo deſcendit, ſed cum *Octavium* animadvertiſſet ſuis artibus nolle capi, & metueret multò ſupra mortem Romæ in triumpho duci, ſcriptis ad *Octavium* literis quibus orabat cum *Antonio* contumulari, aſpidem brachio admovens levi ejus punctura ſtatim expiravit. *Octavius Antonium* cum *Cleopatrâ* ſecundum ipſorum vota honorificè eodem tumulo clauſit, ſed *Antillum Antonii* ex *Fulvia* filium & *Cæſarionem* necavit, *Cleopatram* filiam *Iuba* dedit in uxorem unà cum patris ſui Regno Mauritaniæ commiſſis ei *Alexandro* & *Ptolemæo Antonii* ex *Cleopatrâ* filiis, Ægyptum in Provinciam redegit.

Hiſce confectis viâ Syriæ & Ciliciæ in Græciam & Italiam contendit. Cùm totum Imperium pacaſſet, & ſplendidos egiſſet triumphos, urbemque ac populum multis beneficiis affeciſſet, & Senatum ex ſuis compoſuiſſet, in Curia oratione gravi ſimulavit velle ſe deponere Imperium, & privatum vivere, ita tamen omnia præparaverat, ut totus Senatus Populuſque eum ſupplices enixè rogarint ut vellet in Imperio abſoluto perſeverare: annuit tandem quaſi coactus in decennium Imperii onus reſumere. *Auguſtus vult ſe cogi ad ſuſcipiendum Imperium.*

Marcus Vipſanius Agrippa fortiſſimam & fidiſſimam tam in bello quàm pace ipſi operam navavit, homo modeſtiſſimus & cautiſſimus omnibus ſuis egregiè factis *Octavii* nomen prætendens, hac arte tantum fiduciæ apud *Octavium* meruit, ut eum omnibus mortalibus anteferret. Abſtraxerat *Octavius* à *Tiberio Nerone* uxorem *Liviam Druſillam*, repudiata ſua *Scribonia* quæ ipſi *Iuliam* pepererat: *Liviæ* duo erant filii *Tiberius* & *Druſus*, ſed *Octavio* ſterilis fuit. Ex ſorore *Auguſti Octaviâ Marcellus* ſuſtulit duo liberos, *Marcellum* quem *Auguſtus* adoptavit in ſpem ſucceſſionis, eique *Iuliam* ſuam collocavit, filiamque *Marcellam* quam *Agrippæ* dedit in uxorem. Cùm lethali morbo aliquando decumberet, nullum *Octavii proſapia.*

voluit

voluit nominare ſucceſſorem, annulum tamen ſuum *Agrippæ* non *Marcello* præbuit, hinc *Marcelli* in *Agrippam* levirum offenſio. Cùm convaluiſſet *Auguſtus*, legavit *Agrippam* in Syriam, ut à *Marcelli* invidia conſpectuque ſubduceretur, ſed mox *Marcellus* in juventutis introitu interiit morbo, virtutum ſuarum multo apud omnes relicto deſiderio.

Auguſtus Agrippam Marcello ſubſtituit, mandans ut dimiſſa *Marcellâ Iuliam Marcelli* duceret, hæc illi tres filios peperit, *Cajum*, *Lucium*, & *Agrippam* poſthumum. Quæ habebat *Auguſtus* bella in Ponto, Pannonia, & Cantabria, *Agrippa* feliciter adminiſtravit, ipſe *Cæſar* pacato agmine peragrata Gallia, Hiſpania, Græcia, & Aſia, provincias omnes ordinavit: Romam reverſus cives Romanos in ſuo cenſu quadragies centies mille numeravit, Senatores ad trecentos ſtatuit reducere, ſed metu invidiæ ſexcentos admiſit.

Iulia flagitia. Dum à bello Pannonico rediret *Agrippa*, antequam in urbem venit, in Campania decumbens exſpiravit. Donec adoleſcerent *Agrippæ* filii *Tiberium* privignum rebus domi foriſque regendis *Auguſtus* præfecit, illique *Iuliam* filiam *Agrippæ* viduam dedit ducendam. *Tiberius* multis bellis ſatis feliciter defunctus eſt, ſed cùm *Cajus* & *Lucius* ad virilem ætatem perveniſſent, ne eos offenderet, in Rhodum ſeceſſit, ubi variis annis in magna modeſtia, & rerum publicarum incuria delituit. Uxor *Iulia* Romæ remanſit: mulierum hæc multò ſpurciſſima evaſerat, dum multa ejus adulteria ad patris tandem aures acceſſiſſent, is adulterorum alios morte, alios exilio punivit, ipſam in inſulam deportari fecit, ut in exilio moreretur, miſſo ei priùs nomine *Tiberii* libello repudii: hoc pudore confuſus diu à publico abſtinuit. Certè in hoc puniendo flagitio juſtum ſe præbuiſſet judicem, niſi ipſe ſimili crimini fuiſſet affinis, in nimia cum *Mecænatis Terentiâ* familiaritate.

Caius & Lucius Liviæ artibus pereunt. Ut primùm *Cajus* & *Lucius* militiæ laboribus ferendis erant, illum in Aſiam contra Parthos, qui minorem Armeniam rapuerant, hunc in Hiſpaniam ad exercitum miſit: ſed *Lucius* ut primùm venit Maſſiliam morbo correptus interiit, nec diu *Cajus* ſupervixit. *Phraates* quidem Parthus ab eo metuens Armeniam minorem ſtatim reddidit: ſed dum eſſet in Armenia toto inſpectante exercitu dederat *Domnes* ſchedulam quaſi theſauri, hanc dum attentiùs legeret *Cajus*, magnum ei vulnus *Domnes* inflixit, ſtatim quidem à circumſtantibus hic eſt conciſus, *Cajus* tamen diu ex eo vulnere laboravit, animo etiam in viria prono voluit in Aſia commorari, nec niſi ægrè Romam revocanti avo paruit; in via ſeu morbo ſeu *Liviæ* fraude periit, quarto, ſecundum *Salianum*, poſt Chriſtum anno.

Mortuo *Cajo* tertium ſuum nepotem *Agrippam* poſthumum *Auguſtus* adoptavit: ſed tam pravos ſtatim ejus mores comperit, ut adoptionem illam mox irritam fecerit, & *Agrippam* relegaverit in Inſulam. *Etiam Agrippa Poſthumus.* Ergò *Tiberius*, ſecundum matris votum ex ſuo ſeceſſu Rhodio revocatus eum fratre *Druſo* adoptatus eſt. *Druſus* in Germanico bello aliquot annos verſatus ſatis proſperè, ex morbo interiit, relicto *Germanico* & *Claudio* filiis.

Solus *Tiberius Auguſto* in ſenectutis fulcrum relictus erat: per hunc varia bella in Dalmatia & Illyrico confecit; *Quintilius* tamen *Varus* in Belgio cum tribus integris legionibus, equitibuſque & auxiliis ab *Arminio* deletus eſt. Effecerat *Auguſtus* ut *Germanicus* à *Tiberio* patruo adoptaretur, ut per *Germanicum* proſperè ſatis bellum in Belgio adminiſtratum eſt.

Tandem ingraveſcente ſenio *Auguſtus* anno ætatis ſeptuageſimo ſexto, dum Beneventum uſque *Tiberium* Illyricum verſus deduxiſſet, rediens Romam Nolæ in Campania expiravit. *Auguſtum Livia necat.* Maturâſſe mortem creditur, quòd *Agrippam* in Inſula Planaria inviſiſſet. Itinere hoc licet ſecretiſſimo ad *Liviam* emanante, illa ficus aliquot in arbore pendentes veneno aſperſiſſe fertur, quas *Auguſtus* decerpens & comedens, dum ipſa integras carperet, ex profluvio ventris placidè expiravit.

Tiberius properis à matre nunciis acceſſitus vix ſpirantem invenit, & licet ſtatim exercitum & Imperium omne arripuerit, vix tamen & ægrè valdè imperandi onus à ſupplice Senatu ſibi impoſitum admittere ſe poſſe ſimulavit, anno ætatis quinquageſimo quinto. *Tiberio difficulter Senatus perſuadet imperare.*

Prima cura fuit immiſſo Centurione *Agrippam* confodere; ſecunda, *Iuliam* olim uxorem ſuam poſt annorum viginti exilium Rhegii tabe & inediâ conficere. *Auguſti* honorificè in campo Martio cremati reliquiæ in Mauſoleo repoſitæ ſunt, dum quidam eques juràſſet vidiſſe ſe *Auguſtum* in cœlum aſcendere, *Auguſtus* in divorum numerum relatus eſt, & perjurus eques multâ pecuniâ à *Livia* remuneratur.

Verumenimverò redeamus jam ad res Judæorum & eas ad *Chriſti* natalem, & quæ mox ſequuta eſt, *Herodis Magni* mortem deducamus. *Res Iudæorum à ſolo Ioſepho.* Auctor hic nobis *Ioſephus* unus ſupereſt, quæcunque enim *Salianus*, *Torniellus*, *Capellus*, *Uſſerius*, *Roſa*, & alii de rebus tunc Judaicis referunt, ea omnia ex uno *Ioſepho* hauriunt. Quæ addit *Gorionides* fide digna non ſunt, licet doctiſſimus *Munſterus* textum ejus Hebraicum verſione & notis dignatus ſit.

Poſt

Antipater ſuo Romanorum cultu impetrat in Judæos imperium.

Poſt capta à *Pompejo* Hieroſolyma, & Judæam Romano tributo ſubjectam, aliquandiu in carcere *Ariſtobulus* Romæ vinctus degit, donec Tribunns plebis *Clodius* malè in *Pompejum* animatus tùm *Tygranem* tum *Ariſtobulum* libernm dimiſit,ut primùm in Judæam venit ad eum exercitns confluxit, ſed hunc *Gabinius* Syriæ Prætor diſſipavit quinque millibus cæſis,& ipſo *Ariſtobulo* poſt vulnera capto, ac Romam in vinculis remiſſo, quia tamen uxor *Caſtella Gabinio* tradidit, omnes liberi *Alexander* & *Antigonus*, duæque filiæ Româ liberi dimiſſi ſunt. Exorto civili bello cum *Cæſar* Romam veniſſet, *Ariſtobulum* carcere liberatum parabat cnm duabus cohortibus in Syriam legare, ſed in via à Pompejanis veneno ſublatns eſt: ejus filius *Alexander* arma aliquoties inſeliciter tentans juſſu *Pompeji* à *Scipione* Syriæ Præſide ſecuri Antiochiæ percuſſus eſt. Intereà *Hircano* Hieroſolymis Regium nomen tenente, *Antipater* Idumæus omnia domi foriſque adminiſtrabat, *Gabinium* in Ægyptnm *Ptolemæum* reducentem armis pecuniiſque adjnvit. *Caßio* poſt *Craßi* calamitatem in Syria exercitum pecuniamque contra Parthos colligenti gnavam & gratam operam præſtitit; dum *Cæſar* victo *Pompejo* Alexandriæ bellaret, *Antipater* cum tribns millibns Jndæorum optimè de *Cæſare* meritus eſt, & redeuntem in Italiam per Syriam ſtudioſè comitatus eſt, multamqne ab eo in *Hircanum* ac Judæos impetravit amicitiam, cnm poteſtate reſtaurandi mnros Hieroſolymorum quos *Pompejus* diruerat.

Herodes Cæloſyriæ præfectus.

Ex uxore Cypri ſuſtulerat *Antipater* liberos qninqne *Phaſaelum*, *Herodem*, *Ioſephum*, *Pheroram*, & filiam *Salomen*. *Phaſaelum* Hieroſolymornm & Judææ ſnb *Hircano* adminiſtratorem conſtitnit, & *Herodem* Galilææ. *Herodes*, licet annornm tantùm viginti quinque adoleſcens, Galilæam in magnam ſnam laudem latronibus purgavit; *Hezekiâ*, aliiſque eorum ducibus necatis. Judæorum primores dolentes Regium nomen tantnm tenere *Hircanum*; poteſtatem autem omnem in uno *Antipatro* filiiſque reſidere, frequentibns ſuis monitis *Hircanum* tandem adegerunt, ut *Herodem* Hieroſolymam citaret ad cauſam de *Hezekia* nece dicendam: venit ille mnnitus non tantùm milite, ſed etiam literis *Sexti Cæſaris* Syriæ Præſidis: nihilominus cùm Jndices *Sanedrin* duriorem dicturos ſententiam comperiſſet *Hircanus*, *Herodem* ſecretò monuit ut ſe periculo ſubdnceret: fugit ille Damaſcum ad *Sextium*, ab hoc patris pecunia gratiaque perſuaſo, *Herodes* totius Cœlo-Syriæ præfectura donatus eſt; ergo ſtatim qnò Jndicii Hieroſolymitani contumeliam vindicaret, cnm exercitu ad urbem venit, ſed eum pater & *Phaſaelus* frater à fundendo ſanguine cohibnerunt.

Malichus Antipatrum necat.

Necato *Cæſare* & etiam *Sextio*, cùm *Caſſius* ſeptingenta talenta à Iudæis exigeret, *Herodes* ducenta ſtatim à Galilæis extorſit, quibus *Caſſii* gratiam promeruit. *Malichus* autem vir inter Judæos primarius cùm portionem ſuæ curæ demandatam non tam promptè paràſſet, à *Caſſio* fuiſſet morte mulctatus niſi *Caſſium Antipater* placâſſet, *Malichus* tamen *Antipatrum*, ut à nimiâ ejus potentiâ liberaret *Hircanum*, veneno ſuſtulit: *Herodes* offenſam diſſimulavit, donec à *Caſſio* vindicandi patris poteſtatem adeptus eſſet, tnnc *Malichum* Tyri confodiendum curavit.

Et Malichum Herodes.

Herodes Rex Iudæorum Romæ conſtitutus.

Debellatis *Caßio* & *Bruto*, *Herodes* ad *Antonium* in Aſiam contendit, & ingentibus donis eum devinciens ab *Antonio* Syriæ Præſidi commendatus eſt: *Antigonum Ariſtobuli* filium magnâ Judæorum factione ſublevatum non magno labore repulit: ſed dum Aſiam Parthi duce *Labieno* pervagarentur, *Antigonus* Parthorum armis in Judæam reductus eſt: Parthi *Hircanum* & *Phaſaelum* fraude comprehenſos vinculis induerunt: *Antigonus Hircanum* patruum, ne ad Pontificatum reverteretur, auribus mutilavit. *Phaſaelus* Parthicarum contumeliarum impatiens caput muro allidens expiravit. *Herodes* Hieroſolymis cum familiâ fugiens eam Maſſadæ depoſuit, ipſe Romam properans. Hic ab *Antonio* & *Octavio* donis delinitis tam benignè acceptus eſt, ut in Senatu Judæorum Rex conſtitueretur, & *Antonius* literis *Ventidio* Parthorum debellatori commendaretur, dum cnm Parthis Romanis res eſſet, *Antigonus* contra *Herodis* vim ſe defendit. Sed Parthis repreſſis, *Soſius* legiones Romanas cum *Herodianis* conjungens, *Antigonum* Hieroſolymis arctâ & diuturnâ obſidione cinxit, & urbe vi faméque occnpatâ, ingens omnis ætatis & ſexûs cædes edita eſt ab irritatis Romanis & Herodianis, *Antigoni* factionem ſtudentibus extirpare. *Antigonus Soſio* ſe dedens *Antonio* in vinculis miſſus eſt: hunc *Antonius Herodis* auro & precibus motus flagris cæſum ſecuri percuſſit Antiochiæ.

Herodes ducit Mariamnen invitam.

Duxerat in uxorem *Herodes Mariamnen*, *Alexandri* & *Alexandræ* (filiæ *Hircani*) natam, non tantnm ſingulari pnellæ formâ captus, ſed nt hoc conjugio Judæis eſſet gratior, etiam ut hoc affinitatis laqueo *Hircanum* à Parthis ad ſe attraheret. Vivebat Babylone ſenex in ſummo apud Judæos honore, deſiderio tamen patriæ & *Herodis* blanditiis Hieroſolymam rediit: ubi ab *Herode* omni amicitiâ & honore cultus eſt, ſed ad Pontificatum aurium privatio redire non permittebat.

Pontificem Ari-

Herodes Ananelum virum obſcurum Ba-

ſtobulum Herodes curat ſubmergi.

bylone accerſitum Pontificem dixerat, *Alexandra Hircani* filia & *Mariamnes* mater filium ſuum *Ariſtobulum Hircani* nepotem Pontificatu ſpoliatum indignata, *Cleopatram* ſuis literis contra *Herodem* concitavit: fraudem hanc *Alexandræ Herodes* expiſcatus eſt, metu tamen *Antonii* & *Cleopatræ* diſſimulavit, & quaſi uxori atque ejus matri *Alexandræ Hircanóque* patri gratificaturus *Ananelo* depoſito *Ariſtobulum* Pontificatu donavit. Erat tum adoleſcens annorum ſeptemdecim ſpecie verè regia, & multò pulcherrima: dum ſacra faceret in templo, populus ejus ſorma & genere inflammatus ab acclamationibus nimiis non potuit temperare. Hoc populi ſtudium, ne in ſuam aliquando perniciem erumperet, *Herodes* non ſerena adoleſcentem necare decrevit, ſed clam per inſidias metu *Cleopatræ*: invitatum ergo juvenem in regiam die ſeſto humaniſſimè habuit, & à prandio natatum in piſcinâ in æſtu diei invitans curavit per amicos quaſi colludentes adoleſcentem aquis præſocare. Magnum ejus mors luctum inter Judæos movit: *Herodes* cum primis mortuum deflevit. *Alexandra*, etſi ſatis ſraudis certa, diſſimulavit tamen donec ultionis ſe præberet occaſio. Ad *Cleopatram* ſecretis epiſtolis totum *Herodis* ſacinus ſcripſit: ea *Antonium* extimulavit ad *Herodem* perdendum. *Herodes* ad cauſam de *Ariſtobuli* morte dicendam ab *Antonio* vocatus, *Mariamnem Ioſepho* patruo ad ſuum reditum commiſit, in ſecreto mandans ut, ſiquid ſecus contingeret, eam necaret, noluit enim ſummâ ejus pulchritudine poſt ſe quenquam frui: dum ſæpiuſculè cum *Mariamne Ioſephus* ſermones miſceret, & non poſſet perſuadere verè illam ab *Herode* amari, in certiſſimam maximi amoris demonſtrationem ſecretum *Ioſephus* communicavit, ut poſt *Herodis* mortem *Mariamne* non viveret.

Mariamnen Salomes calumniæ perdunt.

Herodes novis donis & blanditiis *Antonium* placavit, & in ſuâ amicitiâ contra omnes *Cleopatræ* artes confirmavit. Domum reverſus à ſorore *Salome*, cui muliebri imprudentiâ *Mariamne* ſuperbior ignobilitatem generis objecerat, contra *Mariamnen* quaſi cum *Ioſepho* patruo perfamiliarem commotus fuit, ſed *Mariamnes* innocentiâ compertâ, cum eâ in priſtinam gratiam & amorem rediit. Dum verò omni conatu verum ſuum amorem perſuadere nititur, iſte ſcilicet, inquit illa, magnus tuus eſt in me amor, *Ioſepho* mei innocentis necem imperâſſe. *Herodes* evulgationem ſecreti certum ſtupri argumentum interpretatus, *Ioſephum* ſtatim fecit necari, in *Mariamnes* tamen amore perſeveravit, licet magni animi mulier alrum ſæpe illius deſpectum ob fratris cædem præ ſe ferret.

Cùm ad Actium eſſet debellatus *Antonius*, *Herodes* à victore *Cæſare* ſibi valde metuebat, ad eum tamen in Rhodum properavit, & ſuis largitionibus *Cæſaris* domeſticos ita coluit, ut non tantùm pacem ſed & amicitiam, Regnique Judaici confirmationem impetraverit. Dumque in Rhodum iret de ſuo reditu dubitans, *Sohemo* amicorum primario in mandatis dedit, ſi ipſum *Cæſar* necâſſet, ne *Alexandra* & *Mariamne* ultra viveret, mandatum hoc ſuis blanditiis à *Sohemo Mariamne* reſcivit. Cum ergo rediiſſet *Herodes*, tetrico ſuo vultu ſatis indicavit, cognoviſſe ſe truculenta *Sohemo* data imperia: excandeſcens *Herodes* ob vulgatum ſecretum *Sohemum* necavit, & dum inter amorem & odium *Mariamnes* fluctuaret, *Salome* calumniam interpoſuit de *Mariamnes* veneficio. *Herodes* adhibita fide *Mariamnes* Eunuchum tormentis ſubjecit: hic tormentorum doloris impatiens, quicquid quærebatur faſſus eſt. Damnata *Mariamne*, licet innocentiſſima, ducta eſt ad ſupplicium. Mater *Alexandra* ut ſe quaſi à conſcientia ſceleris filiæ purgaret, in *Mariamnen* publicè debacchata eſt, quaſi crudeliſſimæ mortis merentiſſimam. Hanc *Alexandræ* hypocriſin omnes deteſtabantur; *Mariamne* nullo matrem verbo dignata, magno & patienti animo mortem tulit: ut expiravit, ejus amore & furiis *Herodes* exagitatus, in periculoſum morbum incidit: *Alexandra* moribundum accipiens agit cum cuſtodibus ut Hieroſolymorum arces ſibi traderent: id ut reſcivit *Herodes*, confeſtim juſſit eam necari.

Antipater necatis fratribus Alexandro & Ariſtobulo patri inſidiatur.

Habebat ex undecim uxoribus *Herodes* multos filios, ſed *Alexandrum* & *Ariſtobulum* quos ex *Mariamne* genuerat, egregia ſorma adoleſcentes præ cæteris amabat: hos, ut literis & moribus excolerentur, ad *Cæſarem* educandos Romam miſit. *Antipater*, quem ex *Doride* uxore prima genuit, praviſſimi vir ingenii, ne *Mariamnes* filii regnum ſibi præriperent, magna arte contra utrumque adoleſcentem eas calumnias ſtruxit, ut ab iis tandem patris animum averterit. In hoc ſcelere ſociam habuit amitam *Salomen*, quæ ſuarum in *Mariamnen* calumniarum conſcia metuebat ab ejus filiis, ſi quando perveniſſent ad Regnum: ſociatis ergo conſiliis *Antipater* & *Salome* effecerunt, ut *Herodes* perſuaſus de ſtructis ſibi à juvenibus inſidiis, utrumque damnaverit, & damnatos necaverit. *Antipater* cùm propenſum patris animum in necatorum ſratrum liberos animadvertiſſet, licet à patre Rex ipſe dictus eſſet, tamen de patris conſtantia dubitans ejus veneno necandi certum conſilium cepit, quod cùm ad *Herodis* aures emanâſſet, etiam hunc ſupplicio affecit: imò verò ſuppliciorum in ſuos ſrequentiâ efferatus; crude-

delitatem longè latéque in quamplurimos effudit, penè nulli vel per maximam calumniam delato parcens. Ob hanc in homines malitiam, & multa contra pietatem Romanis Idolis erecta templa, gravibus morbis cœlitùs percuſſus eſt: in quibus doloris impatientiâ victus ab ioferendis ſibi manibus vix potuit etiam vi coërceri. *Herodis miſerrima mors.* Io extremis agens Deo hominibuſque exoſum ſe ſentiens, Judæorum primores ſub pœna mortis ad ſe vocatos theatro incluſit, & ſorori *Salome* multis precibus, ultimum hoc ſuum vehemens votum commendavit, ut omnes illos immiſſis militibus jugulari curaret; Quam primum ipſe animam efflaſſet: ut tota Judæa lugere domeſtica ſua mala cogeretur, & ab omni gaudio io ſua morte privatis calamitatibua depelleretur. *Salome* licet facious fratri in extremum ejus ſolatium promiſiſſet, noo patravit tameo, ſed eo mortuo concluſos ŏmnes dimiſit liberos.

Ioſephus Herodi aſcribit impoſſibilia. Quæ de urbibus, arcibus, templis, theatris, portubus, aliiſque operibus publicis, inprimis templo Hieroſolymis *Solomonis* multò magnificentiori, *Ioſephus* memorat, tanta ſunt & tam immaoia, ut cum *Saliano*, aliiſque, in dubium revocandam hîc ceoſeam *Ioſephi* fidem.

Verum eſt ſuis blanditiis & profuſis largitionibus penè totam terram Chanaan, aliquotque etiam vicinas regiones à Romanis impetraverat, magnamque pecuniæ vim tyrannicè quotannis undecuñque extorquebat; omnes tameo ejus ditiones, quantumvis crudeliter emunctæ, decimæ ſumptuum à *Ioſepho* memoratorum parti ooo videntur ſuffecturæ.

Ex uodecim uxoribus multos ſuſtulit liberos, inter quos bonâ cum *Cæſaris* gratiâ amplas ſuas ditiones diviſit, *Archelao*, *Philippo*, *Herodi Antipa*, aliiſque filiis, nepotibus, ac conſanguioeis; Regna & Tetrarchias pro ſuo arbitrio diſtribuens: ſed intra unum ſeculum omnes hæ malè partæ poſſeſſiones ad Romanos redierunt, totâ *Herodis* proſapiâ divinâ maou radicitus extirpatâ.

CAPUT XIV.

CUm io ſeptimâ hâc Epocha authenticæ Scripturæ ſileant, quio etiam à diebus *Malachia* ad tempora *Chriſti* nullæ literæ ſacræ ſcriptæ ſiot (ſi Apocryphas excipias, quas nos pro ſacris ooo habemus) nullas quæſtiooes, oulla dubia Chronologica capiti præcedenti ſubjicimus, ſed rectà pergimus ad Novum Teſtamentum.

Operis
CHRONOLOGICI,
LIBER SECUNDUS.

EPOCHA PRIMA,

A nativitate CHRISTI *ad* Conſtantinum Magnum.

CAPUT I.

Vſherii conatus hiſtoriam ad anni ſingulos quadrantes referre, eſt impoſſibilis.

CONTINET Epocha hæc res maximè illuſtres quæ Chriſti & Apoſtolorum ac ſequentibus aliquot ſeculis contigêre: earum præcipuas habemus in libris Novi Teſtamenti; has quia ſupponimus notas, tranſimus: ad eas tamen illuſtrandas, quæ tam apud Judæos quàm gentes acciderunt, afferemns ex fontibus & principibus rivulorum, nimirum *Ioſepho*, *Euſebio*, *Tacito*, *Suetonio*, *Dione*, *Baronio*, *Saliano*, Uſherio, *Burhernio*, & aliis, antiquis novis; Proteſtantibus, Pontificiis, abſque curioſa temporum diſtinctione, vel accuratâ ſacrorum à profanis ſeparatione: nam Romanorum hic ac Judæorum res tam arcto nexu colligantur, ut diſſolvi cummodè nequeant; & eorum conatus, qui ſingula non tantùm ad ſuos annos, ſed ſingulos anni quadrantes referunt, laudabilis magis eſt, quàm poſt omnem operam poſſibilis; nec noſtro etiam inſtituto neceſſarius eſt hic labor, qui non aliud intendimus quàm rerum ipſarum quæ geſtæ ſunt, præcipua capita noſcenda proponere.

Archelaus Herodi ſucceſſit, ſed non in Regnum.

Superiorem Epocham clauſimus in Chriſti natalibus & Herodis morte; Rumana etiam ad *Augusti* ultima & *Tiberii* principia deduximus. Poſtquam Herodes tres ſuos majores filios, *Antipatrum*, *Ariſtobulum*, & *Alexandrum* dediſſet neci, tribus ſuperſtitibus *Herodi Antipæ*, Archelao, & *Philippo*, ſororique *Salome* ſua omnia teſtamento legavit: *Herodi* quidem Regnum, ſed ante mortem Archelaum *Herodi Antipæ* in Regno prætulit: omnia tamen Cæſaris arbitrio prudenter permiſit, quia ab illo omnia acceperat, & ab ejus unius nutu omnia ſua pendere probe ſciebat. Ut primùm miſerrimam animam exhalâſſet, & teſtamentum inter amicos lectum eſſet, Archelaus ab omnibus Rex ſalutatus eſt. Obivit quidem ille ſtatim omnia Regis munia, ſed regium nomen & diadema non audebat induere, priuſquam Cæſaris placitum cognoviſſet. Mux ergo à ſplendidiſſimo patris funere, conciliato ſibi donativis milite & populo placato magnis de ſuâ benignitate promiſſis, parabat iter Romam, ut ab *Auguſto* Regni confirmationem impetraret: in hoc fratrem *Antipam*, & amitam *Salomen*, pleramque etiam patris familiam adverſarios habuit: qui ſecundum prius Herodis teſtamentum, ab Archelao ad *Antipam* Regnum ſtudebant transferre. Dum neceſſaria itineri Archelaus parat, multi ex populo importunis poſtulatis eum circumſiſtunt, orantes ut vellet neci tradere ex patris conſiliariis, qui crudelitatis primarii incentores & miniſtri perhibebantur. Bonis ille verbis populum lenire ſatagebat, ſed cùm illi inſtarent, & ſeditio gliſceret, multique militum à ſeditioſis in tumultu necarentur, immiſit in turbam Archelaus totum exercitum, qui trium millium cæde motum compreſſit.

Seditionem crudeliter compeſcit.

Auguſti in Herodis liberos benignitas.

Cùm Romam veniſſent omnes Herodis familiæ primores, Auguſtus in frequenti amicorum concilio omnes benignè audivit: aderant etiam à populo Judæorum legati qui enixè poſtulabant ut Judæa non diutius Herodibus, ſed Syriæ Præſidi ut provincia ſubjiceretur: Omnibus expenſis Auguſtus Herodis teſtamentum firmavit, *Archelaum* tamen non Regem, ſed Tetrarcham *Iudeæ*, *Samariæ* & *Idumææ* dixit, cum ſexcentorum talentorum annuo reditu *Antipam Galilææ* & *Peraæ* Tetrarcham cum ducentorum talentorum reditu: *Philippo* autem *Iturææ* & *Abylenes* Tetrarchiam, cum centum talentorum reditu attribuit, & *Salome* urbem *Iamniam* & regionem vicinam multò pulcherrimam, quæ ſexaginta talentorum reditum exhibebant. Ex ingenti, quam ipſi matrique Herodes legavit pecuniâ, nihil voluit attingere, ſed omnem inter ipſius liberos diſtribuit, adjectâ ex ſuo amplâ filiabus virginibus dote, *Archelao* regium nomen ac diadema promiſit, quando dignum eo faſtigiosè præbuiſſet.

Archelai ruina.

His officiis devinctos *Herodis* liberos domum *Auguſtus* dimiſit: ut redièrunt, non diuturnum in Judæos ipſorum fuit Imperium; tam enim crudelis fuit & avara Archelai dominatio, ut tam Samaritani quam Judæi ad *Auguſtum* ſupplices confugerint. Statim is Archelaum ut cauſam diceret, ad ſe vocavit: is ut Romam venit, & ab accuſationibus oppreſſorum ſe nequivit expedire, re-

legatus eſt *Viennam* Galliæ in perpetuum exilium; ubi in magna egeſtate poſt aliquot annos extinctus eſt.

Procuratores à Iudæis expetiti Herodibus pejores.

Antipas & *Philippus* diu pòſt in ſuis Tetrarchiis perſeverârunt nullo illuſtriori honoris gradu addito: Herodes quidem Antipas, qui Joannem Baptiſtam occidit, & Chriſto crucem adeunti illuſit, ac *Jacobum* gladio percuſſit, aliquando Rex in S. Scriptura perhibetur: non quod unquam diadema induerit: ſed quia Ethnarchæ ac Tetrarchæ in ſuis ditionibus ſupremâ poteſtate ſub Romanis fruebantur non minùs quàm Reges. Exule *Archelao* ingens ejus à patre relicta pecunia in fiſcum redacta eſt, ac tres ejus Provinciæ, *Judæa*, *Samaria*, ac *Idumæa Syriæ* ſunt adjunctæ; ita tamen ut à Cæſare ſingulis, aut alteris annis venientes Româ Procuratores *Judæam* adminiſtrarent ſub *Syriæ* Præfecto. Id genus regiminis Judæi ab *Auguſto* ſolenni legatione efflagitârunt, ut ſibi Herodianorum dominatione multò tolerabilius: quàm primùm tamen voti compotes facti ſunt, tam grave & moleſtum ſenſerunt, ut mubi variis in locis rebellârint, nec niſi magnâ vi multoque ſanguine ſubacti ſint.

Galilæorum ſecta crudelis hypocryſis.

Ex rebellionum iſtarum capitibus primarium fuit Judas Galilæus, qui ad tres priores Judæorum Sectas *Sadducæos*, *Phariſæos*, & *Eſſenos*, addidit quartam Galilæorum; qui Dei populum liberum, nullique Domino ſubjectum, ac omne Romanis tributum illicitum docebant. Hypocritæ hi jactitantes ſe liberatores patriæ ab omni extraneorum jugo; rapinis, cædibus, & omnimodâ oppreſſione vicinos omnes abſque diſcrimine peſſundedêre; multò plura patriæ mala inferentes quàm ab extraneis illata prætendebant depellere. Nihilominus inſana hæc libertatis affectatio tam multos miſerrimi iſtius populi mox occupavit, ut compeſci non potuerit, niſi in totius gentis tantùm non ultimâ ruinâ.

Ieſu Chriſti vita ad ultimum triennium quietiſſima.

Interea Dominus noſter infantiam, adoleſcentiam, & juventutem ad annum triceſimum in *Galilæâ* Nazarethæ ſummâ cum pace ſilentioque tranſigebat: niſi quod annorum duodecim puer in templo Hieroſolymitano cum Doctoribus de lege, miranda & ſupra puerorum captum ſapientia diſputaverit. Quæ à triceſimo ad mortem geſſit, à *Tiberii* decimo quinto ad decimum octavum, vel decimum nonum, ea divino Euangeliſtarum calamo ita perſcripta ſunt, & Dei magnâ bonitate omnium hodie manibus teruntur, ut non ſit neceſſe ex iis quicquam hic inſerere.

Livia Auguſta filio Tiberio per ſcelera paravit imperium.

Res Romana ſic tum ſtabat. Tiberius Nero, ut primùm expiravit *Auguſtus*, ſecundùm ejus teſtamentum Imperium occupavit. Quinquageſimum ſextum agebat tunc annum vir multarum virtutum, ſed plurium vitiorum, inprimis verſutiæ, & diſſimulationis plenus; ejus mater Livia poſt mariti mortem per Senatus decretum *Juliæ*, familiæ inſerta, *Julia* Auguſta dein vocari ſolita eſt. Mirum eſt doctiſſimum *Salianum* poſt æquè dictum *Baronium*, *Joſephum* taxare, quod Liviam vocet *Iuliam*, quaſi *Auguſti* uxorem cum ſceleratâ ejus filiâ confunderet: certè *Ioſephus* ſi hîc erret, Romanæ hiſtoriæ principes, *Tacitum*, *Suetonium*, & *Dionem* erroris ſui manifeſtos autores habet: ſed Pontificiorum plerorumque in *Ioſephum* odium, doctiſſimorum virorum oculos hîc & alibi ſæpe ita offuſcavit, ut illuſtres valde veritates perſpicere non valuerint. Utcunque, *Julia* hæc Auguſta, priùs Livia, ſuis artibus, & maximâ apud maritum *Auguſtum* potentiâ filio ſuo Tiberio contra omne jus & fas imperium impetraverat.

Agrippa Poſthumus male perditus.

Habuit *Auguſtus* ex *Agrippâ* & natâ ſuâ *Juliâ* tres nepotes, *Cajum*, *Lucium*, & Agrippam Poſthumum: *Livia* viis & modis *Cajum* & *Lucium* de medio ſuſtulit, iſtis mortuis Agrippa Poſthumus ab avo *Auguſto* adoptatus eſt: ſed tanto aſtu rem tractavit *Livia*, ut adoleſcens nullius ſceleris compertus, etſi rudioris ingenii, in tantum *Auguſti* odium incurrerit, ut non modo jure adoptionis fuerit privatus, ſed etiam in Inſulam deportatus exul in arctâ cuſtodiâ teneretur; donec *Auguſtus* rigoris ſui in nepotem immeritum pœnitens, occultè eum in *Planariâ* inviſeret, cogitans in ſucceſſione Imperii *Tiberio* anteponere: ſed ſecretum hoc colloquium ad *Liviam* emanans tam *Auguſto* quàm Agrippæ mortem, ut ſuprà dictum, maturavit, non propterea tamen Imperium *Tiberio* ſatis ſecurum.

Germanici virtutes.

Cùm à marito *Claudio Nerone Liviam Auguſtus* abſtraheret, præter *Tiberium* ferebat tunc illa in utero partui proxima filium ſecundum *Druſum*: ut hic adolevit, in virum magnæ virtutis evaſit, multas de Germanis victorias obtinuit, uxor *Antonia* Triumviri ex *Octaviâ Auguſti* ſorore filia duos & filios peperit, Germanicum & *Claudium Nerones*. *Druſum* præmatura mors in Germanico bello ſuſtulit morbo. Germanici in primâ juventute tanta humanitas, fortitudo, & omnigena virtus effloruit, ut tam populus quàm legiones ſummâ in eum charitate flagrarent; hinc *Tiberio* ſummus metus ne vellet Germanicus à lubentiſſimo tam popolo quàm milite Principatum acceptare; & quidem legiones cum Germanicæ, tum Pannonicæ *Tiberium* averſantes in apertam ſeditionem exuperant: tanta tamen Germanici modeſtia; & in patruum reverentia fuit, ut legiones etſi magno cum labore *Tiberio* obedientes reddiderit. Maximum hoc beneficium praviſſimum *Tiberii* ingenium non ſuperavit: hujus enim à virtute Germanici formido nunquam ceſſavit, donec peſſimis ſuis

artibus

artibus viro optimè de ſe merito ultimam perniciem creâſſet.

Livia cum Tiberio in Germanicum conſpirat.

Reges Parthorum *Arſacidæ* ab aliquot ſeculis latiſſima Orientis regna uſque ad *Indias* poſſidebant; quod ad externos hoſtes ſatis ſecuri, etſi domeſticis ſeditionibus multoties vexarentur. Tum temporis venerat Parthorum Imperium in manus *Artabani*; vir hic acer non tantum *Armeniam* occupavit, ſed & Euphratem aliquando transgrediens *Syriæ* & *Arabiæ* minitabatur. Secundum *Auguſti* conſilium non laborabat Tiberius Romani Imperii ſatis tum ſuperque ampli fines dilatare, tantùm in Oriente ad Euphratem & Occidente ad Rhenum multas & fortes legiones, ut Parthorum & Germanorum eruptiones compeſceret. Germanici & patris *Druſi* virtute Germanorum vires adeo fractæ erant, ut nihil inde metus reſtaret, ſed ab *Artabano* & Parthis periculum Tiberius de induſtria exaggerabat, ut haberet prætextum abſtrahendi Germanicum à ſuis legionibus, & objiciendi caſibus belli Parthici, cumque in Oriente procul Romà iuduendi iis caſſibus, quos in ejus mortem ſceleratiſſimus patruus ſatis apertè parabat. Difficulter admodum, uec niſi ægrè, repetitis Tiberii mandatis Germanicus Romam ad triumphum acceſſit: hoc peracto ſub honoris ſpecie ſtatim in Orientem amandatus eſt, ut *Armeniam*, *Cappodociam*, *Syriam*, cæteraſque ibi Provincias adminiſtraret contra vim fraudemque *Artabani* & aliorum. Conceſſa quidem ei fuit ampliſſima in omnes ultra mare Provincias poteſtas, & quot vellet legiones ac ſociorum auxilia; ſed tamen ante eum miſſus eſt in *Syriam* Prætor *Piſo*, vir turbulentiſſimi ingenii, cujus uxor *Plancina* fæmina primæ nobilitatis *Auguſtæ* intima.

Licet *Auguſta* Tiberii mater Germanici fuerit avia, multò tamen in Tiberium, quàm in Germanicum fuit propenſior; habebat enim Germanicus *Agrippinam* filiam *Agrippæ* & *Iuliæ Auguſti* unicæ prolis ſororem *Caji*, *Lucii*, & *Agrippæ Poſthumi*, qui omnes Liviæ artibus perierant. *Agrippina* maximæ virtutis & æqualis animi fæmina, ut *Auguſti* neptis & genuinus ſanguis, Liviæ non tam morigera erat, ut in imperioſiſſimæ mulieris gratiâ potuerit perſeverare: paulatim ergo in odium incidens, Livia in Germanici totiuſque ejus familiæ perniciem cum Tiberio lubenter ſatis conſpiravit: utque Tiberius *Piſoni* occulta in Germanici ruinam mandata dedit, ita Livia *Plancinæ* ut vexaret *Agrippinam*. Germanicus ut in *Aſiam* venit, prudentiâ & nominis ſui terrore ſtatim omnia compoſuit: *Græciam*, *Ægyptum*, cæteraſque Provincias inviſit, tantæ ubique humanitatis, ut ſummum omnium populorum amorem erga ſe conciliaverit. Solus *Piſo* in omnibus ei apertè adverſari, calumnias, inſidiaſque ſtruere, imò tandem operâ incantatricum venenum præbere: quod cum certò comperiſſet Germanicus, *Piſoni* amicitiam renuncians imperavit properum ex *Aſia* diſceſſum; ſed interea ſuam toti orbi Romano gratiſſimam animam exhalavit Antiochiæ: dum hîc in rogo corpus diſſolutum eſt, cor ut veneno imbutum manebat incorruptum.

Piſo Tiberii fraude confoditur.

Agrippina, quæ cum liberis ubique maritum comitari ſolebat, ejus cineres in gremio Romam detulit, vindictam de veneficio Piſonis & Plancinæ à Tiberio expetens: cognitio cauſæ Senatui delata eſt, populus morte dilectiſſimi *Germanici* furens à diſcerpendo Piſone & *Plancinâ* vix potuit cohiberi. Tiberius etſi in Senatu juſtum ſe judicem ferebat, tamen clam per internuncios Piſoni ſpem fecit vitæ. Habebat in manibus Piſo codicillos, qui ſatis probabant nefaria Tiberii & *Liviæ* in *Germanicum* mandata, quos proferre ſtatuebat in Senatu; ſed eo aſtu rem tractavit Tiberius, ut ſpe vitæ Piſo ab accuſando Tiberio abſtinuerit, donec animadvertiſſet uxorem *Plancinam* ipſius à ſe cauſam ſeparâſſe, ac precibus *Liviæ* & Tiberii à Senatu abſolutam: ſuæ tum condemnationis certus non ultra differre ſtatuit mandatorum Tiberii dilationem: verùm dum in hoc eſt, immiſſo à Tiberio percuſſore necatur, ita cautè tamen ut ipſe ſibi manus intuliſſe viſus ſit. Ars hæc non cohibuit populi animos oraque ab odio & maledictis in Tiberium & *Liviam*, ut veriſſimos *Germanici* cædis auctores.

Tiberii crudelitas.

Germanico ſublato, Tiberius ſuo genio abſque timoris fræno indulgens, in multa ſcelera ruit: nobiliſſimorum utriuſque ſexûs plurimos ſuo odio & avaritiæ litavit; novum majeſtatis crimen rigore ſummo perſequutus eſt, ſi quis leviſſimo verbo vel ſe, vel matrem, vel *Auguſti* famam tetigiſſet, ſtatim correptus & damnatus unco ad Gemonias ſcalas trahebatur, ac ſine ſepulchro præcipitabatur in Tiberim, omnibus bonis in fiſcum redactis. Unicum erat in hoc malo levamentum, ſi qui ante ſententiam ſibi manus intuliſſent, tum hæredibus bona, & corpus honeſtæ ſepulturæ tradebantur: hinc factum ut permulti ſenatorum & equitum nullius criminis conſcii, tamen metu tyranni & falſorum teſtium ſpontaneam mortem amplexi ſint.

Sejanus aulicorum maximus.

In omnibus ſuis ſceleribus primarius *Tiberio* miniſter erat Ælius Sejanus, à parvis natalibus ad præfecturam Prætorianorum evectus: hic homo per vitia & adulationem uſque adeò ſe inſinuavit *Tiberio*, ut apud ipſum omnia potuerit: hinc omnibus à Sejano magnus metus, & ex metu non minor quàm erga ipſum *Tiberium* obſervantia. Dudum ſenatus omnibus Imperatorum nutibus etiam peſſimis ſerviliſſimè obſecundabat: volente *Tiberio* Sejanus ſæpe in conſulatu ſibi fuit Collega, imò verò

eò tandem deventum eſt, ut in literis publicis Sejani cum *Tiberio* nomen conjunctum ſit, & idem Sejani imaginibus cultus qui *Tiberio* deferretur. Ex maxima hac quæ ulli, ullo ſeculo, uſquam terrarum aulico contigit exaltatione, cupido ipſum inceſſit Imperii, remoto cum tota ſua familia *Tiberio*.

Prætoriani milites per urbem ſparſim habebant hoſpitia, eos omnes Sejanus in una juxta palatium caſtra attraxit, ubi ab iis ſemper unitis major terror promptiuſque ſervitium in omni caſu ederetur: horum primarios tot officiis beneficiiſque Sejanus coluerat, ut omni ejus arbitrio inſervire paratiſſimi fuerint Senatus: omnes & ſinguli quotidie Sejano æquè, ſi non plus, quàm *Tiberio* adulabantur, per eum unum ad omnes honores erat aditus; exaltabat, deprimebat quoſcunque pro libitu. *Tiberio* filius fuit *Druſus* ad ſpem Imperii à puero educatus, vir fortis & magni ſatis animi, ſed paternorum in multis morum: hinc uxor *Livilla Germanici* & *Agrippinæ* filia, ex ea gemellos ſuſtulit: quorum alter *Tiberius* patri ſupervixit. Ad Imperium pervenire Sejanus non potuit niſi remoto *Tiberio*, filioque *Druſo* & nepote *Tiberio* gemello, omnibuſque *Germanici* liberis: viri ambitio ipſius animum ad tam immane flagitium accendit: initium fecit à corruptione *Livillæ* uxoris *Druſi*, quam adulterio pollutam pellexit ut marito lentum venenum præberet. Mortuo *Druſo* Sejanus humili codicillo *Livillæ* nuptias à *Tiberio* poſtulavit, dimiſsâ uxore ſuâ *Apicatâ*, ut *Livillæ* locus eſſet; *Tiberius* catâ ſuâ prudentiâ rem diſtulit.

Sejanus totam Cæſaris domum excindere parat.

Sejanus iſtius voti ſatis certus, pergit ad reliqua. *Agrippinæ* tres erant filii, *Caligula* minimus natu, etiam *Tiberius Druſi*, ut pueruli ſpernebantur, ſed majoribus natu liberis *Agrippinæ*, *Neroni* ac *Druſo* magnæ ſpei adoleſcentibus retia Sejanus tetendit. Plerique circa eos & matrem Sejano erant ſervi venalitii, per hos quæ voluit mendacia quotidie ſuggerebat, & omnia tam matris quàm filiorum dicta, facta, nutus accipiebat, quæ ſtatim deferebat ad *Tiberium*: hinc immane *Tiberii* odium ac ſuſpicio eò devenit, ut tam Agrippinam quàm *Neronem* apud ſenatum accuſaret ſtructarum in ſuam vitam inſidiarum, ut ipſi imperarent: nec finem habuerunt Sejani calumniæ, donec Agrippina in inſulam Pandatariam, & *Nero* ac *Druſus* in alios locos exilii amandarentur. Agrippinæ, cum *Tiberio* convitiaretur, Centurio verberibus oculum excuſſit, & cùm inediâ ſeipſam conficere conaretur, nolenti per vim cibus injectus eſt, mox tamen ex mœrore tabeſcens interiit, jactavitque in Senatu per literas ſuam *Tiberius* clementiam, quod non unco traxiſſet in *Gemonias*. *Nero* metu tormentorum ſuo ſe gladio jugulavit, *Druſus* à cuſtodibus ſubtracto alimento crudeliter inediâ ſublatus eſt.

Agrippinam cum filiis perdit.

Paulò antè *Livia* octogenariâ major interierat. Dum ea vixit, aliquem Tiberii ſceleribus materna reverentia modum ponebat, ſed hac ſublatâ filius ſe totum in ſævitiam & libidines profudit. Diu antè *Sejanus* perſuaſerat, ut Româ ſecederet, ac in amœno rure terreſtri felicitate frueretur: ille verò lubentiſſimè in inſula *Capreis Campaniæ* littori appoſitâ per multos annos ſe abdidit, nefariis & infandis libidinibus ſupra modum indulgens, & crudeliſſima quotidie mandata Senatui per codicillos imponens, relicto ſtrepitu urbano, totiuſque Reipub. onere ſoli *Sejano*: hic verò ambitione cæcus, ac Imperii certus ulterioris moræ impatiens, Tiberium è medio tollere parabat: illud ut primùm cautiſſimus ſenex ſenſit, omni ſuâ arte vix potuit prævenire; magnus tamen ſimulandi artifex *Sejanum* ſic perdidit.

Matris morte Tiberius deterior.

Senatui ſcribit ut Sejanum ſibi Collegam in Conſulatu ad quinquennium ediceret, Tribunitiæ etiam poteſtatis (qui gradus ad Imperium proximus) per literas amiciſſimas Sejano ſpem facit: interea clam præfecturam Prætorianorum militum *Macroni* cum donativo ſingulis committit, unà cum prolixis ad Senatum literis. Sejanus in tantæ potentiæ culmen, tam in caſtris quàm in urbe & Senatu evaſerat, ut ſi quicquam Tiberiani contra ſe conſilii expiſcatus eſſet, facilè ipſi fuiſſet Tiberio ſublato in Imperii throno conſediſſe. Idipſum valde metuens Tiberius, intra ſua unius clauſtra pectoris occultavit quæ in Sejanum ſtruxerat, uſque ad ipſum executionis momentum.

Tiberii artibus Sejanus perditur.

Macro cum Tiberii literis in urbem veniens multo mane Senatum convocavit, cum *Regulo* Conſule & *Lacone* Præfecto vigilum Tiberii mentem in Sejanum communicavit: Sejano Senatum ingredienti & aliquantum turbato quod nihil ad ſe à Tiberio literarum afferretur, *Macro* ſuſurravit in aurem, habere ſe ad Senatum mandata de tribunitia ipſi poteſtate conferenda: hoc nuncio lætus Senatum alacer ingreſſus confodit. Interea *Macro* Prætorianos à foro ſecum ad caſtra duxit, ut acciperent Tiberii mandata & donativum, eorumque loco ad Senatûs introitum *Laconem* cum ſuis poſuit. Initio literarum Tiberii in Senatu lectarum non eſt turbatus Sejanus, nam pauca tantùm & levia ipſi imputabantur: ſed ut graviora impingi, & ex amicis primariis duos damnari carceremque ſibi decerni audivit, attonitus animo concidit: proximi ab eo fugere, Senatus ejus exitio lætari, Conſul & Prætor circumſiſtere, & mox ducere in carcerem: plebs tota concurrere, & ejus imagines divino quotidie cultu adoratas confringere: mox ipſe ad ſcalas damnatus tribus diebus à furente populo per ſtrata raptatur, & diſcerptus tandem

in

in *Gemonias* dejicitur: liberi omnes eodem fato periêre, longoque pòſt tempore exitiale crimen fuit permultis omnium ordinum quod in ejus amicorum albo reperirentur.

Spes erat, remoto Sejano Tiberianorum omnium ſcelerum adminiſtro, mutatum iri in melius Tiberium, ſed ſtatim illa ſpes decollavit, cùm indies vir praviſſimus rueret in pejora: hinc populo ſummè exoſus, nemine tamen in eum quicquam tentare, imò nec hiſcere auſo, peſtis hæc mundi ac ſeptuageſimum annum vitam produxit.

Caligula principia ſpecioſa.

Ex *Germanici* filiis Cajus Caligula (ſic dictus quòd in Germanicis caſtris natus, & inter legiones educatus militaribus calceis caligiſque à matre *Agrippina* Legionariis ſubblandiente frequenter indueretur) in juvenem viginti quinque annorum evaſerat: *Tiberius* etiam *Druſi* filius adoleſcebat. Caligula præ ſe ferebat ſummum erga *Tiberium* patruum obſequium, optimoſque mores praviſſimæ indoli prætexebat, donec viveret patruus; hinc & ob patris *Germanici* matriſque *Agrippinæ* gratiam tanto in eum amore flagravit populus, quanto in *Tiberium* odio.

Cupiebat *Tiberius* nepotem ſuum gemellum ſucceſſorem conſtituere, ſed cognito populi totius in Cajum ſtudio, & ut ferebatur, perſpecto Caji multò praviſſimo ingenio, ut ſucceſſoris ſcelera obliterarent ſua, nihil in Cajum molitus eſt. Cùm in extrema ſenecta mortalis languor occupâſſet, & lethalis paroxyſmus, omnes Cajum moribundo aſſiſtentem ut Imperatorem ſalutavêre; ſed accepto reviviſcere *Tiberium*, & ſoluto paroxyſmo expergiſci, ſtatim omnes in magno metu à Cajo diffluere: Cajus verò ad *Tiberium* reſurgentem intrans ſuperinjectâ faciei multâ veſte, fruſtra reluctantem coëgit emori anno viceſimo tertio Imperii, ſeptuageſimo octavo vitæ, & Chriſti triceſimo octavo.

Nemo unquam majori gaudio cùm Senatus, tum populi, tum Provinciarum Imperium adiit, quàm Cajus Caligula: *Germanici* patris & matris *Agrippinæ* magnæ fuerunt virtutes, & ſummum apud omnes ordines ſtudium, ſummaque intempeſtivæ utriuſque mortis miſeratio: ipſe etiam Cajus magnus ad eum diem fuerat virtutis ſimulator, & vitiorum ſuorum diſſimulator; quinetiam Imperii initio omnia boni Principis officia præſtitit: ſed mox ruptis hypocriſeos vinculis & disjectâ ſimulationis ſcenâ, eo improbitatis & amentiæ provectus eſt, ut nullum magis horrendum in ſolio monſtrum unquam ſederit. Aliquandiu omnia *Tiberii* gravamina levavit, in Senatu ut civis magis quàm Princeps verſatus eſt, matris & fratrum cineres magnâ pietate ab inſulis, ubi à *Tiberio* necati & defoſſi fuerant, in urbem & *Auguſti* mauſoleum intulit, aviæ *Antoniæ* omnes *Auguſtæ* honores obtinuit, *Tiberii* *Liviaque* legata omnia fideliter perſolvit, militibus & populo magna viritim congiaria diſtribuit: ſed revocatis quos urbe *Tiberius* ejecerat hiſtrionibus, paulò pòſt in omnem erupit amentiam.

Sed mox evaſit in horribiliſſimum monſtrum.

Vulgaris tum fuit Imperatorum omnium etiam vivorum ἀποθεώσεις. *Iulio*, *Auguſto*, *Tiberio* vivis ac viventibus, templa, altaria, ſacerdotes, & quotidiana ſacrificia inſtituebantur: ſed in hoc genere Cajus omnes ſuperavit. Cum Jovis imagine prolixos ut cum fratre ſermones in Capitolio ſerebat, cum plena Luna ut uxore fingebat ſe converſari, per totum orbem Romanum ut Deus majorum gentium, imò ut Deorum maximus, nemine (ſi Judæos excipias) contradicente, cultus eſt. Pietas in propinquos non diu conſtitit. *Antoniam* aviam, quia à ſceleribus diſſuadebat, vel veneno vel voluntaria morte ſuſtulit. Gemellum fratrem adoptatum *Tiberii* ex *Druſo* nepotem necari præcepit, juſtâ in avum numinis vindictâ: nam *Tiberius Germanicum* *Piſonis* & *Plancinæ* opera confecit veneno, & *Agrippam Poſthumum* Centurionis ſicarii manibus confodit: divina fuit talio ut *Sejanus* & *Livilla Druſum* medicata potione tollerent, & Cajus unicum *Druſi* filium, adeoque totas *Tiberii* reliquias eradicaret: hinc ad promiſcuas ſenatorum, equitum, & quorumcunque cædes abſque cauſa demens Cajus prorupit.

Inſani ſumptus, & libidines.

Bajanum in *Campania* ſinum ter mille ſexcentorum paſſuum immenſo ſumptu ponte ex colligatis navibus ac ſuper ingeſta humo conſtravit, ut *Xerxem* & *Darium* in ſternendo pontibus Helleſponto ſupergrederetur. Ex vicino populo ad ſpectandum opus perfectum confluente, & ad convivium in littore invitato aliquot millia in mare præcipitavit, & ne emergerent, contis remiſque à militibus deprimi mandavit: ſorores omnes tres inceſto ſtupro polluit: inſani ſumptûs convivia frequenter ſtruebat, nobiliſſimis omnium ordinum utriuſque ſexûs eò invitatis: mulieres quaſcunque libuit in medio convivio ex triclinio ſeductas vitiavit: deſponſas ductaſque à ſenatorum primariis complures rapiens ipſe duxit, & paucis poſt diebus repudiavit.

Avaritia ſumma.

Ingentes à *Tiberio* relictos theſauros intra unius anni ſpatium abligurivit, & his dilapidatis, ut amentiæ ſuæ ſupereſſet quod conſumeretur, ad omnes quærendi & raptandi pecunias artes ſe convertit: civium locupletiſſimos confictis criminibus magno numero jugulavit, ut in fiſcum bona redigerentur: filiæ ſuæ, quam unicam ex *Cæſonia* prolem habebat, à populo ſtipem emendicabat: ut Calendis Januarii ſibi ſtrenæ à quocunque darentur dixit: in omnia venalia, in omnia civium capita nova tributa impoſuit: eo pecuniarum ardore flagrabat, ut aureorum acervis nudis pedibus inambularet, & corpore toto obvolveretur: Si tamen omnes non diu

immani ejus luxui ſufficiebant. Urbe ergo atque *Italiâ* variis ſuis artibus evacuatis, quaſi ad bellum Germanicum & Britannicum magnum exercitum magnâ celeritate duxit in *Gallias*, ut longâ pace florentes provincias degluberet: certè nullo cum hoſte ipſi res fuit; tantùm *Galliæ* civitatum viros locupletes immensâ pecuniâ emunxit multis vitâ privatis, ut bona raperet.

Maximè meticuloſus. Cùm ultra Rhenum agmine confecto iter faceret, & ex ſuis audiret condenſationem illam agminum hoſti, ſi quis fuiſſet, nimis opportunam, tanto repente correptus eſt metu, ut ſummâ celeritate fugeret retrorſum, curru equoque dimiſſis, trans agminum capita militum manibus ſcutiſque portatus.

In *Britanniam* præſentem expeditionem ſimulans, paratâ claſſe militeque in littore quaſi ad pugnam inſtantaneam diſpoſito, cecinit claſſicum; ſed omne imperium fuit ut miles magnâ cum curâ conchylia in littore colligeret: Ea ſpolis ſuo triumpho digniſſima Romam portari juſſit per nuncios ad ſenatum de inſigni ſua victoria miſſos. Expectavit ſibi decretum iri triumphum, dum verò ſenatores metuentes, ne ipſi viderentur illudere, ſi decreviſſent de re tam ridicula honores, differunt ſtatutum; ipſe excandeſcit, & Senatui ultimam ruinam interminatur.

Antequam ex ſpoliatâ Galliâ reverteretur, libido cepit legiones omnes Germanicas contrucidandi, eâ ſcilicet de causâ, quòd ipſo infante rebellâſſent, deſiderantes à *Tiberio* ad ipſius patrem *Germanicum* imperium transferre; ſed cùm juſſiſſet arma deponere & inermes aliarum legionum equites circumſiſtere, animadvertens quoſdam vim ſuſpicatos ad arma reſumenda dilabi, tanto timore correptus eſt, ut ſtatim rapto agmine properaret in *Italiam*, cogitans in *Alexandriam* & ultra marinas Provincias fugere, ſed perditis prius Romæ præclariſſimis omnium ordinum, publicè in theatro non ſemel optavit, ut toti populo una eſſet cervix quam uno ictu demeteret.

A prætorianis confoditur. Sub furia hac & monſtro hominum annis tribus & aliquot menſibus orbis Romanus ingemuit, tandem ad eum concidendum multi conſpirârunt: *Caſſius Charea*, & *Julius Sabinus* prætorianórum Tribuni duces erant conjuratorum: hi ab amphitheatro ad prandium in Palatio degredientem aggreſſi multis vulneribus confodiunt. Ut mortis fama cœpit pervulgari, Germanorum ſtipatorum cohors obvios quoſque obtruncat; & ægrè cohibita eſt ab omnibus mactandis ſenatorii & equeſtris ordinis, qui in amphitheatro ſedentes, ſummo timore percuſſi, pedem de loco movere non audebant, donec certâ Imperatoris morte Germani à ſuis Centurionibus perſuaſi ſint gladios recondere. Tum Senatus in Curiâ cum conſpiratoribus convenit, magno omnes cum gaudio Tyrannum exciſum gratulantes, ſummis laudibus *Chaream* cum cæteris percuſſoribus accumulant.

Claudius à mortis faucibus tractus ad thronum. Sed dum hi de reſtituenda populo priſca libertate conſultant, & percuſſores ad Palatium redeuntes *Cæſoniam Caligulæ* cadaveri illachrymantem cædunt unà cum filia, quidam miles ſpolis quærens in Palatii angulo Claudium deliteſcentem invenit, trepidantem mortis inſtantaneæ metu: hunc ut agnitum boniſque verbis confirmatum in caſtra ſtatim perducit. Milites ac populi fæx aſſueta largitionibus Imperatorum, & alii etiam ab Optimatum in Senatu regimine abhorrentes, ſeu memores, ſeu ex hiſtoria conſcii bellorum civilium multò crudeliſſimorum à diſcordi ſenatu motorum in unius principatum propendebant. Hi in parato Senatu & fluctuante quibus Imperii habenas committerent, Claudium proclamant Imperatorem.

Germanici hic frater & *Caji* patruus ac *Tiberii* ex fratre nepos jam in quinquageſimo anno nullius ſceleris compertus, magnâ ſuâ ſocordiâ contemptum ſibi ac inde ſecuritatem periculoſiſſimis temporibus pepererat; procul ab omni imperio ejus animus, ſed à prætorianis & plebe impulſus eſt, ut in vacanti ſolio ſederet. Senatores abjectâ ſtatim omni libertatis ſpe atque Reipub. curâ, in adulationem Claudii magnâ contentione ſe proſtituerunt; *Cheream*, *Sabinum*, alioſque percuſſores *Caji*, qui αὐτοχειρίᾳ non prævenerunt, miſſi ex caſtris milites confoderunt. Iſta fusè *Tacitus* in libris ſuis deperditis, & ex eo *Dion Caſſius* ac imprimis *Joſephus* ſcriptores Græci.

Pilati miſerrima mors. Eâ tempeſtate res Judæorum ſic ſeſe habebant. Cum ut ſuprà dictum, relegato Viennam *Galliæ Archelao* ejus regnum *Judea*, *Samaria* ac *Idumea* adjectum fuiſſet Provinciæ *Syriæ*, & à Procuratore ſub *Syriæ* Præfecto adminiſtraretur, Pontius Pilatus Procuratorum iſtorum ſextus, annis ferè undecim ad exitum prope *Tiberii* Judæos gubernabat; ſed tandem admiſſorum in D. Jeſum vindicta in eum cælitus advenit. Impoſtor quidam Samaritanus in montem *Garizim* multos ſeduxit, promittens revelaturum ſe copiam ſacrorum vaſorum ibi à Moſe reconditorum. Confluente multitudine Pilatus ſeditionem veritus præoccupavit montem ſuo milite, populumque in ſubjectâ valle disjecit multorum cum cæde, Samaritarum primores ad *Vitellium*, *Syriæ* Præſidem detulerunt querimoniam de ſuorum cæde: *Vitellius* Pilatum Romam miſit, dicturum *Tiberio* cauſam: antequam eò venit *Tiberius* expiraverat: *Cajus* accuſatoribus Pilati auditis *Viennam* eum relegavit, ubi iis angoribus animi exagitatus eſt, ut manus ſibi intulerit.

Cajaphæ ruina. *Vitellius* ejecto *Judeâ* Pilato Cajapham etiam Pontificatu privavit.

Exardeſcere tum cœpit in Judæos ira divina, tum ob necatum Chriſtum, tum ob rejectum

jectum Euangelium. Alexandriæ & in vicina *Ægypto* magna degebat Judæorum turba ſuprà decies centies mille : *Ægypti* Præfectus *Flavius* metuens ne populus Alexandrinus de prava ſua adminiſtratione *Cajo* quereretur, & ab inſano Principe perniciem ſibi facilè procuraret : à quibuſdam perſuaſus eſt nullo ipſum majore beneficio Alexandrinos placare poſſe, quàm vexando Judæos : hoc ille conſilium tanta cum induſtria exequutus eſt, ut plurima Judæorum millia abſque omni crimine partim à ſuo milite, partim à Græca Alexandriæ plebe crudeliſſimè necari permitteret. Cùm de atroci hacce injuria *Philo* cum aliis Judæorum legatis *Cajo* conquereretur, *Appion* Alexandrinus libertorum *Caji* operâ ita eum contra Judæos accendit (quòd ipſi ut vero Deo noluerint ſacrificare) ut parum abfuerint ab ultimo per totam *Ægyptum* exterminio, ſed divinâ factum eſt providentiâ ut aliâ de causâ *Flavium Cajus* necaverit, & propera ejus mors Judæos Alexandrinos ab Imperatoris furore liberaverit.

Magna Iudæorum Alexandriæ laniena.

Tum temporis Judæorum quam plurimi Babyloniam colebant Niſibi, Cteſiphonte, Neerdæ, aliiſque ad Euphratem urbibus : ex iis juvenes duo fratres *Aſinæus* & *Anilæus* textrinam Neerdæ exercentes à magiſtro artis malè habiti correptis armis in vicinia egerunt latrones ; ad eos tanta mox confluxit colluvies, ut juſti tum exercitûs duces cum *Artabani* Parthorum Regis Præfectis aliquoties victores decertârint : hinc ad *Artabani* aures eorum fama pervenire ; & ipſorum videndorum ſtudio Rex flagrare, ipſi verò pactâ regio verbo incolumitate ad ipſum itare : Rex juvenes magni facere, & egregiè donatos dimittere, impoſitâ curâ ut *Babyloniam* ſuis armis à latrocinio tutarentur : hinc ipſi diu opibus & fama florere ; donec *Anilæus* uxoris vicini Præfecti amore flagrans ipſi bellum moveret & in prœlio occideret, occiſique uxorem domum ſuam deduceret : mulier illa ſuâ pulchritudine ita *Anilæum* dementavit, ut apud ipſum non tantum omnia alia potuerit, ſed etiam idola ſua Parthica publicè colere permiſſa ſit. Omnes tum Judæi fremere in *Anilæum*, *Aſinæuſque* frater ipſi ſeriò ſuadere ut uxorem in Idololatria pertinacem remitteret ad ſuos ; de hac Aſinæi mente à marito monita praviſſima mulier, Aſinæum veneno ſuſtulit. Iſtorum ſcelerum vindicta non diu tardavit. *Mithridates Artabani* gener Babyloniæ Præfectus *Anilæo* bellum movet, in prœlio Parthos Judæi fuderunt, & *Mithridatem* ceperunt vivum : *Mithridati* vitam ac libertatem *Anilæus* largitus eſt, ſed reducem *Mithridatem* uxor *Artabani* filia tot conviciis accepit, ut neceſſe habuerit bellum contra *Anilæum* redintegrare, ubi Judæos ſecuros invadens magnam ſtragem edidit, Anilæo inter cæteros occiſo, à cæde ſuperſtites ex tota *Babylonia Seleuciam* commigravere. *Seleucia* à Græcis Syriſque malè inter ſe concordibus colebatur ; accedentibus ad Syrorum partes novis advenis Judæis Græci inferiores evasêre : ſed ſtatim ſe ad Syros converterunt firmiſſimam ac perpetuam pacem offerentes, modò ſecum in Judæorum perniciem vellent conſpirare : Accepta eſt conditio, Syri, Græcique in Judæos involantes ſupra quinquagies mille ferro deleverunt. Ita non minùs in Babyloniâ quàm *Ægypto* paulò poſt Chriſtum crucifixum, maximæ Judæorum clades fuerunt. Sed hæc tantùm initia malorum quæ divina manus hoc pacto immiſit.

Aſinæus veneno,

Anilæus gladio perit.

Magna Iudæorum in Babylonia clades.

Cajus Vitellium ex *Syria* revocavit, virum fortiſſimum, & in bello Armenico ac Parthico felicem : hæc ejus fundi calamitas, nam *Cajus* à fortibus Provinciarum præfectis valde ſibi metuebat. Vitellium, ut ad ſe veniſſet, ſtatuit necare ; verùm ut venit tam ſingulari modeſtiâ, humilitate & adulatione, cum *Cajo* verſatus eſt, ut *Cajus* non abſtinuerit modò à ſævis in eum mandatis, ſed etiam inter primarios amicos aſciverit. In *Syria* Vitellio ſucceſſit *Petronius* : dura huic *Cajus* in Judæos mandata dedit ; juſſit enim ſuam in templo Hieroſolymitano imaginem adorandam ſtatui : dum infinita Judæorum multitudo ad *Petronium* Cæſareæ veniſſet deprecatum intolerabile hoc ſibi ſcelus, *Petronius* Judæorum miſertus, quantum potuit, mandatorum *Caji* diſtulit executionem.

Vitellium ſua ſervat adulatio.

In florente tunc apud Cajum fuit gratiâ Herodes Agrippa : hic *Herodis Magni* & *Marcamnes* nepos ex filio *Ariſtobulo*, quem pater cum fratre *Alexandro* necaverat, maximi animi juvenis, ſed in tenui admodum fortunâ Romæ puer in Cæſaris aulâ educatus fuit : ejus mater *Berenice Antoniæ Germanici & Claudii* matri fuit perfamiliaris ; cùm domi omnia juvenis decoxiſſet, magnoque inſuper ære alieno premeretur, in *Italiam* ad *Tiberium* navigavit, difficulter admodum paratâ ad iter pecuniâ. A *Tiberio* in inſulâ Capreis amicè acceptus eſt, & Romam dimiſſus cum mandatis ut nepoti ſuo *Tiberio* adhæreret : ipſe tamen Cajum magis coluit, cum quo in vehiculo aliquando delatus in campos, audiente *Eutycho* ſervo ſuo aurigâ Deum precatus erat ut *Tiberio* mortem, ac Cajo imperium maturaret. Poſtea cùm *Eutychum* poſtulâſſet furti, fugitivus hic ad Capreas evaſit magna ſe ferre nuncians, quæ *Tiberii* multùm intererat ſcire. *Tiberius* contemnere, ſed Agrippa per *Antoniam* valde premere ut *Eutychus* audiretur : cùm tandem Agrippæ ac *Antoniæ* importunitate victus *Tiberius Eutychum* advocâſſet, & ab eo Agrippæ verba accepiſſet, ſtatim juſſit Agrippam in dura vincula conjici ; nihil valuerunt Agrippæ lamenta & preces, neque tum auſa fuit pro vincto *Antonia* ſupplicare : tantùm Centurionem

Herodes Agrippa Rex à Cajo creatus.

rionem

rionem rogavit, ut quàm poſſet benignè Agrippam cuſtodiret. Ut expiravit *Tiberius*, Cajus Agrippæ ferream catenam in auream ejuſdem ponderis mutavit, & inter primos familiarium habuit, Tetrarchiâ *Philippi* patrui ipſi donatâ, unà cum regio diademate.

Herodiadis ambitio & invidia ſe maritumq; Antipam perdit.

Agrippa ſoror erat Herodias *Philippi* uxor. Herodes Tetrarcha uxorem habebat filiam *Areta* Regis *Arabum*; ſed in *Philippi* fratris domo cum Herodiade nepte ſuâ converſans ſecretum cum eâ pactus eſt matrimonium, quod ut præſtaret, uxori priori miſit repudium. Herodias hæc fuit quæ *Joanni Baptiſta* comparavit exitium: ſed non diu tardavit numinis vindicta; nam *Aretas* ob filiæ injuriam bellum Herodi movit, ejuſque copias internecione delevit; *Herodias* etiam conſpecto fratrem *Agrippam* ex itinere Romano adeptum regium honorem; dies noctéſque maritum impellebat ut properaret ad Imperatorem, idem faſtigium poſtulaturus. *Agrippa* ut invidiam ſororis ambitionemque fruſtraret, ſcripſit ad *Cajum* ut caveret ſibi ab Herode, nam ipſum cum *Artabano Partho* perſamiliarem & tot domi arma occultare quot ſeptuaginta millibus armandis ſufficerent. Interrogavit *Cajus* Herodem de armis, & confitentem ſtatim relegavit *Lugdunum* Galliæ in exilium, uxori verò quia *Agrippa* ſoror ſua obtulit bona, ſi vellet maritum relinquere, ſed cum illa ſequi ſe velle viri fortunam dixiſſet, *Cajus* eam quoque relegavit, ejuſque etiam bona *Agrippa* addixit.

Rex Agrippa magnificentiſſimus ſuâ vanitate perit.

Ob magna hæc beneficia rediit Romam Agrippa *Cajo* gratias acturus, ſed vix eò venerat cum *Cajus* à *Cherea* de medio ſublatus eſt. Utilem Agrippa operam tulit, ut nutantem *Claudii* mentem ad ſumendum imperium firmaret, etſi non tantam, quantam *Joſephus* nimis magnificè prædicat contra *Dionis* & *Suetonis* fidem. Omnino diſplicet *Baronis* & *Saliani* nimia moroſitas, quâ ſæpe gratis in *Joſephum* invehuntur: hîc tamen *Joſephi* inadvertentiam admitto, qui in ſuprà dictis non tantùm aliis, ſed ſibi etiam adverſari videtur, aliter in Antiquit. 20. quàm 2. bell. iſta tradens.

Utcunque, *Claudius* officiis Agrippæ ita delinitus eſt, ut non tantùm juſſerit poſſidere Tetrarchiam *Herodis* & *Philippi*, ſed ei etiam totum avi Regnum conceſſerit, addens *Iudæam*, *Samariam* & *Idumaam*. Tam inſigniter auctus Agrippa domum rediit, ubi *Judæis* eximiè favit; ejus magnificentiæ reditus, quos habebat maximos, non ſuffecerunt, ſed quod virum perdidit, erat perſecutio Eccleſiæ, *Iacobum* gladio necavit, & *Petrum* vinculis conſtrinxit, ut poſt Paſcha Judæorum furori mactaret; imò verò Cæſareæ divinas laudes ab adulante populo admittens horrendis & lethalibus viſcerum doloribus ab Angelo percuſſus eſt. Filio *Herodis* apud ſe educato volebat ſtatim *Claudius* paternum Regnum tribuere, ſed à libertis diſſuaſus, id, ut prius, Provinciæ *Syriæ* adjunxit, & per procuratores adminiſtravit. Iſtorum tam crudele gubernamen erat, ut oppreſſum popellum adegerint ad arma, per quæ multus Romanis labor, ſed extrema Judæis clades, atque durans in hunc diem multò miſerrima deſolatio procurata eſt. Ut iſta expedito filo tradamus *Claudii Neroniſque* res priùs ſunt explicandæ.

Claudii ſtupiditate Meſſalina immaniter abutitur.

Claudius initio multa in Reipub. commodum geſſit, ſed ſingulari ſtupiditate ingenii deprehensâ in contemptum mox omnium devenit: à libertorum *Narciſſi*, *Pallantis*, *Polybii*, & aliorum libidine totus pendebat. Uxor Meſſalina mulierum quæ unquam fuerunt ſpurciſſima, ipſius ſtupiditati eouſque illudebat, ut Palatium in lupanar converteret, urbe & orbe ſpectantibus uno Claudio non vidente. Cùm præter innumeros adulteros ambiret ſaltatorem *Mneſterem*, & is ex timore renueret, ipſe Claudius ei imperavit, ut Meſſalinæ in omnibus gereret morem. Eò verò tandem immane ſcortum devenit inſaniæ, ut auſa ſit *Silio* pulcherrimo juveni ſenatorio publicè nubere: tum liberti ſibi ipſis metuentes ne *Silius* occiſo Claudio occuparet imperium, timorem Claudio injecerunt mortis à Meſſalina, & *Narciſſus*, adjunctis ſibi prætorianis, Meſſalinam at *Silium* multoſque alios nobiles adulteros neci dedit.

Agrippina Meſſalinam ſceleribus aſſicit.

Dum inter ſe certarent liberti quam in Meſſalinæ loco *Claudio* conjugem darent, Agrippina minor *Germanici* filia, *Domitii* vidua ſuis blanditiis patruum primò in ſtuprum, pòſt in nuptias pellexit. Imperioſa hæc mulier ſuperbiâ, crudelitate, & avaritiâ, cæteriſque vitiis Meſſalinâ ſe diſpectiorem ſtatim præſtitit: ſtoliditate *Claudii* ad multorum virorum inſignium cædes abuſa eſt.

Habebat ex Meſſalina *Claudius* filium *Britannicum* mediocris ſpei adoleſcentem, & filiam *Octaviam*: Agrippina verò ex *Domitio* marito *Domitium*: hunc illa perſuaſit *Claudio*, ut adoptaret, & adoptato filiam traderet in uxorem. Pepulerat *Cajus Annæum Senecam* in exilium, hunc revocavit Agrippina, eique filium *Domitium* jam *Neronem*, adoptatum ſcilicet in *Neronum* familiam, in diſciplinam tradidit, omnique induſtriâ niſa eſt, ut ſepoſito *Britannico* in Imperium ſuccederet. *Domitius Britannicum* annis tantùm duobus ſuperabat, ſuis tamen artibus Agrippina ita *Domitium* exaltabat ac *Britannicum* deprimebat, ut in illum omnes, non hunc oculos conjicerent: quóque ſecuriùs deſtinata perficeret, Præfecturam Prætori *Burro* tradidit, & *Pallanti* libertorum *Claudii* gratiſſimo ſeipſam proſtituit.

Narciſſus hæc animadvertens, *Britannici* miſertus, patris in eum amorem excitare parabat,

Agrippina Claudium necat, ut filium ſuum Neronem locaret in throno. bat, & in Agrippinam odium: ſed ſagax mulier iſta prævenit, per *Locuſtam* enim famoſam veneficam vetus aulæ inſtrumentum in boleto venenum Claudio propinavit, quod cum multo vino & alvi ſolutione vomituque ejeciſſet, per *Xenophontem* medicum acrius venenum præbuit in pinna, quâ gutturi injectâ poſt crapulam vomitum ciere ſolebat: veneno hoc ſuſpecto paucas poſt boras expiravit Claudius, vitæ ſexageſimo tertio, imperii decimo tertio. Agrippina *Britannicum* & *Octaviam* tamdiu ſuis complexibus detinuit, donec Prætorianos alioſque ad imperium filii ſuſcipiendum præparâſſet, tum verò ſummum luctum ſimulans Claudii mortem enunciavit, ſed abducto prius *Domitio* in Prætorianorum caſtra.

Neronis bona principia. Domitius Nero anno ætatis decimo ſeptimo pravis peſſimæ matris artibus à Prætorianis & Senatu acceptus in Imperatorem, aliquandiu optimè omnia gubernavit: mater quidem ibat in ſcelera, & nobiles aliquot tam viros quàm mulieres ex odio ſuo privato dabat neci, & in omnia Imperii munia ſe publicè ingerebat: ſed *Seneca* & *Burrus* ejus inſolentiæ fibulam impoſuerunt. Neronem illi permiſerunt privatis voluptatibus indulgere, ipſis Reipub. curâ commiſsâ. *Agrippina* mulier ambitioſiſſima omnino non ferens in ordinem ſe redigi acerbè filio imitari redituram ſe *Britannico* imperium, quod ipſi jure debebatur: minis biſce exterritus Nero *Britannico* maturavit exitium, ſedenti enim ſecum ad menſam, venenum à *Locuſta* mixtum effecit tradi, unde ſtatim correptus adoleſcens expiravit. *Mox tamen fratrem Britannicum tollit.*

Scelus hoc à multis Neroni condonatum eſt, ut qui ſuæ ſecuritati conſuluiſſet, cavendo, ut fieri ſolet, ab æmulo Imperii: ſed prava juvenum cohors quam imprudenter nimis ejus lateri adhærere permittebat Seneca, in ulteriora eum indies ſcelera propellebat: Pædagogorum magiſterium excutere ſuadebat, & avunculi *Caji* verè Imperatoris proponere ſibi quod imitaretur exemplar. Hinc poſt crepuſculum paucis comitibus in galero vel pileo per urbem diſcurrere, occurrentes pulſare, tabernas effringere, mulieribus inferre vim: ab his tandem ſceleribus deterritus eſt, cùm ſemel & iterum multas ac penè lethales à ſe defendentibus plagas accepiſſet. *Seneca indulgentia Neronem corrumpit.*

Praviſſimis artibus Agrippina filii amicitiam retinere fruſtra conatur. Interim creſcebat in matrem odium; *Julia Silana* ipſam detulerat ut parantem cum *Rubellio Plauto* nuptias, *Auguſtum* eodem conſanguinitatis gradu quo *Nero* contingente, ut disjecto filio novo marito daret Imperium. Calumniâ hac uſque adeò excanduit *Nero*, ut matrem inauditam ſtatim necâſſet, ni *Seneca* & *Burrus* ſe defendendi poteſtatem Agrippinæ obtinuiſſent: ad filii ergo colloquium admiſſa non difficulter *Silana* calumnias refutavit, & in ipſam ſuorum mendaciorum pœnam retorſit; nunquam tamen in priorem cum filio amicitiæ gradum redire valuit, etſi omni ſuâ arte etiam ad inceſtum pellicere conata ſit.

Inter alios adoleſcentiæ Neronis corruptores erat nobiliſſimus, ſed profligatorum morum juvenis *Publius Otho.* Pellexerat hic in ſuum matrimonium uxorem *Criſpini* Poppæam Sabinam mulierem nobilem & pulchram, ſed aſtuti, acris, & praviſſimi ingenii. Hujus immodicas laudes non deſinebat *Otho* Neroni ingeminare, hinc Neronis in Poppæam amor & *Othonis* ad Hiſpanicas legiones ablegatio. Poppæa non contenta Neronis conſuetudine, ad nuptias aſpirabat, nulla ſpes repudiandæ *Octaviæ* quamdiu viveret *Agrippina.* Neronis ergo in matrem odium uſque adeo inflammavit ut decerneret necem, publice non audebat, contra venena ſagax ſuſpicaxque mulier erat præmunita; hac ergo eam arte adortus eſt. Libertus *Anicetus* Liburnicam diſſolubilem confecit, cujus in mari latera aperire poſſet & claudere pro libitu: Nero cum matre in priſtinam rediiſſe gratiam ſimulans in *Campanam* ad convivia & ſpectacula eam invitavit: omnia redintegrati amoris ſigna edidit productis ad mediam noctem epulis, deduxit ad Liburnicam, in qua rediret in urbem: non diu navigatum eſt, cum ea navigii pars in quâ conſederat *Agrippina* nautarum fraude ſoluta eam in mare effudit. *Veronia* Agrippinæ pedibus aſſidens, ſibi ut Agrippinæ opem implorans, nautarum contis & remis depreſſa mari ſubmiſſa eſt: Agrippina verò ſummo ſilentio in mare dilapſa ad lembum enatavit, quo ad propinquam ſua in villam delata eſt. Statim ad filium de ſuâ ſalute nuntium miſit ex quo ſummum Nero dolorem & angorem cepit: metuebat enim ne in urbem mater volaret ad Prætorianorum caſtra & Senatum, apertura ſuas inſidias & omnia ſcelera, pugionem ergo ad internuncii pedes fecit objici & ipſum vinculis conſtringi quaſi miſſum à matre ut ſe confoderet: *Burro* ac *Seneca* decretum ſibi ſignificat matrem prævenire, neuter certè ſceleri obluctatus eſt. *Anicetus*, diſſuadente *Burro* Prætorianorum Agrippinæ faventium operam, in ſe facinus ſuſcepit: circumfuſis villæ claſſiariis, effractis januis in Agrippinæ cubiculum irrupit, lecto illa exiliens nudatum uterum quo monſtrum tulerat, obtulit ad plagas, ſed aliis tranſverberata membris multis vulneribus exanimis concidit. *Poppæa Sabina Neronis ad flagitia incentrix.* *Matrem tollit.*

Ut mortuam accepit filius magnis furiarum terroribus exagitatus difficulterque à Prætorianis confirmatus reductus eſt Romam, metuens ne obvii omnes in ipſum ut matricidam irruerent: ut verò Senatum populumque invenit omnibus lætitiæ publicæ ſignis ſibi gratulantes, quaſi ſummum à matre periculum

evaſiſſet, & meritiſſimè inſidiantem necâſſet, ad omnia alia ſcelera obfirmavit animum.

Etiam uxorem Octaviam. Poppæa urgere non deſtitit, donec palatio probam & innocentem Octaviam ejiceret, & ejectam in inſulam ablegaret, in eaque Centurionis manu confoderet: hoc non erat auſa ante *Burrum* veneno ſublatum, ejuſque loco *Tigellinum* virum ſceleratiſſimum cum *Fenio Rufo* præfectum prætorio.

Deſerit aulam Seneca. Nihil tum in aula ſani præter unum Senecam, ingentes hujus opes & vita contra Stoicam diſciplinam valde lauta, magnam multorum in ipſum invidiam concitârunt, *Neroniſque* jam in totum perditi mens ab ejus virtutibus abhorrebat, etſi pergeret ſimulare amicitiam; ſibi tamen Seneca metuens, omnes *Neroni* ſuas opes obtulit, quas ille magnâ cum adulatione (præceptorem multò plures de ſe meritum affirmans) recuſavit; utcunque poſtulatum ad quietem & ſtudia ſeceſſum in cultiſſimos ſuos hortos ſuburbanos conceſſit. Exinde relictus Nero uni *Tigellino* & *Poppæa* in omnia corruit ſcelera, curæ ei ſupra omnia fuit ad citharam canere & aurigare, inque Theatro cum harum artium magiſtris de coronâ certare. In libidinibus omnium hominum evaſit ſpurciſſimus, ſpadonem *Sporum* duxit publicè in uxorem, & *Pythagoræ* ut mulier nupſit; omnes Imperii opes in convivia, ludos, ac lupanaria prodegit. In *Græciam* cum magno ludionum exercitu profectus eſt, ut in celeberrimis urbibus, ubi agones celebrabantur, citharædis & aurigis coronas præriperet: iſtarum prope duo millia in urbem retulit in curru triumphali, quaſi inſignium victoriarum trophæa. Dum aliquando ab aurigatione ſerò in palatium rediiſſet, à Poppæâ prægnante durioribus verbis acceptus, calcibus eam necavit.

In flagitiis Nero pergit.

Poppæam necat.

Incendit urbem. Libido etiam monſtrum cepit incendendi urbem, quod & præſtitit, immiſſis in varias regiones facibus, quibus totis ſex diebus ac noctibus Roma conflagravit, impediente ne quiſquam extingueret rapaci milite: ipſe interim de faſtigio Palatii magnâ cum voluptate canebat ad citharam incendium Trojæ. Ex quatuordecim urbis regionibus decem abſumptæ ſunt: magna populi ſtrages & damnum immenſum; quicquid ab antiquis in urbe ornamenti ex omnibus triumphis poſitum erat & ex orbe reliquo raptum, in cineres verſum eſt. Ut hanc à ſe invidiam amoliretur, Chriſtianos magno numero ut incendiarios vivicomburio, maximiſque tormentis extinxit, majore populi miſeratione quàm gaudio, quòd ſuum unius crimen in viros omnino inſontes derivare cognoſcerent. Ut damnum reſarciret, ab omnibus Provinciis, quantum potuit opum extorſit, præter publicos reditus, & ut aliquod ex magno malo commodum carperet, novam urbem veteri ſplendidiorem ædificare conatus eſt. In veteri angiportus anguſti, circumflexi, domus confuſæ, præaltæ, & inæquales: in nova viæ latæ, angiportus recti, domus humiliores & ordinatæ, pleræque etiam ſuis muris ut inſulæ claudebantur.

Piſonis conjuratio revelatur. Dum in his eſt, præter alias magna à Cajo Piſone Conſule conſpiratio exorta eſt, in quam permulti omnium ordinum ſuum nomen dederunt, innumeris viri ſceleribus provocati. Ex Prætorianis varii Centuriones, Tribuni, & ipſe Præfectus *Fenius Rufus* in partibus erant: mirum erat omnium ad ipſum executionis diem ſilentium: pridie illius diei ſenator *Scevinus* qui primam inferre manum in ſe ſuſceperat, pugionem *Milicho* ſuo ſervo dedit exacuendum, ſervorum alios libertate, alios pecuniâ donavit, teſtamentum obſignavit, in ſplendido cum domeſticis convivio cogitabundus triſtiorque ſolito meditabatur, comparabat quoque medicamenta ad ſanguinem ſiſtendum & curanda vulnera, longoſque cum amico *Natali* ſermones conſeruit: ex his *Milichus* conjectans id quod erat, ſpe præmiorum ad *Neronem* decurrens, conjurationis in domino indicia narravit: *Scevinus* & *Natalis* ſtatim correpti & in vincula conjecti aliquandiu diſſimulare, ſed metu tormentorum omnia tandem faſſi cæteros detulerunt: hinc ſummus *Neronem* metus inceſſit, & magna conjuratos invaſit conſternatio; aliàs ſatis fuiſſet Piſoni proclive (quod amici ſuadebant) *Neronem* publici odii victimam, quanquam revelatâ conjuratione, vel in ipſo foro mactâſſe.

Seneca deſponitur. Languentibus pleriſque ſinguli correpti ſunt, & magno numero viri nobiles perditi, inter alios *Lucanus Poëta* & Annæus Seneca. Contra hunc nihil fuit probatum, ſed ex conjuratis aliqui putabantur ſtatuiſſe, poſtquam *Neronem* occidiſſet *Piſo*, *Piſone* etiam necato, imperium Senecæ ut digniſſimo tradere. Cùm ad Senecam Nero mandatum moriendi miſiſſet, ipſe ſolutis venis in balneo, ſermones eximios proloquens expiravit.

Corbulonem indignè perdit. Periculo hocce defunctus Nero nequaquam in melius mutatus eſt: omnibus ergo bonis exoſus omnes viros magnos metuebat, inprimis Corbulonem. Ductaverat hic legiones Orientis contra Parthos magna cum virtutis & fortunæ fama: lubentes ipſi legiones tradidiſſent Imperium, & ab eo expectabatur Neroniani monſtri depulſio: ſed is ad extremum Neroni perſtitit fidiſſimus: hujus fidei præmium erat, ut à Nerone vocatus nec in conſpectum admiſſus, nullo crimine prætento juſſus ſit mori: accepto mandato, ſuo ſe gladio jugulavit cum una voce, *dignus*; qui ſcilicet miſerè moreretur, eò quòd humani generis peſtem tempeſtivius non ſuſtuliſſet.

Rebellat Vindex, ſed opprimitur. *Corbulonis* caſus cæteros exercituum duces ad audendum excitavit: Julius Vindex legiones Gallicas in ſeditionem traxit, ut non ſibi

ſed

ab invito Ruſo.

ſed *Galba* Hiſpanicarum legionum ductori traderetur imperium. Contra Vindicem cum Germanico exercitu movit Rufus; obſidenti Veſuntionem Rufo occurrit Vindex, poſt colloquium conſenſiſſe utrumque in *Neronis* exitium putabatur, ſed dum Veſuntionem tenderet Vindex, & Rufi milites contra ſe venire exiſtimarent, ſine imperio legiones illæ Gallicas ad pugnam imparatas invadunt & multorum cum cæde diſſipant: Vindex ſibi ipſi manus infert magno cum Rufi dolore. Omnes tum Rufo imperium offerre, ipſe verò deſpiciens conſtanter rejicere, Senatui tamen populoque ſuam operam contra *Neronem* vovere. Nero primùm contemnere, ſed ut non Gallicas tantùm, ſed etiam Germanicas ac Hiſpanicas contra ſe legiones movere certò didicit, tum trepidare & animo cogitare quomodo cæſo Senatu & urbe iterum incensâ Alexandriam in *Ægyptum* fugeret: ſed trepidantem milites omnes, imò ſervi domeſtici deſerunt. Convenit Senatus ut de eo ferret ſententiam, omnino neſcius quo ſe verteret cum tribus libertis *Sporo*, *Phaone*, & *Epaphrodito*: ad proximam *Phaonis* villam vili vectus equo & velatâ facie fugit, ubi in lectulo ſuper vetus pallium decumbens tranſegit noctem in ſummo mortis appropinquantis metu: cum autem ex *Phaonis* ſervo didiciſſet, hoſtem ſe à Senatu dictum qui more majorum puniretur, & eum morem accepiſſet, hominis nudi collum furcâ conſtringere, corpuſque virgis ad mortem cædere; abhorrens ſupplicium, duos pugiones deprompſit ut ſe confoderet: ſed puſillanimitate languens in vaginam pugiones repoſuit, orans libertos ut ipſi vellent inferre manus; verum his recuſantibus, dum equites ad ſe vivum comprehendendum miſſos ad cubiculi fores audivit, cum *Epaphroditi* ope pugionem jugulo impreſſit, exclamans, qualis artifex pereo! vitæ triceſimo ſecundo, imperii decimo tertio.

Neronis mors miſerrima.

Galba poſſeſſum imperium imprudenter unà cum vita amiſit.

Galba nobiliſſimâ ortus familiâ, omnibus militiæ gradibus cum honore defunctus, in *Galliâ*, *Germaniâ*, *Hiſpaniâ*, & alibi à *Nerone* legionibus in *Hiſpania Tarraconenſi* Præfectus fuit. Varia ei auguria olim Imperium ſpondebant: ſi credimus omnium ejus ævi hiſtoricorum conſentienti teſtimonio, fere omnium Imperatorum fata Diabolo Deus permiſit per haruſpices, mathematicos, *μετωποσκόπους*, & id genus aularum & humani generis peſtes præſignificare. Sed Galba vir modeſtus ac gravis tum annum ſeptuageſimum ſecundum excedens, fatidicorum ſomniis non movebatur, donec *Vindicis* ex *Gallia* literis excitatus & legionum ſuarum ardenti ſtudio propè compulſus, Reipub. legati nomen admiſit: verum ut Senatûs populique decretum de ſuo imperio accepit, nihil ultra cunctatus Romam cum exercitu properavit. Ut eò venit, tam urbis quam Provinciarum ſtatum eo loco repperit, ut non difficulter mediocri cum prudentia imperium potuerit retinuiſſe: ſed ſtatim ſuâ imprudentiâ exitium ſibi maturavit.

Ex claſſiariis *Nero* legionem confecerat, quos in urbem ad arma & aquilas accipiendas vocârat, hos Galba juſſit ad claſſem & remos redire, recuſantes magna ſtrage in primo ſuo urbis ingreſſu diſſipavit. Prætorianis *Laconem* præpoſuit hominem vecordem, ſuperbum tamen & ſui propoſiti tenaciſſimum, *Vinium* ſuum in *Hiſpaniâ* legatum Conſulem ſecum dixit, *Icelum* libertum maximis rebus præfecit, ab horum triumvirorum conſilio totus pendebat: Prætorianis donativum expectantibus nihil dedit, legi à ſe non emi ſolere milites inquiens.

Otho Prætorianos corrumpit.

Otho ob *Poppæam* uxorem in *Hiſpaniam* à *Nerone* ablegatus, etſi vitiis pleriſque *Neroni* propè par, tamen magni animi & induſtriæ juvenis, luxuriam comprimere doctus quando intererat, omni ope Galbam in adipiſcendo Imperio adjuverat, expectans ab eo ſe adoptandum: hac ſpe mentem quotquot potuit comitate & donis in ſui favorem pellexit. Galba ſenio gravatus adoptationem ſibi neceſſariam *Vinii* artibus ab Othone in *Piſonem* vertit. *Piſo* juvenis nobiliſſimus magnarum virtutum & Stoicæ propè gravitatis fuit: cum ejus in Senatu adoptationem Galba declarâſſet, magno acceptum eſt plauſu; ſed cùm in caſtris eandem enunciâſſet, abſque ulla vel tunc donativi mentione, plerique milites fremere, nullus ex animo vel patri vel filio favere: cumque avaritia libertorum aulicorum urbem atque provincias vix minus quàm diebus *Neronis* expilâſſet, ubique magnum de præſenti adminiſtratione murmur exortum eſt. Iſto animatus Otho, jamdudum ex largitionibus ære alieno oppreſſus, quicquid inter amicos ultra potuit corradere, militibus aliquot diſtribuit, qui in caſtris ſtatim ſeditionem moverunt, ut à multis Otho depoſceretur ad Imperium. Interea ſacrificabat in Capitolio Jovi Galba aſtante Othone; hic accepto ſeditionis caſtrenſis ſecreto nuncio, confeſtim ad caſtra dilapſus eſt, ubi ad tribunal raptus magno militum clamore dictus eſt Imperator. Galba diu anxius quid conſilii caperet, dum multi ex ſenatu animos addunt, procedit in forum: ſed ingruentibus equitibus ab Othone immiſſis omnes amici diffugiunt, ipſumque qui ſellam geſtabant in ſtrata effundunt: hic jacentem Othomani multis vulneribus transfodiunt: *Piſo Viniuſque* ac *Laco* necantur, capita contis transfixa per urbem feruntur, finis hic Galbæ in ætatis anno ſeptuageſimo tertio, Imperii menſe vix nono.

Othoni Senatus adulatur.

Senatus à Prætore convocatus eodem die Othonem Imperatorem accepit, illique in os omnes adulationum fluvios affuderunt, animis tamen averſabantur ut peſtem, nihilo *Nerone* ſaniorem: & quidem Othoni tota *Neronis*

nis vita tam placuit, ut vix ab ejus nomine aſſumendo abſtinuerit: eò gratior erat Prætorianis & vilior plebeculæ, quibus ob convivia, largitiones, & ſpectacula *Nero* diu pòſt mortem deſideratiſſimus erat Princeps.

Contra Othonem Vitellius ex Germania movet.

Vix ingreſſus eſt Otho palatium, cum rumor de Imperio Vitellii perercbuit. Vitellius juvenis erat non minùs quàm Otho flagitioſorum morum, filius *Lucii* adulatoris, viri tamen ſtrenuiſſimi, qui ſub *Tiberio* & *Cajo* *Syriam* adminiſtravit. *Galba* juvenem Vitellium ad Belgicum exercitum legatum miſit: hic ſtatim centuriones & gregarios etiam milites iis partibus adortus eſt, ut eum legiones Imperatorem mox optaverint. Superioris Germaniæ exercitus pro *Nerone* contra *Vindicem* in *Galliâ* victor *Galbæ* non favebat: hi cum Belgicis legionibus facilè conſpirantes contra Othonem Vitellium Imperatorem dixerunt. Vitellius luxu diſſolutus, in conſiliis lentus erat: ſed exercitus ardore incitatus *Cæcinnam* in *Italiam* per *Helvetios*, & *Valentem* viâ Lugdunenſi præmiſit, hunc eum quadraginta, illum triginta millibus fortiſſimorum militum, ipſe eum cæteris copiis ſecuturus. Uterque tam *Cæcinna* quàm *Valens* magnas in viâ rapinas, multamque ſtragem ediderunt. *Cæcinna* cum ſuis prior in *Italiam Tranſpadanam* trajecit, quam Germanici exercitus metus ante ejus adventum Vitellio conciliaverat.

Othonem imprudentia perdit.

Otho cum urbanâ omni militiâ variiſque legionibus, inprimis Prætoriano milite, ſenatoribus pleriſque comitantibus in occurſum Vitellianis proceſſit: prioribus aliquot prœliis in eum belli, ut vocant, fortuna inclinavit. *Cæcinna* ab obſidione Placentiæ magnâ cum ſuorum ſtrage repulſus eſt: ſed cum *Valentis* copiæ *Cæcinnæ* jungerentur, mutatæ ſtatim ſunt rerum vices. Othonem duo malè conſulta perdiderunt: ducum prudentiſſimi ſuadebant pugnæ dilationem, Vitellianis enim omnes ſuæ opes aderant, Othoni verò ab Oriente & ab *Illyriâ* magna adventabant auxilia. Quod in *Italiâ* tenebant Vitelliani vaſtatum erat, media & fames trans Alpes brevi tempore ipſos compuliſſet, ſed nimia Othonis impatientia nullam pugnæ moram admittebat. Aliud erratum fuit, quòd ipſe à periculis pugnæ *Brixiam* ſepoſitus eſſet, cum ejus miles ab eo totus penderet, nulli aliorum ducum favens aut confidens. Malè conſultorum ſimiles exitus fuerunt: conſertâ pugnâ Othoniani vi & artibus Vitellianorum victi ſunt ingenti cum ſtrage. Satis Othoni ſuperfuit virium ad renovandum bellum, ſed ne plus funderetur Romani ſanguinis, multum deprecante milite ſibi manus intulit, exercitus victus ad victorem honeſtis conditionibus tranſiit.

Vitellius homo diſſolutiſſimus

Vitellius, acceptâ ſuorum victoriâ, properavit in *Italiam*: ubique in omnem luxum diſſolutus miles ad Imperatoris exemplum, quacunque vadebat, ſanguine & rapinis omnia complevit. Intravit urbem Vitellius cum ſexaginta millibus militum & totidem lixis calonibusque: iſtorum rapacitate populus propè devaſtatus eſt. *Cæcinnæ* & *Valenti* Imperii onus incumbebat, Vitellius plus quàm *Nero* ſumptuoſiſſimis quotidie conviviis vacabat, nulli ſumptus ejus luxui ſufficiebant, omnia ingluvie & incuriâ peſſum ibant. Dum *Cæcinna* & *Valens* mutuâ æmulatione & diſcordiis reliqua perderent, Senatus jam diu ſervire doctus, omnia Vitellio dabat ut alteri *Auguſto* pro ſuo more, abhorrere tamen animis à viri imperio & circumſpicere optareque, quî ipſum ipſiuſque exercitum Germanicum ex urbe atque *Italia* ejiceret.

neſcivit regnare.

Veſpaſianus à legionibus Iudaicis dicitur Imperator.

Præpoſitus à *Nerone* fuit *Judææ* Flavius Veſpaſianus cum tribus legionibus: omnes hic militiæ gradus cum laude fortitudinis & prudentiæ tranſierat, militibus ſemper carus & provincialibus gratus: frater natu major *Flavius Sabinus* à *Nerone* præfectus erat urbi, in quo munere temporibus difficillimis *Galba*, *Othonis*, & *Vitellii* perſeverabat. Veſpaſiano duo erant filii, *Titus* & *Domitianus*: ille maximâ virtute juvenis, eâ in conciliandis omnium animis dexteritate pollens, ut vulgò deliciæ humani generis diceretur. Præerat tum *Syriæ* cum quatuor legionibus *Mucianus* vir magni animi atque induſtriæ; hic *Titi* inprimis amore Veſpaſianum in honore habebat. *Ægyptum* adminiſtrabat *Tiberius Alexander* ex Judæo Græcus *Alexandrini Alabarchæ* filius, hic etiam ſtudebat Veſpaſiano. Legiones Myſiæ & ubique pars Othoniana Veſpaſiani famam pronis auribus accepit: tandem legiones Judaicæ, Ægyptiacæ ac Syriacæ ipſum dixerunt Imperatorem.

Antonius primus ſuâ unius virtute Vitellianos ubique fregit.

Interea implicabatur bello Judaico, quicquid extra Hieroſolymorum muros fuit ſubjugaverat, obſidionem urbis *Tito* filio reliquit, ipſe in *Ægyptum* properavit ut in *Italiam* pararet exercitum, *Mucianum* cum claſſe præmittens. Antonius primus legiones Pannonicas in *Veſpaſiani* partes ſuâ eloquentiâ & induſtriâ traxerat; hic adjunctis ſibi Illyricis *Muciani* adventum prævenit & per *Iſtriam* in *Italiam* contendit.

Germanicus Vitellii exercitus Romæ deliciis diffluebat, ipſe Vitellius unas epulas curans ad *Veſpaſiani* nomen trepidabat; accepto tamen Flavianos ex *Pannoniâ* in *Italiam* irrupiſſe, *Cæcinnam* cum aliquot legionibus in occurſum miſit, dum *Valens* cum cæteris copiis ſubſequeretur; arrogans erat *Cæcinna* ingenium & majorem ſuâ *Valentis* gratiam apud Vitellium indignabatur: etiam *Lucilius Baſſus* claſſi ad Ravennam præpoſitus altas animo iras premebat, quod ſpe ſuâ de præfecturâ Prætorii excidiſſet: uterque proditionem & tranſitum ad Flavianas partes meditabatur, & *Baſſus* quidem claſſem tradidit. Sed *Cæcinna*

cum

cum Tribunos & Centuriones ad deſerendum Vitellium alliceret, à furente milite conjectus eſt in vincula. His nunciis animatus Antonius, cum ſuis omnibus copiis parat Vitellianos invadere prope Cremonam: initio pugnæ Flaviani verterunt terga, ſed ea Antonii unius virtus fuit, ut fugientes reduceret ad prœlium, tantaque vi hoſtes impelleret, ut funderet fugaretque: victor miles aviditate prædæ vix potuit cohiberi, quin eâ ipſâ nocte Cremonæ muros adoriretur: ſed furentes compeſcuit nuncius novas legiones à *Vitellio* ad ſuos miſſas veniſſe, & jam jamque ex urbe parare novam pugnam: Antonius ut potuit ſuos inſtruxit, atrox totâ nocte obſcuriſſimâ Andabatarum more fuit prœlium: ut Luna primum & mox ſol exortus eſt, Antonius verbis & exemplo eam ſuis fortitudinem inſpiravit, ut Vitellianæ legiones ſtrenuiſſimæ terga verterent. Ante Cremonæ mœnia caſtra erant à Germanis contra *Othonem* nuper validè munita, in hæc fugati ſe conjecerunt, & inde magnâ vi victores repellebant; ſed hi mirandâ virtute ingruentes, poſt diuturnam magnâ utrinque cum ſtrage pugnam, foſſas & vallum perrumpere & obvios omnes obtruncare. Supererat adhuc maxima laboris pars, alti latique Cremonæ muri turribus, inſtrumentis bellicis, ac forti milite munitiſſimi; ſed nihil eo die Flavianorum virtutem duce Antonio valuit ſuſtinere. Vitellianis tandem animi conciderunt, & ab Antonio depoſitis armis pacem ſuppliciter poſtulârunt: militibus exarmatis parcitum eſt, ſed victoria, ſi quæ unquam aut uſquam gentium, præclara, & ingens ſummæ fortitudinis laus, corrupta eſt ab immani crudelitate, libidine & rapacitate quâ Coloniam antiquam, nobilem & opulentam tantum non aboleverunt: poſt ſacra profanaque omnia ſpoliata, cædeſque & ſtupra nefanda, urbs quatuor continuorum dierum flammâ in cineres redacta eſt indelebili victorum infamiâ.

Mira Antonii ad Cremonam fortitudo.

Antonius ſinit Sabinum Romæ perire.

Fractæ ſunt hîc *Vitellii* vires, ipſe tamen deliciis ſomnoque ſe ingurgitare pergebat. Aliquandiu per infeſſa Apennini juga hoſtium progreſſum remoratus eſt, ſed tandem & his perruptis Antonius appropinquavit urbi. *Veſpaſiani* frater major Sabinus urbi præfectus erat, ac *Domitianus* filius adoleſcens in urbe educabatur. *Vitellius* cum Sabino lubenter tractabat de dimiſſione Imperii, & Senatus Sabinum ad arma inſtigabat; verùm plebs ac miles correptis armis *Vitellium* ad retinendum imperium impellebat ac Sabini domum invadebat: Sabinus cum *Domitiano* & amicis in Capitolium fugit, de ſuo periculo Antonium monuit, qui tamen non priùs acceſſit quàm Capitolio incenſo & in cineres cum omnibus templorum ornamentis redacto: Sabinus in vinculis ad *Vitellium* adductus, & in ejus conſpectu à populo diſcerptus, ac in Gemonias tractus eſt.

Vitellii miſera mors.

Triſtis hic nuncius *Antonium* cum exercitu victore ad Romæ mœnia acceleravit: poſt aliquot pugnas viam vi patefecit magnâ cum populi cæde & omnibus urbium captarum malis ſi unum incendium excipias. In expugnandis Prætorianorum caſtris maximus fuit labor, & poſtquam expugnata ſunt, ingens virorum fortium ac in armis mori obſtinatorum laniena. Ipſe Vitellius in deſerto palatio vagus aliquandiu ac tandem in ſqualidâ veſte juxta ligatum in catenis canem ſe occultans, ab omnia ſcrutanti milite extractus ac per ſtrata In vinculis ductus, omnibus cum ludibriis multiſque plagis tandem exanimatus, in *Sabini* ultionem, abjectus eſt in Gemonias. Iſta omnia *Antonius* cum paucis legionibus ante *Muciani* ex *Syriâ* adventum.

Æſtuabat tunc in Romanos ira divina: totum ſuâ avaritiâ & ambitione orbem diu vexaverant; Hieroſolymam abſque ullo divinæ in ſuum populum ultionis reſpectum devaſtârant; Apoſtolos, & piiſſimos ubique Chriſtianos omni ſuppliciorum genere mactârant, quid ergo mirum, ſi uno poſt extinctum *Neronem* biennio Roma atque *Italia* majoribus malis oppreſſæ ſint, quàm in toto *Neronis*, *Claudii*, ac *Tiberii* tyrannidis tempore ſunt perpeſſæ?

Mucianus urbis Romæ miſerias minuit.

Mucianus cum tandem veniſſet Romam, nimis altos *Antonii* ſpiritus quâ potuit arte comprimebat: *Antonius* fremere, & ex ingentibus ſuis meritis ſuperbiâ ita æſtuare, ut nullis præmiis ei potuerit ſatisfieri: hinc ipſi *Veſpaſiano* gravis & indies vilior. Mucianus dum viâ Byzantinâ properaret in *Italiam*, aliquandiu hæſit in *Myſiâ*, ut motas per abſentiam legionum nationes componeret, nec tam citò per *Iſtriam* & *Aquilejam* iter potuit conficere, quin tota ſubactorum Vitellianorum gloria uni *Antonio* cederet; ut tamen in urbem venit militari licentiâ omnino diſſolutam & oppreſſam, omnia ſuâ auctoritate mox redegit in ordinem legiones, huc illuc in hiberna ablegavit, *Antonium* multo cum honore miſit ad *Veſpaſianum*: *Domitianum* in Senatu dixit Cæſarem: pravâ admodum adoleſcens hic indole, adulteriis & ſtupris etiam tum graſſabatur; invidiâ in fratrem *Titum* apertò laborabat, quin & in patrem noxia meditabatur: quibus reſcitis, duris ejus petulantiam & ambitionem remediis compeſcere pater ſtatuebat: ſed *Titus* patris animum erga fratrem lenivit.

Veſpaſiani cautum Romam verſus iter.

Veſpaſianus homo cautus, *Vitellii* exercitus metuens, lentè & ſuſpenſo gradu bellum adminiſtrabat: *Mucianum* cum copiis per *Byzantium* & *Illyricum* in *Italiam* præmiſerat, ipſe occupatâ *Ægypto* & accedente ad ſuas partes *Africâ*, *Italiam* & Romam fame ſubigere parabat; quod ipſi perfacile fuit, cùm utraque claſſis tam ſuperi maris ad Ravennam,

quàm inferi ad Miſenum ad ipſum tranſiiſſet: ſed longos hoſce labores *Antonii* ardor induſtriaque decurtavit. Quid vel de *Antonio* vel *Muciano* factum ſit neſcitur: de eorum exitu cùm *Suetonius* tum *Xiphilinus* in ſuo *Dionis* compendio tacent, & *Tacitus* hiſtoria laudatiſſima poſt libri quarti medium deperdita eſt; quod unum remanet ſupplementum eſt *Ioſephi* bellum Judaicum à Veſpaſiano & *Tito* adminiſtratum & perfectum, de quo jam quàm poſſumus ſuccinctè.

Bellum Iudaicum.

Agrippâ mortuo, *Iudaa*, *Samaria*, & *Idumaa*, reliquumque ejus Regnum in Provinciam redactum eſt, frater tamen *Herodes Chalcidis* in *Libano* Rex impetravit à *Claudio* poteſtatem in templum, ut omnia in eo pro ſuo arbitrio adminiſtrari curaret: ſummos hic Pontifices fere quotannis permutavit: eo mortuo Agrippa minor majoris filius *Chalcidis* Regnum & templi regimen adipiſcitur, paulóque pòſt *Philippi* Tetrarchia, aliæque variæ regiones ac *Galilaa* pars ejus Regno adjectæ ſunt: Judææ Procuratores unus & alter modeſtè ſe geſſerunt, ſed Cumanus populum afflixit. Pervaſerat multorum ex populo mentes *Iuda Galilai* hæreſis, illicitum ſcilicet Romanis vel cuiquam externo obſequium: hinc plurimi ad quamcunque ſeditionem paratiſſimi. In feſto Paſchatis diſpoſuerat in templi porticibus Cumanus cohortem militum, qui caverent ne quid in feſto populus novaret: miles quidam ſtolidâ petulantiâ, ut ægrè faceret Judæis, ante ipſorum ora ſua renudavit verenda: ipſi non gentis tantùm, ſed templi Deique obſcænum hoc factum contumeliam interpretantes furere, in milites lapides jacere: dum nullis verbis Cumanus tumultuantes valuit compeſcere, totam legionem advocavit, hujus conſpectu populus conterritus fugit, in anguſtiis viarum ſe mutuò comprimentes ſuffocati & conculcati ſunt ſupra decies mille, ut habet in 2. de bello Judaico *Ioſephus*, ſed ut narrat Antiq. 20. millia viginti. Pluribus aliis malis à Cumano afflicti ad *Quadratum Syria* Præſidem querimoniam detulêre: Cumanum *Quadratus* ad *Claudium* miſit, qui auditis partibus Cumanum in exilium ablegavit, & *Felicem Pallantis* liberti ſui fratrem ſucceſſorem in *Iudaâ* dedit.

Agrippa minor partem paterni Regni à Romanis adipiſcitur.

Cumanus Iudaa Procurator malus.

Felix pejor.

Felice gubernante præter multos latronum greges qui agros vicoſque deprædati ſunt multâ cum ſtrage, exorti ſunt novi ſicarii, qui ſicis ſub veſte tectis in omnibus cœtibus inprimis Hieroſolymis etiam in ipſo templo ſe immiſcentes de improviſo quos lubitum erat, confodiebant, mox poſt facinus in turbâ latentes. Felix non tantùm connivere ſed participare prædam, *Jonathan* Pontifex qui ſuâ inprimis operâ Felicem *Cumano* ſucceſſorem procuraverat, ut amicus frequenter Felicem admonebat de praviſſimâ ſuâ adminiſtratione; ſed monitorum hic impatiens per ſicarios Pontificem in ipſo templo jugulavit. Cùm ſuæ Felix avaritiæ & crudelitati nullum poneret modum, ſucceſſor ei datus eſt *Feſtus*, omnem tamen ſcelerum pœnam Felix evaſit, per fratris ſui *Pallantis* in aulâ Cæſareâ gratiam.

Sed Florus peſſimus.

Feſti gubernatio paulò deceſſoribus moderatior erat, ſed qui eum ſequutus eſt *Albinus*, omnes pravitate ſuperavit, niſi ſuum ſucceſſorem Geſſium Florum: hujus tanta perpetuò crudelitas fuit, ut, ne pœnas apud Cæſarem accuſatus daret, populum ad defectionem & arma omni ſtudio compelleret.

Cæſareæ Stratonis ab *Herode* exædificatæ magno numero Judæi habitabant, Græci de jure civitatis litem ipſis apud *Neronem* moverunt, & libertorum pecuniâ corruptorum operâ victores evaſerunt: hinc audaciores facti Judæis in ipſis Synagogarum portis multas contumelias intulerunt: exinde pugna cum multâ utrinque cæde. Florus negligere Judæorum clades, imò cum exercitu Hieroſolymam itare, & ob parvam offenſam forum diripere, imò verò ex ordine equeſtri multos flagellatos cruci affigere, quin etiam ex Antoniâ per porticus in templum properare ad ſacros Theſauros diripiendos: tunc populus arma corripere, porticus evertere, ut tranſitum Floro præcluderet; Florus ex urbe ut rebelli Cæſaream ſecedere, & ad *Seſtium Gallum* de Judæorum defectione ſcribere: *Herodes* Rex Hieroſolymam adventare, oratione prolixâ populi amentiam, qui contra Romanos terrarum orbis domitores arma caperent, demonſtrare, populus aures *Herodi* præbere, disjectas porticus reparare, intermiſſum Cæſaris tributum diligenter colligere; ſed cum ultra urgeret Rex obedientiam Floro, plebecula inſaniens lapidibus *Herodem* invadere & ex urbe exigere.

Adigit Hieroſolymitanos ad arma.

Cruenta ubique Iudaorum ſtrages.

Hoc belli initio facto per totam *Syriam* diſperſi Judæi peſſimè ubique mulctati ſunt: Cæſareæ viginti millia cæſa, Scythopoli tredecim, Alexandriæ quinquaginta, Damaſci decem, & in aliis urbibus permulti: tantum Antiocheni Judæis apud ſe pepercerunt. Ut iſtas ulciſcerentur clades Judæi in agris & vicis Syrorum ferro flammaque graſſati ſunt.

Seſtius Gallus, *Syria* Præfectus, non ſibi diutius cunctandum ratus, cum exercitu ſatis magnô properavit Hieroſolymam: magna populi pars & ipſe Pontifex Romanis favebat, ſed arma erant in manibus ſeditioſorum, qui Pontificem & ex omni ordine nobiliſſimos Romanis faventes occiderunt: ab his inferiorem urbem non multo cum labore *Seſtius* extorſit, ſed dum ſuperiorem aliquot dies oppugnat & fortiter repellitur, animum deſpondens reduxit exercitum in caſtra: hac quaſi fugâ Judæi animati undique concurrunt, & Romanos in itinere circumſiſtunt, aliquot eorum millia occidentes, & niſi noctu abjectis

impedimentis eſſent elapſi Antipatridem, internecione deleturi totum *Seſtii* exercitum videbantur.

Nero bellum Iudaicum Veſpaſiano committit. His compertis Nero Veſpaſianum cum pluribus legionibus ad conficiendum bellum Judaicum miſit. Judæi divino furore perciti, non tam libertatis ſpe, quàm in rerum ſuarum deſperatione ne perirent inulti, ſeriò ſe ad bellum parant. Provincias inter duces diſtribuunt, *Galilæam Ioſepho Matthiæ* hiſtorico committunt. Maximi hic animi & induſtriæ juvenis (ſi vel tertia pars eorum, quæ de ſeipſo magnificè ſatis & fusè narrat, vera ſit) Galilæorum ſupra centum millia armavit, & ad diſciplinam Romanorum aliquot menſes ante Veſpaſiani adventum exercuit, multas urbes mœnibus aliiſque contra obſidionem munimentis circumdedit, inprimis Jotopatam, Tarichæas, & Tiberiada.

Ad Aſcalonem Iudæi malè mulctati. *Veſpaſianus Titum* filium præmiſit in *Ægyptum* ut inde cum duabus legionibus, & Dynaſtarum vicinorum auxiliis ſe conveniret Ptolemaide, huc ipſe viâ Byzantinâ contendit. Judæi ex Seſtianâ victoriâ ſtolidè inflati, Aſcalonem magno cum impetu ibant oppugnatum: firmi ſatis erant urbis muri, ſed pauci admodum intus defenſores: *Antonius* enim non ſupra unam cohortem & unam alam habebat; cum tam paucis erumpens Judæis occurrit & pugnandi imperitos conjecit in fugam, cæſis millibus decem: Judæi tamen nondum domiti iterum invadunt Aſcalonem; ſed nihilo meliori quàm priùs fortunâ; fugati enim ab *Antonio* ad octo millia ceciderunt.

Veſpaſianus Galilæam ſubigit. Veſpaſianus pater & filius cum firmo ſexaginta millium exercitu Ptolemaide movit in *Galilæam*: Gadaram parvo labore cepit, quam cum vicino agro incendit, incolis omnibus cæſis præter infantes & mulieres, quos captivos vendidit, *Ioſephi* exercitu etiam ante Romanorum conſpectum metu dilapſo in urbes munitas: ipſe Tiberiadem conceſſit, ſed cùm Veſpaſianus obſideret Joſopatam, eò ad populum animandum accurrit, & quidem ſummâ vi urbs hæc Romanis obſtitit ad dies quadraginta quinque, quando poſt plurima maximæ fortitudinis data facinora, tandem expugnata eſt & incenſa, cæſis ad quadraginta millia: ipſe *Ioſephus* ex putei ſpeluncâ extractus ob fortitudinis ac ſolertiæ egregiam famam à Veſpaſiano conſervatus eſt.

Iotopata dura obſidio.

Ioppa gemina ruina. Dum *Iotopata* obſidebatur, Japha urbs vicina movere cœpit arma: hanc *Titus* ſolis ſcalis cepit, occiſis in eâ millibus quindecim. Interea Samaritæ tumultuabantur, ſed cùm eorum in monte Garizim congregatorum undecim millia necata eſſent, cæteri quievêre. His peractis *Veſpaſianus* exercitum dimiſit in hyberna, ex *Galilæâ* & aliunde fugitivi Joppam conceſſerunt, quam anno ſuperiori *Seſtius* incenderat, cæſis millibus ſex: fugitivorum erat conſilium piraticis lembis mare Palæſtinum & Ægyptiacum infeſtare, quod quidem ſtrenuè cœperunt præſtare, ſed ſtatim eò *Veſpaſianus* miſit, qui urbem denuò caperent. Piratæ relictâ urbe confugerunt ad mare, ſed exoriens tempeſtas naves omnes alliſit littori, ubi omnes ad quatuor millia vel mari, vel equitum in littori ſtantium gladiis hauſti ſunt.

Dum in Gaulonitide cum *Agrippâ* convivaretur *Veſpaſianus*, Tiberias, & Tarichææ ad lacum Geneſaret ſitæ civitates res novas tentabant: verum ut exercitus Romanus Tiberiadi appropinquavit, ſtatim illi metu ſe dediderunt: inde *Titus* Tarichæas invaſit, hi erumpentes magnâ cæde repulſi; quin & cùm *Titus* à tergo premens fugitivos, urbem attonitam cepit, pugnaciſſimi cum lembis in lacum fugerunt: conſtructis ſtatim ratibus Romani lembos aſſecuti ſunt, & cadaveribus ac ſanguine pulcherrimum lacum compleverunt, cæſis ad millia ſex. Erant Tarichæis præter indigenas quadraginta millia convenarum; iſtorum millia ſex in *Achajam* ad *Neronem* miſſa, ut in Iſthmo Corinthiaco perfodiendo laborarent, triginta millia ſub coronâ veniêrunt: nihil aliud in *Galilæâ* remanebat non ſubactum præter Gamalam, Giſcalam, & montem Itabucium.

Gamala ob vulnera excinditur. Gamalam in alto ac ſummè præcipiti ſaxo impoſitam valido muro *Ioſephus* cinxerat: murum Romani arietibus citò labefactârunt, & fugientes in ſuperiora civitatis nimis temerè ſequuti ſunt; nam ſtatim converſi fugientes, perſecutores ſuos per urbis declivia magnâ cum cæde disjecerunt; ipſe hîc Veſpaſianus ægerrimè evaſit: hinc magna militibus in urbem irarum moles; die ergo inſequenti irrumpentes, obvios quoſque, infantes ſenes, viros fæminas confoderunt. Periêrunt hîc Galilæorum millia novem, quatuor millia Romanorum gladiis, quinque de ſaxo cum uxoribus & liberis ſe præcipitantia: tantùm duæ in latibulis mulieres conditæ ſervatæ ſunt.

Itaburius mons parvo labore captus eſt. Giſcalæ populus cupiebat pacem, ſed *Ioannes Levita* ſeditioſorum Princeps inſtigabat ad arma: cum tamen ad mœnia *Titus* adduxiſſet exercitum, lubentes ſe cras pacturos fœdus promittebant, modò eo die, qui fuit ſabbatum, liceret ob religionem quieſcere: annuente *Tito*, *Ioannes* noctu cum multis Hieroſolymam versùs fugit: cùm manè ad urbem rediiſſet *Titus*, apertæ ſunt portæ & ſupplex populus veniam obtinuit, ſed aliquot millia ſequentium *Ioannem* retracta ſunt ex fugâ, duobus millibus cæſis: *Ioannes* Hieroſolymam intrans Judaicæ tragœdiæ primaria mox fax evaſit.

Iudaicæ calamitatis cauſa. Divinus furor gentem Judaicam pleramque immaniter perſequebatur: crucifixio Chriſti & Euangelii rejectio infandas clades attraxerunt; raptandæ libertatis & Romani jugi excutiendi

cutiendi aſtro tunc populus perciebatur, ſperans quæ de Rege Meſſiâ per orbem terrarum regnaturo à Prophetis prædicebantur tunc temporis implenda. Erant quidem in omnibus civitatibus multi qui Romanorum jugum bello præponerent, ſed hos juniorum audacia opprimebat, oppreſſoſque rapinis ac cædibus peſſunè mulctabat. Tota hinc *Judæa* factionibus & tumultibus inteſtinis infeſtabatur, ac ſuperior pugnacium pars in manifeſtarios ubique latrones evadebat. Pro more gentis urbs Hieruſalem ut civitas communis cunctis patebat, huc ergo quaſi ad ſacra undique latronum multitudo confluebat, quæ civium improbiſſimis ſe aſſocians meliores omnes infeſtabat, & creſcente audaciâ rapinis ut in agris frequentes cædes addebat, & ex civitate nobiliſſimos in carcerem concluſos necabat, ac pro ſuo libitu Pontifices deſtituebat novoſque ex ineptiſſimis ſubſtituebat, templumque ipſum ſibi in caſtra ac caſtellum conſtituebat. Contra iſtos melior populi pars fremere, manus tamen non movere, donec Ananus Pontificum maximus vir prudens ac magnæ auctoritatis oratione publicâ incitavit ad arma, frequentes exinde inter populum & zelotas pugnæ: tandem Ananus zelotas in templum interius fugavit, ac niſi populum continuiſſet metu polluendorum ſanguine & cadaveribus ſanctorum, de zelotis ſtatim fuiſſet actum: hi de ſuâ ſalute trepidare, Ananus conſultare quomodo ipſos minimo cum ſcandalo ex templo ejiceret.

Hieroſolyma nefariis & factioſis Hypocritis plena.

Joannes & Idumæi Ananum & populi partem meliorem opprimunt.

Joannes ex Giſcala profugus homo cumprimis ſubdolus & avidus imperii, ſeſe Anani partibus inſinuare, & tamen omnia Anani conſilia Zelotis communicare, & quò melius diſſimularet proditionem, maximo ſacramento ſe Anano obligare: ita fide ſuâ approbatâ, Ananus eum ad Zelotas de deditione legatum miſit: hic verò Zelotis novum ab Anani crudelitate timorem intonans, in obſtinatione ſuâ confirmavit, ſuaſitque ut ad Idumæos mitterent qui ſupplicarent auxilia obſeſſis ab Anano qui Metropolim & patriam libertatem Romanis prodere pararet. Adſunt ſtatim Idumæi cum viginti bellatorum millibus; Ananus à Zelotis accerſitos & contra ſe populumque malè perſuaſos cernens, portas iis occluſit: hac illi contumeliâ pulſi furere, extra urbem in armis pernoctare; eâ nocte ingens ventorum, pluviæ, & fulgurum tempeſtas fuit. Zelotæ cuſtodibus urbis ſopitis vel dilapſis domum, poſticam portam Idumæis patefecerunt, ingreſſi hi & cum Zelotis juncti maximam in urbe ſtragem edunt, non tantùm omnium obviorum, ſed & nobiliſſimorum civium, Ananum, alioſque primarios domi confoſſos nudos abjecerunt, vetantes ſub mortis pœnâ à quoquam ſepiliri. Idumæorum crudelitate ſatiatâ non quieverunt Zelotæ, ſed indies innocentium cædes renovabant; iſtorum ſcelerum Idumæi etſi ſcelerati tamen pertæſi redierunt domum. Zelotarum cum gaudio; nam ab iis pudor aliquod ipſorum furori frænum imponebat, ſed Idumæorum moleſtâ tum præſentiâ liberati, effræni licentiâ abſque omni repagulo in quotidiana ſcelera ſine numero ruebant.

Ex latronum ducibus primarius erat *Simon Gioræ* filius Genſâ oriundus, juvenis fortiſſimus ſed ſceleratiſſimus: hic ſe cum Caſtelli Maſſadæ ſicariis aſſocians magnam ſceleſtorum manum aggregavit, quæ mox in juſtum exercitum excrevit: ab hoc metuens Joannes ne Hieroſolymam accederet, priuſquam creviſſent vires, miſit qui opprimerent. *Simon* cum ſuis ſicariis frequentes cum Zelotis pugnas habuit, nondum tamen auſus erat Hieroſolymam invadere: ſed cùm contra Idumæos primùm viginti, poſtea quadraginta millia duxiſſet, & totam eorum regionem crudeliter vaſtâſſet (ſicut eandem tam antè quàm poſt Romani ferro flammâque deſolârunt) ad Hieroſolymorum muros conſedit cum ſceleratiſſimo exercitu.

Non ceſſabat interim Joannes novâ crudelitatis, avaritiæ, ac libidinum exempla quotidie edere; tam etiam ſuperba fuit ejus dominatio, ut ex ipſis Zelotis multi eum deſererent, conſtituentes ſibi ducem *Eleazarum*: hi templum interius occupârunt, & cum Joanne crudeliſſima indies certamina exercebant; ſed ecce novum in miſerrimam urbem malum adductum eſt. Ut contra Joannis & *Eleazari* intoleranda facinora populus ſe tueretur, advocavit Simonem cum ſuis ſicariis; hic ut venit, fortiter quidem cum Zelotis dimicabat, ſed nihilo in populum quàm iſti mitior. A tribus tyrannis inter ſe inimicis ſatis tamen in populi ruinam concordibus ita conterebatur civitas, ut plerique Romanorum adventum unicè deſiderarent.

Accerſit populus Simonem cum ſicariis contra Joannem & Zelotas.

Veſpaſianus aliquandiu abſtinuit ab obſidione, ſperans mutuis vulneribus & inteſtinis malis fractos, inprimis cum cæteram regionem ſubactam vidiſſent, ſponte ſine ſudore & ſanguine in ipſius ſe manus tradituros: acceptâ etiam *Neronis* morte expectabat à novo Principe nova mandata: ſed cum ſeditioſorum Hieroſolymis obſtinata perverſitas perſeveraret, & imperio delato Romam ipſe properare cogeretur, tandem cum quatuor legionibus & *Agrippa* aliorumque Regum auxiliis *Titum* ad ſubjugandam rebellem urbem miſit; ipſe profectus Alexandriam ad iter Romanum.

Cùm eò acceſſiſſet Titus, ipſe ſexcentis equitibus comitatus muros circumivit, exploraturus quâ ex parte facillima eſſet aggreſſio. Dum in hoc eſt; excurrentes Judæi equites in fugam vertunt; Titus cum paucis relictus per innumera tela ægerrimè ad ſuos vi viam ſibi fecit. Cùm ſex à mœnibus ſtadiis

Difficillima Tito fuit Hieroſolymorum obſeſſio.

diis legiones caſtra metarentur Judæi erumpentes disjecerunt cum multâ cæde operantes, nec niſi poſt pertinacem pugnam intra mœnia compulſi ſunt. Tribus muris urbs erat circundata, cùm multo aggere & arietum labore primus & ſecundus eſſent capti, qui intra tertium erant erumpentes furioſo certamine victores ex urbe ad caſtra perſecuti ſunt, ſed Titi hortatibus atque exemplo animatæ legiones redierunt ad tertium murum, eique machinas & aggeres admoverunt.

Zelotarum & ſicariorum maxima fortitudo.

Obſeſſi interim ab inteſtinis cædibus non abſtinebant, licet foris duriſſimo bello preſſi. Die Paſchatis populo ſacrificanti immiſcuit *Joannes* ex ſuis ſicariis permultos arma ſub veſte celantes, hi *Eleazarum* ejuſque aſſeclas invadentes diſſipârunt, templique totius dominum *Joannem* præſtiterunt. *Eleazari* tertiâ parte ſubactâ frequentiores fuere *Joannis* pugnæ cum *Simone*; attamen cum vel populus ſpoliandus vel Romani repellendi quaſi pacti inducias inter ſe concordabant. Mira fuit iſtorum in hoſtes fortitudo atque induſtria, niſi major in ſuos fuiſſet crudelitas & furor: unaquæque quatuor legionum conſtruxerat ſummo cum labore unum aggerem, ligna à nonageſimo ſtadio comportans: aggeres ad tertium murum admotos omni vi contra erumpentes defenſabant, nihilominus *Joannes* & *Simon* omnes quatuor incenderunt, & arietes intra murum ad ſe raptârunt. Dubius aliquandiu *Titus* quo pacto indomitum obſeſſorum furorem frangeret, omni aggerum ad ſtadium centeſimum materiâ abſumptâ, totius exercitûs manibus tridui ſpatio muro cum turribus urbem circumvallavit.

Fames diriſſima.

Intus dominabatur fames, ſeditioſi enim inter ſe pugnantes publicum omne frumentum incenderant, quod reliquum erat, centens aliquot millia ad bellum inutilis populi conſumpſerant; ita quotidie magnæ ex inediâ morentium ſtrues in ſtratis conſpiciebantur, cumque viventes ſepulturæ mortuorum non ſufficerent, ne putreſcentium cadaverum ſanies crearet peſtem ſupra ſexcenties mille de mœnibus in ſubjectas valles projecti ſunt. Avebat populus Romanis urbem tradi, ſed ſeditioſorum obſtinatio nullis neque ſuis neque aliorum miſeriis movebatur: ſi quis de pace voculam mutiſſet, ſtatim ut traditor confodiebatur, omnibus horis perfringebantur ædes ad cibariorum ſcrutinium, abripiebant milites ex ipſo ore comedentium quicquid inveniebant eſculenti: qui ad Romanos elapſi ſunt permulti cibo ſumpto moriebantur, & quia aliquos aurum à ſicariorum rapacitate ſervandum ante fugam ex urbe audiêrunt deglutiſſe Romani, quam plurimi transfugæ ab avaro milite exenterati ſunt, & ab hoc facinore legiones vix ullis *Titus* minis cohibere valuit.

Tandem capitur urbs.

Ut tandem obſidioni finis imponeretur novos aggeres ad tertium murum ſuffodiendum immenſo cum labore *Titus* applicat, ſed arietibus muri non cedebant, reperto tamen prope Antoniam cuniculo per quem *Joannes* ad priores aggeres exurendos viam fecerat, facilè murus captus eſt: ſed quartus ſtatim à *Joanne* ædificatus erat, hic etiam poſt aliquot dierum labores & duras pugnas occupatus, nec tamen operis finis, nam captis omnibus muris, & per Antoniæ turris ruinas complanatâ ad totum exercitum viâ, noviſque etiam aggeribus poſitis, pertinaciſſima aliquot edita ſunt certamina, in quibus *Joannes* & *Simon* totam Romanorum aciem ſuſtinuerunt, & magnâ utrinque clade repulerunt; ſed cum templi exterioris porticus ſeditioſorum quidam incendiſſent, & in deſertam porticum multos Romanorum ſuccedentes ſubmiſſo igne miſerrimè conſumpſiſſent, tum reliquæ omnes porticus à Romanis incenſæ ſunt: quinetiam in acerrimâ pugnâ quidam miles in templi feneſtram auream incenſum lignum conjecit, ex quo, reluctante quantum potuit *Tito*, domus conflagravit, tum verò facta eſt omnium ætatum promiſcua cædes, & tota templi area cadaveribus & ſanguine repleta eſt; *Joannes* tamen & *Simon* cum Zelotarum & ſicariorum reliquiis Romanâ acie perruptâ in ſuperiorem civitatem evaſerunt. Hanc illi contra Romanos defenderunt, donec novis admotis aggeribus machiniſque territi ceciderunt animis, & in cloacis ac cryptis ſubterraneis ſe abdiderunt. Omni tunc civitate victores potiti cædibus & rapinis ad crudeliſſimorum & avariſſimorum ſatietatem indulſerunt.

Incenditur invito Tito templum.

Obſidionis tempore periêrunt ad undecies centena millia, captorum autem qui vel veniêrunt vel in ſpectaculis à beſtiis aut mutuis vulneribus necati ſunt nonaginta quinque millia: his ſi addas numeros cæſorum in ultimâ hac rebellione à *Joſepho* diſerte nominatos, excedet ſumma totalis quater decies centena millia præter maximam multitudinem infauſtæ tum illius gentis ubique perditam, cujus diſtinctus numerus non exprimitur. Nuſquam major auri, argenti, gemmarum, & pretioſiſſimæ veſtis copia à Romanis inventa eſt quàm Hieroſolymis, urbs tota flammis ab ſumpta eſt, ſi muri partem & tres turres excipias, quas *Titus* poſteritati inſpiciendas reliquit, ut inde priſcam integræ civitatis magnificentiam colligeret.

Eo bello periêre Judæorum ſupra quater decies centena millia.

Capiuntur Joannes & Simon.

Joannes & Simon in cuniculis fame domiti, Romanis ſe tradiderunt: Joannes ad perpetua vincula damnatus, & Simon in triumpho Romæ ductus in carcere ſtrangulatus eſt.

Reliquum Judææ ſubigitur.

Supererant adhuc tria caſtella, Herodioni, Machærus, & Maſſada: iſta diſcedente Romam *Tito Cacilius Baſſus* mox ſubegit: Herodion accepit deditione, Machærus arx in celſiſſimo ſaxo juxta lacum Aſphaltiten non magno cum labore capta, Maſſadam non pro-

cul à Machærunte naturâ & arte munitiſſimam tenebat *Eleazarus* cum mille ſicariis: cùm Romani aggeribus & machinis ſupremum murum invadere pararent, *Eleazarus* deſperatâ ſalute comitibus perſuaſit, ut necatis uxoribus & liberis ipſi ſibi manus inferrent, incendio corruptâ quàm ſperabant victores prædâ. Miſerrimum hoc conſilium promptè ab omnibus libentiſſimis executioni datum eſt.

Totâ jam domitâ Judæâ juſſit *Titus* agros vendi; nondum tamen ſubacta fuit ſicariorum pervicacia: nam eorum multi in *Ægyptum* & *Cyrenen* fugientes novas ibi ſeditiones contra Romanos moliebantur: ſed à Gentilibus tempeſtivè ad Romanos delati, cum aliquot millium cæde repreſſi ſunt.

Dei ira in Veſpaſiani familiam.

Graviſſima hæc Domini manus in Judæos juſta fuit crucifixi Chriſti & contempti Euangelii vindicta, ſecundum manifeſtam Chriſti prædictionem Matth. 24. ſed tamen nimia Romanorum in eos crudelitas Deo non placuit: hinc maximæ temporibus illis clades Romanis inflictæ ſunt. Quin & ipſe Veſpaſianus & Titus (licet aliàs optimi Imperatores) flagellum Dei non evaſerunt: nam patris Imperium ad paucos annos, vix duodecim, duravit, & filii multò paucioribus; Titus enim in juventutis flore anno Imperii ſecundo ſen febri ſeu fratris Domitiani inſidiis ſublatus eſt, totaque mox Veſpaſiani ſtirps in miſerâ & violentâ Domitiani morte eradicata eſt.

Dum divinus furor Judæos infideles ubique perſequeretur, paterna Domini miſericòrdia Chriſtianos amplectebatur: divino enim iſti oraculo moniti (ut habet *Euſebius*) reliquerunt omnes Hieroſolymam paulò ante obſidionem, & Pellam ultra Jordanem conceſſerunt, ubi in pace per Domini dextram in ſæviſſimâ illâ tempeſtate conſervati ſunt.

Veſpaſianus bonus imperator.

Veſpaſianus Cæſarum decimus Alexandriæ commoratus eſt, cum *Vitellium* Romæ cæſum comperiſſet: ut in urbem venit, Senatus, populus, prætoriani, obviis ulnis accepêre. Princeps ei ſtudium fuit Rempub. prædeceſſorum vitiis collapſam reſtaurare: ad hoc præſtandum multâ ei opus erat pecuniâ; hanc undiquaque coaraſit uſque ad avaritiæ & ſordium infamiam, ſed acquiſitam optimè impendit, in privatis ſumptibus parciſſimus, in ædificiis publicis, ſublevandâ populi ac ſenatorum facultatibus lapſorum inopiâ liberaliſſimus; à bello omni, quantùm potuit, abſtinens: templum paci ſplendidiſſimum conſtruxit, in quo legem, ſacrataque templi Hieroſolymitani vaſa, aliaque Judæorum ſpolia repoſuit, quorum figuras arcui triumphali ad pedem montis Palatini in hunc uſque diem Romæ permanenti, inſcripſit: à fundendo etiam provocantium ſanguine averſiſſimus; jocis ac dicteriis uſque ad ſcurrilitatem indulgebat: quæ de eo habent *Magdeburgenſes*, *Baronius*, & alii recentiores, omnia ex *Suetonio* deſumpta ſunt; His *Dio*. ſaltem ejus Epitomator *Xiphilinus*, vix quicquam addit. Ætatis anno ſexageſimo nono, imperii duodecimo, in villâ natalitiâ ex dyſenteriâ expiravit: ad extremum vix lecto decumbens, ſed more ſolito negotia publica tractans cum hoc effato, *Imperatorem oportet ſtantem mori.* Etſi à furente plebe hîc illic, miniſtrorum eccleſiæ aliquot eo imperante martyrium paſſi ſint, nullam ipſe tamen in Chriſtianos perſecutionem inſtituit; Philoſophus verò gentiles quaſi populi corruptores Româ expulit.

Titus ſupra omnium ſpem optimus imperator.

Titus Cæſarum undecimus, ſub Conſulis nomine unà cum patre tantùm non imperavit: ante ſuum imperium magna multorum ſuſpicio fuit de ejus vitiis, avaritiâ, libidine, & crudelitate; ſed ut primùm ſolus imperium adeptus eſt, ſtatim apparuit vir à vitiis alieniſſimus. *Berenicen* Regis *Agrippæ* ſororem, mulierem præſtantiſſimam, uxoris propemodum juſtæ loco habuit; ſed ut populo cum Judæâ nuptias diſplicere inaudiſſet, licet invitus, invitam dimiſit. Tantùm abfuit à crudelitate, ut Pontifex maximus fieri voluerit, eo nomine ne ullo ſanguine manus commacularet. Eâ erat in liberalitatem propenſione, ut ſi quem diem âbſque in aliquem beneficentiâ tranſegiſſet, in cœnâ profiteri ſit ſolitus, *amici diem perdidimus*.

Vindicta Hieroſolymorum.

Propenſiſſimæ ejus in omnes miſeros benignitatis prodendæ, inſignes in ejus biennio calamitates publicæ amplam occaſionem præbuêre. Mons Veſuvius in *Campaniâ* tot ſubitò flammas, ſaxa, cinereſque evomuit, ut vicinas aliquot urbes, multoſque mortales obrueret, tantamque mox peſtem concitaverit, ut in Urbe atque *Italiâ* quamplurimas familias perdiderit: ignis etiam de cœlo illud Romæ medio incendium excitavit, quod tribus totis diebus, varias Urbis regiones, multaque publica ædificia in cineres redegit: divina, ut puto, Hieroſolymorum incenſorum vindicta hæc fuit. Utcunque, totis viribus incubuit *Titus*, ut publica hæc diſpendia repararet. Dum in his eſt, in magnum populi levamen ac ſolatium, fatum oppreſſit vitæ quadrageſimo primo, imperii ſecundo, ſeu veneno à fratre *Domitiano*, ſeu febri à Deo.

Domitianus ex hypocritâ manifeſtus evaſit tyrannus.

Domitianus duodecimus Cæſarùm praviſſimi juvenis ingenii, tam patri quam fratri ſæpius inſidias tetenderat, præfeſtinè inhians imperio. Ut in Throno ſedit uno aut altero anno, magnam omnis virtutis ſpem fecit; iniquitatem judicantium adeò ſeverè caſtigabat, ut tam in Urbe, quàm Provinciis eo imperante magiſtratus omnes ſolito æquiores & modeſtiores extiterint; nulla avaritiæ, ſed magna liberalitatis ſigna aliquandiu edebat, adulteriorum, & omnis ſpurcitiei, inprimis in Veſtalibus, ſeverus fuit vindex; horam quotidie ſolitariæ meditationi dedicabat, ſed eam

totam

totam in conficiendis muſcis tranſigebat. Eâ fuit ſagittandi peritiâ, ut in aliquantâ diſtantiâ manûs digitos expanſos ſine damno trajiceret: ſed mox diſſimulata pravitas erupit.

Ex nobiliſſimis multos, ut eorum bona profuſis ſumptibus inſervirent, neci dedit, non tantùm Dominus, ſed etiam Deus voluit ſalutari: in Philoſophos & Judæos bilem evomuit, ſecundam etiam poſt *Neronem* perſecutionem in Chriſtianos inſtituit: *Clementem* Conſulem ſuum conſanguineum, quaſi impietatis reum, *Acilium* etiam *Glabrionem* virum conſularem eodem nomine necavit. Vult *Baronius* utrumque Chriſtianum, ſed abſque omni idoneo, ut puto teſte: certum eſt Domitiani mandato miſſum in *Patmon* Euangeliſtam *Joannem*, & inde liberatum decreto *Nervæ*; ſed quòd inferventis olei dolium Romæ conjectus ſit, non magis probat *Baronius*, quàm Petrum à *Nerone* crucifixum, quòd *Simonem Magum* in aëre volantem ſuis precibus in terram præcipitâſſet, unde primò crurifragium, ac mox mors ſequuta, & *Paulum* ſecuri percuſſum, eò quòd unam ex concubinis *Neronis* ab ejus conſortio divertiſſet: Recentiorum in legendis fabularum auctores non ſunt idonei ullius veritatis teſtes, neque vel Romana martyrologia, vel Græcorum mænologia, multam fidem faciunt. Utcunque, ſuis tandem ſceleribus Domitianus publici odii victima evaſit.

Occiditur à conjuratis. Cùm ex nudis puerulis, quibuſcum conſueſcebat, unus chartulam in quâ neci deſtinatorum nomina deſcribebantur, ex ejus lecto in manu ferens huc illuc luſitabundus diſcurreret in aulâ, uxor Domitiani occurrens, & chartam attonita legens, quâ ſuum ac aliorum multorum nomina ſeribebantur, ſtatim ad ſe vocavit deſtinatos morti: fit conſpiratio, decernunt prævenire tyrannum, poſt multorum recuſationes vix perſuadent *Nervæ*, ut necato tyranno ſuſcipere vellet imperium. Hoc tandem perſuaſo Tribunus *Stephanus* à *Perennio* cubiculario, multo manè admittitur cum libello conjurationis; hunc attentius legenti Domitiano *Stephanus* cultrum in inguina defodit, dum cum *Stephano* colluctatur, *Perennius*, & alii vulneribus ſeptem conficiunt anno ætatis quadrageſimo quinto, imperii decimoquinto. Nutrix *Phillis* ſurreptum cadaver in populari ſandapilâ condit tumulo, imagines, & tituli ſenatûs decreto ubique confringuntur.

Mathematicorum prædictiones aliquando non vanæ. Studia Mathematicorum etſi cum Philoſophis totâ Italiâ exigerentur, tamen in aulâ vigebant. *Veſpaſianus Domitianum* adoleſcentem à boletis *Claudio* fatalibus abſtinentem deriſit, monens à ferro, non boletis ipſi metuendum. Denunciatus ipſi fuit non tantùm fati dies ſed hora, quam multo cum metu, & omni ſolicitudine declinare fruſtra ſtuduit. Dum fateretur *Aſcletarion* prædixiſſe ſe *Domitiani* fata, & interrogaretur, quod tandem ipſi fatum aſtra prædicerent, reſpondit à canibus ſe dilaniandum, ſtatim *Domitianus Aſcletarionem* juſſit jugulari, & accuratè ſepeliri, ſed dum combureretur corpus, ingens tempeſtas oborta eſt, quæ ſepelientes disjecit; interea canes ſemiuſtum corpus dilaniârunt. *Apollonius Thyaneus* fœdiſſimus magus Epheſi inter ſuos declamans, in ipſo mortis Imperatoriæ articulo inſanientis more exultans exclamavit, *percute tyrannum, percute*, & mox quaſi voti compos quieſcens, tyrannum cæſum denunciavit.

Coccejus Nerva ſexagenarius adiit imperium, ad reparandas imperii ruinas ſedulò ſe comparavit, revocavit à *Domitiano* pulſos in exilium, impietatis crimen vel contra Judæos, vel Chriſtianos proſequi vetuit, Prætorianos ſuam contemnentes ætatem prohibere non potuit, à *Domitiani* percuſſoribus necandis, ut iſtorum comprimeret inſolentiam, Trajanum Belgio præfectum, Italicæ, quæ *Hiſpaniæ Bætica* urbs eſt, ſedecim à Sivili miliaribus natum adoptavit. Dum in ſenatorem injurium acerbius inveheretur, ipſa iræ vehementia ſenem necavit, imperii anno ſecundo. *Nervam ſua iracundia necavit.*

Trajanus quadrageſimo ſecundo ſuæ ætatis, & Chriſti, ſecundum *Baronium*, centeſimo, imperium iniit, quod annis novemdecim magnâ cum laude adminiſtravit; niſi quòd tertiam in Chriſtianos perſecutionem excitaverit, in quâ permulti martyrio coronati: inter alios *Ignatius* Romam Antiochiâ ductus in vinculis, leonibus in Theatro objectus eſt. *Joannes* Euangeliſta anno ejus ſecundo Epheſi expiravit in pace. Quæ de *Ioannis* ſepulchro & morte ex apocryphis narrant legendarii fabulatores, ipſe *Baronius* rejicit. *Trajanus Chriſtianos perſequitur.*

Domitianus ſuâ inertiâ *Decebalum*, hodiernæ *Tranſylvaniæ* & *Valachiæ* Principem in magnam contra Romanos audaciam erexit: hunc contra vicinos inſoleſcentem Trajanus magnâ cum cæde repreſſit, & ſubjugato conditiones duras pacis dedit, quas cùm ſuperbus vir ferre non poſſet, bellum iterum recrudúit, & Trajanus ſecundò profectus in Daciam, *Danubium* mirando ponte ſtravit paucis diebus ex lapide quadrato, arcuum viginti, quorum unuſquiſque centum viginti pedes altus, ſexaginta latus, centum ſexaginta diſtans à ſocio. *Decebalum* prœliis aliquot victum tandem necavit, & Daciam in provinciam redegit, theſauros Regis in *Danubii* fundo conditos expiſcatus in triumpho duxit. *Subjugat Dacos.*

Turbantibus Orientem Parthis illuc arma convertit; *Armeniam* in Provinciam redegit, tranſgreſſus Euphratem & Tigridem, civitates Niſibin, Cteſiphontem, & Seleuciam cepit, Parthis ubique fuſis fugatiſque. In Septentrione Colchos, Alanos, Iberos, Sarmatas, & alios ſubjugavit, ad *Judiam* etiam ſub- *Debellat Parthos.*

ſubjugandam vaſtum animum extendit, ſed cùm ad Euphratis & Tigridis oſtia, & in *Arabiâ* cœli ſolique inclementiam eſſet expertus, & ingraveſceret ætas, ab eâ vanitate mentem revocavit.

Latiſſimè extenditur Imperium.

Eo imperante latiſſima fuit Romana ditio, quam ſucceſſor *Adrianus* vir prudens ad priores *Auguſti* limites contraxit, Euphratem, Danubium, & Rhenum, relictis quas ultra ſubjugaverat Trajanus provinciis. Pontem etiam Danubii, ne Barbaris introitus eſſet in Imperium, *Adrianus* demolitus eſt, aliquot tantum columnis ad poſteritatis miraculum relictis.

Antiochia penè obruitur.

Dum Antiochiæ Trajanus hybernaret, tempore belli Parthici ſeveram Deus de *Ignatii* martyris, aliorumque ſervorum ſuorum cæde vindictam ſumpſit, permultis diebus horribiliſſimus terræ motus urbem pleramque proſtravit, cum innumerabili mortalium ſtrage: ægrè Trajanus extitubantis ædis feneſtrâ ſe projiciens evaſit in campos, ubi in tentoriis aliquot dies tranſegit.

Seditio Judæorum crudeliſſima.

Ultimis ejus Imperii annis Judæi inſaniêrunt ſolennia, in *Ægypto* inprimis, *Cyrene*, & *Cypro* crudeliſſimo furore in Romanos ſimul & Græcos irruerunt, ſupra quadringenta ſexaginta millia, prout numerat *Dion*, occiderunt; ſed mox *Trajanus* eos compeſcuit majore cæde. Perſecutionem in Chriſtianos moderatus eſt, cùm *Plinii ſecundi*, & aliorum provinciarum Præfectorum literis moneretur, non tantùm de eorum ubique multitudine, ſed magnâ innocentiâ & ſanctitate, ſi una idolorum cultûs fuga exciperetur. Dum ab Oriente rediret Romam ad triumphum, in *Ciliciâ* Selinunte expiravit ætatis anno ſexageſimo tertio, Imperii decimo nono. In ſubſtituto ab uxore *Plotinâ* teſtamento *Adrianus*, *Ælii Adriani* Afri Trajani conſobrini filius Romæ natus, ſed Italicâ in *Hiſpaniâ Bæticâ* Trajani civitate oriundus, ſucceſſor dictus eſt.

Adriani vitia ac virtutes.

Adrianus vir admodum egregius, niſi in Chriſtianos quartam perſecutionem concitâſſet, in quâ multi Martyres cæſi ſunt; ab hac tamen ceſſavit, auditâ *Quadrati* & aliorum apologiâ: aliquot etiam viros nobiliſſimos imperii initio ut ſibi inſidiantes necari juſſit, & in Imperii fine *Severianum* ſuum levirum nonagenarium cum nepote *Fuſco*, quòd in adoptatione *Antonini* ſe dolerent neglectos: ob has cædes ingratior populo fuit quàm *Trajanus*, etſi aliàs à civium ſanguine abhorrens. Inſigni fuit tam liberalitate quàm prudentiâ, gravitate, eruditione, & fortitudine; bello ei opus non fuit, uſque adeò tam ſubditi, quàm vicini omnes eum reverebantur: milites antiquâ diſciplinâ magnopere exercuit, pleroſque ſuos annos in orbis Romani peragratione inſumpſit: in *Hiſpaniâ*, *Galliâ*, *Germaniâ*, *Pannoniis*, *Græciâ*, *Aſiâ*, *Ægypto*, vias, portus, ædificia publica corrigens & inſtaurans, in *Britanniâ* longum illud vallum à Tinæ oſtio ad Oceanum Britannicum ducentorum miliarium magno labore & ſumptu duxit, ut Scotos ac Pictos ab incurſionibus in provinciam reprimeret.

Dirum contra Judæos bellum.

Inter alias urbes Carthaginem & Hieroſolymam reædificavit: *Baronius* Hieroſolymam poſt debellatos Judæos vult reparatam; ſed expreſsè *Dion*, quem in pleriſque *Baronius*, & alii ſequi ſolent, Judæos ad bellum incenſos narrat, quòd *Adrianus* ex Gentilibus coloniam Hieroſolymis collocâſſet, & idolis Romanis in ſacrâ ſuâ civitate templa conſtruxiſſet. Bellum hoc Judæorum contra Romanos aliquot annis duravit multâ utrinque cæde, nec debellatum eſt, antequam *Julius Severus* ex *Britanniâ* evocatus ſuâ prudentiâ magis quàm viribus pertinaciſſimum illum populum fregiſſet: arces munitiſſimæ quinquaginta captæ & everſæ, vici nobiliſſimi propè mille deleti, cum bellatorum quingentis octoginta millibus, præter infinitam multitudinem, quæ fame, incendio, & morbis interiit. Judæorum dux *Barcocabas Stella* filius pro vero Meſſiâ haberi ſe voluit, ſtella illa ſcilicet ex Jacobo orienda; *Rabbi Akiba* iſtius ſeculi celeberrimus Doctor, desertâ ſuâ ſcholâ, armigerum Pſeudochriſto iſti ſe præbuit, uſque dum uterque cruentam mortem adeptus eſſet. Ingentiſſima hæcce calamitas dementatorum oculos nequaquam aperuit, ut ſua in verum Chriſtum peccata agnoſcerent; tantùm eò devenerunt ut *Barcocabam Bencoſbam* filium mendacii appellarent. Certè ob pertinaciſſimam in Deum & homines rebellionem, *Adrianus* omni in *Judæam* ingreſſu, & omni Hieroſolymorum aſpectu ſeveris ſuppliciis Judæis interdixit, lege ſeculis aliquot poſt ejus mortem durante; & quò magis abſterreret ab urbe, ſuem, animal Judæis deteſtabile impreſſit portis: quò etiam Chriſtianos à locis illis olim ſanctis abarceret, templum *Veneris* in loco paſſionis, ac *Adonidis* in loco nativitatis ædificavit.

Magni in ſenectute Adriani cruciatus.

Dum *Severianus* necaretur, Deos ſuam innocentiam teſtatus, precatur ut Adrianus cum maximè vellet, non permitteretur mori; certè multoties mortem optavit, antequam mori potuit; nam poſtquam adoptavit *Aurelium Antoninum*, & hunc feciſſet adoptare *Lucium Commodum* ac *Marcum Verum* intercute moleſtiſſimâ laborans, percupiit mori, ac multoties venenum ac gladium poſtulavit, ſed *Antoninus*, quantum potuit, eum à morte ſervabat; ob id cognomentum *Pii* adeptus, tandem tamen medicorum conſilio inediâ, & incommodis cibis de induſtriâ electis ſeipſum confecit anno ætatis ſexageſimo ſecundo, imperii viceſimo, Chriſti centeſimo quadrageſimo, ſecundùm calculum communem quem in Imperatorum vitis ſequimur.

Anto-

Antoninus Pius vir & Imperator optimus.

Antoninus Pius Imperator decimus ſextus, maximarum virtutum vir etiam ſupra *Trajanum*, ac *Adrianum*: nulla ſub eo bella, rapinæ, cædes: Barbari vicini ipſius æquitati ſuas inter ſe controverſias dirimendas committere: per totum Romanum orbem tanquam in patriâ abſque latronum, vel piratatarum metu licebat iter facere, eâdein linguâ, iiſdem ubique legibus.

Cùm abſqoe Imperatoris edicto Chriſtiani hîc illîc à Gentilibus morte mulctarentur, auditâ Juſtini pro Chriſtianis Apologiâ, Imperator ulteriorem perſecutionem inhibuit.

Semper eſt commoratus Romæ contrà quàm *Adrianus*, exiſtimans circumductione aulæ Provincias gravari, & remoto longiùs Imperatore faciliùs populum tumultuari, ex *Adriani* placito adoptatis *Marco Aurelio Antonino*, *Vero* Philoſopho, & *Lucio Vero*: expiràvit ætatis 70. Imperii 23.

Marcus Aurelius bonus & ſtrenuus Imperator.

Marcus Aurelius Imperator decimusſeptimus omnigenæ virtutis vir, difficillimis temporibus Romanum orbem ſuſtinuit tam vitâ quàm profeſſione ex ordine Stoicorum φιλοσοφώτατος: in pleriſque domi militiæque Rempubl. optimè adminiſtravit, ſed diſſimiles admodum erant Lucii Collegæ mores; huic filiam *Lucillam* dedit in uxorem: dum Vologeſi Parthi armis premerttur, *Lucium* virum ſatis ſtrenuum in Orientem miſit: omnia is bello neceſſaria Antiochiæ comparavit, miſſo contra hoſtem *Avidio Caſſio*, multis ille prœliis Parthum fregit, *Seleuciam*, & *Creſiphontem* regias urbes incendit, & Parthos, ad ſupplicandum ab Imperatoribus pacem, quibus vellent ipſi conditionibus, adegit.

Sed Lucius pravus & infelix.

Dum in Oriente eſſet Lucius, gravem in Chriſtianos perſecutionem exercuit, hinc in Romanos ira Chriſti excanduit. Cum Perſepoli quidam milites auream capſulam ex ſepulchro quodam effoſſam aperuiſſent, tam peſtilens inde aura ſpiravit, ut totus exercitus graviſſimâ lue inficeretur, quæ totum Romanum imperium, inprimis Romam & *Italiam* pervaſit, cum infinitâ mortalium ſtrage: iſtâ peſte Romanorum viribus enervatis, *Marcomanni*, *Quadi*, *Sarmata*, & maxima Barbarorum ex Septentrione colluvies, tranſmiſſo Danubio & Rheno, imperium inundavit. Marcus ex nimio in ſtudiis literarum labore factus valetudinarius, non auſus tamen fuit bellum hoc Lucio committere, multò minùs diſſolutiſſimum virum Romæ relinquere: ſecum ergo duxit ad bellum. Antequam ex *Italiâ* egreſſi eſſent, in agro Veneto in uno vehiculo facientes iter, Lucius ex apoplexiâ mortuus concidit, quod de fraude hîc *Marci* quidam referebant, *Julius Capitolinus* à viri probitate teſtatur alieniſſimum.

Legio Chriſtianorum fulminatrix.

Pergens ad Barbaros per aliquot annos duro bello licet ſemper victor implicatus eſt, ſemel à *Quadorum* numeroſo exercitu iniquiſſimis locis circumcluſus, exitio ultimo fuit proximus, calore inprimis & ſiti legiones enecabantur: locorum aſperitas neque pugnæ, neque fugæ anſam dabat. Dum dux mileſque fatiſcerent animis, legio Melitina ex urbe *Armenia* tota Chriſtiana poſitis genibus, & ſublatis ad cœlum manibus ſupplex Chriſtum rogavit opem: ſtatim non tantùm ingens pluvia Romanos refecit, ſed & fulmina, maximaque ventorum vis in ora *Quadorum* vibrata plenam ipſi victoriam attulerunt; hinc amiciſſimas pro Chriſtianis literas ad Senatum ſcripſit. Rectè ab Epitomatore ſuo *Xiphilino* taxatur *Dion* quod à legione fulminatrice miraculum hoc transferat ad Ægyptium Magum. Non obſtantibus hiſce Imperatoris ad Senatum literis, per Præfectorum malitiam, & antiquarum legum in novas religiones ſeveritatem, perſecutio perſeveravit; nam præter *Polycarpum* & *Juſtinum*, quamplurimi alii martyres extremo ſupplicio affecti ſunt. Hujuſce crudelitatis vindicta, tam in ipſum Imperatorem, quàm ejus familiam totumque imperium mox emicuit: ipſe enim, licet virtutes omnes, quantum quivis Paganorum, coleret, ut in eleganti de ſuâ vitâ commentario teſtatum facit; tamen *Fauſtina* uxor *Antonini Pii* filia mulierum omnium poſt *Meſſalinam*, ipſo connivente, ſpurciſſima evaſit. Filium *Commodum*, cujus inſtitutioni ſummam operam impenderat, comperit ingenii praviſſimi monſtrum; ex quo animi mœrore contabuit.

Peſſima uxor, & filius praviſſimus.

Dum in bello Marcomannico hæreret, *Caſſium* in Oriente *Fauſtina* ſuſcitavit ut imperium arriperet, metuens ne ſi *Marcus* valetudinarius expiràſſet, filii ſui mores, ipſum, ſeque, & totam familiam perderent; voluit ergo ſuis conſiliis *Caſſium* adipiſci thronum, ut per ejus nuptias in priſtinâ perſeveraret dignitate: etiam iſta *Marcus* in *Fauſtinâ* tulit, ſed contra *Caſſium* volavit in *Syriam*, tantùm ducto in viâ Romæ de Germanis triumpho. Antequam ad manus eſt ventum, *Caſſio* à ſuis amputatum eſt caput, ingratiis *Marci*, cui in animo erat hoſti victo vitam & dignitatem conſervare. Romam cum eo rediens *Fauſtina* in itinere moritur.

Nulla ipſi vel in ſenectâ quiete frui datum eſt: Germani rebellantes iterum induere cogunt arma: per triennium cum his luctatus, tandem in caſtris febre, vel medicorum in *Commodi* gratiam fraude extinguitur anno ætatis quinquageſimo octavo, Imperii 18. Chriſti 182.

Commodi lætiſſima auſpicia in exitus infauſtos deſierunt.

Commodus Cæſarum decimus octavus ſtatim in caſtris ſalutatus Imperator cum Germanis de pace tranſigit, præſtanti corpore juvenis, & ab Imperatoribus optimis *Adriano*, *Antonino*, ac *Aurelio* oriundus, ubique in viâ Romam, quo belli impatiens properabat, quaſi quidam divorum acceptus eſt; ſed mox

apertè ſe dans in omnia vitia præcipitem, cò devenit odii, ut ipſa ſoror Lucilla cum Pompejano marito & pleràque nobilitate, in eum conjuràrint. *Quintianus* qui feriendi Imperatoris partes ſuſceperat, è longinquo pugionem oſtentans à militibus confoſſus eſt antequam confoderet; hinc lata Commodo porta patuit interficiendi ſenatores.

Perennius Commodi oculus prætorianorum Præfectus ex proſcriptorum bonis in immenſum dives de imperio cogitans tollitur è medio: eadem fortuna fuit aliorum qui eundem poſtea gratiæ locum tenuerunt: *Cleander* à tumultuante populo in oculis Commodi diſcerptus eſt.

Tandem *Martia* pellicum dilectiſſima in necandorum catalogo ſuum videns nomen, cum *Lato* prætorianorum Præfecto inito conſilio venenum imperatori propinat, cum quo dum vigore juventæ luctatur, ne evaderet metuens, *Martia Narciſſum* athletam immittit, qui miſerum ſtrangulavit: ex crapula apoplecticum expiraſſe in vulgus ſparſum eſt.

Herculem aliquando dici ſe voluit, & tum cum clavâ ac leonis pelle vias perambulabat: aliàs *Amazonis* placuit habitus ob amorem *Martiæ*. Imperavit annis duodecim, vixit triginta duos: eâ ſagittandi peritiâ fuit & vi, ut deſtinatis ictibus, nec repetitis in theatro, leones, ac quaſcunque feras trucidaret.

Herodianus & *Dion* ſcriptores præſtantiſſimi, Commodo coætanei, in ejus hiſtoriâ multa diverſimodè referunt. Obſervat rectè *Baronius*, quod eſt inprimis notandum, in *Marci Aurelii* optimi Imperatoris vitâ quamplurima perpeſſos Chriſtianos, in Commodi tamen crudeliſſimi tyranni diebus omnino nihil, divinâ miſericordiâ hoc procurante, ſeu per *Martiæ* concubinæ in Eccleſiam favorem, ſeu potius incuſſo percuſſoribus de ſeipſis quotidie à tyranno metu, per quem non vacabat aliis turbas creare.

Pertinaci incogitanti obtruditur Imperium.

Pertinax liberti filius Arithmeticam in pueritia didicit ob patris mercaturam, poſtea Grammaticam docuit, cauſas egit, in militiam ivit, in *Syriâ*, *Britanniâ*, *Daciâ*, *Germaniâ* inferiori per omnes ordines aſcendit: ab *Aurelio Syriæ* & *Aſiæ*, quod maximum in militiâ munus erat, Præfectus eſt conſtitutus, imperante *Commodo* aliquandiu exulavit, revocatus ad compeſcendas legionum ſeditiones mittitur in *Britanniam*: hic comitibus necatis ipſe quaſi mortuus inter cadavera delituit, mox tamen pacatum exercitum cæſis rebellibus reliquit, in *Africam* præfectus iturus: hinc Romam reverſus Urbis præfectus factus eſt, quotidie necem à *Commodo* expectanti nunciatur nocte mediâ adeſſe *Latum*, mori nequaquam dubius jacet imperterritus, & appropinquantem *Latum* exequi ſecurus jubet mandata Domini quæ jamdiu expectâſſet: hic *Commodi* mortem audit, & *Martia* ac *Lati* preces ut imperium vellet accipere vix exoratus, omnium votis in Senatu acceptatur, annorum ſeptuaginta, Imperator decimus nonus.

A Prætorianis necatur Pertinax.

Prima ei cura in reprimendâ Prætorianorum inſolentiâ: in cæteris adeò benignus ut ab omnibus amaretur. Barbari audito Pertinacem regnare, viri metu confeſtim ubique depoſuerunt arma; ſed Prætorianorum perfidia virum optimum quatuor integros menſes non ſivit imperare: dum ſeditioſi aliquot plecterentur, alii ſine morâ armati ruunt in Palatium, Pertinax fugere in urbem, vel latère indecorum exiſtimans prodit inermis, & primos orationis majeſtate compeſcens à poſterioribus irruentibus confoditur. Ita ſapiens, fortis, dilectus imperator, Romæ medio die à militibus plus minus trecentis vitâ privatur & imperio, idque inultus.

Iulianus à Prætorianis mercatus Imperium ab iis occiditur.

In caſtris aliquandiu metu populi ſe continent Prætoriani, ſed mox de turribus clamant venale imperium, adeſt ab Urbe *Sulpitianus* Præfectus *Pertinacis* ſocer: Didio Juliano ſenatori pecunioſiſſimo prandenti affertur licitationis nuncium, ac conviviis ad auctionem propellitur, adeſt ad caſtra, majorem *Sulpitiano* ſummam offert; auditur, ſcalis in caſtra protrahitur, adoratur Imperator; armati deducunt in Senatum, hinc in Palatium; populus, ubicunque prodiret, execrantur mercatorem, patitur ſine irâ contumelias, militibus quòd pollicita non præſtaret, mox fit odio, Pannonicæ legiones *Septimium Severum*; Syriacæ *Peſcenninum Nigrum* Imperatores ſtatuunt. *Severus* feſtinat in *Italiam*, Julianus parat ire obviam, ſed Prætoriani ad ſeditiones aptiores quam ad pugnas, diutinâ pace effœminati animis cadere, recuſat *Severus* Julianum collegam, tandem Senatus inopem conſilii Julianum cernens, ut indignum imperio deponunt, *Severum* pronunciant Imperatorem: percuſſores immiſſi Julianum cum amicis plorantem inveniunt in Palatio, & obtruncant ſeptimo Imperii menſe. Severus Imperator vigeſimus primus Lepti in Africa natus vir literatus & eloquens, decurſo toto ſtadio tam militarium quàm togatarum dignitatum, ſummâ feſtinatione Romam properavit: antequam intravit urbem, Prætorianos inermes juſſit occurrere, & circumcluſos legionibus ſuis pugiones ac ſagas deponere, tum damnationis dixit ſententiam, deponendas Zonas, & Româ centum miliaribus exulandum.

Severus Prætorianos exauctoravit.

Albinum fefellit.

Proxima cura fuit in *Aſiam* properare; ſed ne Albinus cum potentiſſimis Britanniæ legionibus ſe procul abſente Romam occuparet, eum ex Senatûs ſententiâ Cæſarem ſibi in Imperio collegam conſtituit: poſt multa cum Nigrianis ducibus in *Aſiâ* ſecunda prœlia, tandem in *Ciliciæ* littoribus ad Iſſicum horribili commiſſâ pugnâ omnes *Nigri* copias fudit:

dit: ſublato *Nigro* ut ſolus regnaret ad Albinum ſubvertendum ſe convertit. Lugduni in *Galliis* conferuntur manus, totum diem obſtinatiſſimè pugnatur: pejores diu Severi partes, ipſe ſuffoſſo equo ruit, & pro mortuo habitus eſt; ſed *Latus* novia copiis irruens Severum equo imponit, Albinianos ingenti cæde fundit; ipſe Albinus Lugduni captus confoditur: caput haſtæ infixum in foro defigitur, cadaveri Severus in equo feroci inſultavit: crudeliſſimè victoriam exercuit, Romæ poſt triumphum, plurimos nobilium, tam virorum quàm matronarum quaſi, *Nigro* vel *Albino* faventium trucidavit, bonis publicatis; amicis tamen & populo ſtuduit eſſe benigniſſimus, ſumptuoſiſſima ſpectacula, convivia, & ædificia inſtituit: quanquam ſenio & arthritide vexatus, ſummâ tamen celeritate in Orientem iterum trajecit, plenam de Nigrianis vindictam expetiturus. *Armenus* ad Severi arbitrium quaſlibet admiſit pacis conditiones: *Artabanus* Parthus *Cteſiphonte* diuturnam obſidionem paſſus, irrumpentibus vi Romanis fugit, relictis liberis & gazâ in prædam, Arabicas regiones olim rebellantes perdomuit, in reditu *Ægypti* Pyramidas inviſit: apertam hic perſecutionem in Chriſtianos inſtituit, plurimi per totum imperium martyrio coronati, licet eâ tempeſtate multi viri doctiſſimi egregiis ſcriptis Chriſtianorum innocentiam tutarentur: in his erant *Pantenus*, *Clemens Alexandrinus*, *Tertullianus*, *Irenæus*, *Minutius Felix*, & alii.

Evadit crudeliſſimus tyrannus.

Plautinianum collegam necat.

Divina in Severum vindicta non diu tardavit, adoleſcentes filii *Baſſianus* & *Geta*, quorum utrumque ſecum Imperatores dixerat, irreconciliabili inter ſe odio flagrârunt. Severo popularis fuit Plautinianus, hunc præfectum Prætorio, & tandem imperii Collegam inſtituit: bujus filiam *Plautillam Baſſiano* ſuo uxorem dedit, hanc quòd ſperneret *Baſſianus* patrem ſimul & filium Plautianus necare decrevit, rem Tribuno prætoriano conficiendam committit, hic Severo proditionem revelat non credenti, ſed dum nocte intempeſtâ in Imperatoris cubiculum quaſi rem confectam ſpectaturum Plautinianum loricatum introduxiſſet Tribunus, credit Imperator, & Plautinianum jubet tolli.

In Scotiâ male mulctatur.

Ut filios ab urbe & occaſionibus diſcordiæ avocaret, quamprimùm de periculo legionum Britannicarum accepit, ſtatim eò advolavit, licet in profundâ ſenectâ valetudinarius cruento & perìculoſo ob locorum difficultatem bello defunctus, amiſſis quinquaginta millibus militum *Scotos* & *Pictos* repreſſit, muro à mari ad mare ab *Abercorno* ad *Cellam Patricii* triginta duobus miliaribus excludens à provinciâ: vix dum perfecto opere moritur Eboraci ætatis ſexageſimo ſexto, Imperii decimo octavo. Chriſti ducenteſimo tertio, relicto Romæ vino, oleo, frumento, quantum urbi per quinquennium ſufficeret, præter ingentem pecuniam, quanquam in armis, & operibus publicis totâ vitâ plurimus fuerit. Ingenti fuit, & imperii digno corpore, carnem vix edebat, bibebat tamen ſine vinolentiâ profundè.

Filiorum mutuum odium irreconciliabile.

Ex voluntate *Severi Baſſianus* (*Caracalla* dictus, à veſtimenti genere quod populo donavit) *Martia* filius, & *Geta Julia* pariter imperabant. Dum Romam eunt fratrea, eò profecit diſcordia, ut diverſis menſis, hoſpitiis, comitibus uterentur: eadem Romæ odia, nunquam niſi in Senatu convenêre: *Julia* quaſi communis mater, omnem operam, ut reconciliaret, dabat. Geta viris literatis, Baſſianus militaribus cingebatur: apertæ utrinque factiones, uterque ſuis in omni ſcelere favebat: tandem Baſſianus, cùm occulta conſilia fruſtra eſſent, in meridie inopinatus irruit, ubi Geta ſecurus in Palatio prandebat, & in *Julia* complexibus fratrem confodit: inde lymphato ſimilis ex urbe in caſtra provolat, quaſi Getæ ſibi inſidiantis victor, hinc in Senatu fratris accuſator, Geta damnatur ut proditor. Quicunque in Senatu, in caſtris, in populo Getæ favebat, tollitur de medio, hinc ingens in Baſſianum odium, ſolos Prætorianos donis & indulgentiâ faventes habuit. Conſcientia ſcelerum excegit urbe in provincias, in *Germaniâ* habitu Germanico incedebat, in *Thraciâ* alter *Alexander* phalange cinctus, in Troade unus *Achilles*, Alexandriam inviſens, audito dicteriis ſe peti, infinitam populi ſtragem edere milites coegit, Parthis magnam cladem dedit ſimulans *Artabani* filiæ nuptiàs.

Getam necat Baſſianus.

Baſſianum Macrinus.

Dum in his eſt, *Materniano* urbis Præfecto ſcribit Romam, ut convocatis Mathematicis ſua anquireret fata: reſcribit *Maternianus* Macrinum parare inſidias. Dum ad certamen curule properaret Baſſianus, Macrino legionum præfecto literæ perlegendæ dantur, hic inevitabile ſibi ſtrui exitium cernens præoccupare certua, *Martialem* Centurionem militem prætorianum exequi jubet ſecurè quod in imperatorem ipſi injurioſum habere ſciebat odium: itaque dum in viâ Imperator ſecederet ad opera naturæ, accurrit quaſi advocatus *Martialis*, & à tergo Baſſianum ſuffodit; fugiens à militibus confoditur, nullo Macrini inſidiarum edito indicio.

Julia Antiochiæ accepto nuncio venenum ſibi propinavit, hæc Getæ mater Baſſiani noverca, dum unà cum privigno ſtaret, velum quaſi negligens demiſit, ſtatim Baſſianus accenſus libidine, *vellem*, inquit, *ſi liceret*; retulit ſceleſta, quodlibet licet imperatori conditori legum: hinc inceſtæ nuptiæ. Nihil de hoc vel *Herodianus*, vel *Dio*; *Spartianus* tamen, *Eutropius*, & *Aurelius Victor* rem geſtam narrant. *Joſephus Scaliger* ad *Euſebii* numerum bis milleſimum ducenteſimum triceſimum

mum

mum primum ex *Oppiano* contendit *Iuliam* non novercam, ſed verè matrem *Baſſiani* fuiſſe, vix tamen, ut arbitror, firmo argumento, quidni enim *Domina* communis fuit *Auguſtarum* titulus, ut *Dominus Auguſtorum*.

Baſſianus Imperii ſexto, ætatis quadrageſimo tertio, Chriſti ducenteſimo decimo nono interemptus eſt. Crudeliſſimâ hac beſtiâ imperante magna fuit eccleſiis pax, non tam quòd ejus nutrix Chriſtiana fuerit, quàm quòd Deo ſuis poſt maximam ſub *Severo* tempeſtatem halcyonia dare viſum ſit, Imperatoris furore in Romanos, Alexandrinos, alioſque piorum perſecutores converſo.

Mortuo Imperatore in caſtris de ſucceſſore conſultatur, omnium vota Audentium expoſtulant, ſed viro prudenti obſtinatè recuſanti, imperium defertur Macrino, miſer hic ambabus ulnis amplectitur. Cùm *Artabano* duobus continuis diebus ancipiti marte pugnatur, ſed cùm Baſſianum interiiſſe intellexiſſet *Artabanus*, & captivos ſine pretio offerret Macrinus, facilè pax coivit.

Macrinum Heliogabalus. Dum Macrinus Antiochiæ deliciis intentus moratur, exercitum domum cogitantem, moræque impatientem Macrini tædium capit. *Mœſa Iulia Auguſta* ſoror diu Romæ in palatio vixit, duas babuit filias *Sohemam* & *Mammeam*, hujus filius erat *Alexander*, & illius Heliogabalus ex patribus Syris, hic Gabalis in *Galilaâ* juxta Libanum, ille Arcâ urbe vicinâ natus. *Mœſa* ampliſſima re Romæ comparatâ, Gabalis egregium templum Soli conſtruxit qui *Ela Gabal* dicebatur non ab ἥλιος *ſol*, ſed Syriaco *Ela Deus*, & *Gabal* civitate *Phœnicia*. *Mœſa* nepotes ſuos ſoli ſacerdotes inſtituit, majorem *Sohema* quatuordecim annorum puerum, minorem *Mammaa* duodecim. Dum in iis locis legiones aliquot caſtra metarentur, & frequenter templum ac ſacerdotes pueros inviſerent, *Mœſa* Romani moris à multis annis gnara, fingit puerum utrumque à *Baſſiano* genitum, & milites magnâ pecuniâ donat, plurium factâ ſpei illi ſtatim majorem Heliogabalum ad caſtra raptum Imperatorem dicunt.

Macrinus initio re ſpretâ *Julianum* qui necaret, mittit, ſed dum caſtra Iulianus obſidet à ſuis obtruncatur, & caſtra rebelles conjungunt, hoc ictu excitatus Macrinus, omnibus viribus ad manus venit; aperto marte profligatus Romam verſus fugit, in viâ morbus Chalcide cogit decumbere, ubi ab Heliogabalo ſupervenientes patrem cum filio etiam Cæſare obtruncant.

Heliogabalum Prætoriani. Heliogabalus Imperatorum vigeſimus quartus, quatuordecim annorum adoleſcens formoſiſſimus, ut Romam venit, omnis Luxuriæ horribiliſſimum monſtrum evaſit. Meretricum in Palatio Senatum inſtituit, ad quas fœmineo veſtitûs habitu orationem habuit Commilitones exordiens, veſte aureâ gemmis intextâ utebatur, nec ſecundò induebat; annulis pleni digiti, exutos non reſumebat, ex aureis poculis nunquam bis bibebat, lectiſtrata aurea, ſuper affuſi flores, ambarum muſeum imo gemmæ; viliſſima inſtrumenta ex auro puro, urinalia onychina, Luminaria erant Lampades balſami, leonibus pheſanos, canibus anſerum medullas, aulicis perdicum ac pavonum cerebra, vel auri miſſas dabat, dies in noctem, nox in diem vertebâtur, libidinum ſocios in provincias, & ad legiones præfectos mittebat.

Aliquandiu *Sardanapalum* hunc paſſus eſt populus, eo quod ingentibus donariis plebem ditaret, & *Mœſa* avia prudentibus conſiliis, quantum poterat, publica regeret, & ut populum cohiberet, Heliogabalo perſuaſit *Alexandri* juvenis optimi adoptionem. Iſta tamen nondiu monſtrum protexêre, nam dum pergeret in luxuriâ, terram tangere faſtidiens niſi ſuperſtratam auri pulvere, Prætoriani tandem Latrinâ, ubi latebat extractum, in anguſtum ſordium canalem detruſêre, illinc per publicas vias tractum Tiberi immerſêre, ponderibus appenſis, ne ad ſepulturam emergeret, ætatis vigeſimo, Imperii ſexto anno.

Alexander optimus Imperator à Maximino necatur. Alexander Severus Imperator vigeſimus quintus Arcæ in *Syriâ* natus annorum ſedecim adoleſcens, omnium cum applauſu imperium adiit: in literis & omni arte liberali apprimè profecerat: licet canere, vel fidibus ludere poſt imperium extra privatiſſimos parietes auditus non fuerit: qui probæ famæ nou fuerunt omnes Senatu; Palatio, & muneribus provincialibus ejecit: munerum publicorum licitationem execrabatur, judices probos aſſumebat ſecum in lecticam, improborum aſpectus bilem ei ad vomitum uſque movebat: cibo communi, nulliſque vel ipſe vel aulici gemmis utebantur, pecuniam publicam non niſi in publicis operibus, quæ magnificentiſſima extruxit, inſumendam putabat; familiariſſimis pecuniæ fuit perparcus, nullâ in fures miſericordiâ, ſummâ in pauperes liberalitate, ægrotantes nobiles familiariter viſebat. Chriſti imaginem, & *Abrahami* inter cæteros Divos colebat, multa à Chriſtianis didiciſſe ſe profeſſus, in primis, quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Mater *Mammea* Origenem de religione diſſerentem lubenter multoties audiviſſe dicitur.

Quæ ultra Euphratem Macedones tenuêre occupavit *Arſaces* Parthus, & habuere ad quadringentos annos Arſacidæ Romanis ſemper formidabiles, eorum ultimus *Artabanus* ab *Artaxerxe* Perſâ dimotus eſt ſolio, hic in Perſide Thronum ſtabiliens Romani imperii in *Meſopotamiâ* limites invaſit, contra eum movit Alexander magnis cum copiis, ea diſciplina in caſtris fuit, ut in pomariis quà tranſirent milites, ſecura penderent mala. *Artaxerxes* occurrit cum peditibus innumeris, equitum

quitum centum viginti millibus, elephantis ſeptingentis, curribus falcatis mille, poſt acrem pugnam, infinita cecidit Perſarum vis, equitum decem millia, currus capti mille, elephantes capti trecenti, ducenti cæſi, ingens Romæ triumphus. Iſta *Lampridius*, & ex eo *Petrus Mexia* in hiſtoriâ ſuâ imperiali, aliique; ſed *Dio* ac *Herodianus* multò aliter rem narrant.

Paulò pòſt Germani obſtacula Rheni & Danubii perrupêre, ad hos refrænandos occurrit Alexander, dum legiones diſſolutas militari diſciplinâ coërcere conatur, ſceleſti in tentorio ſecurum necavêre optimum Imperatorem, inſtigante Maximino Thrace tyronum præfecto, ætatis vigeſimo nono, Imperii decimo tertio.

Maximinus Horribilis tyrannus.

Maximinus patre Gotho, matre Alanâ, octo pedum geometricorum vir, ab ovili Thracio adoleſcens venit in *Syriam* ad *Severum*, ubi ſedecim lixas validiſſimos luctando ſtravit, *Macrinum* deſeruit, ad *Heliogabalum* accedens, effœminatum virum non niſi ſemel potuit aſpicere, *Alexandro* lubenter inſerviit, donec dominandi libido infatuavit: Imperator omnes in exercitu & Senatu *Alexandri* familiares dedit neci, ſextam in Chriſtianos perſecutionem excivit, Germanos crudeliſſimo bello afflixit.

Rebellans in Africâ Gordianus à Capelliano caditur.

Intereà Afri Procuratorem ſuum immodicæ crudelitatis, & avaritiæ cædentes, Gordianum Proconſulem *Severi* generum, virum modeſtum, literatum, fortem, annorum octoginta Imperii inſignia cogunt ſumere unà cum filio Gordiano: Senatus etiam addidit Gordianum nepotem puerum, ſtatim occupatur Carthago, mittuntur nuncii Romam, Prætorianorum & Urbis præfecti necantur, & per totam *Italiam Maximini* miniſtri mulctantur morte. *Maximinus* accepto nuncio caput muris alliſit, corpus humi volvit furore plenus, & ſanguinem ſpirans in *Italiam* properat. Sed in *Africâ* Capellianus *Mauritaniæ* Proconſul vetus Gordiani inimicus, convocatis legionibus juxta Carthaginem Gordianum juniorem fuſis copiis cædit, Carthaginem captam cædibus replet; Gordianus ſenior zonâ ſuâ ſibi fauces colliſit. Attonitus Senatus *Maximum Pupienum* & *Balbinum* Cæſares creat: hi ex *Maximini viâ* omnia alimenta removent, ejus igitur exercitus fame offenſus ſeditiones movere,

Maximum ſui necant milites.

Maximinus ab Aquilejâ repulſus dum in tentorio ſedet, ab ingruentibus militibus unà cum filio obtruncatur ætatis ſexageſimo, Imperii tertio, Chriſti ducenteſimo quadrageſimo, caput magno cum gaudio Romæ viſum eſt.

Pupienum & Balbinum Prætoriani necant.

Pupienus Aquilejam properans *Maximini* legiones donariis pacatas ad ſtationes remiſit, Prætoriani & Senatus Romæ Imperatores laudârunt, ſed dum in Senatu jubentur ſapienter imperare, qui à ſapientibus eſſent electi, nam quos ſtulti eligerent ſtultè regnare, conſque mordebantur Prætorianorum animi hoc dicterio, ut, dum urbs, & Imperatorum pleraque familia in theatro vacaret ludis, ipſi armati ad Palatium concurrerent. Pupienus hoc audito, ſtatim Germanicum advocat præſidium: Balbinus advocari vetuit, metuens ne ficto à Pupieno rumore Germani contra ſe accerſerentur: intereà adſunt Prætoriani, deducuntur vincti Imperatores per plateas verſus caſtra, & nunciato adeſſe Germanos vindices, necantur: *Gordianus* quatuordecim annorum puer fortè obvius raptatur in caſtra ad ſumenda inſignia imperii.

In Pupieno deſinit *Herodianus*, ut in *Alexandro Dion*, pergunt tamen alii in Cæſarum hiſtoriâ egregii ſcriptores *Lampridius*, *Capitolinus*, *Spartianus*, *Eutropius*, *Aurelius Victor*, *Euſebius*, & alii.

Gordianus puer feliciter imperat.

Gordiani imperium Senatum cum Prætorianis reconciliavit, *Miſitheum* hic ſocerum virum optimum habuit, cujus conſiliis omnia adminiſtrabantur juſtiſſimè: profectus eſt Gordianus in bellum Perſicum, nam *Sapor Artaxerxis* frater etiam Antiochiam *Syriæ* occupaverat, uno autem & altero prœlio fractus. Sapor in intima *Perſiæ* fugit, *Miſitheus* veneno tollitur à *Philippo* Arabe, & Chriſtiano, ut habet *Euſebius* & *Hieronymus*, atque alii antiquorum: *Baronius* tamen initio imperii non vult Chriſtianum, ſed poſteà cùm praviſſimos mores mutâſſet in melius, *Scaliger* verò ad *Euſebium* cum ſtomacho negat unquam Chriſtianum, & epiſtolas *Origenis* ad hoc probandum ab *Euſebio* adductas affirmat ſuppoſititias. Utcunque ſuffectus *Philippus* à Gordiano in ſoceri præfecturam ita rem tractavit, ut exercitus inopiam commeatuum Imperatoris culpâ putaret accidere, ergo *Philippus* collega dicitur, hic jam Cæſar in omnibus Gordiano imperare, magni animi juvenis convocato exercitu tueri de *Philippi* inſolentiâ; verùm aſtutus Arabs eò Gordianum adegit, ut Cæſaris titulo depoſito, etiam negatâ præfecturâ Prætorii, ducis honorem emendicaret fruſtra, tandem à Philippicis eſt necatus, Imperii ſexto, ætatis decimo octavo.

Gordianum Philippus necat.

Philippum ſui milites

Philippus Imperator viceſimus nonus ardore viſendi ſuam Romam *Meſopotamiam* & *Syriam* Perſis pactus eſt, ſed Romæ provinciarum alienationem malè audire ſentiens Perſis bellum eo nomine indicit, verum iſti nondum ruptâ pace provincias ſponte reſtituunt: Gothi ex *Scythiâ Thraciam* & *Myſiam* tranſcurrunt, *Marinus* Illyrici Præfectus contra mittitur, hic ſe dicit Imperatorem, ſed poſt aliquot dies à ſuis necatur. Poſteà *Decius* vir conſularis mittitur ad exercitum, qui conſcius quidin Philippum jam admiſiſſet *Decium* cogit Imperium arripere. *Decius* jubet Philippum eſſe ſecurum, nam ſe invitum imperare,

perare, ſtatimque, ubi liberum foret, Imperium deponere paratum; non credit Philippus, contraque maximis copiis contendit; in viâ Veronæ à ſuis capite ſupra dentes inferiores truncatur, mactatur etiam Romæ filius Cæſar adoleſcens, baptizatus, ut quidam; qui nunquam riſiſſe viſus eſt, anno Imperii ſeptimo, Chriſti ducenteſimo quinquageſimo ſecundo.

Decius Galli fraude perit. Decius Imperator triceſimus in *Pannoniâ* inferiori natus nobili loco à Senatu cum gaudio recipitur, ac inter prudentes Imperatores numeratur, etſi crudeliſſimam in Chriſtianos perſecutionem excitârit, de quâ fusè *Baronius* ex *Origene*, *Cypriano*, & aliis ejus ævi tractatoribus. Sed en Dei vindictam! Dum in *Thraciâ* Gothos fudiſſet, eorumque Rex ad montes fugiens offerret ſuum reditum in patriam, modò libera daretur via, recuſans Decius omnes exitus circumvallat, quorum unum Treboniano Gallo committit, hic deſiderans imperium, cum Gothis clam conſilium communicat invadendi caſtra Imperatoris, dum ſubducunt ſe Gothi in locum inſidiarum, Decius junior in pugnâ cadit, pater ſe victum videns, in paludem profundam equum præcipitat, unde præ armorum pondere nunquam emerſit ad ſepulturam, anno Imperii ſecundo.

Gallus ab Æmiliano debellatur. Gallus Imperator triceſimus primus fœditati proditionis infamem addit cum Gothis pacem pacto tributo: nihilominus Gothi in *Theſſaliam* uſque imperium devaſtârunt, eorum que exemplo Perſæ in *Syriam* atque *Armeniam* irrupêre. Auxit ille *Decii* in Chriſtianos crudelitatem, hinc fœdiſſima in omnes Imperii urbes, & propè domos decennalis peſtis. Æmilianus inſignem de Gothis victoriam eſt adeptus, ſed hujus ſuperbiâ elatus Imperator dici voluit, contra quem pugnans Gallus, unà cum filius cæſus eſt ſecundo imperii anno.

Æmilianus à ſuis confoditur. Æmilianum triceſimum ſecundum Imperatorem agnoſcere noluit *Valerianus*, contra quem movens onere itineris levatus eſt, nam tertio imperii menſe Æmilianus à ſuis confoditur.

Valerianus à Sapore Perſâ cruciatur. Valerianus Imperator triceſimus tertius, ſummo omnium cum gaudio & ſpe unà cum filio *Gallieno* adiit Imperium anno ætatis ſeptuageſimo, in magnis virtutibus & felicitate totam eo uſque ætatem peregerat; à Senatu, permittente *Decio*, creatus Cenſor, initio domus ejus Chriſtianis non aſylum modò; ſed habitaculum fuit, verùm ab Ægyptio Mago ſeductûs evaſit ſævus perſecutor, hinc à Deo clades. In Saporem Perſam tendens, ſeu negligentiâ, ſeu proditione in eas locorum anguſtias devenit, ut Perſis ſine pugnâ in manus venerit, hic miſerrimum in modum à Sapore habitus eſt, dum enim aſcenderet equum Perſa Valeriani collo pro ſtapedâ eſt uſus, & tandem oculis ac pelle privarum necavit. Valeriani imperio dura fuit ubique perſecutio Chriſtianorum, *Cypriani*, & aliorum martyria fusè & eleganter *Baronius* deſcribit, quæ ubique interſerit ad ſuam hypotheſin de Romani Pontificis poteſtate, & Romanæ eccleſiæ prærogativâ ea prudens lector facilè animadvertet, & declinabit.

Gallienus infelix imperium. Gallieni infeliciſſimum fuit imperium, nulla redimendi patris ei cura, hinc ubique Imperatorum examen: tyranni ſupra triginta in *Graciâ*, *Aſiâ*, *Slavoniâ*, *Galliâ*, & *Africâ*, omnes à *Valeriano* nominati præfecti imperio ſe dignos putabant, dum Gallieno nullam aliam eſſe vident curam, quam deliciarum Romæ.

Odenatus Palmyranorum in *Syriâ* Princeps. Imperatorem agens, ſplendidiſſimas contra *Saporem* victorias obtinuit. Niſibin, Charras, imò Cteſiphontem occupavit, regia gaza, & uxores, *Sapore* fuſo in manus venêre: tandem *Meonius* ſobrinus fortiſſimum *Odenatum* per inſidias tollit, ipſe mox ab iiſdem inſidiatoribus ſublatus, imperio Zenobiæ *Odenati* uxori relicto; hæc omnes Orientis provincias fortiſſimè tam contra Perſas quàm Romanos tuta eſt. *Zenobia Imperatrix fortiſſima.*

Gallienus dum *Mediolanum*, quod occupaverat *Aureolus*, obſideret, à conjuratis cæſus eſt; hujus Imperio Germani in *Italiam* *Ravennam* uſque irrupêre, & in *Hiſpaniam Tarraconem* uſque irrupêre, Sarmatæ *Pannonias*, Gothi *Greciam* & *Aſiam* vaſtârunt: ſola propè *Italia* remanſit integra, uſque adeò tamen peſtis Romæ furit, ut uno die quinque millia interirent. Regnavit *Gallienus* cum patre captivo annis ſeptem, & ſolus octo.

Claudius fortiſſimus Imperatorum morbus extinguitur. Conjuratorum nullus occupare potuit Imperium, ſed communi omnium ſuffragio Claudius Dalmata ſufficitur, vir magno & formoſo corpore, ingentibus viribus, caſtus, juſtus, prudens, ex Senatûs ſententiâ omnia adminiſtravit; *Mediolanum* cepit *Aureolo* interfecto, recepit provincias, dum ambigitur contra quos proximè eundum, tyranni (inquit) mihi hoſtes, Barbari verò Reipublicæ, hi primùm debellandi, in Danubii ripâ cum Gothis magnæ erant Herulorum, & aliorum copiæ ad trecenta viginti bellatorum millia præter lixas, cum bis mille navigiis, hos ingenti ſtrage delevit, Germanorum etiam ad lacum *Benacum* ducenta millia cecidit.

Invictum Imperatorem cùm Barbaris ejectis pararet in tyrannos arma, febris necavit ſecundo anno Imperii, Chriſti ducenteſimo ſeptuageſimo tertio.

Quintilius ſibi venam ſolvit. Quintilius *Claudii* frater relictus cum aliquot legionibus in Italiâ, ab his poſt fratris mortem dictus eſt Imperator triceſimus ſextus, ſed audito *Claudii* exercitum elegiſſe *Aurelianum*, infirmitatis ſuæ conſcius, licetà Senatu probaretur, venas aperuit.

Aurelianus ingens bellator. Aurelianus Dacus præſtanti adeò corpore & animo, ut uno die hoſtium quadraginta ceciderit, *Alexandro* & *Cæſari*, ni obſtitiſſet crudelitas,

delitas, facilè comparari potuiſſet. Prima in Suevos & Sarmatas expeditio, dum hîc occupatur. Marcomanni *Lombardiam* vaſtabant, eo Romæ terrore illato, ut malè ob eunctationem de Aureliano loquerentur, ubi venit, Marcomannos delevit licet difficulter, nam ad Placentiam tantum non eſt actum de Romanis, hinc Romam accedens multos ob murmura necavit. In *Aſiam* movet, non magno negotio ſe tradunt provinciæ, ſed cum *Zenobiâ* aſperrimum toto die certamen fuit, tandem victa Regina fugit Palmyram, qui ex Perſis & Saracenis venerunt auxilio dejecit Imperator: omni ſpe præcisâ fugit Regina ex urbe verſus Perſiam, ſed ab equitibus retracta humaniter ab Imperatore habita eſt: poſteà rebellârunt Palmyræni, ſed accurrens Româ Imperator facilè compeſcuit, & Palmyram funditus evertit.

Reſtabat *Tetricus Galliæ* & *Hiſpaniæ* Dominus, dum in hunc Aurelianus iter parat, advenêre à viro prudenti literæ ſignificantes paratum ſe reddere provincias, utpote militaris inſolentiæ pertæſum, ſplendidiſſimum egit Aurelianus triumphum ductis *Zenobiâ* & *Tetrico*. *Tetrico* poſteà commiſit *Italiæ* aliquot provincias, & *Zenobiæ* honorificum ex agris victum conceſſit.

A conjuratis occiditur.

In *Perſiam* ad vindicandam Valeriani captivitatem tendens, ad perſequendos Chriſtianos quos prius toleraverat, edicta condidit, dum ſignaret, fulmine propè ictus eſt, ſed perſeverans vitâ privatus eſt, *Mneſtus* enim ab epiſtolis ob Aureliani minas vitæ ſuæ metuens, catalogum deſcripſit quaſi necandorum, hoc oſtenſo, facilè coiit conjuratorum manus, qui Imperatorem in *Thraciâ* necârunt anno Imperii ſexto.

Tacitum febris necat.

Poſt *Aurelianum*, quod mirere, ſex menſibus vacavit imperium, nam ſub *Gallieno* tyrannicidia omnes ab occupatione Imperii deterrebant, exercitus ſenatui, ſenatus exercitui repetitis vicibus nominationem detulit, tandem Senatus Tacitum virum probum Imperatorem triceſimum octavum nominavit: hic dum contra Perſas moveret, Tarſi febre extinguitur ſexto Imperii menſe.

Florianus necat ſeipſum.

Florianus *Taciti* frater Imperium poſteà occupavit, ſed legiones Orientales *Probum* nominârunt, quo audito Florianus venam aperuit.

Probus miræ fortitudinis Imperator.

Probus Syrmii in inferiori *Pannoniâ* natus Imperator quadrageſimus, ſi ſuo tempore *Livios* vel *Polybios* repperiſſet, *Hannibale*, imò *Cæſare* fuiſſet ſuperior prædicatus, Germani poſt *Aureliani* mortem *Galliam* occupavêre; hos Probus tribus diebus continuatâ pugnâ, niſi quantum noctis interruperunt tenebræ, confregit, necatis ſupra quadringenta millia. Sarmatas etiam *Sclavoniâ* ejecit horribili cæde: ſupra *Thraciam* dum vadit ad delendos in ſuis ſedibus Gothos, ſponte ſe permittunt Imperatoris arbitrio, proximum in Perſas iter, in viâ perdomantur Iſauri, ſitu locorum ſuperbi; Blemii etiam Æthiopes *Syriâ*, quam propè totam occupaverant, ejiciuntur, Perſa ad manus venire reformidans, quas præſcripſit Probus pacis conditiones, accepit, ſic plena Imperio quies parta eſt.

Erat in *Syriâ Saturninus* vir magnæ virtutis, hic Alexandriam veniens à populo Imperator ſalutatus eſt, cum populi impetum effugiſſet, à ſuis militibus Cæſaris nomen accipere, licet cum multis lacrymis coactus eſt, cum eo difficile Probo bellum, victor Probus doluit cæſum *Saturninum*, cui veniam dare ſtatuit, utpote peccare coacto.

Sub idem tempus *Banoſus* in *Britanniâ*, *Proclus* in *Germaniâ* rebellârunt; *Banoſus* victus gulam ſibi fregit: valebat hic quantum decem bibaciſſimi potare ſine ebrietate, nam ad lubitum ad ultimam guttam emejebat, *Proclus* à Germanis necatus eſt.

A ſuis cæditur.

Conceſſerat Probus peſſimo conſilio petentibus Barbaris devaſtatam *Thraciam* in ſedem: hi quietis impatientes in cæteras provincias exundârunt, ſed horribili Vandalorum cum cæde in veterem alveum Barbaro Probus concluſit: hinc auguſtiſſimum triumpbum duxit. In toto tum Imperio nemus quidem Probi metu rodebat, tandem animus ei fuit Perſarum delere Imperium, ſed in viâ milites invidentes omnia pacata, & Imperatoris virtutum impatientes, virum mirabilem cecidêre, anno Imperii ſexto, Chriſti ducenteſimo octogeſimo quinto.

Carum extinguit fulmen.

Carus Præfectus Prætorii Slavo electus eſt ab exercitu Imperator quadrageſimus primus; hîc ſtatim de *Probi* parricidis ſumpſit ſupplicium, contra Sarmatas *Italiæ* ipſi minitantes movit, & magnâ cæde fudit, hinc contra Perſas in variis præliis victor, dum Perſicam poteſtatem funditus eruere parat, gravis eum in Tigridis ripâ morbus invadit, & in tentorio decumbentem fulmen extinguit.

Numerianum necat Aper.

Reliquit filium majorem *Carinum* juvenem diſſolutum in *Galliâ* Cæſarem; juniorem Numerianum adoleſcentem doctum, & probum ſecum habuit in *Perſiâ*: hic ſtatim ſalutatur Imperator, ſed redeuntem in *Italiam* in clausâ ob oculorum dolorem lecticâ Arius Aper ſocer confodiendum curat, tertio die odor lecticæ ſcelus propalavit, antequam Apri prenſationes obtinuiſſent Imperium.

Diocleſianus Aprum.

Diocleſianus Dalmata Imperator quadrageſimus ſecundus ex infimâ plebe, ſed magnâ virtute vir *Cari* diſpenſator, ſuis manibus coram tribunali Aprum juxta *Druide* prædictum, obtruncavit, *Carinum* etiam fuſis in *Galliâ* copiis necavit.

Maximinianus Auguſtus, Galerius, & Conſtan-

Diocleſianus Imperii molem ſentiens Maximinianum Auguſtum creat, & duos Cæſares, alterum Galerium armentarium ſibi ſuceſſurum Maximiniano Conſtantium Chlorum,

tius Cæſares.

rum, nobilem Romanum, cujus mater *Claudia* nuperi Imperatoris *Claudii* fuit neptis. Conſtantio data eſt in uxorem *Theodoſia* Maximiniani privigna, & *Helena Conſtantini* mater repudiata eſt.

Diocleſianus ab Auguſto collegâ, ut pater à Galletio & Conſtantio Cæſaribus ut Dominus habebatur, omnes quatuor ingentia ſimul exercuerunt bella. Diocleſianus *Achilleum* qui in *Ægypto* rebellaverat magno labore tandem perdomuit, captâ vi Alexandriâ, Maximinianus majore cum difficultate regiones Africanas compeſcuit.

Conſtantius ita à Germanis angebatur, ut cum *Caranſio Britanniæ* tyranno pacem ſtatuere neceſſe habuerit: *Caranſius* poſt ſeptem annorum tyrannidem ab *Alecto* confoſſus eſt, & hic poſt trium ab *Aſclepiadoto*: ita poſt decem annos *Britannia* ad Conſtantium rediit.

Galerius multis prœliis à *Narſeo* Perſâ ſuperatus, tandem maximâ pugnâ vicit. *Narſeus* ipſe fugit, uxores, ſorores, gaza, captæ; ita Galerium priùs abominatus *Diocleſianus* amplexus eſt, hinc quatuor Cæſares junctis armis in Barbaros boreales moverumt, quos variis prœliis fregerunt, & omni bello finito triumphum egerunt.

Dira Chriſtianorum perſecutio.

Diocleſianus tum edito edicto ab omnis fortunæ hominibus more Perſico voluit adorari, calceoſque exoſculandos gemmis adornavit, quodque funcſtius, fœdiſſimam Chriſtianorum lanienam mandavit, quæ perſecutio undecima decem annos duravit, tandem ſponte renuncians Imperio *Salone* in patriâ hortis colendis in ſummâ pace vacavit; Quem in æternum torquere Deus ſtatuit, ei aliquandiu in terris quâdam beatitate frui ſæpe permittit. Eodem quo ipſe die; vel perſuaſit, vel coegit collegam *Maximinianum* renunciare mundo, Imperio relicto Cæſaribus *Conſtantio*, & *Galerio*. *Conſtantius* & *Galerius* diſcordiarum metu, quas *Diocleſiani* auctoritas ſuppreſſerat, imperium ſtatim diviſere, imò verò poſt diviſionem *Conſtantius* ſponte *Galerio* ceſſit *Africâ* & *Italiâ*, contentus *Hiſpaniâ*, *Galliâ*, *Germaniâ*, & *Britanniâ*. *Galerius*, quò meliùs amplam ſuam ſortem adminiſtraret, Cæſares dixit *Maximinum* ex ſorore nepotem, quem *Aſiæ* & *Ægypto* præfecit, & *Severum*, cui *Italiam* & *Africam* commiſit, ipſe *Slavoniam*, *Illyricum*, & *Græciam* gubernans.

Prætoriani Romæ pertæſi morum *Severi*, Maxentium Maximiniani filium creant Imperatorem: *Severus* cum exercitu accedens à ſuis proditur. *Conſtantius* anteà conceſſerat fatis relicto hærede Conſtantino ex *Helenâ* priori uxore: huic in uxorem data eſt *Fauſta* Maximiniani filia, Maximinianus amore dominandi audito filium *Maxentium* regnare, Romam advolat: acceptus honorificè eſt, donec apparuêre in filium inſidiæ, tum ita malè à Prætorianis eſt habitus, ut in *Galliam* ad generum fugerit: hîc amiciſſimè acceptus dum fraudis in Conſtantinum compertus dilaberetur, Marſiliæ captus generi imperio juſſus eſt mori.

Conſtantinus Cæſar Maximinianum jure necat.

Miſera Galerii mors.

Galerius, relicto in *Sclavoniâ* Cæſare *Licinio*, ipſe in *Maxentium* Romam contendit, ſed in itinere ſubolfactâ ſuorum fraude properè remeavit, ſubortâ in latere peſte maximi doloris, ut pro ſe precarentur Chriſtiani efflagitavit, revocatis omnibus in eorum religionem edictis: verùm ſera fuit & ficta pœnitentia, itaque in horribilibus phthirſaſeos cruciatibus expiravit, anno Imperii ſexto.

Diocleſianus veneno ſeipſum extinguit.

Licinius ſe ſtatim dixit *Auguſtum*, *Maxentii* tyrannide creſcente à Senatu clam exoratur. *Conſtantinus* ut in *Italiam* veniret: paruit ille, Mediolani *Licinium* convenit, cui dedit in uxorem ſororem *Conſtantiam*: cùm ad nuptias vocatus ex ſolitudine venire recuſâſſet Diocleſianus, minaces uterque Cæſar literas ſcripſit ad decrepitum ſenem quaſi *Maxentio* faventem, metu ergo venenum ſibi Diocleſianus propinavit, & ut quidam referunt, inſaniens expiravit.

Conſtantinus ope Chriſti Maxentium debellat.

Conſtantinus contra Maxentium ſemel victor, dum iterum totis viribus concurreretur, metuens magis à præſtigiis quàm armis Maxentii ſuppliciter Chriſti opem oravit: in precibus ingentem in cælo crucem conſpexit acceptâ voce: *in hoc ſigno vinces*, quod & factum; nam primo concurſu recedens Maxentius, per pontem quem Tiberi impoſuerat, cum equo delapſus mergitur. Conſtantinus unà cum *Licinio* edicta ampliſſima in Chriſti honorem edidit, quibus *Maximinus* Cæſar parêre cogitur. Poſteà tamen actâ pœnitentiâ Chriſtianorum perſecutionem *Maximinus* continuat, & contra Auguſtos parat arma, verùm primo prælio fuſus eſt; reparantem vires invadit plaga doloris adeò ſævi, ut humi ſe volutaret comeſis digitis, tandem furioſus efflavit animam, hujus morte plena Chriſtianis pax ſtatuta eſt.

Licinius à Conſtantino perdomatur.

Verumenimverò Licinius Conſtantini gloriæ impatiens Chriſtianos vexare cœpit, & omnia in Conſtantini perniciem poſt duodecim annorum amicitiam moliri. In *Pannoniâ* concurritur, Licinius profligatur, poſteà in *Bithiniâ* ſæviſſimum prælium fuit, ubi plenè victus Licinius cum ſuo Cæſare *Martiano* uxoris precibus *Nicomediæ* vivere liberè permiſſus eſt, mox tamen aliquid moliens necari juſſus anno Chriſti trecenteſimo vigeſimo ſeptimo.

Cur uxorem & filium Conſtantinus occiderit.

Notatur Conſtantinus à quibuſdam crudelitatis, inprimis quod *Fauſtam* uxorem, & *Chriſpum* filium necandos curaverit, conjectant aliqui *Fauſtam*, vel quod ad illicitum amorem *Chriſpum* pertrahere non poſſet, vel quod quempiam ſuis liberis in imperio anteferri doleret, *Criſpo* ſtruxiſſe calumnias, quæ cùm poſt *Criſpi* necem patuiſſent, ſtructrici perni-

pernicìem attulêre. *Oroſius*, necatos perhibet occultis de cauſis.

Sarmatas & Gothos Conſtantinus compeſcuit, dum contra Perſas arma pararet, morbus extinxit ætatis ſexageſimo ſexto, Chriſti trecenteſimo quadrageſimo ſecundo.

Veterem Romam ſpoliarit pleriſque monumentis, ut novam ditaret, poſt multam deliberationem Byzantium aulæ ſedes delecta eſt. De concilio Nicæno, & totâ Conſtantini vitâ, ac ſequentibus Imperatoribus Chriſtianis, aliàs ſortaſſe fusè.

CAPUT II.

Ad Primam Novi Teſtamenti Epocham quæſtiones & dubia.

QUÆSTIO PRIMA.
De anno natali Salvatoris.

Quæſtionis momentum.

MAgnum in hac quæſtione momentum à Chronologis omnibus nuperis, nec minor à pleriſque difficultas poni ſolet. Nativitas Salvatoris Epocharum & Characterum omnium Chronicorum eſt facile princeps: Mundi principium, temporaque omnia Creationem inſequuta huc ut ad fauſtum felixque ſuum centrum ſpectant, & omnia poſteriora hinc ut à ſonte in finem ſeculi, ac poſteræ æternitatis magnum mare barathrumque decurrunt. Quotviſcunque temporum ſectiones à Chronologis uſurpentur, Chriſtianis tamen nunquam ſatisfit, niſi omnia ad Chriſti natalem expreſsè referantur; priora ſecula ſic numerando, ut quotannis Chriſti Natalem anteceſſerint cognoſcatur; & poſteriora, ut quotannis ſequuta ſint, pateſiat: uſque adeo ut omnes temporum termini vacillent, trepident, & fluctuent; Niſi hoc centrum figatur immotum, & hæc Cynoſura ponatur in meridianâ luce.

Patres Ante Carolum Magnum annos Chriſti neglexerunt.

Tantum in hac quæſtione momentum dixi poſitum à nuperis Chronologis, nam antiquiores ſeu Theologi ſeu Chronologi (quod mirere) euſque celeberrimam hanc Epocham neglexerunt, ut eorum perpauci vel obiter ejus fecerint mentionem; certè omninò nullus ante ſeptimum à Chriſto ſeculum, Natalem Domini ad negotium ullum ſeu civile ſeu eccleſiaſticum deſignandum applicavit. Juſtinianus plus quàm quingentis à Chriſto annis in ſuis Authenticis Novellâ 47. veteribus temporum deſignationibus ab Urbe conditâ, à nominibus Conſulum, ab indictione tributorum, quartum addi præcepit Characterem, anteà, ut videtur, inuſitatum, annos ſcilicet *Auguſti* pro tempore imperantis, ſed nullum habet de Chriſti nativitate verbum. *Acurſius* quidem in ſuâ gloſsâ legem illam mandare vult præfixionem Natalis Chriſti, ut quintum temporum Characterem, ſed hæc gloſſa vana eſt, ut & alia ibidem, quâ ſtatuit *Acurſius* ſingulari in temporibus ignorantiâ, non tantùm indictiones (quas primùm inſtituit *Conſtantinus*) Chriſti tempore nſitatas, ſed & *Juſtinianum* Novellarum auctorem Chriſti diebus vixiſſe. Iſta ſeu *Godofredus*, ſeu *Cujacius* in marginali emendatione falſi meritò condemnat.

Certè Patres, & ipſa Eccleſiæ Concilia ſeu majora ſeu minora, in ſuis temporum deſignationibus nullibi annorum Chriſti meminerunt, ſed ſolùm civiles ab urbe conditâ, à Conſulibus, ab indictionibus, ab Imperatore Characteres uſurpaverunt. Primus mortalium *Dionyſius exiguus* natione Scytha, Monachus vel Abbas Romanus, indignatus ſuo & prioribus ſeculis in cyclis Paſchalibus, qui tempora Paſchatis & feſtorum indigitabant, à *Diocletiani* perſecutione annos in primis deſignari: expuncto hoc Charactere viri Ethnici & Eccleſiæ ſæviſſimi perſecutoris, Chriſti Natalem ſuppoſuit in calculo ſuo privato diebus *Juſtiniani* anno Dom. 532. Hoc *Dionyſii* inventum venerabilis *Beda*, ſeptingenteſimo poſt Chriſtum ſequutus eſt, aliique etiam multi, ſed privatim, non enim in actis ullis publicis ſeu Eccleſiaſticis ſeu civilibus Æra Chriſti adhiberi cæpit ante Caroli Magni tempora, poſt natum Dominum octingenteſimo. Maxima quæ hodie & ab aliquot ſeculis viget in Romanâ Eccleſiâ, in cultu menſis & diei Natalis ſuperſtitio, antiqua eſſe non poteſt, cùm ipſius anni natalis obſervatio, tam ſerò in Eccleſiam introducta ſit.

Spanhemius malè SE jungit cum Jeſuitis in quæſtionis difficultate.

De momento quæſtionis non plura. De difficultate multi multùm queruntur, neque quiſquam magis quàm doctiſſimus noſter Spanhemius in dubiorum ſuorum Euangelicorum ſecundæ partis principio. Fateor levia non eſſe quæ pro hujus quæſtionis difficultate à multis afferuntur, puto tamen *Petavium* & alios Jeſuitas ultra meritum difficultatem hìc exaggerare, ut Eccleſiæ ſuæ manifeſtos & putidos errores extenuent & excuſent, quaſi in materiâ uſque adeò difficili, ut in eâ veritas liquida non poſſit inveniri. Iſtorum verſutiæ, quanquam incogitans, nimis quam velificare videtur Spanhemius: certè licet in hac quæſtione quidam ſint nodi ſolutu ſatis difficiles, tamen multa tam ſunt liquida & certa, ut plerorumque errores, inprimis Romanæ Eccleſiæ facillimè & ſolidiſſimè poſſint demonſtrari atque explodi.

Status quæſtionis in ſe ſimplex.

Quæſtio hic omnis poteſt eſſe una & ſimplex, de vero termino anni natalis, num ſcilicet æræ vulgaris principium ſit rectum, & à nato Chriſto ſint mille ſexcenti quinquaginta ſex, non plures nec pauciores. Pluribus tamen & magis intricatis terminis exprimi ſolet; qui habent connexionem cum aliis omnibus celebrioribus temporum characteribus, ſcilicet quo anno mundi, quo Nabonaſſari, quo Urbis conditæ, quo Auguſtali, & inprimis

quo periodi Julianæ Chriſtus ſit natus? De harum ærarum inter ſe connexione multo involutior eſt diſputatio, quàm de earum ſingulis in ſe.

Periodus Juliana. Ad maximam hanc Chronologiæ de ærarum nexu difficultatem expediendam, maximus temporum emendator *Joſephus Scaliger*, cum magnâ ſuâ etiam ab adverſariis, etiam ab ipſo *Petavio* laude, invenit periodum Julianam. Periodus hæc annos habet ſepties mille nongentos octoginta ſcilicet multiplicationem trium in morum Cyclorum, Solis, Lunæ, & indictionum.

Cyclus Solis. Cyclus Solis habet annos 28. in quibus per intercalationem ſingulis annis quatuor, ſexti Calendas Martias ſeu repetitione vel geminatione vigeſimi tertii diei Februarii, annus Biſſextilis notatur per unam ex ſeptem literis Dominicalibus G. F. E. D. C. B. A. hoc verſu technico indicatus.

Gaudet Francus Equo, Dacus Cane, Barbarus arcu.

Multiplicatis ſeptem per quatuor ſunt viginti octo, quo Cyclo peracto motus Solaris ſit æqualis & Sol ad eandem redit faciem quam Cycli principio habebat. Sol enim annuum ſuum curſum peragit diebus trecentis ſexaginta quinque & horis quatuor, qui anno quoque quarto ad diem excurrunt, & inſeritur in menſium breviſſimo Februario, ſcilicet inter diem vigeſimum tertium & vigeſimum quartum.

Cyclus Lunæ. Cyclus lunæ eſt *ἐννεακαιδεκαετηρὶς* annorum novemdecim à *Metone* inventus, quo exacto eadem noviluniorum ratio, idemque lunæ ad Solem aſpectus redit ſignatus in Calendario per numerum aureum.

Cyclus indictionum. Cyclus indictionis erat *πεντεκαιδεκαετηρὶς* annorum ſcilicet quindecim, quibus eadem ratio tributorum à Provinciis redibat, primo enim indictionis quinquennio æs & ferrum ad arma: ſecundo argentum ad militum ſtipendia: tertioque aurum ad ærarium in certâ proportione Imperatori Romano Provinciæ pendebant. Cycli Solis & lunæ in ſe ducti periodum producunt Dionyſianam à *Dionyſio Exiguo* inventam, annorum quingentorum triginta duorum, hi verò multiplicati per quindecim (cyclum indictionum) efficiunt periodum Julianam *Scaligeri* annorum ſepties mille nongentorum octoginta, ſic dictam ob formam anni à *Julio Cæſare* inſigniter reformati in eâ uſurpatam. Periodi hujus principium figitur in anno ſeptingenteſimo ſexageſimo quarto ante mundum conditum, in quo concurrunt primus Cycli ſolaris cum primo cycli lunaris, & primo cycli indictionum: qui tres Characteres non iterum concurrunt ante finem Cycli hujus magni annorum ſepties mille nongentorum octoginta. In hujus periodi tabulâ deſcribuntur omnes Chronologici Characteres, ita ut uno dato cæteri omnes ſtatim oculis ſubjiciantur: cognito enim quoto anno Domini, res quævis accidit, hujus periodi ope facilè invenitur qnoto anno mundi, quoto conditæ urbis, qnoto Olympiadico, quoto Nabonaſſari, quoto Juliano, & ſic de cæteris, ea res contigerit. In confeſſo eſt multò maximum hujuſce Scaligerani inſtrumenti in Chronologiâ uſum eſſe: nec id ſatis pro ſuo merito laudari poſſe, ut plenius ſuo loco fortaſſe monſtrabimus.

In nexu Natalis cum ærâ mundi magnus error Pontificiorum. In præſentiarum inquiramus primo de nexu Natalis cum anno Mundi. Sententia hîc maximè devia eſt Eccleſiæ Romanæ, quæ negat errare ſe poſſe. In Martyrologio Romano *Gregorii* XIII. juſſu edito, cum prolixis Cardinalis *Baronii* commentariis ad diem vigeſimum quintum Decembris, in Miſsâ matutinâ alto boatu in omnibus Eccleſiis prælegi mandatur, natum eſſe Chriſtum anno poſt Mundum conditum quinquies milleſimo nongenteſimo quinquageſimo ſeptimo, poſt natum *Abrahamum* bis milleſimo decimo quinto. Fatentur ipſi Jeſuitæ craſſiſſimos hîc errores & *παραχρονισμοῖς* non paucorum annorum ſed aliquot centenorum ſuper mille. *Sixtus* Senenſis Bibliothecæ ſanctæ lib. 5. Annot. 68. & 88. pleno ore docet, & in expanſâ tabulâ demonſtrat etiam *Petavius* lib. 9. & *Henricus Philippi* quæſtionibus in Exod. 12. *Tornellus* qnoque, *Salianus* & alii non ita perfricuerunt frontem, quin hos multò craſſiſſimos errores profiteantur. Nihilominus ad hunc diem non vult Pontifex Romanus eos emendare, ne in aliquo videatur errare poſſe. Mira perverſitas & palpabilis dementia confeſſos errores ſpecie inerrabilitatis populo Chriſtiano in ipſo cultu divino obtrudere & quotannis publicè prælegere.

Baronii rationes vanæ. Quæ pro deſperatâ hac perverſitate tuendâ afferuntur, videre eſt apud Baronium in ſuis ad Martyrologium notis, die viceſimo quinto Decembris. Ait primò, incertum quo anno Mundi Chriſtus ſit natus, & hac de re tot eſſe ſententias quot capita. Replica, Diſſenſus 1.
eſt inter doctos de paucis tantùm annis, ſed inter omnes doctos, etiam ipſos Jeſuitas perfectus eſt conſenſus, nemine quem novi contradicente, additionem præ manibus Martyrologii annorum mille ducentorum errorem eſſe ſplendidiſſimum.

Secundo ait Cardinalis Romanam Eccle- 2.
ſiam ſequi hîc LXX. Interpretes eorumque manuſcriptum Vaticanum, quod eſt divinitus inſpiratum & divinæ auctoritatis. Replica. Scriptum nllum humanum ad divinam auctoritatem ſublevare propinquum eſt blaſphemiæ, & in Pontificiis hoc loco dementiam ſapit; nam illi ſecundum placitum Conciliabuli Tridentini ſola latina Biblia authentica & divina credunt, hæc autem ſecundum Hebræos fontes rectè LXX. Interpretum falſæ additioni annorum ſupra mille quingentos contradicunt apertè. Quicunque ergo ex Pontificiis utrum-

utrumque hunc calculum verum & divinum profitetur, manifeſtas & irreconciliabiles repugnantias contra ſanorum & benè feriatorum morem præ ſe ferunt tueri.

3. Tertiò. Omnes, inquit Cardinalis, Patres Martyrologii calculum ſequuntur. Replica. Omnibus Patribus rectè præferuntur authentica biblia; ſi nolunt Hebraica, Latina ſaltem velint nolint admittent, niſi ament Tridentino anathemate feriri. Præterea quid nobis ſolitâ vanitate omnes Patres objectant, cum ipſum Martyrologium *Adonis*, imò & antiquiſſimum Romanum, quod nuper Jeſuita *Roſweidus* edidit, calculum hunc expunxerint? Certè in neutro ullum hujus calculi veſtigium apparet. Fateor numerum eum eſſe *Euſebii* & paucorum illius ſequacium; ſed ſi vel ipſorum Pontificiorum *Sixti Senenſis* & *Henrici Philippi* latercula de annorum Mundi ſupra dictis locis inſpicias, videbis ab eo Euſebii numero plerosque Patres aliquot annorum centuriis differre. Variæ quidem etiam olim fuerunt LXX Interpretum editiones, ſed omnes, ipſaque etiam Vaticana quam *Sixtus Quintus* operâ *Nobilis Flaminii* edidit (& huic prope gemella, olim Alexandrina, nunc Londinenſis) quam *Baronius* vocat divinam, & quam *Morinus*, ac peſſimè omnium conſultus *Ludovicus Capellus* Hebraico fonti præferendam exiſtimat in locis præ manibus apertè falſatæ ſunt, prout *Hieronymus* in quæſtionibus Hebraicis ad Geneſin, & Auguſt. de Civ. Dei 15. cap. 11. & 13. profitentur, & probant hoc irrefragabili argumento Gen. 5. dicitur *Methuſala* genuiſſe *Lamech* anno ſuo centeſimo ſexageſimo ſeptimo, & *Lamech* genuiſſe *Noah* anno ſuo centeſimo octogeſimo octavo, itaque natus eſt *Noah* anno *Methuſala* trecenteſimo quinquageſimo quinto, à nato *Noah* ad Diluvium ſunt anni ſexcenti, ergo tempore Diluvii habebat *Methuſalah* annos nongentos quinquaginta quinque, reliqui igitur tunc erant ex vita *Methuſala*, quæ fuit annorum nongentorum, ſexaginta novem, anni non pauciores quatuordecim; ergo vivebat *Methuſalah* tempore Duluvii: non autem in arcâ, nam ibi non erant niſi octo animæ; *Noah* ſcilicet cum uxore & tribus filiis ac tribus nuribus. Nullus autem extra arcam locus erat in terrâ, ubi bipedum quiſquam tempore Diluvii degeret: nodus hic ſecundum *Hieronymum* & *Auguſtinum* eſt omnino inſolubilis, niſi concedamus LXX Interpretum verſionem à deſcriptoribus falſatam. Ex hujus loci neceſſariâ falſatione dicti Patres multos alios falſatos colligunt: certè patet ad oculum in optimis Bibliorum Græcorum exemplaribus, quæ vel hodie vel olim edita ſunt magnam eſſe in genealogiis Patriarcharum tam ante fluvium quàm poſt ad dies *Abrahami* confuſionem. Fatetur *Petavius* ubi ſuprà in prioribus ad Hebræum calculum annorum mille ſexcentorum quinquaginta ſex, additos eſſe non pauciores quingentis octoginta ſex, & in poſterioribus annorum ducentorum nonaginta duorum additos totos nongentos.

LXX Interpretum Latiſſimus error.

Petavii rana reſponſio falſa.

Quartam habet Petavius Præter Baronianas reſponſionem, errorem ſcilicet hunc eſſe levieulum, utpote in annorum numeris qui nihil pertinent ad fidem. Replica. Non decet viros bonos, ſcientes, prudentes, vel leviſſimos errores propagare. Deinde Romani Pontifices qui in rebus fidei non poſſunt errare, non debent errores etiam extra fidem contra ſuam conſcientiam populo proponere. Denique quicquid de fide fiat, error hic non poteſt dici levis qui Chronologiam omnem ſacram funditus evertit & multorum S. Scripturæ locorum manifeſtam corruptionem tuetur, non tantùm contra authenticos Hebræorum fontes, ſed etiam contra omnes antiquas verſiones, Chaldaicam, Arabicam, Syriacam, & Latinam, quæ hîc ab Hebræis non diſcedunt, ut inſpicienti nupera polyglotta Londinenſia patebit. Pentateuchus quidem Samaritanus aliquantùm hic ab Hebraico numerorum computo differt, differentia autem eſt non in additione ſed ſubtractione, idque annorum tantùm paucorum, omnes etiam quas habemus, vulgatæ verſiones, Anglicana, Gallica, Italica, Belgica, & Hiſpanica, cum Hebræis hic ad amuſſim concordant: ſola Græca Anachroniſmum inducunt, non tantùm, ut fatetur Petavius, annorum mille quadringentorum octoginta ſex, ſed etiam ſi inſitiiti *Cainanis* quadringenti ſexaginta retineantur (quod tam Petavius quàm *Bellarminus* agnoſcunt) bis mille quadraginta: ita in eo ſolo intervallo, quod natalem Abrahami antecedit annorum mille nongentorum quadraginta ſex, falſarii hi de ſuo addiderunt, non tantùm numerum æqualem annorum totidem, ſed & inſuper annos nonaginta quatuor. Hæc eſt ſcilicet Petavii ingenuitas, ut cum horridiſſimum hunc, qui ab ullo unquam Chriſtiani nominis ſcriptore in Chronologiâ prodiit, errorem extenuet & mitiget; in noſtrum tamen *Scaligerum* qui primus hic veritatem exactè demonſtravit; tota plauſtra bills evomat, quòd natalem Chriſti annum certò figat: nihilominus ipſe à *Scaligeri* calculo vix biennio, & alii ex doctiſſimis ejus ſodalibus omnino non differunt, ut mox videbimus.

Mala Romanorum Pontificum conſcientia.

Hoc etiam velim perpendi, levem eſſe non poſſe nec extra fidem eum errorem, qui bonâ conſeqnentiâ Religionem totam Chriſtianam ab imis fundamentis evertit: is autem præ manibus hoc præſtare videtur, nam ſi Græcorum anachroniſmus, ut ſupputat *Petavius* annorum bis mille quadraginta, pro vero habeatur, Jeſus Chriſtus nondum eſt natus, nec ante quadringentos annos naſciturus eſt. Quod ſi ipſius Martyrologii calculum acc-

cipias,

cipias, anachroniſmus erit annorum mille ducentorum, ita ut verum fuerit uſque ad annum Chriſti milleſimum ducenteſimum Chriſtum nihil eſſe paſſum, imò nec natum eſſe, ideoque falſum eſt totum Novum Teſtamentum. Hæc ſunt dogmata quæ Pontifices Romani palam ex cathedra docent, quibus doctiſſimi Cardinales patrocinantur, quæ Jeſuitæ excuſant, ut parvi momenti παρέργως.

Præciſi Natalis numeri indeterminabiles.

Maximo hoc Romanæ Eccleſiæ & LXX. Interpretum de anno mundi natalis ſphalmate defuncti, proximè inquiramus de vero illo anno fauſto & felici, quo de cælo in terras deſcendit electorum Dei ſpes & ſalus, Dei filius Jeſus Chriſtus. Hactenus cum *Petavio* ejuſque hìc ſequaci *Spanhemio* aliiſque conſentimus, non eſſe contendendum de definito, determinato, & præciſo tempore, quandoquidem enim Dei ſpiritus in verbo ſcripto rei ipſi intentus à circumſtantiis ita abſtrahit, ut ſuperſtitiosè de ipſiſſimo anno, menſe, die, & horâ iſtius feliciſſimi partûs inquirentibus non faveat nec velit ſatisfacere; neceſſe eſt ſcrupuloſæ nimis & anxiæ hominum curioſitati fibulam inſolubilem imponere: cùm tamen ad laxiores in temporis circumſtantiâ errores cavendos, expreſſi ſatis characteres tam in Dei verbo quàm ſcriptoribus humanis appareant, utiliorem multò & laude digniorem putamus eorum operam, qui labores ſuos conferunt ad indagnandam, quàm proximè inveniri poteſt, veritatem, quàm iſtorum qui toto ingenii niſu allaborant, ut nihil omnino hic certi reperiatur.

Sententiæ diſſidentium reconciliabiles.

Conantium fervori frigidam imò gelidam ſuffundit, maximus in hoc puncto doctorum diſſenſus. Teſtatur *Calviſius* Iſagoges 27. notâſſe *Fridericum Huſmannum* non pauciores quadraginta diverſas ſententias, & poſt *Huſmanni* dies multæ novæ repertæ ſunt. Attamen hæc diſcordiarum vepreta virorum induſtriorum animos ab itinere continuando non divertent; certè quantumcunque latus eſt Chronologorum hìc in quibuſdam temporum characteribus diſſenſus, tamen inter doctiſſimos in aliquibus characteribus tantus eſt conſenſus, vel tanta conſenſui propinquitas, ut ſi periti ſatis, ſatiſque prudentes & benevoli darentur arbitri, reconciliatio deſperanda non videatur. De longiùs delirantibus non loquor, qui Natalem totis viginti & ſupra annis figunt, hi citiùs illi tardiùs ærâ, vulgari: Sed poſtquam *Joſephus Scaliger* divinum ſuum ingenium ad tempora emendanda appulit, pauci ſunt verè doctorum vel ex Proteſtantibus vel Pontificiis, qui in variis characteribus vel omnino non conſentiant, vel ultra annum aut biennium ſaltem quinquennium differant. In quibuſdam quidem characteribus, inprimis in annis mundi & Olympiadicis latior eſt diſcrepantia, ſed hæc ob aliorum computorum diſſonantiam contingit, quæ illam præ manibus non ſpectat. Certè ſi quod incepit & multum promovit *Scaliger* periodi Julianæ inſtrumentum perficeretur (inprimis ex calculo motuum cœleſtium, qui in ſe certus ac irrefragabilis, iſtarumque rerum peritis inventu non difficillimus apparet) adeoque annorum ab initio Mundi ad ſera poſt hæc ſecula computus unanimitus abſolveretur, quæcunque hîc vel alibi plerumque inter Chronologos ſunt lites, in concordiam non difficulter coaleſcerent.

Partium ſententia.

Quod dixi de partium nequaquam infinitâ diſcordiâ, ſingulorum ſententias inſpicienti patebit. Ex multis hæ ſunt primariæ.

Scaligeri.

Scaliger, *Calviſius* & *Helvicus* natalem ponunt in anno mundi ter milleſimo nongenteſimo quadrageſimo ſeptimo, Periodi Julianæ quater milleſimo ſeptingenteſimo undecimo; Coſſ. *L. Cornelio Lentulo* & *M. Valerio Meſſalino*, Urbis conditæ ſeptingenteſimo quinquageſimo; Nabonaſſari ſeptingenteſimo quadrageſimo quinto; Juliano, ſeu anno emendati à *Julio* Calendarii quadrageſimo tertio, Auguſtali ſeu à cæde *Julii* quadrageſimo primo, à pugna Actiacâ vigeſimo nono; *Herodis* Regni triceſimo tertio & triceſimo ſexto, vitæ ſeptuageſimo.

Lansbergii.

Lanſbergius in annis Urbis etiam Julianis, imò & Nabonaſſari conſentit, ſed Auguſtalem à *Julii* cæde facit quadrageſimum ſecundum, unum addendo, ſicut Actiacum viceſimum octavum, unum demendo, & annum mundi ter milleſimum nongenteſimum quinquageſimum, tres addendo.

Baronii.

Baronius in Conſulibus & annis Urbis præbet manus, Julianus cum *Lanſbergio* addit unum.

Saliani.

Salianus etiam unum tantùm addit, Natalem ponens in anno Urbis ſeptingenteſimo quinquageſimo primo, Juliano quadrageſimo quarto, Coſſ. *Auguſto* decimum tertium & *M. Plautio Sylvano*, Auguſtali quadrageſimo ſecundo. In aliis quidem Characteribus longius abit, ponendo annum Mundi quater milleſimum quinquageſimum ſecundum, Olympiadis centeſimæ nonageſimæ tertiæ tertium; *Herodis* vitæ ſeptuageſimum primum, Regni verò triceſimum ſextum, & triceſimum nonum.

Tornielli.

Torniellus in annis *Nabonaſſari* conſentit, in annis Urbis & *Herodis* uno tantum differt, faciendo illos ſeptingentos quinquaginta unum; & hos triginta quatuor, triginta ſeptem, & ſexaginta novem: in annis Mundi *Saliano* ſubtrahit unum, numerando quater mille quinquaginta unum.

Philippi.

Henricus Philippi in tabulis ſuis expanſis annum Urbis ſeptingenteſimum quinquageſimum quartum, Julianum quadrageſimum ſextum facit, & Coſſ. *C. Julium Cæſarem* juniorem, ac *L. Æmilium Paulum* annos quatuor ſeriùs ſociis, Olympiade etiam centeſimâ

mâ nonageſimâ quintâ, quatuor annis poſt *Salianum*, *Baronium*, & *Petavium*, qui centeſimam nonageſimam quartam nominant, poſt noſtros verò qui centeſimæ nonageſimæ ſecundæ ſecundum annis decem: in annis autem Mundi, nominando quater milleſimum quadrageſimum primum, decem vel undecim *Salianum* & *Tornellum* antecedit.

Petavii. Petavius cum *Deckero* & *Kepplero* æram vulgatam ſeu *Dionyſii* ſeu *Bedæ* veram antecedere profitetur annis quinque, *Scaliger* tantùm tribus: attamen in variis Characteribus unum ſolùm ant alterum Petavius abeſt à *Scaligero*; nominat enim Petavius Urbis ſeptingenteſimum quadrageſimum nonum, Julianum quadrageſimum primum; Nabonaſſari ſeptingenteſimum quadrageſimum quartum; Coſs. *Auguſto* duodecimum, & *L. Cornelio Syllâ*, inter quos & Conſules noſtrorum *Lentulum* & *Meſſalinum*, unus tantùm annus interjectus eſt. In Olympiade, ſcilicet centeſimæ nonageſimæ tertiæ quarto, quinque annis major eſt, ſed in periodo Julianâ duobus minor, habet enim quater milleſimum ſeptingenteſimum nonum, ſed annum Mundi peculiari anomaliâ facit ter milleſimum nongenteſimum ſeptuageſimum nonum.

Ubbonis Emmius. Ubbo Emmius cum *Iſaacſono* annum Mundi & Periodi Julianæ tribus annis *Scaligero* ſeriùs ſtatuunt, hic quater milleſimum ſeptingenteſimum decimum quartum, & ille ter milleſimum nongenteſimum quinquageſimum nominat. In anno Periodi conſentit *Vſherius*, ſed in anno Mundi nimiſquam excedit nominando quater milleſimum quartum. *Vbbo* habet Olympiadis centeſimæ nonageſimæ quartæ quartum, & Urbis ſeptingenteſimum quinquageſimum tertium: *Iſaacſonus* eundem Urbis, ſed Olympiadum centeſimæ nunageſimæ quintæ primum.

Principes hi ſunt Chronologorum qui ſtudioſorum manibus hodie teruntur, quorum diſcordia ea hic non eſt, ut tam magnum quam quidam excitant clamorem mereatur, nec deſperamus poſſe aliquando, Deo dante, doctos & prudentes arbitros convenire.

Sacra ſcriptura per ſe ſola in omnibus hiſce temporum intervallis propè ſufficientem lucem præbet, paucæ enim ſunt Epochæ, quas non perſpicuè determinat, & ubi Divinâ providentiâ Scriptura deficit, aut obſcura eſt, in materiâ hac ad fidem & mores non neceſſariâ, Canon Aſtronomicus, quandocunque perficietur, abundè ſupplebit. Hujuſce nobilis inſtrumenti *Ptolemæus* vel auctor, vel maximus olim promotor fuit, ejus ope multa in antiquis hiſtoriis anteà vaga in ſuis temporum ſedibus firmiter fixit: *Ptolemæi* exemplo *Scaliger*, *Calviſius*, *Petavius*, & inprimis *Lanſbergius* in ſacrâ ſuâ Chronologiâ multos alios temporum characteres fixerunt, dolendum quòd tanti hi artifices in ſuis computis uſquequaque non conveniant: ſed in hoc eſt ſolamen, quòd cum res ipſæ certæ ſint & pervеſtigabiles, licet hactenus ad oculum non demonſtratæ, futurorum artificum majori diligentiâ inveniendum ſperemus quod adhuc inventum non eſt. Videmus quotidie Aſtronomos multos ita exactè aſtrorum motus in Ephemeridibus ſuis ſignare, ut ſolſtitia, æquinoctia, eclipſes, planetarum tam ad ſe invicem quàm ad ſtellas fixas aſpectus congruant ad amuſſim, uſque ad ſcrupulos & minuta etiam ſecunda & tertia: eâdem arte, quâ futura prognoſticantur, præterita ad mundi uſque initium, & ſi libeat, ſuppone ad multorum ante mundum ſeculorum tempora poſſunt certiſſimè diſponi; cæleſtium enim motus etiam in maximis anomaliis ſunt in ſe fixi & peritis determinatiſſimi à principio mundi ad finem, & ex hypotheſi ab æterno in æternum, ſi modò Deo videatur præſentem orbium curſum continuare. Itaque ſi felix aliquis Mathematicus ad antecedentium induſtriam tantùm pauca adderet, perfecta Ephemeris poſſibilis certè ſi non facilis eſſet, quâ ab initio mundi ad finem, ſaltem à principio ad multa poſt nos ſecula omnes eclipſes Solis & Lunæ, omnia æquinoctia & ſolſtitia, omnes planetarum & ſtellarum fixarum motus, tam proprii quàm ad ſe invicem diebus ſingulis aſpectus, ſecundum infallibiles regulas (ſi modò probè cognitæ) in tabulis deſcriberentur, quarum adminiculo pleræque Chronologorum quæſtiones facillimè & certiſſimè determinarentur.

Chronologia magis poteſt perfici.

Utcunque annus Mundi cum Salvatoris Natali ad hunc modum, etſi non præcisè ad hunc calculum, à *Lansbergio*, *Calviſio*, & aliis componi ſolet. Sunt à principio mundi ad Diluvium anni mille ſexcenti quinquaginta ſex, inde ad migrationem *Abrahami Charranem* trecenti ſexaginta octo, hinc ad *Iſraëlis* exodum ex *Ægypto* quadringenti viginti quinque, exinde ad ſtructuram templi quadringenti ſeptuaginta novem: *Solomonis* templum ſtetit annis quadringentis viginti octo: ab ejus ruinâ ad reparationem *Darii Hyſtaſpis* ſecundo, numerat *Lanſbergius* ſeptuaginta & ſeptemdecim; hoc eſt, octoginta ſeptem; ſed *Calviſius*, & *Emmius* cum *Petavio*, *Saliano*, *Tornello*, *Capello*, *Vſherio*, & aliis, quibus nos adjungimur, tantùm ſexaginta; à reparatione templi ad initium hebdomadarum *Danielis Artaxerxis Longimani* ſeptimo, ſunt anni ſexaginta tres, hinc ad Chriſti baptiſmum *Tiberii* decimo quinto hebdomades annorum ſexaginta novem, ſeu anni quadringenti ſexaginta ſex & dimidium.

Computus à creatione ad Christum probatur per partes.

Summæ hæ ſibi invicem additæ ſecundum *Lanſbergium* efficiunt annos ter mille nongentos quinquaginta octo & dimidium: Sed pro meâ in numerando tenuitate, ter mille nongentos ſeptuaginta duos & dimidium. Quomodo in tam parvo planoque numero

Ee vir

vir aliàs multò accuratiſſimus iu ſuo ipſius calculo annos totos quatuordecim omittat, non capio. Ex hac verò ſummâ annorum ter mille nongentorum ſeptuaginta duorum & dimidii, ſi auferas ſupra dictam *Lanſbergu* additionem annorum viginti ſeptem, reliqui erunt ter mille nongenti quadraginta quinque & dimidium; imò facilè inveniri poteſt vulgaris auctorum ſuprà dictorum numerus ab hoc vix biennio diſtans: ſed tota difficultas eſt hujus ſummæ partes certis argumentis probare. *Lanſbergius* oculatiſſimas omnium partium demonſtrationes pollicetur; *Petavius Scaligeri* in hoc argumento confidentiam nimis acerbè reprehendit. Nolumus nos omnes libri prioris quæſtinnes hîc repetere, ſed paucis tantùm memorabimus, quæ afferuntur ad partes ſummæ præ manibus demonſtrandas, controverſiis ad ſuas priores ſedes remiſſis.

1. Articulus primus annnrum mille ſexcentorum quinquaginta ſex, à principio ad Diluvium ſatis eſt certus, ita enim ex *Moſis* calculo deducitur. *Adamus* anno ſuo centeſimo triceſimo genuit *Seth*, Gen. 5. 3. *Seth* genuit *Enos* ſuo centeſimo quinto, Gen. 5. 6. *Enos Caınanem* ſuo nonageſimo, Gen. 5. 9. *Caınan Mahalaleelem* ſuo ſeptuageſimo, Gen. 5. 12. *Mahalaleel Jaredum* ſexageſimo quinto, Gen. 5. 15. *Jaredus Enochum* ſuo centeſimo ſexageſimo quinto, Gen. 5. 18. *Enochus Methuſalam* ſexageſimo quinto, Gen. 5. 21. *Methuſala Lamechum* centeſimo octogeſimo ſeptimo, Gen. 5. 25. *Lamechus Noachum* centeſimo octogeſimo ſecundo, Geu. 5. 28. *Noachi* ſexcenteſimo contigit Diluviū: numeri hi juncti efficiunt mille ſexcentos quinquaginta ſex. De Annis *Lansbergii* fractis vel initio vel fine Diluvii hîc non laboramus.

2. Secundus articulus annorum trecentorum ſexaginta octo ſic demonſtratur. Diluvium duravit annum unum, Gen. 8. 19. *Schem* genuit *Arphaxad* duobus annis poſt diluvium, Gen. 11. 10. *Arphaxad* genuit *Selah* ſuo triceſimo quinto, Gen. 11. 12. *Selah Heberum* ſuo triceſimo, Gen. 11. 14. *Heberus Pelegum* triceſimo quarto, Gen. 11. 16. *Pelegus Rhegum* triceſimo, Gen. 11. 18. *Rhegus Serugum* triceſimo ſecundo, Gen. 11. 20. *Serugus Nachorem* triceſimo, Gen. 11. 22. *Nachor Terachum* viceſimo nono, Gen. 11. 24. *Terachus Abrahamum* ſeptuageſimo, Gen. 11. 26. *Abrahamus* migravit *Vre Chananem* ſuo ſeptuageſimo quinto. Anni hi juncti efficiuut trecentos ſexaginta octo.

3. Articulus tertius annorum quadringentorum viginti quinque ſic demonſtratur. Ab *Abrahami* migratione *Chananem* ad natum *Iſaacum* ſint anni viginti quinque, *Abrahamus* enim erat centenarius cùm naſceretur *Iſaac*, Gen. 21. 5. & cùm veniſſet *Chananem* habebat ſeptuaginta quinque, Gen. 12. 4. à quibus ad centum ſunt viginti quinque, & verò à genito *Iſaaco* ad exodum ſunt quadringenti Gen. 15. 13. Apoſtolus à promiſſionibus factis *Abrahamo* ad legem Gal. 3. 17. numerat quadringentos triginta, habet hæc ſumma quinquennium ſupra priorem, quo poſt relictam *Vr Chaldæorum* ad mortem patris *Terachi* commoratus eſt *Abraham Charrane*.

Tres hi articuli juncti efficiunt bis mille quadringentos quadraginta novem, ſecundū *Lansbergium*, qui numerare videtur ultimum articulū ab *Abrahami* tranſmigratione de *Vre Charranem*. Sed rectius *Scaliger*, *Emmius* & *Calviſius* à tranſmigratione de *Charrane* in *Chananaam* annis quiuque ſerius ſupputantes numerant bis mille quadringentos quiuquaginta tres.

Extravagantia Tornelli & Vſherii.

Non tam hîc miror Tornielli & Henrici Philippi extravagationes, dum hîc bis mille quingentos quadraginta quiuque, ille bis mille quingentos quadraginta quatuor numerat, nam hi præter alios anachroniſmos dant *Caınani* poſt fluvium annos triginta, & Teracho ſexaginta, quos *Petavius* Pontificiorum Chronologorum facilè princeps recte rejicit. *Scaligerum* non obſtante ſummâ inimicitiâ hic ſequutus eſt, ut ſolet ın multis aliis maximæ notæ quæſtionibus. Sed eſt quod miremur Uſherium & *Capellum*, qui utrumque hunc Tornielli errorem rejicientes extravagantur tamen, ille ad annum bis milleſimum quingenteſimum decimum tertium, hic ad bis milleſimum quingenteſimum tertium.

Art. quartus annorum quadringentorum octoginta habetur totidē verbis, 1. Reg 6. 1. pudet hic *Petavii* contra plerorumq; ſuorum mentem adverſus expreſſam Scripturam calcitrantis. 4.

Articulus quintus annorum quadringentorum viginti octo ſic colligitur. *Solomon* regnavit annis quadraginta, 1. Reg. 11. 42. cœpit condere templum ſuo quarto, 1. Reg. 6. 1. ergo in ejus regno reliqui ſunt triginta ſeptem. Regnavit *Rehoboam* ſeptemdecim, 1. Reg. 14. 21. *Abia* tres, 1. Reg. 15. 2. *Aſa* quadraginta unum, 1. Reg. 15. 10. *Ioſaphat* viginti quinque 1. Reg. 22. 42. *Iehoram* octo, 2. Reg. 8. 17: *Achazias* uuum, 2. Reg. 8. 26. *Athaliah* ſex 2. Reg. 11. 3. *Ioas* quadraginta, 2. Reg. 12. 2. *Amazias* viginti novem, 2. Reg. 14. 2. *Vzzias* quinquaginta duos, 2. Reg. 15. 2. *Iotham* ſedecim, 2. Reg. 15. 33. *Achas* ſedecim 2. Reg. 16. 2. *Hezekias* viginti novem, 2. Reg. 18. 2. *Manaſſeh* quinquaginta quinque, 2. Reg. 21. 1. *Amon* duos, 2. Reg. 21. 19. *Ioſias* triginta unum, 2. Reg. 22. 1. *Ioachas* tres menſes, 2. Reg. 23. 31. *Iehojachim* undecim annos, 2. Reg. 24. 1. *Iechonias* tres menſes, 2. Reg. 24. 10. *Zedechias* annos undecim, 2. Reg. 24. 18. 5.

Auni hi juncti faciunt quadringentos trigintā. *Lanſbergius*, *Emmius*, & *Henricus Philippi* poſt *Scaligerum* numerant tantùm quadringentos viginti octo, dementes tam *Manaſſi quam Zedechia* unum, quem Scriptura utrique attribuit; quaſi utriuſque ultimus fuiſſet imperfectus; ſed licet hæc imperfectio conſtaret, tamen cum eos menſes Scriptura

vocet

vocet annum, non eſt quod nos nomenclaturam Sp. Sancti corrigamus. Certe duo illi anni imperfecti unà cum *Ioachaſi* & *Iechonia*, ſex menſibus, videntur ſuperare ſaltem unum annum.

Capellus hic numerat quadringentos viginti ſeptem, *Petavius*, *Torniellus*, & *Funcius* quadringentos viginti quatuor, nos verò cum expreſsâ Scripturâ, ut fatetur *Henricus Philippi* in quarti Regum viceſimum quintum retinemus quadringentos triginta cum *Beda*, *Mariano Scoto*, *Adrichomio*, *Baradio*, & multis aliis.

6. Articulus ſextus eſt annorum centum triginta trium, à captivitate Babylonicâ ad initium hebdomadarum *Danielis Artaxerxis Longimani* ſeptimo. Solum hoc intervallum non poteſt ex Scriptura demonſtrari ſecundum omnes ſui partes: ex teſtimoniis tamen humanis optimæ notæ, & motibus ſtellarum ſatis firmiter probatur. Quod ſeptuaginta anni captivitatis Babylonicæ à primo *Nebuchadnezaris* inceperint cùm abductus eſt *Daniel Ioachimi* quinto, annis octodecim ante vaſtatam Hieroſolymam, & clauſi ſint *Cyri* monarchiæ primo, Regni verò Perſici vigeſimo primo, annis quinquaginta duobus poſt incenſum templum, fusè ex ſacris literis libro priori probatum dedimus. Quod etiam *Danielis* hebdomadæ à *Longimani* ſeptimo incipiant, multis ibidem ſtabilivimus. Omnis ergo hîc quæſtio reliqua eſt, an à primo Monarchiæ *Cyri*, ſeu à captâ per *Cyrum* Babylone ad ſeptimum *Artaxerxis Longimani* ſint anni octoginta & unus? In hoc verò inter omnes quos vidi Chronologos, Proteſtantes, Pontificios, magnus eſt conſenſus, ſi unum aut alterum annum excipias, quæ differentia per vulgarem diſtinctionem annorum completorum & incompletorum, terminorumque incluſorum & excluſorum facilè conciliatur. *Lanſbergius* quidem, *Helvicus*, *Emmius*, *Calviſius*, & alii; ſecundum priores *Scaligeri* cogitatus (quos, ut rectè obſervat *Capellus*, poſteà correxit in Iſagogicis) extendentes captivitatis Babylonicæ finem ad *Cyri* viceſimum nonum annis ſeptem aut octo poſt captam Babylonem ſeptuaginta annos captivitatis miſerè involvunt: nihilominus tamen de tempore præ manibus magnus eſt conſenſus, nam ferè omnes à *Cyri* viceſimo primo, quando Babylonem cepit, ad primum *Cambyſis* numerant annos novem: *magis* unum, ſaltem utriſque octo attribuunt: *Dario Hyſtaſpis* triginta ſex, *Xerxi* viginti unum: his ſi addas *Artaxerxis Longimani* ſeptem, habebis incluſis terminis octoginta unum, & excluſis ſeptuaginta novem, qui juncti quinquaginta duobus efficiunt centum triginta unum vel centum triginta tres.

Pars extra ſcriptura- Horum pars extra ſcripturaria annorum ſeptuaginta novem vel octoginta unius, ex teſtimonio *Herodoti*, *Cteſiæ*, *Ptolemæi*, & aliorum antiquorum ponitur extra dubium; ſi ulla teſtimoniis humanis fides adhibenda eſt. *ria ſatis probabilis eſt.* Quò verò hiſce teſtimoniis firmius credatur, ea *Ptolemæus* olim, & nuper *Scaliger*, *Lanſbergius*, & *Petavius* eleganter ex cœli motibus demonſtrant. Obſervatis enim ex Chaldæorum & Ægyptiorum Sacerdotum archivis, eclipſibus Solis & Lunæ iiſque collatis cùm hiſtoriâ inveniunt antiquorum calculos cum ſuis bellè convenire: In multis firmum eſt hoc argumentum, imò in omnibus eſſet irrefragabile, ſi modò eclipſium antiquarum perfectum Mathematici calculum dediſſent, & hiſtorici res geſtas multarum eclipſium characteribus ſignâſſent. Fateor tamen argumentationem hanc dubiam multoties, imò aliquando falſam facere non tantùm ſententias contrarias ſed etiam palpabiles errores, *Scaligeri*, *Petavii*, *Calviſij*, & aliorum præſtantiſſimorum Mathematicorum in iis quæ accurato eclipſium calculo probare & demonſtrare ſe profitentur. Certè *Lanſbergius* confidentiſſimè clamat ſe ex motibus cœleſtibus certiſſimis & clariſſimis demonſtrationibus eviciſſe, à templo incenſo ad captam à *Cyro* Babylonem ſeptuaginta annos præcisè fluxiſſe, quod tamen ſuprà oſtendimus falſum, & Scripturæ, ac Chronologorum Interpretumque ſolidiſſimis repugnans.

Ultimus articulus annorum quadringentorum quinquaginta trium à ſeptimo *Longimani* ad natum Chriſtum ſic certò ſatis demonſtratur. 7. Dato, quod ſuprà probatum eſt, *Danielis* hebdomadas à *Longimani* ſeptimo incepiſſe, in hebdomadis ſeptuaginta ſunt anni quadringenti nonaginta; in medio ultimæ hebdomadæ mortuus eſt Meſſias Dan. 9. 27. à baptiſmo Meſſiæ ad ejus mortem fuerunt anni tres cum dimidio, ut poſteà videbitur. Ergo baptizatus eſt Chriſtus initio ultimæ ſeptimanæ; nativitas autem Chriſti anteceſſit baptiſmum annis triginta, ut legere eſt Luc. 3. 23. natus igitur eſt Chriſtus annis triginta ſeptem ante finem ſeptuaginta hebdomadarum. Subtractis triginta ſeptem ex totali quadringentorum nonaginta, remanebunt quadringenti quinquaginta tres, qui eſt numerus requiſitus.

Sic breviter omnes ſeptem articulos ab initio mundi ad Chriſtum natum probavimus, *Partium unio.* omneſque ex apertis Scripturis, ſi excipias unum, imò ſi unius tantùm partem, pro quâ teſtimonia humana ſatis multa, & rationes firmæ afferuntur: reſtat jam ut articulos omnes conjungamus. Primus ab initio mundi ad Diluvium habet mille ſexcentos quinquaginta ſex, ſecundus à Diluvio ad *Abrahami* migrationem, trecentos ſexaginta octo, tertius inde ad exodum quadringentos viginti quinque, quartus ad ſtructuram templi quadringentos octoginta, quintus ad templi

ruinam quadringentos triginta, ſextus ad principium hebdomadarum *Danielis* centum triginta tres, ſeptimus à principio hebdomadarum ad natalem quadringentos quinquaginta tres. Omnes hi juncti efficiunt ter mille nongentos qnadraginta quinque: cum hac ſummâ non difficulter celebriorum ferè omnium Chronologorum ſententias utcunque magis minusve remotas facillimè conciliaveris, ſi quæ ad ſeptem dictos articulos ſinguli ſecundum varia ſua principia malè addunt, ſubtrahas. Sed non eſt operæ pretium huic labori impræſentiarum immorari.

QUÆSTIO II.

Num æra Chriſti à mille, ſaltem à multis jam annis vulgò uſurpata rectè conſtituatur à poſteriori? Seu, An à nato Chriſto rectè hodie numeremus annos mille ſexcentos quinquaginta ſeptem, non plures nec pauciores?

Chronologia N. Teſtamenti eſt facilior quàm veteris.

DIximus de anno Natali reſpectu priorum, comparando ad intervalla omnia antecedentia uſque ad principium Mundi. De eodem jam quærimus reſpectu poſteriorum. *An ſcilicet Natalis rectè comparetur cum annis ſequentibus ad hunc currentem?* Comparatio hæc non tam difficilis eſt, nec tam controverſa quàm prior, vel quia temporibus propinquioribus ſcriptorum in hiſtoriâ, Chronologiâ, & Aſtronomiâ multitudo, clarius & rectiùs omnia deſcripſit, quàm pauci qui ſuperſunt antiquorum in longinquioribus & magis diſtantibus; vel qnia modernorum Chronologorum induſtria non tam adhuc deſudavit in excutiendis recentiorum ſeculorum minutiis quàm in priorum: fieri enim poteſt, ſi poſteriorum temporum characteres tam accuratè & prolixè à doctis exanimarentur quam priorum, ut non pauciores millis quàm iſtis controverſiæ reperirentur. Utcunque, poſt *Scaligeri* temporum emendationem in confeſſo eſt fere apud omnes doctos, tam Proteſtantes quàm Pontificios, æram vulgarem malè conſtitutam; nec defendi poſſe à nato Chriſto annum currentem eſſe verè milleſimum ſexcenteſimum qninquageſimum ſeptimum.

Eccleſia Romana confeſſus error.

Ex Pontificiorum indoctioribus quidam mordicùs adhærent æræ vulgari, eo quòd Eccleſia Romana, quæ errare non poteſt, & ſummi Pontifices veritatis fundamenta ac petræ eam conſtanter uſurpent. Sed Jeſuitarum jam turba nihil hoc eccleſiæ & Pontificum inerrabilitatis μορμολυκείῳ territa admittit certam & claram calculi falſitatem: tantùm excuſant Pontifices & Eccleſiam (ut videre eſt apud *Petavium* de temp. 12. cap. 4.) ridiculo hoc commento, quaſi eorum ſumma majeſtas ad temporum minuta diſcutienda non ſe demitteret, ſed abſque examine vulgi calculum, quicunque ſit, uſurparet ſine ſcrupulo: Aquilæ ſcilicet non captant muſcas, nec vacat exiguis rebus adeſſe Jovi. Profectò digniſſimum hoc eſt Pontificiâ patellâ operculum, nec eſt quod miremur *Petavus* in præſenri paucorum annorum anachroniſmo ſuorum excuſationem, cùm ibidem eodem κρησφυγέτῳ multò craſſiorem Pontificum & Eccleſiæ confeſſum errorem in annis ſupra ſexcentos velare conetur. Fatetur Jeſuita quod res eſt præter ſuorúm morem, Eccleſiæ Romanæ à multis ſeculia majeſtatem non ſe demiſiſſe ad ſolidum ullum in temporibus examen, addidiſſe debuit, nec in quibuſcunque aliis controverſiis; quoſcunque enim invenit vel in ſcholis vel in vulgo radicatos errores, eos omnes ſuâ immenſâ & divinâ auctoritate hauriendos populo propinavit.

Honeſtius eſt *Pauli Middelburgenſis* à *Petavio* memoratum velum; ſcilicet, Pontifices in bullis ſuis ad ſuorum Pontificatunm annos Domini natalem nunquam addidiſſe, anteqnam *Blondus* Cameræ Pontificiæ nuper ab epiſtolis, privatâ ſuâ auctoritate novitatem hanc introduxiſſet; poſteà verò ad irreptitii hujus computi examen Pontifices non attendiſſe.

Verùm eſt, doctos omnium partium non putare jam commodum pravum hunc computum multorum ſeculorum uſu nimis benè poſitum removere: Nemo tamen ingenuus quocunque prætextu debet agnitum falſum pro vero venditare aut recuſare æræ apud omnes ſcriptores Latinos à multis ſeculis vulgatæ addere pro ſupplemento annos quotcunque certis & claris rationibus jure addendos, valet demonſtrare.

Græcorum in Chriſti æra error.

Sunt quidam qni æræ huic vulgari aliquid ſubtrahendum putent: recentiores Græci, *Theophanes*, *Maximus Monachus*, *Georgius Syncellus*, *Cedrenus*, & alii, ſeptem annorum aut novem prochroniſmo peccare commnnem calculum cenſent. Ita Græcorum numerationes ſeptennio aut novennio ſemper quam Latinorum breviores videas; quantùm autem hi ratione deſtituantur mox apparebit, ubi probatum dederimus tantùm abeſſe ut vulgata æra prochroniſini aut longitudinis damnanda ſit, ut reverâ ejus vitium in metachroniſmo & brevitate exiſtat & corrigi debeat, per additionem & ſupplementum eorum quæ deficiunt: in hoc verò eſt tota difficultas præciſe determinare quot annis deficiat. *Spanhemius* hîc *Petavii* nimium eſt ſequax, ſtudio enim omni contendit uterque contra *Scaligerum* & *Calviſium*, additionem hîc certò & præcisè determinabilem non eſſe. Utcunque, conſtat *Sigeberti Mariani Scoti* & plerorumque per multa ſecula Latinorum additionem annorum viginti duorum fuiſſe (ut rectè notat *Petavius*, & ex eo *Spanhemius*) omninò barbaram; nam ſi totis viginti duobus Chriſti Natalis vulgarem æram anticipaverit, neceſſe eſt ut mora Chriſti anteceſſerit obitum *Auguſti*, hoc autem

tem Euangelio diſertè adverſatur; nam Luc. 3. 1. & 23. Chriſtus eſt baptizatus decimo quinto *Tiberii*, & poſteà ante mortem aliquot annis prædicavit Euangelium, ergo non potuit tam maturè naſci, ut ante *Tiberii* primum moreretur.

Middelburgenſis ſomnium. Paulus Middelburgenſis palpabilem hunc errorem non tantùm prolixè tuetur, ſed eum inviſione nocturnâ ab Apoſtolo *Paulo* didiciſſe ſe profitetur. *Baronius* ſomnium hoc ut ridiculum ſophiſma rejicit, nec mirum, cùm ipſe Middelburgenſis ſomnii & viſionis ſuæ oblitus alibi in culcet vulgatam æram tantùm abeſſe, ut verum natalem viginti duobus annis ſequatur, ut eum etiam duobus antecedat. Rectè *Spanhemius Petavii* hic ἀϐλεψίαν notat, quòd *Cauſabonum* noſtrum acriter taxet quaſi ridiculè corrigentem *Baronium* & defendentem Middelburgenſis ſomnium. Cùm tamen Ironia *Cauſaboni* non minus quàm *Baronii* propria oratio improbet Middelburgenſis nugas: rejectâ igitur tam craſsâ tot annorum additione, videndum quot tandem æræ vulgatæ meritò addendæ ſint.

Baronii in anno natali error. *Joſephus Scaliger*, *Calviſius*, *Torniellus*, *Pererius*, Baronius, & alii addunt duos Baronium licet in hoc biennio ſibi conſentientem prolixè tamen refutat *Scaliger* in ſuis Prolegomenis, ſed magnâ cum modeſtiâ ut virum per eruditum, longè aliter quàm impudentes & procaces Jeſuitæ noſtros, in quocunque etiam de literis diſſenſu, habere ſolent.

Baronii error eſt, quòd, licet natalem biennio ærâ vulgari citiorem ponat, tamen ab ærâ vulgari diſſentire ſe non exiſtimet, ſed computationem ſuam, quæ Scaligeriana eſt, cum vulgari omnino confundit. Hoc poſito fundamine hiſtorias plurimas tam ſacras quàm politicas alieno tempore collocat, ut *Scaliger* & *Calviſius* in ſuis uterque Prolegomenis egregiè & prolixe demonſtrant, & ex iis *Petavius* & *Spanhemius*. Imo verò ipſe Baronius tandem ſuam ἀϐλεψίαν perſpiciens corrigere conatur, nam licet à ſuorum annalium initio pleraque ſignet annis qui vulgarem æram biennio antecedunt, v. g. mortem *Auguſti* anno Chriſti decimo ſexto, quæ tamen ſecundum æram *Dionyſii* vulgarem contigit anno Chriſti decimoquarto; nihilominus cùm ad primum *Diocletiani* venit, eum locat in Chriſti ducenteſimo octogeſimo quarto ſecundum æram vulgarem quam poſteà ad Annalium finem ſequitur, ſicut priùs ab initio *Scaligeri* computum ſequutus eſt. Ne autem à ſeipſo diſſenſiſſe obſervaretur, & ut à priori computo in poſteriorem, quàm fieri poteſt cautè & ſilenter dilabatur, ex Imperatoris *Probi* annis ſex, quos omnes hiſtorici ipſi attribuunt, duos detrahit, & ex faſtis duorum annorum quatuor Conſules delet. Egregium hoc cardinalis furtum à noſtris ad oculum demonſtratum, *Petavius* non audet defendere, ſed ſatis ingenuè fatetur in animadverſionibus ſuis in *Epiphanii* hæreſin Alogorum quinquageſimam primam.

Condonari potuiſſet hoc Baronio facilius, niſi ipſe aliorum hîc παροράματα acerbe nimis perſequeretur: certè *Joſepho* præclariſſimo ſcriptori flagellando tam eſt intentus, ut in multos putidos errores ſeipſum in cogitans præcipitet, dum *Herodis* Regnum non niſi poſt Actiacam Auguſti, victoriam inchoandum novemque totos annos à *Ioſepho* prætermiſſos ad *Herodis* vitam addendos vitamque *Herodis* ad Chriſti nonum producendam, contra omnium doctorum mentem contendit; ut rectè notat in ſuis exercitationibus noſter *Cauſabonus*.

Lubenter tamen admittimus, quod prolixè probat Baronius, Chriſti natalem poſteriorem eſſe non poſſe Conſulatu *Meſſalini* & *Lentuli*, ſeu anno Juliano quadrageſimo tertio, Actiacæ pugnæ viceſimo octavo, Urbis conditæ, ſecundum Palilia Varroniana, ſeptingenteſimo quinquageſimo primo. Catoniana verò, ſeptingenteſimo quinquageſimo, Olympiadis centeſimæ nonageſimæ quartæ ſecundo: qui Characteres, ſecundum *Calviſium*, conveniunt anno Mundi ter milleſimo oongenteſimo quadrageſimo ſeptimo, tantùm biennio poſt ſuprà dictum noſtrum ex Scripturâ calculum: integro tamen biennio ante æram vulgarem, quæ Chriſtum natum ſupponit, mundi ter milleſimo nongenteſimo quadrageſimo nono: Actiacæ pugnæ triceſimo; ab Alexandriâ captâ viceſimo nono, Juliano quadrageſimo quinto, Auguſtali à cæde Julii quadrageſimo tertio, ſed à primo *Auguſti* Conſulatu quadrageſimo ſecundo, Olympiadis centeſimæ nonageſimæ quartæ quarto, Urbis ſecundum *Varronem* ſeptingenteſimo quinquageſimo tertio, *Catonem*, ſeptingenteſimo quinquageſimo ſecundo. Errorem hunc omnes pene docti jam fatentur, ſed pauci, quod in primis præſtandum fuit, claris & ſolidis argumentis errorem hunc demonſtrare conantur. Et verò quæ afferunt *Scaliger* & Calviſius, ea omnia *Petavius*, ac poſt eum doctiſſimus noſter *Spanhemius*, præter ſuum morem omni conatu laborat eludere, potius quàm enervare & elidere, nimis quàm proterve, ut etiam *Nisbetus* ante nos obſervavit, utcunque ex Calviſio maximè nos hæc argumenta ſubjicimus. *Contra vulgarem æram Calviſii argumenta.*

Primò Annus Chriſti triceſimus concurrit cum anno *Tiberii* decimoquinto Luc. 3. 1. 23. 1.
adeoque Chriſti decimusquintus cum *Tiberii* primo & *Auguſti* ultimo: mortuus eſt *Auguſtus* ætatis ſuæ ſeptuageſimo quinto, decimo nono *Auguſti* menſis, non, ut *Baronius*, Calendis Septembris, Juliano ab emendato Calendario quinquageſimo nono, à cæde *Julii* quinquageſimo octavo; à primo ſuo Conſulatu quinquageſimo ſeptimo, Coſſ. *Sexto Pom-*

pejo, & *Sexto Apulejo*: ab eo die pro more Romanorum, apud quos ſucceſſorum imperia numerabantur, ſtatim à deceſſorum exitu cœpir *Tiberii* imperium, ita ut *Tiberii* primus, *Auguſti* ultimus, & Chriſti decimusſextus concurrerent. Iſtius anni Septembris viceſimo ſeptimo accidit univerſalis eclipſis lunæ ſecundum *Dionem*, *Tacitum*, & alios hiſtoricos hac in re non dubiæ fidei: anno verò ſuperiori (prout ex *Dione* & *Euſebio* habet *Petavius* lib. 12. 4.) eclipſis Solis. Secundum calculum Aſtronomorum illa Lunæ eclipſis reperitur in anno Chriſti decimo ſexto, & hæc ſolis in decimo quinto: ſed ſecundum æram vulgarem annus *Tiberii* primus, *Auguſti* ultimus, & eclipſis Lunæ cadunt in annum decimum quartum, & eclipſis Solis in decimum tertium: ergo vulgaris æra ſequitur verum natale ut minimum biennio.

Præterea cum decimus ſextus Chriſti conveniat cum *Auguſti* ultimo ſeu quinquageſimo, ſeptimo, Juliano quinquageſimo nono, Chriſti primus conveniet cum Juliano quadrageſimo tertio, *Auguſti* quadrageſimo primo Olympiadis centeſimæ nonageſimæ quartæ ſecundo, Coſs. *Lentulo* & *Meſſalino*: atqui primus æræ vulgaris non convenit cum iſtis ſed cum Juliano quadrageſimo quinto, Auguſtali quadrageſimo tertio, Coſs. *Coſſo Cornelio Lentulo* & *Calpurnio Piſone*, Olympiadis centeſimæ nonageſimæ quartæ quarto.

Petavii & Spanhemii ad hoc argumentum reſponſiones refutantur.

Adhoc argumentum eludendum plurimum pulveris poſt Petavium Spanhemius excitat. Ait primò, *Lucam* omninò non connectere decimum quintum *Tiberii* cum triceſimo Chriſti, ſed tantùm cum prædicatione *Ioan-*
1. *nis*, magnum autem eſſe diaſtema inter capitis tertii verſum primum & triceſimum tertium, imò verò omnino neſciri quantum temporis inter *Ioannis* prædicationem & Chriſti baptiſmum effluxerit. Replica. Condonâſſem Jeſuitæ quamlibet importuna commenta ad Eccleſiæ Romanæ errores tuendos, ſed ut ea mutuaretur multò præſtantiſſimus Spanhemius non facilè condono. Certè ante Petavium, quantùm intelligo, nullus vel veterum vel recentiorum, ſeu Proteſtantium ſeu Pontificiorum vocavit in dubium an tertii *Lucæ* primus cohæreret cum viceſimo tertio, an *Tiberii* decimus quintus cum Chriſti triceſimo conſonaret, an *Ioannis* prædicatio cum Chriſti baptiſmo eodem ſaltem anno conjungeretur; nam primarius *Lucæ* ſcopus illo loco eſt unius Chriſti tempora diſponere: capitis ſecundi verſu quadrageſimo ſecundo annum Chriſti duodecimum notat, capitis tertii verſu triceſimo tertio, ejus triceſimum ſignat, ad quem illuſtrandum verſu primo multorum valdè inſignes temporum characteres connotat, annum ſcilicet Imperatoris Romani, item contemporaneos non tantum Gubernatorem *Judeæ*, ſed etiam tres Tetrarchas vicinarum regionum, & duos denique Pontifices: Chronologicos hoſce characteres Euangeliſta conjungit cum Baptiſmo *Joannis* nequaquam in gratiam *Joannis* ſed Chriſti, ut non tantum iſtorum capitum connexus demonſtrat, ſed ut ipſe etiam *Lucas* ſeipſum exponit Actor. 1. 20. ubi tempus baptiſmi & prædicationis Chriſti ejuſque apparentiæ in publico munere manifeſtè conjungitur cum tempore Baptiſmi *Joannis*, ita ut iſta ſeparare inprimis toto annuo diaſtemate, videatur nimis manifeſta *Lucæ* repugnantia. In iſto movendo lapide quòd vir præſtans protervum Jeſuitam ſequutus ſit, non probamus.

Ait ſecundò, *Tiberii* decimum quintum non neceſſariò cum Chriſti triceſimo connecti, 2.
eo quòd neſciamus an *Tiberius* annos Euangeliſta numeret more Hebraico, an Romano; eſto Romani numerent Imperatorum annum primum ſtatim à morte deceſſoris, Judæi tamen ſuorum Principum annos numerabant à Paſchate & à verno menſe Niſan: ita *Joſephus* numerat annos *Herodis* & *Calviſius* ipſe docet ſic numerare ſolere S. Scripturam annos Regum, tam apud Judæos quam Iſraëlitas.

Replica. Importunam hanc novamque Petavii objectionem nimiùm amplificat Spanhemius. *Herodes* tyrannus nulli ſuccedens, Regni ſui annos, ut placaret Judæos, inchoare potuit à quo ipſi liberet tempore: omninò tamen videtur abſimile vero, Judæorum aut Iſraëlitarum Reges Regna ſua non niſi à menſe Niſan, aut Paſchate auſpicatos, nam Niſan, etſi in ſacris non tamen in civilibus menſis primus fuit, nec olim Dei mandatum, aut ulla Judaici populi conſuetudo civilia Regna à menſe Niſan aut à Paſchatibus inchoare cogebant. Inſtantia *Calviſii* hoc non probat; ecquid verò moriente Rege decimo ſexto Niſan, intereà Regnum ejus ſemper duravit integro anno donec ſequentis Niſan die decimo quinto novum Paſcha rediret. Ex Iſraëlitarum & Judæorum Regibus aliquot paucis tantùm menſibus regnârunt, qui poſt deceſſorum ultimum Paſcha finiti ſunt ante Paſcha novum, num Reges hos ex Regum Catalogis Scriptura delet? Tertiò. Quomodocunque ſcriptores Hebræi ſuorum Principum annos numerant, an tamen Monarcharum externorum tempora ad exemplar Judæorum conformare conati ſunt? An *Nebuchadnezaris*, *Cyri*, *Artaxerxis*, aut cæterorum ſeu Aſſyriorum ſeu Perſarum; ſeu Græcorum Imperatorum annos contra communem & in toto Imperii orbe uſurpatum in actionibus omnibus publicis morem, ad privatam ſuæ gentis conſuetudinem commutare Judæi vel potuiſſent, vel fuiſſent auſi? Novitatem tantam abſque fide dignis teſtibus non perſuadebit Spanhemius, etiamſi perſuaſerit.

Ait tertiò, Chriſti triceſimum extendi poſſe ab 3.

ſe ab ejus viceſimo quinto ad triceſimum quintum: imo verò integros omnes in Scripturâ numeros, ſcilicet denarios, vicenarios, tricenarios, centenarios, millenarios &c. denarium ut minimum ſua latitudine comprehendere.

Replica. Fatemur in Scripturâ numeros integros, & aliquando etiam fractos habere quandam latitudinem, ſed ut abſque ullâ ex Scripturis ipſis demonſtratâ neceſſitate numerus quilibet integer totius denarii latitudinem habeat, id quidem, ut videtur, eſt ſacræ omnis Chronologiæ ima fundamenta maniſeſtò arietare & ſubruere; ita ut Spanhemius omnibus aliis ſuis machinis, quas habet plurimas, confractis, hac unicâ valeat omnem computum à ſacris Scripturis in numeris integris deſumptum profligare.

4. Ait quartò; triceſimum Chriſti annum non exprimi à Lucâ, ſed alium ſcilicet quaſi triceſimum, qui non eſt ipſe triceſimus.

Replica. Nimis multa & ſubtilia ſunt, quæ *Scaliger* pro ſe, & contra eum Petavius & Spanhemius diſputant de *Lucæ* verbis [*erat quaſi triginta annorum incipiens*] quæ, ut rectè fatetur Spanhemius, obſcurant potius quàm illuſtrant Euangeliſtæ ſenſum: quod autem ad exceptionem præ manibus, eam, ut alia multa in hac Spanhemii Diatribâ doctè & ſolidè noſter *Niſbetus* ex ipsâ Scripturâ retundit. Sicut enim Lucæ 23. 44. ὥρα ὡσεὶ ἕκτη, exponitur ab ipſo Sp. Sancto, Matth. 27. 45. ὥρα ἕκτη. & Actor. 10. & 3. ὥρα ὡσεὶ ἐννάτη vers. 30. exponitur *hora nona.* Marc. etiam 8. 9. ὡς τετρακισχίλιοι. Matthæi 15. 38. τετρακισχίλιοι. Item Matth. 27. v. 46. περὶ ὥραν ἐννάτην habetur Marc. 15. 34. ὥρᾳ ἐννάτῃ, ita noſtro Lucæ loco, ἐτῶν ὡσεὶ τριάκοντα, rectè accipi pro annis verè triginta, ſeu incipientibus ſeu deſinentibus ſeu conſummatis.

5. Ait quintò Characteres *Calviſii* Aſtronomicos non eſſe veros, eo quòd Petavius probet nullam in emortuali *Auguſti* anno fuiſſe Solis eclipſin.

Replica. Non controvertit Spanhemius primarios *Calviſii* characteres Aſtronomicos, quorum unus ſi verus concluſionem demonſtrat, non negat eclipſin Lunæ altero poſt Auguſti mortem menſe; nec Solis eclipſin quinto *Claudii*, unde in primis omne ſuum inſtitutum probare ſe profitetur: nec quicquam ipſe profert contra eclipſin Solis, quæ *Auguſti* mortem præceſſit, tantùm provocat ad Petavium, quaſi is φανερῶς hoc vel extitiſſe vel exiſtere tunc potuiſſe improbaret. Profectò qui Spanhemii aliàs diligentiſſimi incuriam hîc excuſem neſcio; nam præterquam quòd nullum hîc ex Petavio locum citat, caput in hac materiâ celeberrimum & ſæpè aliàs à Spanhemio citatum, quartum ſcilicet, libri duodecimi; diſertis verbis huic Spanhemii aſſertioni contradicit, eclipſin Solis in anno *Auguſti* ultimo ex *Euſebio* & *Dione* contigiſſe affirmans. Si alibi uſquam, quod dubito, hoc neget Petavius nihil præſtat miri, nam hoc ipſo loco manifeſtam Petavii contradictionem Spanhemius obſervat, dum hîc protervè contra *Scaligerum* diſputat nihil certi & determinati ex Luc. 3. pro Chriſti anno triceſimo deduci poſſe, alibi tamen ex hoc ipſo loco Chriſti triceſimum certiſſimè demonſtrari affirmat. Conjicio quidem Spanhemii hîc calamum à *Scaligero* ad Petavium ex inadvertentia dilapſum: inadvertentiâ inquam duplici; primò, quia non eſt Petavius ſed *Scaliger* animadverſionibus in *Euſebium* ad numerum bis milleſimum triceſimum, qui aſſerit eclipſin Solis à *Dione* notatam ante *Auguſti* mortem nec accidiſſe, nec accidere potuiſſe eo anno, quo iſtum *Euſebius* locat. Secundò, licet hoc aſſerat *Scaliger* de anno *Euſebii* emortualem *Auguſti* antecedente, ibidem tamen expreſsè affirmat ex *Dione* eclipſin eam anno ſequente, nimirum ipſo emortuali, veriſſimè contigiſſe.

Denique totius Petavii & Spanhemii diſputationis finis eſt, ut locus ille *Lucæ*, tam laxè & tantâ cum latitudine accipiatur, ut eum liceat extendere ad triceſimum primum vel triceſimum ſecundum, aut tertium: quò ſic ſuas ipſorum ſententias ſalvent, qui vulgarem æram verum Natalem arbitrentur ſequi triennio, anno uno ultra *Scaligeri* mentem; ſalvent etiam *Dekeri* ſententiam ac *Suſliga*, qui vulgari æræ addunt quadriennium, imo & *Kepleri*, qui *Dekeri* quadriennium uno, & vulgarem æram quinque annis ſuperat. Certe non fuit opus tot tantoſque fluctus concitare ad hoc inſtitutum, nam à tantâ Natalis extenſione noſter animus nequaquam abhorret, imò verò hæc *Kepleri* quinquennalis additio belliſſimè cum noſtrâ ſuperiori capite ſententiâ concordaret, ſic enim Natalis verus cum anno mundi ter milleſimo nongenteſimo quadrageſimo quinto concideret. Utcunque non ita peregrinis gloſſis vexandum illum Lucæ locum exiſtimo. Sed ultrà non perſequor Petavii ad I. *Calviſii* argumentum reſponſa. 6.

Secundò argumentatur Calviſius à morte *Herodis.* Æra vulgaris Chriſtum natum ſupponit anno Juliano quadrageſimo quinto deſinente, Olympiadis centeſimæ nonageſimæ quartæ quarto Coſſ. *Coſſo Cornelio Lentulo* & *Cajo Calpurnio Piſone*, urbis conditæ ſeptingenteſimo quinquageſimo tertio: Atqui *Herodes*, qui nato Chriſto vivebat, mortuus eſt integro biennio ante tempus dictum: itaque æra vulgaris ſtatuit Chriſtum natum ſeriùs juſto, minimùm biennio. *Calviſii argumentum ſecundum.*

Quòd Chriſtus natus ſit ante mortem *Herodis*, ex Euangeliſtis clarum eſt, nam Matth. 2. 1. natus dicitur diebus Herodis Regis, & in Ægyptum fugiſſe, donec Herodes Rex Archelai pater moreretur, vers 19. quòd autem *Herodes* mortuus ſit poſt natum Chriſtum ſaltem biennio, apparet ex Matt. 2. 16. ubi *Herodes*

rodes occidiſſe dicitur infantes à biennio & infrà, ex quo ſtella non naſcituri ſed nati Chriſti apparuerat Magis; hoc enim tempus accuratè inquirens à Magis invenit fuiſſe biennio antequam juſſiſſet infantes occidi; poſt eos autem cæſos aliquandiu vixit: ergo natus eſt Chriſtus biennio, & quod excurrit ante mortem *Herodis*. Jam verò vixit *Herodes* non ultra Julianum quadrageſimum tertium, nam multoties teſtatur *Joſephus*, accepiſſe *Herodem* à Romanis *Judææ* Regnum anno Juliano ſexto, Coſſ. *Cnejo Domitio Calvino*, & *Cajo Aſinio Pollione*, olympiadis centeſimæ octogeſimæ quartæ quarto, perſeveràſſe autem in Regno annis triginta ſeptem: hi additi ad ſextum faciunt quadraginta tres.

Hæc ſi vera ſunt, ut *Herodes* mortuus eſt biennio ante æram vulgarem, ita Chriſtus, qui biennio ante mortem *Herodis* editus eſt, oportet ſit natus quadriennio ante iſtam æram.

Baronii ignorantia Chronologia.

Ad hoc argumentum multi multa reſpondent, nullus tamen abſurdiora quàm Baronius: licet hic in biennali diaſtemate anni natalis veri ab ærâ vulgatâ *Calviſio* ſit ὁμόψηφος. Verum hunc ob incomparabilem in hiſtoriâ eccleſiaſticâ concinnandâ diligentiam magnis laudibus accumulant non tantùm *Scaliger* & *Cauſabonus*, ſed etiam alii noſtrorum: omnes tamen teſtantur ipſum non tantùm creberrimè in veritatem, hiſtoriæ veram vitam craſsè peccare, ſed etiam penè ſemper in Chronologicis errare pueriliter. Baroniana hæc Chronologiæ ſingularis imperitia, nuſquam evidentiùs elucet, quàm in argumento præ manibus. Argumenti bona pars nititur *Joſephi* teſtimonio de temporibus *Herodis*: iſta Baronius, ut quæſtione ſuperiori notavimus, affirmat *Joſephum* peſſimè numerare. Nam primò, principium Regni *Herodis* non vult ſtatui cum *Joſepho* anno Juliano ſexto, ſed decimo quinto, quem facit eum ipſum quo ad Actium debellatus eſt *Antonius*. Secundò, *Herodem* non vult cum *Joſepho* vixiſſe annis ſeptuaginta, ſed tantùm ſexaginta ſeptem, & tamen ejus vitam producit ad Chriſti octavum, hoc eſt, ut docet, Julianum quadrageſimum nonum, duobus tantùm annis ante filii *Archelai* relegationem in exilium, Juliano quinquageſimo primo. Hæc & alia hîc multa Baronii [illegible] abſurda, non tantùm noſtri, ſed etiam Jeſuita *Torniellus* prolixè redarguit. Id quod Baronio præcipuam hîc ceſpitandi occaſionem miniſtraſſe videtur, fuit (ut rectè ex *Torniello* notavit *Spanhemius*) typographicum in *Joſepho* ſphalma, *Herodem* ſcilicet annorum fuiſſe tantùm quindecim, cum à patre præfectus eſt *Galilææ*, ſcribi debuit viginti quinque. Maculam hanc decennalis anachroniſmi cum multis aliis centuriis per exſcriptores ſphalmatum parabat *Scaliger* eluere (ut notat *Cauſabonus*) in novâ *Joſephi* editione, quam morte præventus non valuit perficere. Baronius dum multas veriſſimas in *Joſepho* temporum deſignationes repudiat, hanc falſam pro verâ ſumens in multis errandi ſibi neceſſitatem imponit, quam ipſarum Pontificiarum partium nemo conatur defendere.

Scaliger & *Calviſius* licet hoc argumento utantur, tamen cum vident ejus vi verum natalem trahi non tantùm ad biennium ultra vulgarem æram, quæ iſtorum eſt hypotheſis; ſed etiam ad quadriennium, ipſi conantur illud enervare: vellet *Scaliger Joſephum* convincere erroris in annis Regni *Herodis*, quaſi eos extendere debuiſſet non tantùm ad triginta ſeptem, ſed ad triginta novem; tam multa tamen Scaligerianæ huic correctioni renituntur, ut ipſe *Calviſius* eam relinquat.

Spanhemius, qui hoc argumento non vult ſe ſtringi, ad id duo reſpondet. Primo, dum *Joſephus* tradit Regnum *Herodis* à primâ Romanorum donatione ad annos triginta ſeptem, & à primâ ejus poſſeſſione crucifixo *Antigono* ad triginta quatuor extendi, librariorum eſſe mendum, qui λζ ſeu triginta ſeptem pro λθ ſeu triginta novem poſuerunt, & λδ ſeu triginta quatuor pro λϛ ſeu triginta ſex.

Spanhemii reſponſiones incommoda.

Replica. Temeraria eſt hæc Spanhemii correctio textûs Joſephi, contra omnium non tantum typis excuſorum ſed manuſcriptorum fidem. Secundò, Cùm ipſe *Scaliger* hanc ſuam emendationem ſuſpicetur, nec fortiter aſſerat, 1. & ipſe *Calviſius* nunquam eam amplexus ſit (nam *Herodis* Regnum nuſquam hîc ultra triginta octo annos extendit) non debuit Spanhemius eam protuliſſe in medium. Tertiò, emendatio hæc non expedit nodum, nam ſi *Herodes* in anno Juliano quadrageſimo tertio, Coſſ. *Lentulo* & *Meſſalino* mortuus ſit anni principio paulò ante Paſcha, menſibus ſex ante natum Chriſtum, initio Septembris, ut vult *Scaliger*, aut novem (nato Chriſto ſecundum pleroſque viceſimo quinto Decembris) commentum hoc Scripturæ repugnabit, quæ Chriſti nativitatem *Herodis* morti præponit. Sin verò *Herodes* mortuus eſt initio anni Juliani quadrageſimi quarti tribus aut ſex menſibus poſt natum Chriſtum, hoc etiam Scripturæ ſuprà dictæ repugnat, quæ *Herodem* infanticidam facit poſt natum Chriſtum ſolido biennio.

Iſtas, ut videtur, difficultates præſentiens 2. Spanhemius ad ſecundam reſponſionem priori diffidens confugit, nimirum argumentum hoc premere quidem æræ vulgaris defenſores, imo & *Scaligerum* & *Calviſium* qui verum natalem vulgatum ſuperare docent præciſè biennio, nequaquam verò Jeſuitas *Dekerum* & *Suſligam* qui vulgatam æram quadriennio anticipant, & minimè omnium *Keplerum* qui quinquennio: imo verò ipſe videtur manus dare, ut ante cum *Petavius*, & in *Kepleri* ſententiam ambobus pedibus itare. Vellem ego quidem libenter tantos auctores ſequi, ita enim ſuperior

rior mea hypotheſis de coincidentiâ veri natalis cum anno mundi tet milleſimo nongenteſimo quadrageſimo quinto (longè contra *Kepleri* & *Petavii* in annis mundi ſententiam) ad amuſſim quadraret: ſed vereor nt binis è contrà rationibus poſſit ſatisfieri: prior eſt de eclipſi Lunæ à *Joſepho* notatâ paulò ante mortẽ *Herodis*; hanc *Scaliger* ſecundum computum Aſtronomicum accidiſſe affirmat initio Januarii anno Juliano quadrageſimo quinto, aut quadrageſimo quarto, cujus Martio *Herodes* occidit. Altera eſt, quòd ſecundum *Kepleri* ſententiam, Lucæ locus de annis Chriſti triginta extendendus ſit ad triginta tres.

Ad primam quidem ſatis commodè reſpondere videtur *Keplerus* docens *Joſephum* notâſſe Lunæ Eclipſin non iu Januario totis tribus menſibus ante *Herodis* mortem, ſed in Martio eâ ipſâ nocte, quâ *Herodes* Magiſtros Judæos cum diſcipulis exuſſit, ob detractam de portâ templi auream ſuam Aquilam: & verò anno Juliano quadrageſimo ſecundo, Martii decimo tertio, qui paucos tantùm dies *Herodis* mortem anteceſſit, ſe ait ſecundum ſuas tabulas invenire eclipſin Lunæ digitorum ſex, hoc ſi verum eſt, res videtur confecta, & *Keplerus* viciſſe.

Quod ad enervandum hoc Aſtronomicum argumentum objicit Spanhemius, ſolidum non eſt, ſcilicet eclipſin à *Joſepho* notatam fuiſſe totalem, quam verò notavit *Keplerus* fuiſſe tantùm partialem, ad Lunæ dimidium; Certè ſi inſpexiſſet Spanhemius *Joſephi* locum, tale effugium contra *Keplerum* non protuliſſet: nullum enim jota de totali defectu Joſephus ſcripſit, quin etiam dimidiæ Lunæ defectus, rectiſſimè veræ eclipſeos nomine inſignitur.

Quid ad locum *Lucæ Keplerus* reſpondere poſſit ἐπέχω, donec ejus & *Calviſii* ſcripta in hoc argumento adverſaria in manus veniant: impræſentiarum argumentum præ manibus ultra *Calviſium* non urgeo, ſcilicet pro vulgaris æræ bienniali natalis veri anticipatione: ſi *Keplerus* anticipationem quinquennalem vel hoc vel alio quocnnque argumento demonſtrare poſſet, id efficeret optimâ noſtrâ cum gratiâ, qui ita noſtri calculi rationes belliſſimè confirmatas arbitraremur.

Tertium argumentum Calviſii à Cyrenii deſcriptionibus non eſt ſolidum.

Tertium adhuc argumentum proferri ſolet pro concluſione Calviſii ab ἀπογραφῇ *Syriæ* Præſidis Cyrenii Luc. 2. 1. Sed dum omnia perpendo, quæ ſat multa ſunt, quæ de ἀπογραφῇ hac ſcripta reperio apud *Baronium*, *Cauſabonum*, *Montacutium*, *Spanhemium*, *Petavium*, *Torniellum*, & alios, non mihi quidem videtur certum aliquod argumentum ex omnibus afferri pro concluſione dictâ: nam demus primò, quod pauci jam docti negant, bis *Judæam* deſcripſiſſe Cyrenium: nltimò quidem poſt relegatum *Archelaum* anno decimo à morte *Herodis*, de quâ deſcriptione fusè Joſephus, primò autem antè mortem *Herodis*, quæ deſcriptiones omninò inter ſe diverſæ ſunt, & tredecennio diltantes, aliter quàm *Euſebius*, *Beda*, *Calvinus*, *Piſcator*, *Baradius*, & alii viri docti cenſuere qui utramque confuderunt in unam.

Demus ſecundò, priorem deſcriptionem fuiſſe tantùm perſonarum non autem facultatum, contrà quàm ſenſit *Suidas* olim, & nuper *Baronius* aliique.

Demus quoque tertiò, in primo illo cenſu perſonarum Cyrenium extraordinariam ab *Auguſto* legationem obiviſſe, nequaquam verò ordinario Præſidis *Syriæ* munere functum, ut ſic cum *Lucâ* reconcilietur *Tertullianus*, qui cenſum illum etiam priorem peractum vult à *L. Saturnino* ordinario *Syriæ* Præſide, cujus nomen iu actis publicis præfigi potuit omnibus rebus geſtis ab officiariis quibuſcunque, vel inferioribus vel extraordinariis intra ſuæ Præfecturæ limites.

Demus etiam quartò in gratiam *Spanhemii* Cyrenium cenſum peregiſſe cum ordinarii *Syriæ* Præſidis munere fungeretur, idque mox poſt primum ſuum Conſulatum, Juliano triceſimo ſexto, antequam *Saturninus Syriæ* præficeretur.

Demus denique, contrà quàm ſenſit *Chemnitius* in Lucæ 2. cenſum hunc Cyrenii fuiſſe *Auguſti* univerſalem ſecundum, toto minimùm decennio poſt cenſum ejus primum merè Geographicum ab Ethico memoratum, quo totius orbis Romani vias & itinera deſcribi curavit, ut faciliùs ad perſonarum cenſum deveniret, ſicut perſonas deſcripſit, ut viam ſterneret ad cenſum facultatum pro ſupplemento ærarii.

His omnibus & adhue pluribus conceſſis, nihil tamen poteſt concludi de aliquo anno certo iſtorum cenſuum; erant quidem olim tabulæ illæ cenſuales Cyrenii, cum cæteris omnibus rationibus cenſuum Reipub. in archivis Romanis repoſitæ: unde *Tertullianus* & *Juſtinus Martyr* ad iſtam *Mariæ* & Chriſti infantis cenſationem per Cyrenium confidenter provocârunt, nec in hoc vel *Porphyrius* vel *Julianus Apoſtata*, vel quiſquam alius Chriſtiani nominis hoſtis quicquam contradixerunt: ſed dudum publicæ illæ omnes tabulæ perierunt, cum pleriſque aliis iſtius ſeculi ſcriptis: ita cum auctorum hodie ſuperſtitum nullus de primo illo Cyrenii cenſu ullum verbum eloquatur, verus illius annus non poteſt certò definiri. Certum eſt, ut prolixè probat *Spanhemius*, actum illum cenſum intra Julianum triceſimum ſeptimum, quo Cyrenius Proconſul *Ciliciæ* tumultus pacavit, & quadrageſimum ſecundum aut quadrageſimum quintum, quo mortuus eſt, vel appropinquabat morti *Herodes*: ſed num juſto quinquennio anre æram vulgarem perfectus ſit, ut multis conatur *Keplerus* demonſtrare, id nobis

non liquet, qui *Kepleri* illud ſcriptum nondum conſpeximus.

Ladenſium perverſitas. Argumentum hoc ita tranſiremus & quæſtionem concluderemus, niſi *Montacutii* perverſitas paululum nos remoraretur. Magna illius Euangeliſtæ loci de ἀπογραφῇ *Cyrenii* difficultas, multas Interpretum expoſitiones peperit, dum quiſque pro virili lucem tenebris inferre ſatagit. Inter alios viri præſtantiſſimi *Calvinus* & *Beza* ſuas afferunt operas, ob quas non ipſi tantùm, ſed tota Proteſtantium natio à Pontificiis miſerrimè flagellatur. *Montacutius* hîc, ut alibi perſæpè, quò in Pontificias partes animi ſui affectum declaret, tam atram bilem quàm Pontificiorum quiſquam in utrumque cum *Calvinum* tum *Bezam* evomit. *Beza* in primâ notarum ſuarum editione conjecturam modeſtè proponebat de verſu illo *Lucæ* à librariis corrupto, vel de illius ex margine in textum illapſu, qui iterum in marginem ſine ullo ſensûs detrimento ex textu poſſet recedere: ipſe mox in ſecundâ curâ conjecturam hanc correxit & omnino expunxit. Jeſuita *Salmeron*, & poſt eum *Cardinalis Baronius* inſignes ſcilicet patroni perfectionis Scripturarum perfectiſſimæ plenis maledictorum plauſtris in *Bezam*, & omnes (ut nos vocare ſolent) novatores invehuntur, quaſi audaciſſimos Divini verbi corruptores. Utinam in Scripturarum Divinarum perfectiſſimâ integritate tuendâ vellent ſemper Pontificii nobiſcum vires ſociare, fieret hoc multarum controverſiarum componendarum egregium fundamentum: utcunque cum *Cauſabonus* pro modeſtâ hâc & etiam retractatâ *Bezæ* conjecturâ abundè reſpondiſſet, & Montacutio nihil hac ex parte reſtaret, quod in *Bezâ* criminaretur, non potuit tamen ungues abſtinere, quin ulcus à Pontificiis inflictum altiùs fodicaret; Originum parte priore pag. 5. ſic virum gratis lacerans. Erràſſe potuiſſe *Bezam* quis negaverit? In multis etiam per illas Annotationes & poſtremas illarum editiones graviter & pueriliter erraſſe agnoſco. Benè habet quod ne unum quidem ex illis multis gravibus & puerilibus erroribus in medium auſus ſit producere cautus & famæ ſuæ providens cenſor.

Defenditur Beza & Calvinus contra Montacutium. Calvinus præter varias difficultatum ad dictum *Lucæ* locum ſolutiones, hanc etiam affert; fieri potuiſſe, ut deſcriptio à Cyrenio naſcente Chriſto indicta & incepta ob cruentas populi propter cenſum tumultuantis ſeditiones interrupta, non niſi poſt *Archelaum* relegatum perfecta ſit, *Iudæâ* per *Cyrenium* in Provinciam redactâ. In ſolutionem hanc ut ineptam & ridiculam *Baronius* inſurgit: Montacutius verò ut aliàs ſæpè, melior *Baronii* quàm *Cauſaboni* hyperaſpiſtes Calvino inſultat ipſo Cardinali inſolentius, ubi ſuprà pag. 7. Imperitè, inquit, & ridiculè reſpondet & conciliat loca Calvinus: prodit ea in auctore immanem ἀνιστορησίαν, & veteris rerum memoriæ ignorantiam: non eſt tantum mala ſed & impia per conſequens hæc expoſitio. Maledicum os in virum multò maximum & contumelioſius, quàm ex agyrtis Pontificiis maledicentiſſimus. Ita virus ſuum Aterrimum in Reformatorum principes evomere nuper ſolebant Ladenſes Anglicani.

Et verò quæ tandem hæc eſt Calvini tam ridicula, inepta, & inſulſa ignorantia: certè quod viris ſui ſeculi præſtantiſſimis, dum majoribus & melioribus ſtudiis deſtinerentur, ad Hiſtoriam & Chronologica non tam vacârit quàm aliis, qui in hujuſmodi minoribus erant toti, non debet in opprobrium verti: præterquam quod ad intricatas de temporibus quæſtiones expediendas, multa hodie adminucula ſuppeditârint Herculei variorum labores quæ ſuperiori ſeculo deërant. Nec tamen in Calvini præ manibus commentario quicquam eſt quod tam nigrum Theta meruit, nam quod ut ineptum ridet in Calvino *Baronius*, & poſt eum Montacutius, ipſe *Baronius* amplectitur, ut negare non audet Montacutius pag. 16. ſcilicet indictam à *Cyrenio* deſcriptionem non niſi poſt aliquot annos perfectam. Deinde, quòd cauſam interruptæ ἀπογραφῆς conjicit Calvinus in bella, quæ Judæos ad aliquod tempus poſt ἀπογραφὴν deſtinuerunt, num in hoc tam inſulſa eſt ignorantia? Suppone deſcriptionem Cyrenii junctam cum impoſitione tributi, quod quidem opinati ſunt cum Calvino multi viri doctiſſimi, & in hiſtoricis peritiſſimi, tam antiqui quàm recentiores, *Euſebius*, *Suidas*, *Beda*, ipſe *Baronius*, *Baradas*, *Chemnitius*, *Piſcator*, & alii, quibus ἀνιστορησίας notam imponere non audebat, licet audaculus ſatis noſter cenſor, hoc inquam dato, nemo dubitabit deſcriptionem *Cyrenii* magnas in Judæâ & cruentas diuturnaſque turbas excitâſſe. De turbonibus enim *Judâ Galilæo* & *Theudâ* teſtatur *Gamaliel* Act. 5. & *Ioſephus* fusè diuturna ſeditioſorum arma ob tributum hoc impoſitum narrat.

Veritatem Calvinianæ opinionis hîc non defendo, imò vero varia in hiſtoriam & tempora, ut videtur, παροράματα in illo Calvini commentario (quæ tamen Montacutii acumen non obſervavit) à currente quovis Chronologo poſſunt conſpici: id autem eſt quod contendo, nihil in iſtis paroramatis tam abſurdum apparere, quod magnæ *Baronii* & majoris Montacutii inſolentiæ ullam cauſam præbuerit.

Ex dictis apparet annum currentem Chriſti non eſſe milleſimum ſexcenteſimum quinquageſimum ſeptimum, ſed ſecundum omnes ferè jam dictos, etiam qui pauciſſimos addunt, milleſimum ſexcenteſimum quinquageſimum nonum, *Petavium* verò, *Spanhemium*, *Keplerum*, & alios, cum quibus noſtrum *Æra vulgaris aperte falſa.*

ſtrum profitemur nomen, milleſimum ſexcenteſimum ſexageſimum primum, vel milleſimum ſexcenteſimum ſexageſimum ſecundum. Ita ut illi Mathematici ridiculi ſint, & ante omnes circumforaneus ille agyrta, & præſtigioſus circulator *Gulielmus Lilius* Mercurius Anglicanus, qui multas jocularium ſuarum hujus anni prædictionum fundat in parallelismo anni currentis, quaſi verò milleſimi ſexcenteſimi quinquageſimi ſeptimi cum anno Diluvii quem ille numerat milleſimum ſexcenteſimum quinquageſimum ſeptimum mundi: nam præter alias hujus parallelismi ineptias, primarium ejus fundamentum ſubrutum eſt, hic enim currens non eſt Chriſti milleſimus ſexcenteſimus quinquageſimus ſeptimus qui jamdudum præteriit, ante duos ſcilicet, aut quatuor, aut quinque annos: ſed prognoſticatoribus perinde eſt cui diei ſuas de cœli vultu ſereno aut nubilo conjecturas applicent, ut Astrologis cui anno ſua judicia. *Astrologorum vanitas.* Nam ut omnium ſeculorum experientia convicit pleraſque iſtas nugas manifeſti falſi; ita quaſdam ſeu forte fortuna, ſeu malis artibus attigiſſe verum, non eſt mirandum: etſi in anno præſenti Pſeudopropheta *Lilius* ſolito infelicior, mendacior, & magis delirus prognoſticator appareat, ſi modò ex præteritis futurorum menſium judicia facere liceat.

Cum Scaligero conſenſus & diſſenſus. Denique obſervamus, licet tam in hujus quàm ſuperioris quæſtionis calculo ſeparato differamus ab illuſtriſſimo Scaligero, tamen ſi utrumque calculum conjungas, nulla eſt noſtra ab ejus computo diſcrepantia. Nam in anno mundi biennio ſumus eo breviores, ille enim natalem conjicit in mundi ter milleſimum nongenteſimum quadrageſimum ſeptimum, nos inter milleſimum nongenteſimum quintum, & æram vulgarem nativitatis anticipavit ille biennio, nos quadriennio, ita ut illi currens ſit milleſimus ſexcenteſimus quinquageſimus nonus, nobis milleſimus ſexcenteſimus ſexageſimus primus, iſtos tamen ſi conjungas calculos emerget numerus omnino idem, nimirum præſens mundi annus tam ſecundum illum quàm nos erit quinquies milleſimus ſexcenteſimus ſextus. Quod ſi placeat unum vel addere vel detrahere, numerando ſeu quinquies milleſimum ſexcenteſimum ſeptimum, ſeu quinquies milleſimum ſexcenteſimum quintum, triræ Chronologorum diſtinctiones eam litem facile dirimen.

QUÆSTIO III.
De Natalitio menſe & die.

Error Pontificiorum in menſe & die natalitio. Quatuor hîc ſunt primariæ ſententiæ. Prima Natalem figit in viceſimo quinto Decembris. Secunda in Septembris fine. Tertia in Aprilis principio. Quarta tam menſem quàm diem indeterminabilem arbitratur. Primaria eſt Pontificiorum qui ſtatutum hoc Eccleſiæ Romanæ celebrandi natalem vigeſimo quinto Decembris arctis adeò vinculis conſcientiis Chriſtianorum illigant, ut eò ſeriùs iſtorum fundamenta rimari Proteſtantes cogantur. Dum argumenta & rationes requirimus Romanæ hic fidei, remittimur ante omnes ad *Baronium* in Annalibus & Commentario in Martyrologium Romanum: ibi legimus totam Eccleſiam Orientis & Occidentis, omnes Patres, Græcos Latinos, ſemper ſic crediſſe. Verumenimverò dum familiari jam Pontificiorum Gorgone totius Eccleſiæ & omnium Patrum nihil nos territi deſcendere cupimus ad teſtes ſingulares, inducitur à Baronio primus *Clemens Romanus* Conſtitutionum 5. cap. 13. affirmans ore *Petri* Apoſtoli natum Dominum viceſimo quinto Decembris; cùm tamen totum illum librum quintum percurro, nihil vel ſimile reperire poſſum. *Reſpondetur ad Baronii teſtes.* 1. Sed dato ſic ſcriptum allegato loco, reſponſio in promptu eſt, *Clementem* iſtum auctorem eſſe apertè ſuppoſititium ex variis deliriis, erroribus, hæreſibus conſutum; nullius unquam apud quenquam cordatum auctoritatis, ut ipſe Baronius, *Sixtus Senenſis*, *Poſſevinus*, & alii ex ipſis Pontificiis fatentur; prout rectè obſervavit *Rivetus* Critici ſacri Lib. 1. Cap. 1.

Secundus Baronii teſtis eſt *Auguſtinus* 2.
tractatu in Pſal. 132. prope finem. Reſp. Agnoſcimus *Auguſtini* diebus qui ſeculo Chriſti quinto mortuus eſt poſt quadringenteſimum triceſimum, varios in Eccleſiam errores & ſuperſtitiones irrepſiſſe; teſtis eſſe poteſt ipſe præ manibus locus, ubi ſententiam ſuam de natali vigeſimo quinto Decembris fundat *Auguſtinus* in Joannis tertii triceſimum primum, *Illum oportet creſcere, me autem minui*, quaſi Joannes, quem oportuit minui, natus ſit ſolſtitio æſtivo, poſt quod dies incipiunt decurtari, Chriſtus verò quem oportuit creſcere, natus ſit ſolſtitio hyberno, poſt quod dies incipiunt prolongari. Quòd caſſum, & inane ſit hoc fundamentum non diſſimulant ipſi Jeſuitæ: certè *Petavius* de doctrinâ temporum lib. 2. cap. 7. finiente diſertis verbis fatetur iſtius fundamenti nullitatem, & ipſe quidem vellet Patres ſuam de Natali ſententiam non aliis rationibus quàm ſoli Eccleſiæ traditioni ſuperſtruxiſſe; illorum verò longè alia mens erat. Certè *Auguſtinus* loco præ manibus & aliis à Baronio citatis nullum de traditione Eccleſiæ verbum loquitur, ſed in ratione dictâ Eccleſiæ praxin fundat. Quandocunque autem fundamentum inane & nullum eſt, quale hoc loco ipſi Adverſarii fatentur, ædificium omne ſuperſtructum ruat neceſſe eſt.

Tertius Baronii teſtis eſt *Gregorius Nazianzenus.* Reſp. Fateor eum in Nativitatis 3.
feſtum orationem Panegyricam ſplendidiſſimam Conſtantinopoli declamaviſſe, ſed præ-

terquam quòd in eâ totis Eloquentiæ ſuæ (quæ ſanè fuit ſumma) fluminibus obruat profanas & ſuperſtitioſas Ecelesiæ Romanæ praxes in feſto illo natalitio, quæ inſpectante & approbante Papâ ad hunc diem, in magnum Chriſtiani nominis opprobrium etiam Romæ uſurpantur: in prolixâ illâ Panegyricâ, in prolixo etiam *Nicetæ* in eam commentario nullum verbum lego de vigeſimo quinto Decembris, aut illo die certo iſti Theophaniæ feſto dedicato.

4\. Quartus Baronii teſtis eſt *Chryſoſtomus* in oratione ſuâ 31. in diverſos Novi Teſtamenti locos. *Reſp.* Fatemur totam eam orationem γενεθλιακὸν, & *Chryſoſtomum* diſertè ſatis natalitium feſtum viceſimo quinto Decembris Conſtantinopoli celebrâſſe: ſed tamen expreſſiſſimè declarat quod Jeſuita Frontoducæus in Latino ſuo margine notat, feſtum illud nuperrimè ab annis nimirum decem in Eccleſiam Græcam invectum, & ad cum diem multos Eccleſiæ Græcæ doctores novationem eam ut vanam & injuſtam ſolitos reprehendere: ipſe quidem ſatis lubenter novationem eam amplecti ſe profitetur, ſed an firmis rationibus ſuum judicium ſuperſtruat, ipſi adverſarii dicant ingenuè ſuam ſententiam.

Refutantur Baronii rationes.

1\. Primò, inquit, nova hæc feſtivitas à Deo ſit oportet, quia maximâ cum frequentiâ per totos decem annos populus eam celebrare gaudet. Certè popelli ſuperſtitio pluribus multò quàm decem annis perſeverans non probat Divinum placitum nedum inſtitutum.

2\. Secundò, inquit, licet in Oriente novitium fuerit hoc feſtum, tamen in Occidente fuit ab exordio, & in veteri Româ legere tum erat in archivis in deſcriptione *Cyrenii* ipſum nati Chriſti diem. Reſp. Falſò hic *Frontoducæus* ἄνωθεν tranſtulit ab exordio, cum nihil aliud illic ſignificet quàm ſuprà aut prius. Deinde ſupponit gratis *Chryſoſtomus* ſine ullo teſte in archivis veteris Romæ ipſius ſeculo, quemvis legere potuiſſe ipſum nati Chriſti diem. Certè *Tertullianus*, *Juſtinus Martyr*, & alii, qui deſcriptionis *Cyrenii* annum adeoque natalem annum in archivis Romanis ſervatum affirmant, nullum tamen de die natali verbum fecerunt.

3\. Tertiò, Primaria *Chryſoſtomi* ratio quam ſuſiſſimè premit eſt ex Luc. 1. unde ſic argumentatur; *Joannis Baptiſtæ* patrem *Zachariam* fuiſſe Pontificem maximum, cui ſoli decimo menſis Tizri ſeu Septembris Juliani 27. licuit Sanctum Sanctorum ingredi & adolere ſuffitum coram arcâ: hoc ſacro peracto ivit domum *Zacharias*, & concepit *Eliſabeth* ineunte Octobri, tum verò poſt menſes ſex ineunte Aprili Luc. 1. 21. conceptus eſt Chriſtus ex Sp. Sancto, ergo poſt initum Aprilem novem menſibus eſt natus. Reſp. Demonſtratio hæc *Chryſoſtomi* & aliorum Patrum, tam eſt vitioſa, ut ipſe *Petavius* fateatur vanam, præterquam enim quod natalem à Decembri in Januarium removeat, unicum quod habet fundamentum eſt liquido falſum: *Zacharias Baptiſtæ* pater non fuit Pontifex maximus, ſed, ut habet expreſsè lucas, quidam de plebe ſacerdotum, qui per ἐφημερίας inſerviebant altari, & poſt hebdomadale miniſterium diſcedebant domum; offerebant autem ſuffitum non niſi ſortitò, non certè omnes, ſed pauci, prout hanc miniſterii partem ipſis ſors imponebat. Angelus etiam *Zachariæ* apparuit non intra velum ad aream, ſed extra velum ad latus altaris Thymiamatum, ubi ſortitus ſacerdos quotidie mane & veſperi ſuffitum adolebat.

Plures non affert teſtes Baronius præter Anaſtaſium recentiorem & parvæ auctoritatis virum, quem typis nondum excuſum arbitror. Ex ejus quidem manuſcripto *Heinſius* in ſuo ad *Clementem Alexandrinum* commentario pag. 340. duo fragmenta citat, in utroque ſat diſertè Anaſtaſius natalem ponit in 25. Decembris, ſed tam craſsè in anno Mundi natalis errat, quaſi fuiſſet ſupra ſexies milleſimum, ut nulla in quoquam Chronologico ipſius teſtimonio auctoritas à quoquam debeat attribui.

Anaſtaſius teſtis levis.

Pro contrariâ ſententiâ varii ex doctiſſimis Patrum afferri poſſunt: Concedit *Baronius* Clementem Alexandrinum qui Stromatum primo poſt medium Chriſtum natum vult Maji 25. ſed reſpondet loqui Clementem ſecundum mentem Hæreticorum non ſuam. Pamelius, ut videre eſt in notis Heinſianis pag. 340. aliter reſpondet, ſcilicet Clementis κε Παχὼν eſſe vigeſimum quintum Decembris, non Maji. Certè magna hæc eſt doctiſſimi *Pamelii* hallucinatio, quam miror *Heinſium* non taxâſſe, inprimis cùm ibidem rectam ex *Bedâ* menſium Ægyptiacorum cum Latinis comparationem inſtituens Παχὼν Majo & Χοιὰκ Decembri reſpondere faciat, ſicut Τυβὶ Januario.

Contra Pontificios ſtant Clemens Alexandrinus.

Quod ad *Baronii* reſponſionem, apertè falſa eſt; non enim ibi loquitur Clemens ex ſententiâ hæreticorum, ſed ſuo ipſe nomine profitetur, opus eſſe non neceſſarium, ſed ſubtile & curioſum (ut loquitur περιεργότερον) non tantum annum ſed etiam diem natalem inquirere. Præterea quos dicit natalem in viceſimo quinto Παχὼν collocare, nequaquam ipſi ſunt hæretici: quod verò de Baſilidianis hæreticis affirmat eſt planè diverſum, ipſos ſcilicet Baptiſmum Chriſti celebrare decimo quinto menſis Τυβὶ, aut ejus menſis undecimo, qui incidit in ſextum Januarii. Hanc ſententiam Baronius non hæreticis ſed Orthodoxis in Ægypto aſcribit tam in Martyrologio quàm in Annalibus.

Largitur etiam ibidem nobis *Baronius* Epiphanium, qui licet Chriſti baptiſmum in Novembris initium conjiciat, tamen conſtanter

Epiphanius.

ter

ter Natalem in Januarii ſexto ſeu undecimo *Tyb.* ponit: iſta non negat *Baronius*, ſed affirmat *Hieronymum* in cap. 1. Ezekielis Epiphanium refellere. Verum eſt, *Hieronymus* verſum 1. iſtius cap. applicat ad Chriſti Baptiſmum in anno ſuo triceſimo, Januarii, ſecundum Orientales, menſis quarti die quinto: & uno verbo ibi perſtringit Epiphanii opinionem, quæ Epiphaniorum feſtum collocabat in Januarii quinto; etiam Magiſtri ſui Nazianzeni, qui cum Epiphanio vocabat Chriſti natalem Epiphania: quando Deus in terrâ apparuit, non, ut *Hieronymus*, obſcuratus & ab apparendo impeditus eſt, nullum tamen *Hieronymus* verbum, de Natali in vigeſimo quinto Decembris.

Ex dictis apparet quàm vanum ſit, quòd Pontificii aperto hîc ore crepant, omnes Patres, totamque Eccleſiam ſtare pro ſuorum feſtorum maximo Natali ſcilicet vigeſimo quinto Decembris (verè Saturnalibus Ethnicorum Decembribus) cùm tamen Eccleſiæ Græcæ, Aſiaticæ, Ægyptiacæ; ſedeſque Patriarchales, Antiochena, Alexandrina, & Byzantina de natali vigeſimo quinto Decembris, niſi ſerò valdè, nihil quicquam inaudiverint, ſcilicet poſt tranſlationem *Chryſoſtomi* ab Antiocheno ſuo Presbyteratu ad Epiſcopatum Byzantinum: nec ex ipſis Latinis, ſi ſpurios excipias, ullum Auguſtino antiquiorem citent, qui Chriſtum natum Decembris vigeſimo quinto affirmet.

Secunda ſententia eſt *Scaligeri*, *Calviſii*, & aliorum, qui eleganti ſubtilitate demonſtrare ſe profitentur, Chriſtum natum in exitu Septembris ex ſacerdotum Ephemeriis.

Scaligeri pulchra, ſed nimis ſubtilis ab Ephemeriis demonſtratio Natalis.

Primo Paralip. 24. patet, familias ſacerdotum à *Davide* diſtributas in claſſes viginti quatuor, quarum ſingulæ per vices ſuas quæ vocantur ephemeriæ divino cultui in templo vacabant, integrâ hebdomade à ſabbato in ſabbatum. Hebdomadæ viginti quatuor dies faciunt centum ſexaginta octo: hoc orbe elapſo incipiebat iterum prima ſacerdotum claſſis ſuam ephemeriam, & poſt eam ſecunda, ac deinceps reliquæ ſuo ordine fixiſſimo, niſi publica aliqua calamitas ſacra omnia interrupiſſet. Per jactam à *Davide* ſortem prima claſſis contigit familiæ *Joaribi*, octava familiæ *Abiæ*, & reliquæ cæteris familiis dicto loco nominatis. In annis ducentis viginti quatuor ephemeriæ omnes redibant ad eoſdem dies, ita ut quo die menſis familia *Joaribi* ephemeriam ſuam inverat, e. g. vigeſimo nono Adar, cum *Solomon* templum dedicaret, eodem die poſt annos ducentos viginti quatuor eadem familia ſuam ephemeriam iterum inchoaret, adeoque ſacri hujus orbis adminiculo certiſſimè & clariſſimè ſingularum familiarum ephemeriæ inveſtigari poſſunt.

Quod huic ordini confuſionem induxit præter captivitatis Babylonicæ calamitatem, fuit etiam variorum Judæ Regum idololatria, & Divini cultûs, orbiumque ſacerdotalium in templo neglectus, ſatis crebrò in *Hezekia*, *Joſia*, & aliorum Regum reformationibus memoratus. Verumenimverò poſt *Judæ Maccabæi* purgationem templi ab *Antiochi* pollutionibus teſtatur *Joſephus* ad ultimam Hieroſolymorum per *Veſpaſianum* obſidionem, ordinem Ephemeriarum nunquam interruptum. Inſtauravit *Iudas* templum lib. 1. Maccab. 4. 52. menſis Caſleu vigeſimo quinto, anni Græcorum centeſimi quadrageſimi octavi; hoc eſt, ſecundum *Scaligerum*, vigeſimo ſecundo Novembris, anni periodi Julianæ quater milleſimi quingenteſimi quadrageſimi noni, eo ergo die ephemeriam ſuam inceperit familia prima *Ioaribi*, adeoque ſecundum cyclum hieraticum familia octava *Abia* quinquageſimo poſt die, Januarii ſcilicet decimo, anni quater milleſimi quingenteſimi quinquageſimi. Hoc principio fixo ſecundum calculum orbis hieratici inveniri certo poteſt quanto libet tempore futuro, quævis cujuſlibet viginti quatuor familiarum ephemeris, & verò periodi Julianæ quater milleſimo ſeptingenteſimo octogeſimo tertio, Julii decimo quarto, familia viceſima quarta Maaſiæ inire debuit ephemeriam ſuam, quod ob virorum bello conſumptorum inopiam non valuit præſtare, ut *Joſephus* obſervat in ultimo Endelechiſmi defectu, annis ducentis triginta tribus, & diebus ducentis triginta quatuor poſt *Maccabæi* Encænia.

Secundum hunc orbis hieratici calculum *Zacharias* in claſſe octavâ *Abiæ* Ephemeriam inivit Julii vigeſimo primo, annis poſt *Maccabæi* Encænia centum ſexaginta, & diebus centum nonaginta duobus, periodi Julianæ quater milleſimo ſeptingenteſimo decimo, impleta autem eſt ephemeris & liturgia illa *Zachariæ* Julii vigeſimo octavo, poſt quem diem *Zachariâ* domum ſuam diſcedente concepit *Elizabeth Joannem Baptiſtam* initio Auguſti, latuitque ſecundum *Lucam* menſes quinque, & ſexto ineunte ſcilicet Januario concepit *Maria Chriſtum*, qui novem poſt menſibus, Septembris ſcilicet fine vel Octobris initio, prope æquinoctium Autumnale editus eſt.

Demonſtratio hæc ſubtilis *Scaligeri* tot nititur hypotheſibus, quarum unâ labente totum ruit ædificium, ut mihi quidem ſatis dubia videatur, quæ tamen contra eam objiciunt vel Petavius vel *Spanhemius*, nequaquam ſunt magni momenti. Uterque primariam *Scaligeri* hypotheſin infirmam pronunciant, quod ſcilicet *Iudas Maccabæus* in ſuâ templi reſtauratione primam Sacerdotum claſſem ex *Joaribi* familia primâ vice ſacris adhibuerit. Reſp. *Scaligeri* hîc rationes ſunt plus quam probabiles, in ſolenni enim Divini cultûs corruptiſſimi reformatione cui ſacerdotum claſſi

Ad Petavii objectiones reſpondetur.

Ad 1. primas miniſtrandi vices debuit aſſignare potius quàm ei cui *David* divinâ inſpiratione eas vices aſſignaverat, & cui illa prærogativa ad illum uſque diem abſque controverſiâ convenerat? Præterea in defectu Endelechiſmi Ephemeriarum ordo ad claſſem ultimam viceſimam quartam tum deficientem perveneſrat decimo ſeptimo Tammuz ſeu Julii decimo quinto, à quo retrò numerando Ephemerias, ad viceſimum quintum Caſleu, ſeu viceſimum ſecundum Novembris Encæniorum *Iudæ Maccabei*, invenitur ad familiam *Ioaribi* Ephemeriam ſpectâſſe.

2. Objectio ſecunda Petavii eſt ejuſdem valoris, vult ille ex *Keplero*; ſtante etiam *Scaligeri* per orbes hieraticos calculo *Zachariæ* miniſterium incidiſſe in Septembris decimum octavum, adeoque Chriſti natalem in Decembris vigeſimum quintum. Reſp. Gratuita eſt hæc Petavii & *Kepleri* aſſertio ſine probatione: imò ſi ſtet *Scaligeri* calculus, quem Petavius largitur rectum, & in quo nihil conatur corrigere, impoſſibile eſt ut *Zachariæ* miniſterium vigeſimo octavo Julii abſolutum non ante Septembris decimum octavum inceperit.

Etiam ad Spanhemii. Ad iſta *Petavii* objecta. Spanhemius addit alia quatuor: primum, ſupponere *Scaligerum* natum Chriſtum anno periodi Julianæ

1. quater milleſimo, ſeptingenteſimo undecimo, & baptizatum ætatis triceſimo primo, quæ non ſunt certa. Reſp. Suppoſitiones iſtæ tantùm obiter incidunt, procedit verò argumentum à diebus menſium, qui in quibuſlibet annis tenent.

2. Objicit 2. Spanhemius ſupponere *Scaligerum* familiam *Abiæ* octavas ſemper vices obtinuiſſe: atqui Neh. 12. 4. 17. aliquando undecimas, aliquando duodecimas miniſtrandi vices obtinebat. Reſp. temerè Spanhemium ex hoc *Nehemiæ* catalogo ordinem familiarum ſacerdotalium confundere. Itane verò *Ioaribi* familia à primâ vice in decimam ſeptimam collabetur, quia iſtius cap. vers 6. loco decimo ſeptimo, *Ioarib* numeratur? Certè apud *Nehemiam Ioarib* & *Abia* longe diverſi ſunt à *Ioarib* & *Abia Davidis*, quorum familiis ille primas & octavas vices in templi ephemeriis tribuit: illi enim diebus *Nehemiæ*, ſicut iſti *Davidis* diebus vixerunt: ad quam autem familiam *Ioarib* & *Abia Nehemiæ* ſpectabant non conſtat, de hoc enim *Nehemias* tacet. Et verò viginti duarum tantùm ſacerdotalium familiarum capita numerat *Nehemias*, idque in nullâ ad miniſterium templi relatione, ſed tantùm ad Hieroſolymitani muri dedicationem.

3. Objicit 3. Spanhemius, licet vigeſimo octavo Julii *Zacharias* diſceſſerit domum, non tamen ſequitur ſtatim conceptum *Ioannem*. Reſp. Non premit *Scaliger* præciſum diem vel concepti *Ioannis* vel Chriſti, imò diei certiſſimam incertitudinem profitetur, tantùm vult abſolutâ *Zachariæ* ephemeriâ mox conceptum *Ioannem*, & verò latitudinis hic ac dilationis magnæ cauſa nulla meritò poteſt ſupponi.

Denique objicit Spanhemius. Dato in fine Julii conceptum *Ioannem*, inde ſequeretur natum Chriſtum non in fine Septembris, quod vult *Scaliger*, ſed in fine Octobris. Reſp. Si Chriſtus Octobri ſit natus, non multum aberit *Scaliger* à ſuo inſtituto; ſed ex eo quod hic dat Spanhemius exactè ſuum ſcopum *Scaliger* attingit, nam ſi *Ioannes* Julii fine vel Auguſti initio conceptus ſit; & ſexto pôſt menſe ineunte Chriſtus ſit conceptus, ſcilicet ineunte Januario, neceſſarium eſt ut Septembris fine, vel Octobris initio Chriſtus natus ſit.

Tertia ſententia eſt Nisbeti, qui Chriſtum natum vult ipſo Paſchatis die, idque eâ ipsâ horâ quâ Paſcha eſt mactatum, libelli ſui pag. 274. Pro hoc paradoxo nullum vir doctus nominat auctorem. Rationes ejus primariæ hæ ſunt. Prima, quod Lucæ 2. 41. 42. Chriſtus in feſto Paſchatis dicitur annorum duodecim. Ergo naſci oportuit in feſto Paſchatis. Reſp. neque antecedens neque conſequentia eſt concedenda; non antecedens quia non ibi aſſerit Lucas in feſto Paſchatis Chriſtum factum duodecim annorum; ſed cum fuiſſet factus duodecim annorum, aſcendiſſe Hieroſolymam in Paſchate. Deinde nulla eſt conſequentia, nam licet dictum fuiſſet in Paſchate factum duodecim annorum, non inde ſequetur vel ejus duodecimum annum, vel primum incepiſſe in Paſchate, nam anno Chriſti duodecimo celebrabatur ab ejus parentibus Paſcha, imò etiam & Pentecoſte, & feſtum tabernaculorum, & cætera omnia feſta ſolennia: inde tamen non ſequitur ejus duodecimum incepiſſe vel à Pentecoſte vel à Σκηνοπηγίᾳ vel à quoquam alio feſto quod in eo duodecimo vel ipſe vel ejus parentes obſervarunt. *Nisbeti ſententia & argumenta refutantur.*

Secundum Nisbeti argumentum. *Danielis* ſeptuaginta hebdomadarum finis, adeoque Chriſti mors annique illius ultimi extremum fuit in Paſchate, Ergo initium illius ultimi anni Chriſti, annorumque omnium 70. hebdomadarum *Danielis* erat in feſto Paſchatis vel die illi proximo. R. Subtile nimis hoc argumentum non eſt ſolidum, nam præterquam quod ſupra demonſtravimus, Chriſtus mortuus non eſt in hebdomadarum *Danielis* fine, ſed ultimæ hebdomadis medio, dato tamen mortuum in fine, extremumque annum hebdomadarum clauſum in Paſchate, non tamen inde ſequitur ullum annorum vel Chriſti vel hebdomadum *Danielis* à Paſchate incepiſſe. Quo die aut menſe hebdomadum revelatio *Danieli* facta ſit, Scriptura ſilet, neque etiam principium hebdomadarum deſumitur à tempore

pore revelationis ipſarum, nec ullum vel annum vel menſem Judæis Paſcha incboabat, multa probanda erant viro docto, quæ non attigit priuſquam argumentum hoc ſuum obtinuiſſet.

Reliqua ſua argumenta fatetur tantum probabilia, imò verò Chronologorum primarii tam improbabilia ea pronunciârunt, ut iis examinandis non cenſeam immorandum.

Sententia quarta quam nos amplectimur eſt *Spanhemii*, menſem & diem natalitium à nemine determinari debere, nec poſſe, cùm de iis Scriptura ſileat, & primis Eccleſiæ Chriſtianæ ſeculis nihil de iis à quoquam certi prolatum ſit. Ad hanc ſententiam ſtabiliendam non opus erit quicquam ſuprà dictis addere, tantùm in hoc *Spanhemium* relinquimus, quod, licet natalem Chriſti à Scripturâ & primævâ antiquitate ſepultum ſtatuat, tamen utiliter & piè ad natalem celebrandum vigeſimum quintum Decembris, aut alium etiam ab Eccleſiâ diem ſeparari poſſe arbitretur. Certè in diebus illis feſtis non decet Proteſtantes ſuperſtitioſas Papanorum reliquias amplecti, nec in ritibus ſupra S. Scripturam ſapere, nimia virorum multorum præſtantiſſimorum in hujuſmodi quiſquiliis [illegible] multis & luctuoſis valdè litibus Eccleſias perturbârunt.

QUÆSTIO IV.

Quando moribundi Iacob Prophetia de receſſu ſceptri à Iudâ & adventu Shilo impleta ſit?

De ſenſu verborum prophetiæ aliqua diximus ad quæſtionum noſtrarum Hebraicarum quintam. De tempore complementi nimis quàm multa diſputant præter antiquos permulti doctiſſimorum tam Proteſtantium quàm Pontificiorum; *Pareus*, *Rivetus*, *Spanhemius*, *Scaliger*, *Cauſabonus*, *Cunæus*, & alii ex noſtris; *Baronius*, *Tornellus*, *Pererius*, *Galatinus*, *Petavius*, *Serarius*, & alii ex Pontificiis quæſtionem præſentem valdè vexant, nos ex magnâ ſententiarum varietate paucas tantùm, idque paucis attingemus.

Prima ſententia Iuliani Apoſtata refutatur. Prima eſt Juliani Apoſtatæ, qui ut illuſtriſſimam hanc Prophetiam nihil ad Jeſum Chriſtum pertinere probaret, dicebat ſceptrum diſceſſiſſe à Judâ in morte *Zedekia*, poſt quem nullus fuit in *Iſraële* Rex ex ſemine *Iuda*. Pernicioſis Apoſtatæ cavillis integrum tractatum oppoſuit *Cyrillus Alexandrinus*, inter alia reſpondens, ſceptrum & aliqualem principatum poſt *Zedekiam* perſeverâſſe in domo *Davidis*, ſaltem in tribu *Iuda* uſque ad dies Chriſti. *Cauſabonus*, *Cunæus*, *Scaliger*, *Pererius*, hanc *Cyrilli* reſponſionem exagitant ut falſiſſimam; certè tamen benignius haberi decuit præſtantiſſimus Pater in ſuâ inprimis Apologiâ pro Chriſtianâ fide contra Julianum Apoſtatam. In confeſſo eſt *Iacobum* non loqui tantùm de ſceptro Regum, ſed etiam de principatu Ducum, quem *Cauſabonus* fatetur affirmare, Rabbinos perſeverâſſe in filio & nepotibus *Zorobabelis* diu poſt *Zedekiam*. Et *Cunæus* ex ſcriptoribus Judaicis declarat in domo *Gazith*, ubi intra templi atria ſedebat magnum Synedrium ad dies uſque *Herodis* pependiſſe ſceptrum ut inſigne; ſi non primariæ, certè tamen magnæ in illo Judæorum concilio auctoritatis. Præterea nullum à quoquam affertur argumentum aut argumenti umbra de principatu ullius Pontificis ex tribu *Levi* ante dies *Alexandri Magni*, qui mandata ſua ad *Jaddum* Pontificem ut Principem mittebat. Verumenimverò quod ab omnibus Chriſtianis affertur ad conciliandam tribui *Juda* majeſtatem cum ſacerdotum in eâ tribu imperio, facilè ad *Cyrilli* etiam reſponſionem cum *Jacobi* oraculo conciliandam adhiberi potuiſſe, modò nominatorum bonâ cum gratiâ fieri licuiſſet.

Etiam ſecunda Iudæorum. Secunda ſententia eſt Judæorum, qui, ut divinam hujus vaticinii vim contra miram ipſorum infidelitatem eludant, in multas ſe formas vertunt, & cùm nihil ſolidi valeant reſpondere; futilia multa commenti ſunt, inprimis hæc tria. Primò, loqui *Jacobum* non de Chriſto, ſed *Nebuchadnezare*, qui à Deo miſſus eſt ut ſceptrum auferret tribui *Juda*, & Judæorum Regnum deſtrueret in primi templi ruinâ. *Nebuchadnezar non fuit Shilo.* Reſp. Commentum hoc etſi à Judæis *Iulianus Apoſtata* amplexus ſit; tamen à Judæorum doctiſſimis tam antiquis quàm recentioribus rejicitur. Omnes Chaldaicæ paraphraſes, prout à *Cauſabono* citantur, tam *Ionathanis* quàm *Onkeloſi* & Hieroſolymitana, diſertè de Meſſia locum exponunt. Judæi etiam hodierni, & ab aliquot annorum centuriis non aliter locum interpretantur. Certè Nebuchadnezar non fuit Shilo, homo pacificus, ſed bellicoſiſſimus & erga Judæos inprimis crudelis, nec is expectatio fuit gentium, ſed populorum abominatio, ut orbis inſignis vaſtator. Verum eſt interpretem Latinum reddere vocem Shilo, *qui mittendus*, ſed quàm corruptè contra textum Hebraicum alibi demonſtravimus.

Sceptrum Iuda non eſt crux. Altera Judæorum oraculi præ manibus [illegible] eſt, nihil *Iacobum* loqui de Regno *Iuda*, ſed de *Iuda* cruce, ſeu virgâ quæ ejus dorſo ſemper incubitura erat ad dies uſque Meſſiæ, quando adverſa omnia populi Judaici in proſpera erant commutanda. Reſp. Apertè falſus eſt hic commentarius, magna enim ſæpè tribus Judæ fuit proſperitas ante Meſſiam: diebus *Davidis* & *Solomonis*, & aliàs etiam tanta Judæis pax & omnimoda felicitas terrena fuit, quantam quælibet gens optare jure potuit. Significat quidem vox שבט virgam ſed ſæpiùs ſceptrum, hic verò nihil aliud ſignificare poteſt, niſi ſceptrum, nam tota pro-

ta prophetia eſt de *Iuda* commodis & prærogativis, verbaque ſequentia, legiſlator de pedibus ejus, neceſſariò efficiunt præcedentia de virgâ majeſtatis & imperii intelligi oportere, nequaquam de virgâ afflictionum & crucis.

Tertium Judæorum κενοφώνημα eſt, ad hunc diem ſemper remanſiſſe ſceptrum in tribu Judâ, & ſemper remanſurum ad dies Meſſiæ, nam Babylone à *Nebucadnezaris* uſque captivitate in tribu *Iudâ* & familiâ *Davidis* eſt Αἰχμαλωτάρχης & *Roshgaljuth* caput captivitatis qui regiam auctoritatem in omnes ubique Iudæos, in primis Orientalis diſperſionis exercet. Reſp. mira eſt hæc *Maimonidæ* & aliorum jam vulgò, Judæorum protervia, qui impudens hoc mendacium audent ſine fronte affirmare. Quam falſum eſt in toto ſecundi templi tempore ſceptrum *Iudæ* remanſiſſe Babylone, & vel minimam in liberos Hieroſolymis Judæos captivos Babylonicos juriſdictionem exercuiſſe? Et verò an hodierno die vel Turcarum vel Perſarum Imperator ulli Judæo Regiam in Judæos ſuæ ditionis poteſtatem permittit? Credat hoc Iudæus apella. Certè quæ in ſuo Itinerario *Benjamin* Tuledenſis narrat de ſtatu Iudæorum ſub Caliphis Mahumetanis per multa fabulis proxima videntur. Quæ verò de Principe domus *Davidis* & ejus gloriâ habet, omnia ſunt ludicra & puerilia, nec quicquam juriſdictionis in cujuſquam vitam aut necem important, nedum ut auctoritatem ſupremam aut ſceptrum ſignificent. Denique licet maximè Regium & multò illuſtriſſimum dominium quivis Iudæus poſſideret Babylone, aut ullibi terrarum extra *Chananæam*, nihil hoc ad *Iacobi* benedictionem ſpectâret, quæ tota intra terræ promiſſæ terminos completa fuit; ut rectè *Cunæus* ex *Maimonide* notat.

Nullum Iudæis Babylone ſceptrum fuit.

Tertia ſententia quam & nos amplectimur communis eſt veterum Iudæorum, Chriſtianorum Patrum, & plerorumque doctorum in Eccleſiâ tam Proteſtantium quàm Pontificiorum: hanc *Spanhemius*, *Rivetus*, & alii prolixè tuentur, completam ſcilicet fuiſſe *Iacobi* prophetiam cùm *Herodes Magnus* à Romanis Iudæorum Regnum adeptus eſt, tum enim receſſit ſceptrum à Iudâ, eique jugum extraneum impoſitum eſt, & nullus de ſemine ejus legiſlator remanſit, Synedrium ab *Herode* de medio ſublatum eſt, nec ullum Iudæis relictum eſt judicium de cujuſquam ob quodvis crimen vitâ.

Communis ſententia eſt vera.

Quò magis communis hæc ferè omnium Chriſtianorum ſententia pateat, varias circa eam difficultates, movebimus.

Prima. Nullum fuit ſceptrum, nullus legiſlator in tribu Iudæ ante ſera ſecula diebus Davidis. Reſp. *Iacobi* oraculum expreſſè eſt de ſeris ſeculis, ultimis ſcilicet diebus, nequaquam ergo ſtatim & ſeculis primis impleri debuit: diebus quidem Iudicum duo fuerunt ex tribu Iudâ Principes *Othniel* & *Abeſan*, & ſemper iſtius tribûs primariâ fuit dignitas, nam ſicut primogenituræ, à quâ lapſus eſt *Reuben*, duplex portio *Ioſepho*, ita honor & præeminentia Iudæ ab initio competebat. Quare in caſtrametatione, in templi ſacrificiis, in ſortitione terræ, in bello contra communem hoſtem tribus Iudæ prima ſors ſemper extitit; attamen ante Davidem Regem nullum ei ſceptrum, aut conſtans principatus, vel à Deo vel ab hominibus eſt conceſſus: nihilominùs ſatis & abunde ſit ad prophetiæ implementum, quòd Davidis diebus ad Iudæ manus ſceptrum acceſſerit.

Nullum ſceptrum in Iuda ante Davidem.

Secunda difficultas eſt, non diutiùs retinuiſſe Iudam ſceptrum quàm Zedekias ultimus Davidicorum Regum extinctus eſt, annis non totis quingentis, tempore autem toto ſecundi templi ſupremam in Iudæos poteſtatem exercebant Pontifices Levitæ, ſaltem ad *Herodis* uſque Regnum. Reſp. Suprema Pontificum poteſtas ante dies Maccabæorum, ſaltem ante dies *Alexandri Magni* nullo commodo argumento probatur, ita ut ſceptrum regium in manibus Judæ multo diutiùs remanſerit quàm apud aliam ullam tribum. Prætereà oraculum expreſſam continet disjunctionem, non debuit ſceptrum ſemper remanere in Judâ, ſed poſt remotos Reges, Legiſlatores, Duces, & minoris potentiæ Principes erant ſucceſſuri: qui quamdiu in ſummâ auctoritate perſeverârunt non eſt certum: præfuiſſe quidem videntur ex domo *Davidis* Duces diebus *Malachiæ*, & ultimorum V. Teſtamenti ſcriptorum. De ſeculis aliquot inſequentibus nihil habemus præter Apocryphorum, & humanorum ſcriptorum eorumque paucorum admodum teſtimonia, quæ non generant fidem Divinam.

Retinuit Iuda Sceptrum poſt Zedekiam.

Tertia difficultas. Annon receſſit ſceptrum à Judâ cùm Maccabæi Principes ex tribu *Levi* ſupremam Regiamque poteſtatem in Judæos exercebant? Ad graviſſimum hoc dubium varii varia reſpondent. Primò, volunt quidam Maccabæos fuiſſe reverâ de tribu Judâ, idque ex genere paterno. In hac ſententiâ fuit non tantùm *Genebrardus*, ſed etiam Baronius, eandem ſibi mentem fuiſſe in prioribus Annalium ſuorum editionibus profitetur, etſi in poſterioribus eam retractârit: Et ſanè putidiſſimus eſt hic error, nam in libro Maccabæorum primo, qui Baronio eſt authentica Scriptura, *Mattathiæ* genus diſertiſſimè ad ſacerdotem *Ioarib* & Patriarcham *Levi* refertur. Argumentum prioris iſtius ſuæ fidei non revocavit Baronius, nec ullus Pontificius jure revocare poteſt, nam in authenticâ ipſis Scripturâ 1. Maccab. 5. 63. Maccabæi vocantur viri Judæ. Nos quidem facilè reſpondemus, textum Latinum corruptum hîc eſſe, in Græcis enim habetur Καὶ ὁ ἀνὴρ Ἰούδας καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ, *& vir Iudas ac fratres ejus*; Verba quæ

Malè Baronius Maccabæos ponit in tribu Iuda.

ba quæ ad tribum Judæ nihil ſpectant, licet illa Lovanienſes Latino margini aſcribant. Sed decretum Tridentinum de Latinorum αὐθεντίᾳ Pontificiis non permittit reſponſionem hanc, quam ipſi ſciunt veriſſimam, amplecti.

Secundò reſpondent alii, in quorum numero *Baronius* etiam in ultimâ Annalium ſuorum curâ perdurare ſe profitetur tom. 1. pag. 3. Maccabæos etſi non genere paterno, materno tamen *Iuda* tribum attigiſſe, & jure matrum *Iuda* ſceptrum poſſediſſe. Reſp. Gratuita hæc de Judaicis Maccabæorum matribus aſſertio, abſque ullo idoneo teſte, tam facilè negatur quàm affirmatur. Licuiſſe Sacerdotibus de *Iuda* familiâ uxores ducere in Scripturis bonæ notæ aliquot exempla ponunt extra dubium. Sed ſæpè id factitatum, aut Maccabæos Sacerdotes id præſtitiſſe nullibi legimus: & licet ſic factum daretur, non tamen inde probatur quæſitum, aliud enim apud Judæos quàm cæteras gentes fæminarum jus fuit; iſtæ enim privatam hæreditatem multoque minùs Regnum ad maritos aliarum tribuum non transferebant. Gallorum lex Salica, per quam lilia non nent, fœminæ non regnant, nec jus Regni vel ad maritos, vel liberos tranſmittunt, apud Iſraëlitas ſemper viguit. Attaliæ tyrannis, *Deboræ* Prophetiſſæ extraordinaria dominatio ordinarium jus non enervant.

An Principatus Maccabæorum fuerit legitimus? Argumentum quod prò hac reſponſione unicum affert *Baronius*, ejuſmodi eſt. Niſi materno ſaltem genere ex *Iuda* tribu fuiſſent Maccabæi, nullo jure nixa fuiſſet eorum potentia, imò verò in meram tyrannidem evaſiſſet. Reſp. Quid incommodi, ſi quemadmodum *Gulielmus Vallas* Scotorum ſceptrum heroicâ ſuâ virtute redemptum legitimo hæredi *Roberto Bruſſio* reſtituit, ita *Iudas* Maccabæus Divinâ ſuâ virtute liberatum Judææ Regnum Davidicæ domui, ad quam unicè ſpectabat, reddidiſſet? Calamitates atque tragœdiæ, quæ Maccabæorum familiam primò vexarunt, ac deinde funditus extirparunt, fortaſſe demonſtrant non uſque quaque legitimum, Deoque acceptum fuiſſe eorum Principatum. Quod ſi omninò legitimum quis amet defendere eorum imperium hoc jure poterit, quòd in extremâ ab *Antiocho* oppreſſione extraordinariâ de cœlo vocatione viri heroes excitati, & in populi vindiciis mirabiliter à Deo adjuti, in ipſorum manus à populo lubentiſſime delatum gubernamen acceperint, ut expreſsè habetur 1. Macc. 14. 41. donec Propheta ſurgeret, qui ſcilicet Dei mentem ſignificaret, quid in eâ maximâ Davidicæ familiæ infirmitate, & ſummâ Maccabaicæ virtute, gloriâ, ac ſucceſſu pro ſalute populi agendum incumberet.

Denique quartò afferuntur aliis duo quæ non diſplicent, in primis ſi conjungantur. Primò, Synedrium in quo penè ſumma poteſtas reſidebat, erat magna ex parte de tribu *Iuda*: Synedrii quidem non admittimus majorem fuiſſe poteſtatem quam Principis; & argumentum quod à quibuſdam ad hoc probandum affertur ex *Ioſepho*, parvi eſt momenti, quaſi Synedrium ipſum *Herodem* ad cauſam de capite dicendam vocâſſet, hoc quidem fusè narrat Joſephus. Duo tamen vim argumenti enervant: primò, Synedrium eâ tempeſtate nomine *Hircani* Pontificis & Principis, imò Regis juriſdictionem exercuiſſe. Secundò, eo tempore *Herodes* fuit tantùm adoleſcens & merè privatus, Synedrii ſententiæ non minùs quàm quivis alius ex populo jure ſubjectus.

Quod ſi verò non ſatisfiat oraculo, ut in Synedrio de tribu *Iudâ* ſub Maccabæis Principibus & Pontificibus judices ſederint, perſeverantes uſque ad dies Meſſiæ, adde ſecundum, Maccabæos Principes etſi de tribu *Levi*, ad tribum *Iudæ* tamen ſpectâſſe, eo quòd poſt reditum inprimis ex Babylone, omnes Iſraëlitæ tribui *Iuda* inſerti & incorporati, ſaltem adjuncti ſint, ut iſtius unius maximæ tribûs appendices, & omnes in Iudæorum nomen tranſiêrint; adeò ut Maccabeis à Iudæis volentibus in capita & principes gentis electis & regentibus Iudæorum nomine ac viribus, & ex urbe eorum capitali Hieroſolymis cæteræ ditioni, ſecundum eorum leges & placita dominantibus ipſorum ſceptrum rectè vocari poſſet *Iuda* ſceptrum, & ipſi rectè nominari Iudaici principes, atque ex tribu *Judâ*, ſcilicet amplificatâ per appendices Benjamitarum, Levitarum, aliorumque ei tribui poſt *Jeroboami* ſchiſma, inprimis poſt reditum Babylone incorporatas. In quarto hoc reſponſo nos acquieſcimus.

Quinta difficultas. Poſt remotum à *Judâ* ad *Herodem* ſceptrum nondum venit *Shilo*, nam Chriſtus non eſt natus ante *Herodis* triceſimum quintum. Reſp. Tempora ſacra admittunt ſæpè latitudinem, nec in momento mathematico indiviſibili conſiſtunt. Si in diebus *Herodis* qui primus removit ſceptrum à ſemine *Jacobi* venerit *Shilo*, recte ſatis dicitur remoto ſceptro de *Iudâ* veniſſe *Shilo*, & natum Meſſiam.

Eſt adhuc quarta hîc ſententia virorum multò doctiſſimorum, Scaligeri, *Cauſaboni*, *Cunæi*, *Tornielli*, *Gomari*, & aliorum. Completum oraculum *Jacobi* nequaquam diebus *Herodis*, ſed in ultimâ plenaque Hieroſolymorum & Judaicæ omnis Reipûb. ruinâ. *Cauſabonus* in ſuâ Scaligerianæ ſententiæ interpolatione diſtinguit tria momenta Judaicæ ruinæ, adeoque impletionis oraculi præ manibus. Ponit primum in *Pompeji* ſubjugatione Judæorum, annis ante natum Chriſtum ſexaginta: ſecundum in *Archelai* relegatione, cum in Provinciam Judæa cum Hieroſolymis à Romanis redacta eſt, annis præter propter *Refutatur ſententia Scaligeri quod ſceptrum manſerit in Iudâ uſque ad urbis excidium.*

tredecim poſt Chriſtum natum: denique tertium, cum urbs, Regio, Reſque publica Iudæorum tota eſt ſubverſa per *Titum*. Iſta, profitemur, nobis non placent, nam præterquam quod abſque neceſſitate penè omnibus tam antiquis quàm recentioribus nimis apertâ moleſtâque fronte occurrant: etiam verum non eſt *Pompejum* Iudæis (etſi eos ſatis male mulctavit) abſtuliſſe vel αὐτονομίαν vel Principatum, nedum ut in Provinciam redegerit. Præterea quod ſceptrum in Iudâ permanſiſſe docent, totis annis ſeptuaginta poſt adventum *Shilo*, & annis quadraginta poſt mortuum Meſſiam, novitas eſt tam expreſsè oraculo contradicens, ut robuſti oporteat eſſe ſtomachi qui eam concoquere valet.

An Herodes fuerit ἀλλόφυλος.

Ut ſuam *Scaliger* ſententiam propugnet, adducit argumentum valdè novum, quod *Cauſabonus* prolixè dilatat nimirum, Herodem verè Judæum fuiſſe non ἀλλόφυλον & extraneum, adeo ut eo regnante regnaret Judæus & ſceptrum à *Judâ* non ſit remotum. Contra hoc argumentum ſcribit Jeſuita *Serarius* integrum librum amariſſimis contra *Scaligerum* conviтiis plenum: ſed nihil opus fuit tanto labore, nam tota de hoc argumento diſputatio eſt λογομαχία, eoque facilè conciliabilis, ut rectè obſervat *Petavius* de doctrina temporum lib. 12. cap. 5.

De genere & familiâ Herodis tres erant antiquorum ſententiæ. Prima fuit *Nicolai Damaſceni* hiſtorici doctiſſimi, qui cum Herode familiariter vixit. Aſſerebat is Herodis majores de Judæis Babylonicis prognatos, adeoque ipſum veriſſimum Judæum, ac Hebræum de Hebræis fuiſſe. Hanc ſententiam falſam docet *Joſephus*, & à *Nicolao* in amici ſui Herodis gratiam confictam, nec eam quiſquam mortalium amplexus eſt ante Jeſuitam *Torniellum*, qui ad annum ſuum mundi quater milleſimum viceſimum octavum, multis eam verbis contra omnes mortales defendit: ſed quàm infirmis argumentis *Spanhemius* ſingulis reſpondens, demonſtrat.

Secunda ſententia priori diametraliter oppoſita eſt, tantùm abeſſe ut Herodes Judæus de Judæis fuerit, ut nullâ Judæorum gentem affinitate vel ipſe vel ſui majores attigerint, utpote qui fuerint merè Gentiles, Philiſtæi & Aſcalonitæ. Hanc *Africani* ſententiam *Euſebius* & alii ferè omnes Eccleſiæ Patres tuentur. Cui *Baronius*, *Serarius*, aliique permulti mordicus adhærent. Eam *Scaliger* nimis vehementer oppugnat indignioribus contra *Africanum*, & affines Domini, ut vocabantur δεσποσύνους (à quibus *Africanus* eam ſe didiciſſe affirmat, invectivis quàm oportuit.

Tertia ſententia fuit media *Ioſephi*, Herodem neque ſtrictè Judæum neque Gentilem fuiſſe, ſed ſemijudæum ex proſapia Idumæorum, qui poſt ipſorum à *Ioanne Hircano* ſubjugationem, omnes amplexi ſunt circumciſionem, & cæteram Judæorum religionem; factique proſelyti in nomen & jura Judæorum tranſierunt uſque ad Hieroſolymorum per Titum vaſtationem. Hanc *Ioſephi* ſententiam contra *Africanum* & ſequaces tuetur *Scaliger*, aliique: ſed nequaquam inde ſuum finem aſſequitur. Eſto fuerit. Herodes laxo ſenſu Judæus proſelytus, adeoque non ſtrictè Gentilis & ſimpliciter ἀλλόφυλος, non tamen inde ſequitur eo regnante non diſceſſiſſe ſceptrum à *Iudâ*, nam Idumæi proſelyti non erant de ſemine Iſraelis, ſed tam peregrini & extranei, etiam in ſtatu proſelytico, ut nullum jus in ſceptrum aut ullum principatum Judæorum iis competeret. Certè fatentur hujus ſententiæ propugnatores proſelytos in ipſum Synedrium non potuiſſe aſſumi, itaque cum Herodes Idumæus licet Ἰουδαιομορφὸς tam fuerit peregrinus & alienus ab imperio in Judæos, ut capax non fuerit vel honoris Synedrici, cùm hujuſmodi vir in ipſum thronum aſcendit, & ſceptrum tyrannicè invaſit, & rapuit ac exercuit gubernamen viribus Romanorum merè Gentilium, & arſis & exciſis omnibus nativorum Judæorum curiis non tantùm ſummo Synedrio, ſed etiam cæteris inferioribus in eorum locum ſubſtituens quoſcunque ipſi allubitum fuit, hæc cum ſic ſeſe haberent, negare non debuit ſceptrum & omne judicium à *Iudâ* per Herodem ſublatum.

Refutatur Cunæus.

Petrus Cunæus vir doctiſſimus in ſuo de Republicâ Hebræorum lib. 1. cap. 8. & ſequentibus profitetur magnificis, ut ejus mos eſt, verbis quintam & novam ſententiam, in quâ varia ſunt quæ diſplicent. Primò, ſine causâ invehitur, in Patrum miſeras, quas vocat, hallucinationes, etiam ipſius *Euſebii* quem tantopere laudat in hoc ipſo argumento, quaſi ſceptrum in *Iuda* manibus collocâſſent ſtatim ab initio pronuntiati oraculi. Certè qui *Euſebium* legerit cum curâ vel initio hiſtoriæ, vel libro iſto octavo Demonſtrationis Euangelicæ, videbit male taxatum à Cunæo *Cauſabonum*, quòd aſſerat *Euſebium Iuda* ſceptrum incepiſſe à diebus *Davidis*, antea verò prærogativam tantùm & præeminentiam illi tribui ſupra cæteras aſcribere.

Secundò. Cunæi de quo gloriatur inventum, ſolidum non videtur, ſceptrum ſcilicet & judicem in oraculo *Iacobi* nihil aliud ſignificare quàm populo Iudaici ſtatum, Rempub. & majeſtatem. Certè non loquitur *Iacob* de toto populo aut tribu, ſed de principibus & legiſlatoribus ex eâ tribu, ex ſemine ſcilicet *Iuda* prognatis, &, ut loquitur, ex femore ejus.

Tertio peſſimè Cunæus (ut rectè probat *Spanhemius*) denegat ſceptrum *Iuda* datum temporibus *Davidis* & *Salomonis*, cum *Iuda* ſceptrum ſummè floruit.

Quartò. Malè taxat Cunæus in Patribus & aliis, quòd velint Iudæorum nomen duodecim

decim tribubus datum, certè nulli unquam ſomniârunt Iudæorum nomen Iſraëlitis ex decem tribubus, qui à *Salmanaſſare* in *Mediam* deducti ſunt communicatum; ſed tamen extra controverſiam eſt, reliquiis ex omnibus tribubus Iſraëlitarum, Iudæorum nomen ritè datum.

Denique quintò, quod majeſtatem imperii in tribu Iudæ Cunæus ponit, cùm non tantùm Romani, ſed eorum ſervi, *Herodes* pater ac filii, *Pilatus*, & cæteri Provinciæ *Iudææ* Procuratores, omnem à miſero ſubjugatoque populo majeſtatem abſtuliſſent, videtur perabſurdum.

QUÆSTIO V.

Cur Matthæi 1. 8. *in genealogiâ Chriſti inter Ioram & Oziam tres Reges omittantur Ahazias, Ioash, & Amazias?*

In Chriſti genealogiâ multiplex difficultas.

IN N. Teſtamento difficiliores nullæ ſunt quæſtiones Chronologicæ, quàm quæ de Chriſti genealogiâ magno numero nunc & olim à multis motæ ſunt. Earum aliquot tractavimus ſuprà, prout in temporibus Teſtamenti veteris ſe nobis offerebant; nimirum primò, cum ex Matt. 1. 5. quæritur, quî *Booz* eſſe potuerit filius *Salmon*, cum ab ortu *Salmon* ad interitum *Booz* fluxerint anni ſupra trecentos. Secundò Cum Lucæ 3. 36. inter *Arphaxad* & *Selah* inſeritur *Cainan* ſecundus, cur hic nuſquam in V. T. apparet? Tertiò. Cur Matt. 1. 9. *Ahaz* genuiſſe dicitur *Ezechiam*, cùm tamen *Ahaz Ezechiam* filium annis undecim ſuperare non videatur? Quartò. Matt. 1. 11. Cur *Ioſias* genuiſſe dicitur *Iechoniam* & fratres, cum tamen *Iechonias* non à *Ioſiâ* ſed *Ioakimo* genitus ſit. Quintò Matt. 1. 12. *Iechonias* genuiſſe dicitur *Salathielem*, & tamen Propheta *Ieremias Iechoniam* facit ſterilem & ἄπαιδα. De his omnibus lib. priori, de primo ſcilicet cap. 6. quæſt. 4. de ſecundo Cap. 4. quæſt. 1. de tertio ibidem quæſt. 19. de quarto ibidem quæſt. 28. de quinto ibidem quæſt. 29. Superſunt adhuc plura neceſſariò diſcutienda.

In genealogiis Scriptura nulla vanitas.

Quod habet Paulus 1. Tim. 1. 4. & Tit. 3. 9. intelligendum non eſt de genealogiâ Chriſti ab Euangeliſtis deſcripta, ea enim eſt pars Scripturarum θεόπνευστος, quæ vana & inutilis eſſe non poteſt, nec ex ſe quæſtiones ſtultas ac fabuloſas parit: ſed neceſſariò veræ ædificationi inſervit contra Euangelii hoſtes demonſtrans ad oculum veram Chriſti humanitatem; imò ſecundum promiſſa, clariſſimum *Meſſia* de *Abrahamo*, *Iudâ*, & *Davide* deſcenſum. Diebus quidem *Pauli* infinitæ lites inter *Iudæos* vigebant de multorum genealogiis quas diſtrictè vetabat Apoſtolus, probè gnarus poſt natum Meſſiam, & imminens perpetuum Iudæorum à terrâ Chanaan exilium, nulli ultra uſui bonoque genealogias illas inſervituras: nihilominùs linea proſapiaque Chriſti omninò neceſſaria fuit cognitu ad fidem electorum confirmandam, de Chriſti tum perſonâ tum officiis. De hac quæſtiones modeſtæ & ſobriæ non tantùm utiles ſunt & ædificant, ſed contra hominum nequam improbitatem omninò neceſſariæ.

Manichæi totam illam Matthæi, & Lucæ hiſtoriam de Chriſti genealogiâ delebant, eo quòd humanam Domini naturam contra ipſorum hæreſin irrefragabiliter evincebant.

Porphyrius, *Iulianus*, & alii Pagani ac Apoſtatæ Chriſtianæ Religionis hoſtes acerrimi oppugnabant totam Scripturam, inprimis ex contradictionibus quas in Chriſti genealogiâ obſervâſſe ſe gloriabantur: ut infrunitorum iſtorum calumniæ retundantur, omninò neceſſarium eſt quæſtiones & dubia in ſacroſanctâ hac genealogiâ perversè mota diſcutere.

Genealogia Chriſti hominis non eſt inenarrabilis.

Quod autem objiciebant Manichæi tam Iſaiam quàm Paulum affirmare Chriſti genealogiam explicatu impoſſibilem, eo quòd Iſaias 53. 8. dicat, Generationem ejus quis enarrabit? & Hebr. 7. ℣. 3. legatur Chriſtus ἀγενεαλόγητος; facilè reſpondetur, iſta de generatione Chriſti divinâ non humanâ intelligi; nam etſi ſecundum naturam Divinam æterna Chriſti generatio ſit ineffabilis, linea tamen ejus humana deſcenſuſque à Davide, imò ab Abrahamo imò ab Adamo narratu non fuit impoſſibilis. Alia quoque reſpondentur ad hoc objectum, ſed brevitati conſulentes in dictis acquieſcimus.

Proavi generant quoſcunque poſteros.

Hiſce præmiſſis accedimus ad dubium in titulo propoſitum, Quî fiat ut in lineâ Matt. cap. 1. 8. tres omittantur Reges, ſaltuſque fiat à *Ioramo* ad *Oziam* quaſi à patre ad filium? Duo hîc ſunt ſcrupuli; prior, Quî *Ioramus* genuerit *Oziam* abavus abnepotem? Alter; cur tres illi ex linea Chriſti ejiciantur? *Spanhemius* profitetur priorem ſolutu facilem: & quidem reſponſio communis tàm Patrum quàm recentiorum ex omni parte Theologorum ſatis eſt vera, ſeros ſcilicet nepotes atavorum, & ab ultimâ antiquitate majorum, rectè dici filios filiaſque: apud Ioannem Iudæi vocant ſe filios *Abrahami*, & Chriſtus mulierem infirmam vocat filiam *Abrahami*. Ac Lucæ. 1. Elizabetha ex filiabus *Aaron* perhibetur, & ſæpè mortales omnes vocantur filii *Adam*. Hîc vellem tantùm obſervatum, *Spanhemium* (ut videtur) contra ſua alibi effata ſponte concedere, rectè vocari patres, ac dici gignere, qui tamen non genuerunt, nec patres fuerunt immediatè.

Præteritio trium Regum quibuſdam facilis, quibuſdam difficilis videtur.

Ad ſecundum ſcrupulum reſponſa ſunt varia. Primò, quidam quæſtionem hanc tam levem ſolutuque facilem exiſtimant, ut in ſuis ad locum Matthæi Commentariis de eâ nullum verbum faciant. In hoc numero ſunt *Eraſmus*, *Lutherus*, *Beza*, *Piſcator*, *Hein-*

ſius, *Grotius*, *Hamondus* & alii, niſi forte ea iſtorum doctorum ſit prudentia, quæ nimis quam multorum commentatorum praxis eſt, nihil eorum movere quæ lectores inprimis diſcuſſa deſiderarent.

Secundò. Quidam quæſtionem hanc tam arduam profitentur, ut ad eam nihil quod ſatisfaciat reſponderi poſſe affirment: hæc *Pareus*, *Fabri Stapulenſis*, & propè ipſius *Spanhemius* mens eſt. Ad utram harum ſententiarum referri debeat *Chryſoſtomus* ambigi poteſt: nam initio homiliæ IV. Matt. I. dubium præ manibus expreſsè movet, ſed recuſat ſolvere, ob facilitatemne an difficultatem meritò dubites; ratio enim quam populo auditori ſuo dat cur dubium illud non diſſolvat, eſt ἵνα μὴ ἀναπίπτῃ. Vox ἀναπίπτειν eſt πολύσημος, nam ſignificat cadere, fatiſcere animo, deſpondere animum, ſed ſæpiùs languere, ſupinum eſſe & negligentem: ſi in priori ſignificatu accipias, abſtinet *Chryſoſtomus* à dubio ſolvendo propter difficultatem, ne auditorum animos conturbaret, movendo difficiliora quàm eorum caperet ingenium: ſin verò cum auctoris vetere interprete Latiuo, novoque etiam Ieſuita *Frontone* Ducæo in ſecundo ſignificatu accipias, contraria erit ſententia; abſtinere à ſolvendo propter facilitatem, ne ſuo illo labore nimium auditoribus ſuis otium pareret; relinquere ergo in medio ſcrupulum, ut ipſi ſuâ ipſorum induſtriâ abſque magiſtro eum diſſolverent.

Tertia ſententia eſt eorum, qui uon tantam in dubio facilitatem arbitrantur, ut tranſiliendum & ſilentio involvendum putent; nec tantam difficultatem, ut deſperatum & ἄλυτον pronuncient, ſed mediâ inſiſtentes viâ, ſolutiones ſuas quàm poſſunt commodas proponunt. Ex his quidam errorem librariorum ſtatuunt, qui in manuſcripto Matthæi facili lapſu oculos ab *Ochozià*, in ſimile nomen *Oziæ* conjicientes, duos iutermedios præteriêrunt.

Sanchezii mala ſolutio. Solutio hæc Jeſuitæ Sanches & aliorum ante eum ab omnibus vulgo rejicitur; nam præter alia, quæcunque hîc eſt mediorum præteritio non tranſcriptoribus, ſed ipſi Matthæo neceſſario eſt aſcribenda, nam abſque hac præteritione τεσσαρεσκαιδεκάδων numerus ab Apoſtolo manifeſtè inſtitutus non conſtaret.

Etiam Buceri. Secuuda ergo aliorum reſponſio eſt, ipſum Apoſtolum παχυλῶς tantùm, & minori curâ iſta hiſtorica tranſcurrentem, ut res parvi momenti, ἀκριβῶς ueglexiſſe. Reſponſionem hanc doctiſſimi noſtri Buceri rectè *Spanhemius*, licet tacito auctoris nomine rejicit & taxat ut periculoſam; abſit enim omnis lapſus, & omnis negligentia in re quâvis vel leviſſimi momenti à ſcriptore omni θεοπνεύστῳ.

Toſtati & Salmeronis futilia myſteria. Tertia itaque Aliorum reſponſio eſt, ipſum Apoſtolum deditâ operâ tres dictos Reges præteriiſſe ob rationes myſticas. In myſteriis hiſce Toſtatus Abulenſis, & Ieſuita Salmeron dominantur, iſte rationem inſtitutarum trium τεσσαρεσκαιδεκάδων ſubtiliter expiſcans ſtatuit factum hoc ab Apoſtolo, ut in numero trium deſignaret ſacroſanctam Trinitatem, & in numero quaternario, quatuor Euangelia, ac denario decem præcepta legis: hic verò inveutis prioribus addens excluſiſſe vult Apoſtolum à genere Chriſti tres illos Reges, ut conſtituerentur typi omnium Apoſtatarum, qui doctrinam Trinitatis abnegantes, & abjicientes tres virtutes Theologicas, fidem, ſpem, ac charitatem, catalogo fidelium ac poſterorum patris *Abrahami* excluduntur. Meritò cum *Spanhemio* rideremus iſtos expoſitores, niſi doctiſſimi viri, etſi in fictis iſtis myſteriis delirent, tamen eo ipſo loco ſolidè & plenè ſatis veriſſimas rationes præteritionis præ manibus traderent, quas jam in proximâ ſententiâ exponemus.

Solutio communis eſt recta. Quarto & ultimo loco *Hieronymus*, *Hilarius*, opus imperfectum in *Matthæum* malè *Chryſoſtomo* aſcriptum, ac poſt eos Patres, Gloſſa ordinaria, *Lyranus*, *Abulenſis*, *Cajetanus*, *Calvinus*, *Chemnitius*, *Iunius*, *Gomarus*, *Cartvvrightus*, *Deodatus*, Annotatores Anglicaui, *VVallæus*, *Ianſenius*, *Maldonatus*, *Baradius*, à *Lapide*, *Lucas* Brugenſis, & alia turba tam Proteſtantium quàm Pontificiorum in ſuis ad locum commentariis, quibus nos acquieſcimus, tradunr præteritos à *Matthæo* tres iſtos Reges, eo quòd majores Chriſti in tres τεσσαρεσκαιδεκάδας conjicere conſtituiſſet, ſecunda autem τεσσαρεσκαιδεκὰς fuiſſet fracta trium illorum additione, & in ἑπτακαιδεκάδα evaſiſſet.

Cur autem eos numeros Apoſtolus elegit, quæſtio proxima indicabit, ſed hoc ſuppoſito Apoſtolum tres quater denarios elegiſſe, ut ſecundus non excreſceret, neceſſarium omninò fuit tres ex veris Chriſti majoribus excludere, ac ex eo catalogo eximere, quorum memoria tamen in aliis ſcripturis ſatis fideliter conſervabatur.

Maledictio divina in Ahabi quartam generationem. Quamobrem verò tres nominati *Ahazias*, *Ioaſh*, & *Amazias* potuis quàm alii delebantur, cauſa fuit non ipſorum ſingulare aliquod peccatum, nam alii æquè peccamiuoſi iu ſerie retinentur, *Manaſſes*, *Amon*, *Ahaz*, aliique; ſed peculiaris Dei maledictio in poſteros Ahabi. *Athaliah* enim *Iorami* uxor, *Ioſaphati* nurus filia fuit Ahabi & *Iezabelis*. Non eſt quòd cum *Maldonato*, & *Salmerone* moveamus hic quaſi difficilem quæſtiouem, qui *Athaliah* aliquando Ahabi aliquando *Omri* dicatur filia? nam facilè hæc conciliantur. *Omri* enim Ahabi fuit pater, ejuſque familiæ ſtirps ac origo, itaque ejus nepotes ac poſteri, cujuſcunque ſexûs, cujuſcunque diſtantiæ, rectè dicuntur ſecundum uſitatam ſatis Scripturæ phraſin, ejus filii & filiæ.

Athalia filius fuit *Ahazias*, nepos *Ioash* pronepos *Amazias*, Dei benedictio eſt ad mille-

milleſimam generationem, maledictio verò tanrùm ad tertiam aut quartam. Per os *Elia* pronunciavit Dominus magnam in ſceleratiſſimum Ahabum maledictionem, quam *Iehu* Divino mandato executus eſt, extirpando omnem ejus prolem maſculam, propter quod miniſterium à Deo obtinuit ſuis poſteris thronum Iſraëlis ad quartam uſque generationem. Qui ex Ababi filia remanebant Reges Judæ, eos voluit Deus hac infamiâ notare, ut ad quartam generationem in Chriſti lineâ non ſtarent. Ipſe Joram non eſt excluſus, quia licet affinitas cum Ahabo ejus patriſque *Ioſaphati* reatus fuerit, ipſe tamen ex maledicto Ahabi ſanguine non erat prognatus, nec abnepos *Ozias* poſteriqne, licet ab Ahabo deſcendentes excluſi ſunt, quia nltra generationem tertiam aut quartam Divina maledictio non ſolet procedere.

[illegible] Bucerum, Gualterum Calvinum decepit Annius.

Hoc loco Doctores tam Proteſtantes quàm Pontificii ſolent flagellare nequiſſimi impoſtoris Annii Viterbienſis profligatiſſimam audaciam, qui ſub *Philonis* Judæi pallio auſus eſt hoc etiam cum cæteris ſuis mendaciis comminiſci, in *Ahaziâ* totam *Solomonis* & *Ioſaphati* etiam proſapiam extinctam, Regemque *Ioram* ex *Nathane Solomonis* per matrem *Bathzebam* uterino fratre prognatum. Dolet præſtantiſſimos viros, Bucerum & Gualterum nebulonis impoſturas hîc ſequutos, nt alibi viri maximi per multi, tam ex noſtris quâm Pontificiis, fraude nondum detectâ, illius fabulas amplexi ſunt. Video etiam Joannem Calvinum in ſuo ad barmoniam commentario pro dictâ Buceri & Gualteri ſententiâ ſtare; non propterea tamen decuit Jeſuitam *Maldonatum* in eum tam acerbè invehi: etſi enim pro iſtâ ſententiâ quædam proferat argumenta, expreſsè tamen profitetur habere ſe eam tantùm pro probabili, & quam in medio relinquit. Quicquid etiam in eâ opinatus eſt accepit ab Annio Viterbienſi Monacho Pontificio, quem *Ioannes Lucidus*, & alii multi ex Pontificiis ante noſtros ſequuti ſunt, nec citius ant acriùs à Jeſuitarum quoquam Annianæ fabulæ oppugnatæ ac protritæ ſunt quàm à ſequacibus Calvini: utcunque benignior in alios *Maldonatus* hîc eſſe debuit eſſe cenſor, cum ipſe ad eundem hunc *Matthei* locum craſsè ſatis ceſpitet, nam cum fundamentum Teſſaradecadum in vaniſſimis poſt alios numerorum myſteriis poſuiſſet, ut ſe in *Platonicâ* & *Pithagoricâ* Philoſophiâ ſociis doctiorem demonſtraret, ex ſuo ipſius penu deprompſit hanc etiam iſtius numerationem. Dies, inquit, decimusquartus in morbis eſt Criticus, adeoque in Rebuspublicis decimaquarta generatio eſt critica, poſt quam Reſpublicæ in melins ſolent commutari. Itane verò an Medicis decimusquartus dies criticns magis eſt quam quintus, ſeptimus, nonus, aut alii varii dies? Et an morborum criſes mutationem in melius potius quàm deterius ſignificant? Quicquid verò fiat de morbis, an numeri ullum in Rerumpublicarum mutationibus influxum habent? Putabam *Ioannis Bodini* ſcripta ab Eccleſiâ Romanâ publico uſu interdicta, ob hunc inter cæteros prætextum, quòd ſecundum ſuperſtitionem Pythagoreorum Rerumpub. ſtatum nimis à variâ numerorum in annis complicatione pendere docerent: & tamen quæcunquæ in numeris dierum aut annorum à quibuſvis ineſſe vis & myſterium putatur, certè primus & ſolus, ut arbitror, Maldonatus eſt, qui in numero generationum, in quibus anni & dies omninò varii & incerti ſunt, ullam vim criticam ſomniavit. Potuiſſent iſtæ Jeſuitæ vanitates ut ridiculæ pertranſiri, niſi addidiſſet ſuis inventis aliud manifeſtè falſum, decimaquarta nam ſcilicet ſuam criſin Reſpub. ſemper mutare in melius, ſed quas tandem vel rationes vel exempla affert ad [illegible] hoc firmandum? Certè in materiâ præ manibus ejus falſitas eſt pellucida; verum eſt Regnum *Davidis* poſt primam Teſſaradecada Hebræorum ſtatum in melius mutâſſe: ſed an poſt ſecundam, *Iecoma* vel *Salathielis* Principatus populi Judaici ſtatum meliorem reddidit? Et licet poſt tertiam Teſſaradecada ex adventu Meſſiæ Eccleſia in feliciorem multò quàm antè conditionem evecta ſit, Judaica tamen Reſpub. poſt eam decimoquartanam omninò eſt peſſundata, nec per ullam in poſterum Teſſaradecada in melius eſt mutata.

Maldonati ridicula criſes.

Calvinus malè taxatur à Gomaro.

De Ieſuitæ in Calvinum cenſurâ ſatis. non multò humaniùs, certè nimis quàm acerbè idem Calvini locus à viris doctiſſimis & amiciſſimis Gomaro ac *Spanhemio* accipitur. Taxat ſatis acriter Gomarus Calvinum ob ſphalma, quod *Lynces* Ieſuitarum oculi non obſervârunt, nimirum qnod *Solomonem* ponat in Cbriſti genealogiâ, & in hac cenſurâ ſequacem habet *Spanhemium*. Certè Calvinus ſæpiùs expreſſiſſimè Chriſtum *Solomonis* filium vult tantum legaliter ut ſucceſſorem Regum Iudæ, non naturaliter, nam *Matthei* ſeriem legalem ut *Luca* naturalem Calvinus docet. Ut vero à Chriſti genere omnino excludatur *Solomon*, omneſque Reges eum ſequentes mihi videtur mirum: quorſum enim tantus *Matthei* labor, ſi duæ totæ Teſſaradecades & non pauciores quàm viginti octo perſonæ, quas in Chriſti genealogiâ, diſertè nominatimque poſuit, ab eâ ſint omnino excludendæ, ita nt nullo prorſus modo neque legaliter neque naturaliter ab iis Chriſtus deſcenderit. Eſto ſit *Matthei* linea naturalis *Ioſepho*, & *Luca* linea naturalis *Mariæ*; an propterea tamen nullus ex omnibus viginti octo quos numerat in Chriſti genealogiâ *Mattheus* (in *Ioſephi* autem non niſi propter Chriſtum) in Chriſti erit genere ne legali quidem? An *Ioſephi* & *Mariæ* ſeries tantùm à ſe invicem diſtabunt, ut nul-

ut nullum habuerint communem prædeceſſorem, vel naturalem vel legalem, antequam ad viceſimum nonum in ipſo *Davide* gradum perveniatur. Quæ ad hoc valdè [illegible] probandum affert Gomarus, quæque in hunc finem addit *Spanhemius*, ſi pronunciaremus levicula & conjecturas, nihil eſſet quod quererentur viri ſummi, cum eandem ipſi minori meritò in Calvini hic argumenta notam imponant. An quiſquam mortalium ante Gomarum in hac ſententiâ fuerit, & an quiſquam præter *Spanhemium* ad hunc diem eum ſequutus ſit, poſteà fortaſſe videbimus.

QUÆSTIO VI.

De tribus Matthæi Teſſaradecadibus.

Quomodo ſupplendus in tertiâ Teſſaradecade defectus.

DUn hic quæruntur, an ſint? & cur ſint? De priori dubium eſt, valde grave, numerando enim generationes omnes ſeu perſonas omnes genitas à *Matthæo* nominatas ab *Abrahamo* ad Chriſtum non invenitur ſumma, una ſaltem ſemper deerit de quadraginta duabus. Prima decimaquarta perfecta eſt, ut videre eſt in ſubjecto calculo; *Abraham* primus, *Iſaac* ſecundus, *Jacob* tertius, *Judas* quartus, *Phares* quintus, *Eſrom* ſextus, *Aram* ſeptimus, *Aminadab* octavus, *Naaſſon* nonus, *Salmon* decimus, *Booz* undecimus, *Obed* duodecimus, *Ieſſe* decimustertius, *David* decimuſquartus.

Secunda etiam perfecta eſt, quod hic calculus demonſtrat. *Salomon* primus, *Roboam* ſecundus, *Abia* tertius, *Aſa* quartus, *Ioſaphat* qnintus, *Ioram* ſextus, *Uzzia* ſeptimus, *Iotham* octavus, *Ahaz* nonus, *Hezekias* decimus, *Manaſſeh* undecimus, *Amon* dundecimus, *Ioſias* decimustertius, *Ieconias* decimuſquartus.

Tertia verò non ultra tredecim numerat hoc pacto. *Salathiel* primus, Zerubbabel ſecundus *Abiud* tertius, *Eliakim* quartus, *Azor* quintus, *Sadoc* ſextus, *Achim* ſeptimus, *Eliud* octavus, *Eleazar* nonus, *Matthan* decimus, *Iacob* undecimus, *Ioſeph* duodecimus, Ieſus Chriſtus benedictus in ſecula decimustertius, deeſt hic decimusquartus.

Annotatores Anglicani malè ſequuntur Salmeronem.

Varii hic varia reſpondent, Annotatores Anglicani tam ultimi quàm medii poſt Jeſuitam Salmeronem, quem tamē non nominant, viam aviam inſiſtunt. Teſſaradecadem tertiam complent, numerando *Ieconiam* primum & Chriſtum ultimum; ſecundam verò numerando *Davidem* primum & *Joſiam* ultimum; & tertiam efficiendo *Abrahamum* primum & *Davidem* etiam ultimum. Solutionem hanc Ieſuitæ non debuerunt Annotatores ſequi, nam eſt manifeſtè reproba, *Davidem* enim bis numerat, & ex ejus individuâ & ſingulari perſonâ duas facit generationes, quod non eſt tolerandum. Prætextus Salmeronis eſt vanus, quòd *David* duas geſſerit perſonas, privatam primò, deinde publicam, cùm regnaret. Hæc ſi ratio teneret, omnes poſt *Davidem* Reges duplicaret, & ex ſingulis duæ generationes eſſent faciendæ, omnes enim aliquandiu vixerunt privati, antequam regnum inivere: quin etiam ut hic erroris prætextus antevertetur. Euangeliſta bis *Davidem* nominans verſu ſexto bis ei addit Regis epithetum.

Hamondi & Grotii errores.

Nihilo melior eſt ſecunda ſolutio, quam approbare videtur Doctor Hamondus, addendum ſcilicet in tertiâ Teſſaradecade ex *Matthæi* textu Hebraico nomen *Abner* quod in Græco malè deeſt. Nimia audacia eſt authenticum Euangeliſtæ textum ex apocrypho & corrupto corrigere. Num *Matthæus* unquam hebraicè ſcripſerit inter doctos diſputatur, ſed nullus Chriſtianus unquam dubitavit ante nuperos Pontificios de Græci Euangelii ἀυθεντείας: nec qui Hebraicum *Matthæum* legit quiſquam negabit eum corruptum & perſæpè ab originali puritate declinare, utcunque in *Munſteri* editione Hebraicâ nulla eſt ſuppoſitii *Abneri* mentio: quid habeat editio *Merceri* quam nondum vidi neſcio.

Teriò Grotius, etſi reſponſionem veram (de quâ mox) afferat & probet, tamen alia hîc addit quæ omninò non placent, nam non tantùm nullum in tertia Teſſaradecade defectum neceſſarium putat agnoſcere, ſed etiam magnum exceſſum & nimiam ſuperabundantiam ponit. Interjicit enim inter *Ieconiam* & *Salathielem* ex Paralipomenis *Aſir*, imò in medio ſuo *Matthæi* catalogo: in tertiâ Teſſaradecade decem & plures anonymos interſerit, tot ſcilicet quot *Lucas* inter *Ieconiam* & Chriſtum *Matthæum* ſuperat; certè *Aſir* ab interpretibus pleriſque ſumitur pro nomine appellativo nnn proprio, pro attributo ſcilicet captivitatis; quod *Jeconiæ* conveniebat, *Salathielem* Babylone ſeu genuit ſeu ſucceſſorem habuit. Quod autem ad Grotii adjectitios anonymos, ii omni tam auctoritate quàm ratione deſtituuntur; ut enim in duabus diverſis lineis ſeu legaliter, ſeu naturaliter, ſeu qunvis modo ſumptis perſonæ in utrâque numero æquales eſſe debeant, nulla ratio, nulla experientia ſuadet.

Mala Thyſii ſolutio.

Quarta Antonii Thyſii reſponſio, quam *Ludovicus de Dieu* in ſuâ ad *Matthæum* appendice tanto cum applauſu amplectitur, nihilo prioribus melior apparet. Volebat Thyſius unius in tertiâ Teſſaradecade defectum ſupplere per numerationem virginis *Mariæ*. Hoc commentum rectè olim *Abulenſis* exibilavit. Præterquam enim quòd Judæi in genealogiis ſuis mulieres non numerabant, licet virgini *Mariæ* miraculoſus ex Sp. Sancto conceptus ſingulare privilegium tribueret, tamen ejus additio non ſolveret nodum: nam hujus additio excluderet maritum *Ioſephum*, in nullâ enim proſapiâ duo collaterales gradus pro diverſis generationibus poſſunt accipi, ſed ſtant

ſolùm

ſolùm pro unâ; quod ſi excludas *Joſephum*, additio *Maria* nullum in numero incrementum facit.

Jeconias erat geminus.

Duæ aliæ ſolutiones ſuperſunt, quarum utraque multos habet defenſores tam antiquorum quàm recentiorum in utrâque Eccleſiâ tum Pontificiâ tum Proteſtantium; utraque nobis videtur conjicienda in unam, nam utraque in unum & idem recidit. *Hieronymo*, *Ambroſio*, *Auguſtino*, *Epiphanio*, *Chryſoſtomo*, & aliis Patrum: *Calvino*, *Chemnitio*, *Beza*, *Piſcatori*, *Gomaro*, *Spanhemio*, *Grotio*, *Gualtero*, *Bucero*, & aliis noſtrorum: Gloſſæ ordinariæ, *Lyrano*, *Abulenſi*, *Janſenio*, *Maldonato*, *Baradio*, & aliis Pontificiorum videtur quòd ſub uno Jeconiæ nomine duæ perſonæ intelligendæ ſint, pater ſcilicet *Jehojakim* & filius *Iehojachin*, inter quos licet rectè *Hieronymus* obſervet aliquam in ultimâ ſyllabâ duarum literarum differentiam, cùm pater ſcribatur per K & M filius per CH & N, tamen in traductione Hebræorum ad Græca & Latina multò major differentia in nominibus propriis ordinariò abſorbetur.

Multi autem alii poſt *Epiphanium*, ut hæc obſcuritas illuſtraretur, putârunt addendum expreſſè patrem *Iehojakim*, & addidit quidem ex antiquo manuſcripto *Græco Robertus Stephanus*. *Beza*, etiam in prioribus editionibus ſuarum notarum, & *Piſcator*, item Biblia Anglicana vetera, etiam Gallica, & alia bonâ cum *Maldonati* aliorumque Pontificiorum gratiâ. Attamen *Calvinus*, *Beza* quoque in editione ſuâ ultimâ, & Anglicana nova, ac *Iunius* ac alii plerique, non exiſtimârunt commodum quicquam in textu mutare, licet ſupra dictam lectionem (*Ioakim* genuit Jeconiam) in margine apponebant Græca nupera Londinenſia: parva inquam, non magna polyglotta, quæ neque in Græco *Vaticano* (*Alexandrinum* exemplar caret multis in principio *Matthæi* capitibus) neque Syriaco, neque Arabico, neque Perſico, neque Æthiopico quicquam à noſtro vulgato hîc variant: Nihilominus omnes priores *Jeconiam* priorem ver. 11. de patre interpretantur, & poſteriorem vers. 13. de filio, ita ut ſub uno nomine pater claudat Teſſaradecadem ſecundam, & filius incipiat tertiam, hoc pacto omnes tres Teſſaradecadas faciunt illi completas. Utcunque, ſolutiones haſce mallem cum *Bucero*, cuique facere arbitrarias, vel etiam unam eandemque, potiùs quàm cum *Abulenſi* eas dividere in duas contrarias, hanc *Auguſtino*, illam *Hieronymo*, ut primis auctoribus adſcribente.

Ratio Teſſaradecadum.

Dubium poſterius, Cur Euangeliſta Chriſti majores in tres Teſſaradecadas potiùs quàm alios numeros conjecit, paucis perſtringemus. Primò, nullâ hîc anxiâ diſquiſitione opus eſt, nec quævis alia reſponſio neceſſaria quam quòd ſic viſum ſit Spiritui S. ejus voluntatis rationes plerunque ſunt imperſcrutabiles, cum ab ipſo nullibi revelantur. Hinc fortaſſis eſt quòd *Piſcator*, *Cartvvrightus*, & alii, nullam hîc cenſeant quæſtionem movendam.

Secundò, ut notat *Chryſoſtomus*, & poſt illum *Calvinus*, aliique multi in locum tam Proteſtantes quàm Pontificii, ab *Abrahamo* ad Chriſtum tres fuerunt inſignes Reip. Judaicæ mutationes: vivebat populus ab *Abrahamo* ad *Davidem* ſub extraordinario Judicum gubernamine; à *Davide* ad captivitatem Babylonicam ſub ordinario Regum; inde ad Chriſtum ſub infirmo principatu Ducum, Pontificum, & aliorum. Sub judicibus, ut rectè notat *Grotius*, ab *Abrahamo* ad *Davidem* incluſis terminis primâ fronte quatuordecim generationes occurrebant, ſub tertio etiam à *Jeconiâ* ad Chriſtum totidem apparebant: in ſecundo, licet plures eſſent, tamen ad memoriæ levamen ſecundus ad primum & tertium conformatus eſt.

Tertiò. Pro more ſeculi, *Origenes* & alii ex Patribus myſteria allegorica in hiſce numeris rimati ſunt: Gloſſa ordinaria, & *Lyranus* aliqua de ſuo addiderunt, & *Abulenſis* de ſuo, quæ *Salmeron* repetens, & ex ſuo etiam penu nova veteribus adjiciens omnes phantaſticos decretoriè pronunciat, qui nolunt in hiſce phantaſmatis ut ſolidis veritatibus acquieſcere. *Maldonatus* omnibus ſuperaddit ex medico ſuo promptuario politicas criſes. Si in ejuſmodi nugis examinandis vellemus immorari, bonas otii horas male perderemus.

QUÆSTIO VII.

Quomodo Euangeliſta Matthæus 1. 12. & 13. Lucas 3. 27. cum 1. Paralip. 3. 17. 18. & 19. conciliandi ſint?

Brevitatis causâ tria hîc ſatis gravia dubia in unum caput conjiciemus. Primum. Quî ab Euangeliſtis *Zorobabel* filius *Salathielis* conſtituatur, cùm ab auctore Paralipomenôn dicatur filius *Pedaia*? Secundo. Quî à *Matthæo Zorobabelis* filius ſtatuatur *Abiud*, à *Lucâ* verò *Rheſa*, ſed ab auctore Paralipomenôn *Meſullam*, & Alii, alto tam de *Abiud* quàm *Rheſa* ſilentio? Tertio. An unus *Salathiel*, unuſque *Zorobabel* habendi, an verò neceſſario duo tam *Salathieles* quàm *Zorobabeles* conſtituendi.

Num Salathiel fuerit filius Pedaia an frater.

Quod ad primum, ſunt qui id omnino tranſiliunt, ſeu ex incogitantiâ, ſeu quia nimis leve, ſeu quia nimis grave dubium illud, ut ſæpè fit, ſint arbitrati: certè *Calvinus*, *Beza*, *Hamondus*, *Maldonatus*, & *Eſtius*, etſi anxias multorum hac de re diſputationes legerint, in ſuis tamen ad locos præ manibus commentariis, nihil quicquam de hoc dubio movendum cenſuerunt. Qui dubium proponunt; in ſolutione tres diverſos tramites inſiſtunt: primi duos diſtinctos *Zorobabeles* ſaltem volunt,

ſunt, quorum unus Salathielis, alter Pedajæ filius fuerat; cur his non accedamus dubio tertio liquebit.

Secundi, ut etiam Tertii ponentes nnum tantùm *Zorobabelem* eum ſtatuunt filium & Pedajæ & Salathielis, ſed ſecundis placet diſtincto mediati & immediati, quaſi *Zorobabel* filius fuerit Pedajæ immediatus, & Salathielis verè avi mediatus, per filium Pedajam, Tertiis magis placet diſtinctio naturalis & legalis, quaſi *Zorobabel* filius fuerit Pedajæ naturalis & Salathielis legalis: ſeu quia *Zorobabel* ſucceſſor fuerit Salathielis, mortuo ſcilicet Pedaja ante Salathielem ſuum patrem; ſeu quia mortuo Salathiele Pedajas frater minor jure leviratûs ex ejus uxore *Zorobabelem* genuerit, qui propterea plerunque ooo Pedajæ ſed Salathielis filius perhibetur.

Inter ſecundos ſtant *Iunius*, *Deodatus*, *Vatablus*, & alii multi. Inter tertios *Cajetanus*, *Arias Montanus*, *Gualterus*, *Balduinus*, *VValaeus*, & in primis *Spanhemius*. *Piſcator* utroſque conjungit, ita tamen nt ad tertios magis inclinet. Annotatores Anglicani tam medii quàm ultimi, qui in *Matthai* primum ſunt proṛſus iidem, omnes tres ſolutiones proponunt, non tamen determinant ad quam trium ipſi inclinent.

Tota inter Secundos & Tertios quæſtio eò recidit, Num *Pedajas Salathielis* filius fuerit an frater. Nulla alia ratio eſt hanc litem decidendi, quam ex textu 1. Chron. 3 17. Hîc legimus expreſsè, *Salathiel* filius ejus ſcilicet proximè præcedentis non *Aſir* ſed *Ieconia*. Verum eſt, LXX. Interpretes, & verſio vetus Latina, etiam Anglicana vetus ac nova, aliique interpretes faciunt *Aſir* nomen proprium. Multò tamen rectiùs *Junius*, & poſt eum *Deodatus* ac *Piſcator* faciunt appellativum denotans *Jeconia* ſtatum in vinculis & carcere dum *Salathielem* genuit, alias enim ſi *Aſir* eſſet nomen proprium primogenii *Jeconia*, cur titulus בְּכֹר filius ejus, ſubjungeretur potius *Salathieli* quàm *Aſiri*? Cur ſecundus fillorum *Jeconia* diceretur ejus filius potiùs quàm *Aſir* primus.

Iunii temeritas.

Utcunque nomina ſequentia ſex *Malchiram*, *Pedajah* & cætera ſunt in eodem ordine cum *Salathiele* ejus ſcilicet fratres, & *Jeconia* non *Salathielis* filii. Profectò doctiſſimus Junius hîc temerarius videtur, qui ut *Pedajam* & ſex fratres *Jeconia* filios, *Salathielis* non fratres ſed filios efficiat, textum corrumpit; non tantùm vertendo copulativam & per diſcretivam *autem*; ſed etiam addendo pronomeo *hujus*, oon tantùm cootra verba, ſed etiam contra tenorem ac ſcopum textûs, quod rectè ootatur à *Piſcatore*: Juoius quidem in hac corruptelâ habet auctorem *Vatablum*, ſed quos habeat ſequaces neſcio, ſi *Deodatum* excipias, qui Junianis plura addit, ſic legendo verſum 18. Filii *Shealtielis* fuerunt *Malchiram* &c. contra originalem & omnes veteres interpretes.

Errat interpres Syrus & Arabs.

Paraphraſis Chaldaica in libros Paralipomenôo nulla unquam fuit, ſed Græca, Latina, Syriaca, & Arabica verſiones, additiones has rejiciunt. Agnoſco in hoc loco interpretationem Syriacam & Arabicam & ipſam Græcam non eſſe auctoritatis magnæ, nam evidenter omnes tum inter ſe tum cum originali, tum cum veteri Latino, & recentioribus omnibus diſcrepant. Nam primò Syrus & Arabs nomen *Aſir* omnino delent. Secundò, pro *Salathiele* Syrus legit *Aſraſhtel* & Arabs *Eſebol*, quæ cum *Salathiel* nihil habent affinitatis. Tertiò. Pro *Pedaja* uterque legit *Peraja*, deceptus ſimilitudine literarum *daleth* & *resh*. Quarto in vers. 19. uterque *Zorobabelis* patrem facit *Nedabiam* pro *Pedajah*. Errata hæc quatuor io verſibus duobus non poſſunt defendi.

Et Græcus.

Græca etiam *Alexandrina*, contra quam *Vaticana* & omoes alii antiqui ac recentiores Hebræi textùs Interpretes, pro *Pedaja* ſubſtituens *Salathielem Zorobabels* in patrem apertè errat, licet *Salathiel Zorobabelis* pater reverâ fuerit, & ſic variis Scripturæ locis legatur, in loco tamen præ manibus *Zorobabelis* pater non *Salathiel* ſed *Pedajas* habetur. Multoque potiùs in *Alexandrino* hic exemplari licet alias præclariſſimo mendum agnoſcendum, quàm in Originali Hebræo & Græco *Vaticano* cæteriſque omnibus verſionibus, à quibus *Alexandrina* hic diſcrepat.

Ex dictis patet cur *Salathielem Pedaiæ* fratrem non filium arbitremur; adeoque cum *Spanhemio* & Tertiis contra *Iunium* & Secundos aſſentiamur. Affert hîc quidem *Spanhemius* pro noſtrâ ſententiâ argumentum, quod nobis noo omoinò placet; probat *Salathielem Pedajæ* fratrem, quia aliàs *Ieconias* non habuiſſet plures filios, jam verò ipſe textus notat pluralitatem filiorum Jeconiæ io oomine plurali בְּנֵי; firmum hoc oon eſt fundamentum: frequens enim, in libris Chronicorum in primis, eſt Eoallage numeri pluralis pro ſingulari. In verſu ipſo præcedenti 16. legimus *Iehojakimi* filios in plurali, cùm tamen ſubjungatur unus tantùm ejus filius *Ieconias*: quod ad *Zedekiam* qui *Ieconiam* ibi ſequitur, non oeceſſe eſt ut eum faciamus perſonam diſtinctam à *Zedekiâ* Rege, qui ibi dicitur *Ieconia* filius quia ejus in Regno ſucceſſor, licet filius naturalis fuerit *Ioſia* & *Ieconia* patruus nullo verò modo filius *Iehojakimi*, ſed ſi naturam intueare, frater; ſi legem, nepos; utpote ſucceſſor tantùm mediatus poſt *Ieconiam*: verſu etiam 22. habentur filii *Sechania* in numero plurali, cùm tameo unus tantùm ejus filius memoretur *Semaiah*: hinc eſt quòd Interpretes tam Syrus quàm Græcus & Latinus vertant Hebræum in plurali filios per ſingulare filium.

Ad dubium primum hoc tantùm addam, quòd

Gomari & Spanhemius minus ſolida argumentatio.

quòd de jure leviratûs hîc adfert Spanhemius videtur precarium, nec ullo ſolido fundamento niti: ſit *Zorobabel* naturalis filius *Pedaja*, & legalis *Salathielis*, cur tamen legalem hîc exponamus de filio jure leviratûs de uxore *Salathielis* per fratrem *Pedajam* ſublato, potius quàm de filio adoptivo vel de mero ſucceſſore, nihil habet Spanhemius quod tale quicquam probet. Quod autem ad Gomari argumentum nimis quam ſæpè à Spanhemio repetitum à voce *Genuit*, quaſi ſucceſſores & adoptati non poſſent dici geniti; alibi reſpondimus. Utcunque, ſi nihil eſſet aliud, ipſe præ manibus locus argumentum illud videtur profligare: admittere enim hîc coguntur generationem metaphoricam tam quam filiationem, *Salathiel* enim dicitur gignere *Zorobabelem*, non tamen propriè, cum fateantur *Zorobabelem Salathielis* filium naturalem non fuiſſe, ſed tantùm legalem, nepotem ſcilicet ex fratre *Pedaja*, num ex ipſius viduâ an *Pedaja* uxore propriâ, quis rectè ſtatuat? Cum hac de re non tantùm ſacra pagina, ſed etiam omnes alii auctores ſileant.

Quod ad dubium ſecundum attinet, ad id pariter tria reſponſa invenio. Primum eſt eorum qui *Zorobabeles* multiplicant. His proclive eſt duorum hominum duas facere lineas, unius *Zorobabelis* filium faciunt *Abiud*, alterius *Rheſam*. De reſponſione hac dubio ſequenti: hîc tantùm obſervo duplicationem *Zorobabelis* nodum non ſolvere, niſi vir triplicetur, nam non tantùm duæ, ſed tres diverſæ poſterorum lineæ ab eo fluunt, una eſt *Matthæi* per *Abiud*, alia *Lucæ* per *Rheſam*, & tertia auctoris Paralipomenôn per *Meſullam*.

Annii nugas amplectitur Salmeron.

Secunda reſponſio eſt Annii Viterbienſis, qui ſervatâ identitate perſonarum multiplicat nomina quaſi unus *Zorobabel* habuiſſet filium trinominem, utpote qui vocatus ſit *Meſullam*, *Rheſa*, & *Abiud*, imò verò hujus filium nepotemque ac cæteros poſteros uſque ad *Mariam* fuiſſe omnes trinomines, adeò ut in *Lucâ*, *Matthæo*, & Chronicis Lineæ omnes tres ſint una & eadem, conveniens in perſonis iiſdem & nominibus tantùm differens. Non tam miror Italiam producere potuiſſe tam impudentem impoſtorem, qui ſub fictitio *Philonis* nomine infinita commenta orbi auſus fuerit obtrudere, quàm repertos eſſe viros doctiſſimos qui ejuſmodi deliria patulis nimis auribus & credulis animis hauſerunt. Miſeret *Eraſmi* & *Salmeronis Annianas* nugas ex profeſſo ſectantium, nam præter apertam vanitatem longæ hominum ſeriei quorum non unus aut alter, ſed omnes tria habent nomina omnino diverſa, cujus exemplum in nullâ hiſtoriâ ſeu ſacrâ ſeu profanâ apparet: ipſi Euangeliſtarum catalogi hoc delirium rejiciunt, cùm inter *Zorobabelem* & *Ioſephum Lucas* numeret perſonas octodecim, *Matthæus* verò tantùm novem, & primus Paralipomenôn pauciores. Jam verò quid futurum eſt de undecim *Lucæ* ſupernumerariis? Unde iſtorum unicuique Annius duo nova nomina procudet.

Grotius Annium in vanis inventis ſuperat.

Hugo Grotius ſingularis novo-veterum inventor hîc accurrit, & in ſuo *Matthæi* catalogo ſingulis à *Lucâ* nominatis, totidem è regione anonymos *Matthæo* ſuperaddit. Egregiæ Annio ſuppetiæ! Sed nugari deſinamus.

Tres Zorobabelis lineæ.

In reſponſo tertio acquieſcimus quod eſt *Gualteri*, *Paræi*, *Balduini*, *VValæi*, & aliorum quo unius ejuſdemque Zorobabelis tres diverſas lineas ſtatuunt deſcriptas: unam in Teſtamento veteri filii ejus natu maximi *Meſullam* & aliorum etiam ejus filiorum, quorum progenies fuit præclara, & ex quibus gubernatores ac duces aliquot ſeculis Judæorum genti, Babylone reduci præpoſiti ſunt. In novo verò Teſtamento proponuntur aliæ novæ duæ lineæ ejuſdem Zorobabelis, una *Abiud*, altera *Rheſa*, qui Zorobabelis fuerunt filii ſed homines privati, & quorum vita inter populum obſcura & paupercula, proptereaque in Chronicis omiſſa. Quod præter eos in Chronicis nominatos Zorobabel habuerit filium *Rheſam* & *Abiud*, quorum lineæ ad *Ioſephum* & *Mariam* derivatæ ſunt, nemo dubitat qui Divinam *Matthæo* & *Lucæ* auctoritatem attribuit. Quòd etiam viri iſti obſcuri fuerint, altum de iis apud omnes auctores ſacros & profanos ſilentium demonſtrat, & quòd pauperculi, parvæ admodum *Joſephi* & *Mariæ* ab illis in Lineâ rectâ & legitimâ oriundorum fortunæ probant. Quod autem hæc obſcuritas & paupertas vera cauſa fuerit, cur à ſcriptore Chronicorum præteriti ſint, certo ſciri non poteſt; pro conjecturâ tamen valdè probabili poteſt accipi, donec alia probabilior alicunde allata compareat.

Malè Spanhemius poſt alios duos ſtatuit Zorobabeles.

Reſtat tertium dubium quàm ſuperiora gravius, pluresne fuerint Zorobabeles & *Salathieles*? Affirmativam putabam fuiſſe ſolius Spanhemii poſt *Gomarum*, ſed ultrà inquirens invenio antiquam eſſe ſententiam, & pro eâ ſtare per multos viros doctiſſimos tam Pontificios quàm Proteſtantes, Gloſſa ordinaria, *Toſtatus*, *Abulenſis*, *Cajetanus*, *Barradius*, *Ianſenius*, *Galatinus*, *à Lapide*, *Chemnitius*, *Balduinus*, *VValæus*, *Grotius*, & alii eam ex profeſſo tuentur; attamen *Paræus*, &, ut exiſtimo, alii communiter qui hanc litem non movent, ſunt in negativâ. Cur poſterior hæc magis placeat dicam, cum ad priorum argumenta reſpondero. Hæc affert *Galatinus* lib. ſuo 7. cap. 12.

Reſpondetur ad Spanhemii argumenta. ad 1.

Primò. Ea dicuntur de *Zorobabele* quæ uni homini non competunt, *Haggæus* ſcilicet affirmat ipſum prius templum conſpexiſſe, & tamen diu poſt templum poſterius vixiſſe; tanta vitæ duratio eo ſeculo uni viro non potuit convenire. Reſp. *Galatinus* ibidem ex ſuo ſuppoſititio auctore *Rabbi* noſtro ſancto

Rabbenu bſcadoſh multas putidas fabulas proponit: fabulator ille in ſuis ad *Antoninum* Romæ Conſulem (qui nunquam extitit) reſponſionibus docet *Eliam* Prophetam ad ſe deſcendiſſe de cœlo dum precaretur in ſpeluncâ Hebronis ubi ſepulti ſunt Patriarchæ, & ipſi demonſtrâſſe ex Prophetâ *Iſaiâ* per artem Cabbaliſticam virginem *Mariam*, cujus gratiâ Deus elegerat populum Iſraëliticum tribumque *Iudæ* & domum *Davidis*, ex quibus naſceretur Meſſias, factam eſſe Dominam ſupremam univerſi orbis, veramque cœli Reginam. Plurimæ hujuſmodi falſiſſimæ fabulæ quibus Pontificiis ſtudet *Galatinus* gratificari, virum arguunt levem & perpaucæ auctoritatis. Certè Spanhemius argumentum ejus præ manibus nullius eſſe ponderis profitetur, idque meritò, nam *Haggæus* Propheta nihil habet de Zorobabele, ſed loquitur tantùm de iis ex populo, qui Zorobabeli ſecundum templum fundanti aſtabant, & prius templum viderant, nequaquam verò aſſerit Zorobabelem in iſtorum fuiſſe numero.

Verumenimverò Spanhemius licet hoc *Galatini* argumentum ſpernat, aliud tamen valdè ſimile, ſi non reverâ idem, ipſe affert ibidem Dubiorum parte 1. pag. 109. quo ſeſe in primis pertractum profitetur in eam quam refutamus ſententiam. *Zorobabel*, inquit, *Matthæi* natus eſt diu poſt captivitatem Babylonicam, eo quòd ejus pater *Salathiel* in eâ captivitate natus ſit; atqui *Zorobabel Lucæ* vel ante captivitatem, vel primis ejus annis genitus eſt, utpote qui in fine captivitatis vir fuit tam maturus, ut populo in reditu dux exiſteret. Reſp. Emendatio hæc Spanhemii nihil roboris *Galatini* argumento videtur addere, nam ſuppone *Salathielem*, quinto anno poſt ſui patris *Iechoniæ* captivitatem prognatum, & anno ſuo vigeſimo quinto genuiſſe *Zorobabelem*, hoc pacto in ſeptuageſimo anno captivitatis habebit *Zorobabel* annos totos 40. ætatem ſatis maturam ad populi ducatum.

ad 2. Alterum addit *Galatinus* argumentum, quod etiam Spanhemius mutuatur licet tacito auctoris nomine. A *Zorobabele*, inquit, *Matthæi* ad *Ioſephum* novem tantùm fuerunt generationes, ſed à *Zorobabele Lucæ* fuerunt ſeptemdecim, Ergo uterque *Zorobabel* non fuit unus, ſed duo. Reſp. Ex ipſo Spanhemio ubi ſuprà pag. 113. poſteros *Zorobabelis* ex filio *Abiud* apud *Matthæum* fuiſſe pauciores, & ex filio *Rheſa* apud *Lucam* plures, nihilque frequentius, quàm ut in duabus familiis alii ſint vivaciores alii βραχυβιώτεροι; ita ut in eodem temporis ſpatio, alii plures alii pauciores numerent.

ad 3. Tertium habet *Gomarus* argumentum ex *Auguſtino* in quæſt. ad Deut. cap. 46. quòd *Spanhemius* proponit ut ſuum primum etſi non primarium, nimirum duos oportere eſſe *Salathieles*, eo quòd eorum majores uſque ad *Davidem* omnes differant, alterius enim pater eſt *Neri*, cujus linea tendit ad *Nathanem*, alterius pater eſt, *Iechonias*, cujus linea prorſus diverſa ad *Solomonem* porrigitur. Reſp. *Auguſtini* auctoritas hîc non premit, cùm tam *Ianſenius* quàm *Chemnitius* in ſuis ad locum præ manibus commentariis fateatur, hac de re Patres omnes ſilere, & ab ipſorum ſilentio uterque (etſi ut nobis videtur malè) argumentum pro ſuâ hîc contra nos ſententiâ adducit. Certè *Auguſtini* teſtimonium communem ſuis diebus ſententiam importat fuiſſe noſtram; quod verò ipſe pro multiplicatione *Salathielis* affert argumentum, profitetur eſſe tantùm ſuam conjecturam: quàm tenui verò fundamento conjecturam illam ſuam ſuperſtruat quivis videat: tota enim ejus vis hac nititur hypotheſi, unum virum non poſſe habere duos Patres; unum legalem alterum naturalem, quorum ſtemmata diverſa in eâdem radice concurrant, nimirum *Salathielis* patrem naturalem *Neri* non potuiſſe deſcendere à *Davide* per *Nathanem*, & legalem patrem *Iechoniam* ab eodem deſcendere per *Solomonem*. Prætereà virum unum non poſſe per diverſos filios duas à ſe poſterorum lineas emittere quæ jure matrimonii, adoptionis, aut ſucceſſionis, tandem coëant in unam & eandem perſonam, ſcilicet unius & ejuſdem *Zorobabelis* in duobus ſuis filiis *Rheſa* & *Abiud* diſtinctas proſapias coire non potuiſſe in *Ioſepho* aut *Mariâ*. Certè hæc ſunt in argumento præ manibus ipſa αἰτήματα quæ non debent poſtulari, ut videntur, abſque probatione, cùm ipſe *Spanhemius* pag. 110. hujuſmodi coalitiones familiarum apud Judæos & quaſvis nationes, ſatis eſſe frequentes profiteatur.

Rejectâ ergo priori hac ſententiâ de Zorobabelis & *Salathielis* pluralitate, poſteriorem de ipſorum unitate amplectimur ob has rationes. Pro unitate Zorobabelis arg. 1. Primò non ſunt abſque magnâ neceſſitate perſonæ in hiſtoriis multiplicandæ, ut rectè monet ipſe *Spanhemius* pag. 58. in hoc ipſo argumento, negans *Abulenſi* multiplicandos *Salathieles*, ſi modò commodior ulla dubiorum ſolutio reperiri poteſt abſque multiplicatione, jam verò ordinaria, & tam ab antiquis quam recentioribus vulgò uſurpata diſtinctio de patribus ac filiis legalibus & naturalibus ſatis commodè ſolvit omnia argumenta ob quæ præſens multiplicatio inventa eſt.

Secundò. Multiplicatio hæc ſupponit varias hiſtorias, de quibus neque Scriptura, nec ulli alii ſcriptores verbum illum faciunt, nimirum *Iechoniæ* Regis ab *Evilmerodacho* exaltati ſuper omnes Reges Babylonico Imperio ſubditos, filium *Salathielem* nullius auctoritatis fuiſſe inter Judæos Babylone, ſed ipſum ejuſque filium *Zorobabelem Iechoniæ* nepotem in obſcurâ ac paupertinâ fortunâ vitam omnem tranſegiſſe, cùm tamen *Neri* viri pri-

ri privati & cum ſuis à longinquo majoribus obſcuri, filius *Salathiel* evaſiſſet in Ducem & Principem populo ac *Jeconiæ* ſucceſſorem præterito ipſius filio *Salathiele*, nepotem verò *Nero Zorobabelem*, Deo tangente per miraculum corda populi, electum eſſe in Principem, ut captivitatem reduceret & templum reſtauraret, cum interim *Zorobabel Ieconiæ* per *Salathielem* nepos ac *Solomonis* Regumque omnium Judaicorum legitimus ſucceſſor, obſcurus & contemptus in populi fæce demergeretur. Non omnes puto, tam valentis ſunt ſtomachi ut iſtâ concoquant.

3. Tertiò. Multiplicatores inter ſe non conveniunt, quidam geminant *Salathielem* ſolùm, quidam *Zorobabelem* ſolum, plerique geminant utrumque.

4. Quartò. Doctiſſimus *Abulenſis* non duplicandum tantùm ſed triplicandum *Zorobabelem* exiſtimat hoc argumento. Si geminetur ob geminam poſterorum lineam à *Lucâ* & *Matthæo* memoratam, tum neceſſe eſt triplicetur ob tertiam poſterorum lineam ab auctore Paralip. deſcriptam. Cum *Spanhemius* admittat minorem, quæcunque reſpondet nequaquam enervabunt majorem, itaque tenebit argumentum, niſi ſublata duplicatio triplicationem tollat.

5. Quintò. Geminatio hæc efficit ut *Maria*, adeoque Chriſtus nullam habeat vel affinitatem vel conſanguinitatem cum ullo Judæorum Rege præter unum *Davidem*, cum tamen *Ioſephus* ſecundum *Matthæum* ab omnibus *Juda* Regibus lineâ rectâ deſcenderit, quæ nuſquam defecit aut interrupta fuit, adeoque clarum jus ad *Davidis* Thronum habuerit: ad quod *Maria* & Chriſtus à *Neri* oriundi nullum jus potuerunt prætendere dum ſupereſſet quiſquam ex *Ioſephi* conſanguineis, qui à *Solomone* & omnibus Regibus rectâ & continuatâ lineâ deſcenderant. Iſta, ut arbitror, ſeriò perpenſa pauci Chriſtiani admittent.

6. Denique duplicatio hæc multò maximam inter *Ioſephum* & *Mariam* diſtantiam efficiet, licet enim ex tribu *Iudâ* & familiâ *Davidis* uterque fuerit, niſi tamen *Solomonis* & *Nathanis* lineæ coaluerint in uno *Zorobabele*, *Joſephus* à *Maria* plus quàm triceſimo propinquitatis gradu diſtabit, quæ tanta eſt diſtantia ut mirum ſit in tribu *Juda* & familiâ *Davidis* nullum habuiſſe *Mariam* propinquiorem, cui nuberet quàm *Ioſephum*. Pluribus priorem ſententiam abſurdis non pergemus gravare.

QUÆSTIO VIII.

Quomodo Ioſephus duos habuerit patres, Iacobum ſecundum Matthæum, & Eli ſecundum Lucam?

IN Domini genealogiâ nulla eſt quàm hæc magis vexata quæſtio tam antiquis quàm recentioribus, ſeu Pontificiis ſeu Proteſtantibus. *Celſus Iulianus* Apoſtata, *Porphyrius*, & alii ex ſcholâ Paganâ; *Fauſtus Manichæus*, multique ex partibus hæreticorum, ad Evangeliſtarum *Matthæi* & *Lucæ* fidem labefactandam, urgere ſolebant apertam ἐναντιοφανίαν, *Ioſephum* ſcilicet ab uno filium *Iacobi*, ab altero *Eli* filium perhiberi. Reſponſiones multas videre eſt apud Patres tam Græcos quàm Latinos, pluresque & prolixiores apud recentiores; tam noſtros, *Gomarum*, *Voſſium*, *Spanhemium*, *Grotium*, & alios; quàm Pontificios *Maldonatum*, à *Lapide*, *Suarezium*, *Baronium*, alioſque. De re totâ noſter hic eſt ſenſus. Si in reſponſo communi, quod eſt generale, acquieſcamus, abundè omnibus ſacræ hîc Scripturæ oblatrantibus ora obturatum iri: ſi verò ad ſpecialia magis deſcendendum putemus, vix eſſe præter conjecturas quicquam ſolidi, in quo figamus pedem. *Reſponſio generalis eſt plana & ſatisfactoria.*

Reſponſio, quam voco communem, ſolidam, planam, &, ut ſic loquar, ſatisfactoriam licet generaliorem, hæc eſt; Nihil eſſe abſurdi unum filium duos habere patres in diverſo genere, ita ut alter ſit pater naturalis, alter legalis; ille filium generans, hic ab alio genitum ſecundum leges, ſibi in omnia filiorum jura adoptans: ita *Manaſſeh* & *Ephraim Ioſephi* ſolius fuere filii naturales, ſed *Iacobi* legales per adoptionem, in omnia jura filiorum, tam quam *Reuben*, *Iuda* aut alii quicunque à *Iacobo* geniti. *Moſes* naturalem habuit matrem ſolam *Iochebed*, ſed præter eam legalis ei mater evaſit filia *Pharaonis*, à quâ adoptatus eſt in filium: *Davidis* avus *Obed* naturalem patrem habuit unum *Boas*, ſed legalem etiam *Machlon* maritum priorem ſuæ matris *Ruth*, cui maritus poſterior *Boas* poſt mortem ſecundum legem ſuſcitavit ſemen. *Auguſtus Cæſar Octavii* ſolius fuit filius naturâ, ſed lege Romanorum adoptivus filius factus eſt *Iulii* Cæſaris magni ſui avunculi, nimirum ſuæ per matrem *Attiam* aviæ fratris. Nihil frequentius tam apud Judæos, quàm gentes quaſcunque, unum hominem duos habere patres, hunc ſecundum naturam, illum ſecundum legem; imò verò omnes filii adoptati duos ejuſmodi patres habeant neceſſe eſt. Reſponſio hæc ſolida, omni obgannienti duobus *Ioſephi* patribus multò pleniſſimè os obſtruit: ſic enim omnibus ſeculis, ubique terrarum, apud omnes nationes, tam legibus quàm conſuetudine obtinuit, nemine unquam contradicente.

Nihil ultra requiritur ad adverſariorum petulantiam retundendam, & quæſtionem abſque omni difficultate ſolvendam. Verumenimverò dum doctorum virorum περιεργία & curioſitas non vult hîc conſiſtere, ſed ad particulares modos & ſpeciales legalium filiorum vias determinandas deſcendere, multi ſtatim in eos difficultatum laqueos ſe induunt, ut *Particulares omnes ſententiæ ſunt tantum conjecturales.*

non tantùm uni ab alteris, ſed poſt multam diſceptationem, idem à ſeipſis diſcedant, ſuas ipſorum ſententias retractantes: cum tamen conſultiſſimi viri litem adhuc ſub judice arbitrentur, utrum prius an poſterius eorum Judicium ſit conſonantius vero, certè *Gomarus* & poſt eum *Spanhemius* priorem tam *Auguſtini* quàm *Piſcatoris* ſententiam præferunt ei quam in ſuis retractationibus uterque amplexus eſt.

Exiſtimamus nos quidem pleraque doctorum placita hic non adeo abſurda quin tolerabili probabilitate defendi poſſint, nec tamen eorum ullum ita demonſtrabile, ut à quoquam neceſſarium aſſenſum extorqueat, cum eorum clariſſima ac certiſſima vix ultra conjecturarum limites procedant.

Explicatur ſententia Africani.

Ex illis primum & vulgatiſſimum eſt *Iulii* Africani, qui in ſuâ ad *Ariſtidem* epiſtolâ ab *Euſebio* lib. 1. hiſtoriæ cap. 7. citatâ docet ſuam ſe ſententiam accepiſſe à conſanguineis Domini cognominatis δεσποσύνοις, quos Chriſtianos putamus fuiſſe; cur enim alias Domini Jeſu nomen & cognationem familiamque præ ſe ferre gloriarentur. Hic *Joſephum* non tantùm legalem *Eli* filium facit, ſed ad ſpecialem modum ejus filiationis deſcendit, determinans legem à *Moſe* latam Num. 36. 7. & Deut. 25. 5. de leviratu Judæis peculiarem, quâ mortuo fratre ſine liberis, ne ejus in populo Dei memoria periret, ejuſque hæreditas abalienaretur ad extraneos, ſeu in aliâ tribu, ſeu in ejuſdem trihûs aliâ familiâ, frater jubebatur ducere demortui uxorem, primumque ex eâ ſuſceptum filium, etſi ſuum naturâ, fratri tamen attribuere, ut ei in omnia jura tanquam legitimus filius ſuccederet. Ita factum accepiſſe ſe dicit Africanus à δεσποσύνοις in caſu *Joſephi*, illius patres *Iacobum* & *Eli* fuiſſe fratres, quorum *Eli* uxore ductâ ſine liberis diſceſſit, *Jacobus* vero ſecundum legem uxorem *Eli* duxit, & ex eâ ſuſcepit *Ioſephum*, qui ipſius genuinus, ſed fratris legitimus filius fuit: didiciſſe ſe porrò ait Africanus à δεσποσύνοις modum quo *Iacob* & *Eli* fratres evaſiſſent: utriuſque mater fuit *Eſtha* mulier τῷ ἰξοχλὰ ab Hebræo אשתה ut rectè notat

Scholaſticorum ignorantia Ieſuitarum pravitate cumulata.

Caſſabonus, quam malè legit *Aquinas Ieſca*, nævo quem facilè condonaremus barbariſſimo *Aquinatis* ſeculo, ubi Græca non intelligebantur, & Hebræa non legebantur: Sed piget perverſitatis Jeſuitarum à *Lapide*, & aliorum, qui in hac *Luce* literarum amant perſeverare in manifeſtario ſphalmate etiam hodie *Ieſcam* ſcribentes; hanc *Eſtham Melchi* ex familia *Nathanis* deſcendens uxorem duxerat & ex eâ *Eli* filium ſuſceperat, cùm ipſe oppetiiſſet mortem, *Matthan* ex familiâ *Solomonis* ſua vidua *Eſtha* nupſit, & ei filium *Iacobum* peperit. Hoc pacto *Eli* & *Iacob* etſi ex diverſis patribus, diverſiſque familiis orti, tamen fratres evadebant uterini, iiſque leviratûs jus ut veris fratribus competebat.

Hanc ſententiam ſi non invenit, ſaltem propagavit primus *Iulius Africanus*: quod docet *Suarez* in 3. Thomæ quæſt. 27. art. 1. diſp. 2. ſect. 3. *Juſtinum Martyrem* ante *Africanum* eadem ſcripſiſſe, verum non eſt. Fatemur *Iuſtinum Africano* aliquot annis fuiſſe ſeniorem, verùm tractatus ille de quæſtionibus *Gentilium* ad Orthodoxos in quo ſententia præ manibus habetur, cum in ipſo *Origenis* & *hæreſis Manichæi* expreſſa fiat mentio, non poteſt eſſe *Iuſtini*, ſed eo & *Africano* multò recentior ſit oportet, ut ipſe fatetur *Bellarminus* in ſcriptoribus Eccleſiaſticis. In hanc *Africani* ſententiam plerique omnes Patres Græci Latinique pedibus iverunt. *Auguſtinus* diu diverſam inſtitit viam, eo quòd *Africani* ſcripta in ejus manus ſerò perveniſſent: ſed ut primum *Africani* ad *Ariſtidem* epiſtolam legit, retractatâ priori ſuâ ſententiâ, *Africanum* cum cæteris confidenter ſequutus eſt, uti lib. 1. Retract. cap. 7. profitetur. In quæſtionibus quidem in vetus ac Novum Teſtamentum ea ſententia rejicitur ut omnino inutilis & improbabilis, ſed dudum omnium partium doctis conſtitit ſcriptum illud, licet inter *Auguſtini* opera extet, tamen *Auguſtini* non eſſe.

Maldonati temeraria maledicentia.

Theologi recentiores, in primis Scholaſtici poſt *Aquinatem* par. 3. qu. 31. eâdem vadunt viâ. Ex Proteſtantibus quidem aliquot diverſum tramitem capeſſiverunt, ob quod Maldonatus Jeſuita perdoctus in Mat. 1. 16. non tantùm in *Calvinum* & *Bezam* nominatim in ſuo margine, ſed etiam in totam Proteſtantium gentem inſurgit ut hæreticos, ut atheos, ut pertæſos Euangelii veteris & fabricatores novi. Certè ſi irato Jeſuitæ in mentem veniſſet, Proteſtantes in ſuâ hîc *Africani* derelictione, Pontificiorum, imò Jeſuitarum primarios habuiſſe tum duces, tum comites, tum aſſeclas, immeritum ſuum in noſtros furorem cohibuiſſet. *Suarezius* quidem ubi ſuprà ſe ab iſtis partibus ſtare profitetur, & ſibi conſentientes affirmat *Cajetanum*, *Janſenium*, *Carthuſianum*, *Ariam Montanum*, *Guagnarum*, *Galatinum*, *Driedonem*, *Canum*, *Sotum*, *Eraſmum*, & alios, *Cornelius à Lapide* ſe iſtis adjungens plures ex ſuis allegat in Lucæ 3. 23. Ex noſtris *Gomarus* de Chriſti genealogiâ cap. 5. contra Africani ſententiam diſputat & pro ſe citat *Aretium*, *Chemnitium*, *Illyricum*, *Chytræum*, alioſque: ſed omnium luculentiſſimè & accuratiſſimè doctiſſimus

Defenditur Africanus contra Spanhemii argumenta.

Spanhemius Africanum oppugnat. Hujus jam argumenta quæ ex *Suarezio*, *Gomaro*, aliiſque deprompſit, paucis ex ſuo additis, perpendamus; prout habentur dubiorum Euangelicorum par. 1. dubio. 22. paragrapho 28.

1. Primum. Quæ habet Africanus de *Eſthâ*, & duobus ejus maritis ſunt ἄγραφα. Reſp. nemo unquam ſomniavit fuiſſe ἔγγραφα aut divinâ fide

nâ fide credenda, nihil tamen hîc obſtat quin hiſtoriæ ab Africano traditæ humana fides adhiberi poſſit, ut aliis multis in hiſtoriâ Eccleſiaſticâ narrationibus, neque verò Spanhemii aut aliorum hîc ſententiæ particulares ſunt magis ἐγγέγραφαι & in Scripturis expreſſæ, quàm Africani.

2. Secundum. Hiſtoria *Africani*, inquit, eſt ἀπηγήτον, quia facit *Melchi* maritum *Eſtha* patrem immediatum *Eli*, & tertium à *Joſepho*; cùm tamen Lucas *Melchi* faciat quintum à *Joſepho*, & *Eli* patrem ſtatuat non *Melchi*, ſed *Matthat* qui fuit filius *Levi*, & *Melchi*, nepos. Reſp Grave hoc argumentum magnâ conſideratione dignum eſſe. Regero tamen primò, dato lapſum hîc memoriâ *Africanum* *Melchi* pro *Matthat* ſcribendo, error in hac circumſtantiâ facilè emendabilis non labefactat ſententiæ ſubſtantiam & fundamentum, quod in hoc poſitum eſt, ut *Iacob* & *Eli* fuerint veri fratres, alter *Ioſephi* pater naturalis, alter legalis, matremque habüerint communem, & diverſos patres, alterum ex *Solomonis*, Alterum ex *Nathanis* ſtemmate. Utrum autem pater *Eli* fuerit *Matthat* an *Melchi*, facit quidem ad veritatem ſacræ hiſtoriæ, ſed parum, ſi quicquam, ad ſententiam præ manibus, ea enim æquè ſalvatur per *Matthat* ac per *Melchi*. Secundo. Quicunque hîc error eſt in expunctione *Levi*, & *Matthat* ex Chriſti genealogiâ, eum imputandum non tam *Africano*, quàm, vel ſeculo vel loco in quo vixit. Puto equidem rectè diſputare *Spanhemium* & nervosè contra Cordeſii Canonici Lemovicenſis nimiam audaciam, quam temerè Hugo Grotius ad Lucæ. 3. 33. videtur excuſare, ſi non defendere. Urget Cordeſius in originali Lucæ textu infartum à librariis errorem, dum ver. 24. *Matthat* & *Levi* inter *Eli* & *Melchi* inſererent, quem corrigendum dictat per duorum iſtorum expunctionem. Cordeſii hæc concluſio ab omnibus S. Scripturæ perfectionem profitentibus eliminanda eſt: in variis tamen optimorum Patrum antiquis codicibus duo iſta nomina fuiſſe omiſſa non poteſt negari, ut ante Cordeſium prolixè oſtendit *Voſſius* in ſuâ de genere Chriſti diſceptatione pag. 22. Certè quæ ad teſtmonia *Irenæi*, *Ambroſii*, *Hieronymi*, *Euſebii*, & aliorum Patrum reſpondet *Spanhemius* vix enervant argumenti Cordeſiani antecedens, nimirum multorum Patrum ſacros codices Lucæ 3. 24. non legiſſe *Matthat* & *Levi*. Sed quicquid fiat de antecedente, conſequentiam cum *Spanhemio* libentiſſimè damnamus, nimirum ſacrum hodie codicem ad illam veterum iſtorum lectionem corrigendum, cùm in omnibus quæ hodie extant manuſcriptis exemplaribus *Matthat* & *Levi* diſtinctè legantur. Tertiò Poſt *Bedam* & *Euthymium* olim ad 3. Lucæ, plerique hodie qui *Africani* ſententiam ſequuntur facilè argumenti hujus vim retundunt, corrigendo *Africani* lapſum in perſonâ, lege enim pro *Melchi Matthat*, vel ut habet *Beda*, *Matthat* fuiſſe binominem vocatumque etiam *Melchi* (quod *Spanhemius* & *Gomarus* aſſerere coguntur in ejus filio *Eli*, quem etiam *Eliakim* vel *Ioakim* dictum volunt, abſque omni Scripturâ) hoc pacto graviſſimum *Spanhemii* argumentum evadet leve & nullum.

Grotii & Cordeſii audax error.

Tertium *Spanhemii* argumentum: Etſi ex *Africani* narratione jus leviratûs competeret *Iacobo* & *Levi* veris fratribus, nullum tamen ejuſmodi jus ſpectabat ad eorum patres *Eſtha* maritos, qui licet in eadem tribu, ex familiis tamen erant magno intervallo diſſitis, alter ex *Solomonis*, alter ex *Nathanis* domo; & verò vidua apud Judæos ad nubendum proximo mariti agnato aſtringebatur. Reſp. Nemo unquam prætendit leviratûs jus in conjugio *Eſtha*, quod mortuo *Melchi* poſt genitum *Iacobum*, *Matthat Eſtham* duxerit, id factum ex mero partium arbitrio, neque ulla lex aut conſuetudo apud Judæos, aut ullam aliam gentem viduam quæ hæredem, eumque filium priori marito peperiſſet, ad nubendum proximo mariti agnato compellebat. 3.

Quartum. Dici non poteſt cui bono Lucas tam longam lineam duxerit proſapiæ *Joſephi* legalis, qui tantum putativus Chriſti pater erat; amiſsâ *Mariæ* lineâ, quæ Chriſti vera fuit mater. Reſp. 1. lubricum valde eſt hoc argumentum, negare factum aut de facto dubitare, cujus rationes & commoda non poſſint illicò oſtendi. 2. Veterum recentiorumque turba, quæ Euangeliſtam utrumque genealogiam ſuam ad *Ioſephum* terminare aſſerit, multas divini hujus facti rationes affert, quas nihil attinet repetere. 3. Ab omnibus negatur *Mariæ* genealogiam prætermitti, ſed in *Joſephi* genere includi, ut ſui proximi agnati. 4. Rationem à *Pſeudo Iuſtino* allatam malè rejicit *Spanhemius*, quanquam enim ad totam ſeriem non ſpectet, ſatis tamen eſt ſi ad ultimos ſeriei gradus, quibus unis deſtinabatur, commode applicata ſit: id autem bellè factum videtur, nam quî aptiùs illuſtrari potuit, Chriſtum datum *Ioſepho* in filium legalem ex *Mariâ* conjuge ſine omni ſuo opere, quam ex ſimili (etſi non omnibus apto) quo ipſe etiam à matre ſuâ legali patri ipſius *Eli*, abſque omni ejus opere, pariter ſecundum leges Iſraëlis datus ſit? 4.

Præter hæc quatuor, alia novem argumenta profert *Spanhemius* contra *Africani* ſententiam in eâdem Diatribâ, paragr. 12. ex his duo tantum attingam ſeptimum & nonum, cætera tranſeo, quòd vel cum prioribus coincidant, vel minoris ſint momenti. Septimum hoc eſt. Cum unus filius ſecundum leges leviratûs duos fratres habet pro patribus, alterum pro patre naturali, alterum pro le- 7.

gali, tum illi duo fratres unum habent patrem, & eorum filius unum eundemque habet avum, at in *Joſepho* nihil minus apparet, quia duo ejus patres *Jacob* & *Eli* diverſos habent non tantùm patres, ſed & omnes majores diverſiſſimos uſque ad *Davidem*. Reſp. Argumentum tenet in patribus ὁμοπατρίοις, nequaquam verò in iis qui tantum ſunt ὁμομήτριοι & uterini, quales *Africanus* ſupponit *Iacobum* & *Eli*.

9\. Nonum hoc eſt. *Africanus* timidis & ſuſpenſis verbis ſuam ſententiam proponit. Reſp. Apud ſapientes argumenti nunquam nocuit modeſtia, nec profuit magniloqua audacia. *Africanus*, omneſque ſequaces, fatente *Spanhemio*, profitentur exiſtimare ſe ſuam ſententiam aliis omnibus commodiorem ad ſolvendum præ manibus nodum; & certè diverſam *Spanhemis* nihilo commodiorem efficiunt magna verba de abſurditatibus aliorum & ſuis demonſtrationibus, ejuſque farinæ alii Rhetorici flores.

Ex dictis, puto, ſatis apparet, quæ contra *Africani* & Veterum ſententiam à recentioribus ſeu Proteſtantibus ſeu Pontificiis objiciuntur, non eſſe tanti, ut ea neceſſariò deſerenda ſit, neque verò recentiores pro ſuis ſpecialibus determinationibus, eas afferunt demonſtrationes, quæ cuiqnam aſſentiendi neceſſitatem imponunt. *Spanhemius* duos modos affert, qui ipſi perplacent, inprimis ſecundus: num hæc placentia magis ex mero arbitrio, quàm ſolidis ullis rationibus fluat, jam perpendamus.

Rejicitur prior Spanhemii ſententia.

Uterque modus in eo convenit, Lucam non narrare ſtemma *Ioſephi*, ſed *Mariæ*; quo dato, nulla erit inter Euangeliſtas contradictionis apparentia, nam apud *Matthæum Iacob* eſt *Ioſephi* pater, apud Lucam verò *Eli* non dicitur *Ioſephi* pater, ſed ipſe *Eli* ejuſque majores uſque ad *Nathanem* referendi ſunt ad ſolam *Mariam*, cujus unius *Eli* fuit verus & naturalis pater. Hæc autem dupliciter explicant: primò, ut *Joſephus* dicatur Filius *Eli*, quia ejus gener. Secundò, ut extendatur parentheſis ver. 23. ad hæc omnia verba [qui fuit ut putabatur, filius *Ioſephi*] ita ut *Eli* connectatur nullo modo cum *Ioſepho*, ſed cum ſolo Chriſto ſuo per *Mariam* filiam nepote.

Priorem variis rationibus *Spanhemius* munit, ubi ſuprà paragr. 24. quas omnes de verbo ad verbum excerpſit *Balduinus*, *VValeus* ad Lucæ 3. 23. Sententia hæc auctorem habet Impoſtorem *Annium*, ut rectè notat *Suarez*, & ante eum *Eraſmus*. *Ioannes Calvinus*, non dicam cum ſtomacho, ſed tamen, ut ſolet, valdè graviter eam rejicit, ob hanc præter alias graviſſimam rationem; ſcilicet per eam excludi Chriſtum à ſtirpe & ſucceſſione *Solomonis*, omniumque Regum *Judæ*. Quod regerunt *Gomarus* & *Spanhemius*, *Calvinum* fateri extinctam *Solomonis* lineam in *Abaziâ*, non facit ad rem præſentem; nam id quod hîc premit *Calvinus*, non eſt naturalis ſed legalis ſucceſſio Chriſti Regibus *Iudæ*, cui nullus omnino relinquitur locus, ſi *Maria* per Lucæ lineam ita referatur ad *Nathanem*, ut nullum habuerit jus in *Ioſephi* majoribus naturalibus, Regibus *Iudæ* à Matthæo nominatis, adeoque nec Chriſtus habuerit partem ullâ lege in Throno *Davidis*; aut ſceptro *Iudæ*. Quod licet *Spalatenſis* affirmet, tamen penè omnes tam Pontificii quam Proteſtantes negant, affirmantes *Shiloh* Jeſum Chriſtum per *Mariam* matrem, non tantùm *Davidis* filium ſecundum carnem, ſed etiam *Solomonis*, Regumque *Iudæ* jure legitimo ſucceſſorem.

Et ratio à Galatino. 1.

Spanhemii ratio prima, pro priori ſuo modo ex Galatino, ut profitetur, hæc eſt. Omnes conjuges ſunt una caro, adeoque parens unius recte dici poteſt parens alterius, & per conſequens pater *Mariæ* rectè dicitur pater *Joſephi*. Reſp. Galatinus in illo cap. 12. libri ſui ſeptimi tot affert ineptas fabulas ex *Rabbenu Haccadoſh* & *Rabbi Haccaas* ſcriptoribus plane ſuppoſititiis (quod rectè notat *Cauſabonus*) ut in hoc ſubjecto omnem perdiderit auctoritatem. Quod ad argumentum, non ſequitur, quia gener dici poteſt aliquo modo, & aliquando dicitur ſoceri filius, ideo Lucæ 3. 23. ita rem ſeſe habere; à poſſe ad eſſe, inprimis hîc & nunc, nulla eſt conſequentia: maximè cùm ſequelæ fundamentum evidenter eſt ſublatum. Certè hîc conjuges nunquam fuerunt una caro, exceptio hîc eſt à communi regulâ: licet enim omne matrimonium inſtitutum fuerit, ut conjuges ſint una caro, tamen expreſsè in conjugio *Mariæ* & *Joſephi*, ex ſupremi legiſlatoris arbitrio, aliter fuit ordinatum.

Item 2.

Secunda *Spanhemii* ex Galatino ratio eſt Gen. 37. 35. *Jacobi* nurus dicuntur ejus filiæ, alias *Iacobus* unam tantùm habuit filiam *Dinam*, Ergo *Ioſephus Eli* gener dici poteſt *Eli* filius. Reſp. nulla neceſſitas eſt conſequentiæ, ut jam dictum, niſi ab eo quod ſemel aut iterum factum eſt, concludas idem non tantùm fieri poſſe, ſed ſemper & neceſſario fieri. Prætereà antecedens negari poſſe *Gomarus* concedit; quia *Iacobi* filiæ rectò exponi poſſunt tam de ejus neptibus filiabus ſcilicet filiorum, quam nuribus.

Tertium argumentum eſt ex primo *Ruth*, ubi *Naomi* nurus dicuntur ejus filiæ. Reſp. 3.
Eodem capite iſtæ dicuntur non *Naomi* filiæ ſimpliciter, ſed etiam ter nurus, ita ſi ſe res haberet in Luca, confecta res eſſet, ſi vel ibi vel ullibi in Scripturis *Ioſephus* dictus eſſet gener *Eli*. Argumentum præcedens confirmat *Gomarus* ex primo *Eſthera*, ubi *Eſther* dicitur *Mardochai* filia. Reſp. Confirmationem hanc prudenter neglexit *Spanhemius*, nam in promptu erat reſpondere, ibidem expreſſum

modum

modum quo *Eſther* filia *Mardochai* fuerat, ſcilicet ejus conſobrina ex patruo, quam ille affectu paterno educabat.

4. Quartum argumentum Spanhemii. Vulgari ſermone quilibet gener dicitur ſoceri filius. Ergo Luc. 3. 23. qui dicitur *Eli* filius fuit ejus gener. Reſp. Aperta eſt inconſequentia à particularibus ad particulare. In Scripturâ appellatio filii ſæpe oritur ab affectu, qui eſt aut eſſe debet majoris in minorem, ita *Ioſeph Benjaminum* vocat ſuum filium, ut etiam *Ioſhua Achanem*, & *David* ſe vocat *Nabalis* filium, ac Prophetarum diſcipuli ſæpè eorum filii vocantur. Num ergo vel naturales filii, vel generi, vel nepotes erant?

5. Quintum. Matthæus dicit *Iacobum* genuiſſe *Ioſephum*. Lucas autem non dicit *Eli* genuiſſe *Ioſephum*, ſed *Ioſephum* fuiſſe filium *Eli*. Reſp. Nihil aliud prætenditur hinc deduci, quam *Ioſephum* non fuiſſe naturalem filium *Eli*, ſed alio aliquo modo quàm naturæ, quæſtio autem eſt longè diverſa, num ſcilicet Joſephus fuerit *Eli* gener, nihil ejuſmodi per hoc argumentum probatur. 2. Hujus argumenti auctor eſt Africanus; quam hic Gomarus & Spanhemius rejiciunt. 3. Auguſtinus qui hoc ipſum argumentum ab *Africano* mutuatus eſt, fatetur non eſſe ſolidum, certè *Grotius* fusè, & ante eum *Gerardus Voſſius* tam nervosè demonſtrant verbum γεννᾶν. παιδοποιεῖν. ילד rectè uſurpari de generationibus tam legalibus quam naturalibus, & patres adoptivos rectè vocari genitores, tam quàm naturales, ita *Julius Cæſar Auguſti*, & *Auguſtus* Germanici genitores apud Claſſicos auctores dicti ſunt, & in ſacra Scripturâ filii legales Patrum legalium ſemen germen ſeu genimen ſæpè appellantur. Sed quod mihi palmarium ac rem penitus conficere videtur (quod tamen tum *Grotius*, tum *Voſſius* omiſerunt) Deus filios ſuos adoptivos gignere ſæpe dicitur, & illi ab eo regenerari, ita ut argumentum à voce gignendi, licet à *Gomaro* & *Spanhemio* repetatur ad ravim, nihil penitus ad concluſionem præ manibus facere videatur.

Contra poſteriorem ejus ſententiam arg. 1. Altera ſententia, nimirum Lucæ 3. 23. parenthesin extendendam ultra voces [ut exiſtimabatur] ad ſequentes etiam [filius *Joſephi*] hoc pacto *Eli* referetur ad ſolum Chriſtum ut ſuum nepotem, nequaquam vero ad *Joſephum* generum, utpote parentheſi incluſum, ideoque ab omni quæ eſt iſto loco relatione excluſum. Sententiam hanc invenio quidem citatam apud *Suarezium* nec improbatam, ſed à *Maldonato* & à *Lapide* rejectam, à noſtris tamen Junio, *Gomaro*, & *Deodato* approbatam, & ſupra omnes deamatam à *Spanhemio*; cur eam minus quam ſuperiores neceſſariam, imò minus probabilem ſentiam, hæc affero perpendenda.

Primo. Inventum hoc eſt ex magnâ ſaltem parte auctoris quæſtionum in V. & N. Teſtamentum, 4. *Auguſtini* tomo, qui primus Chriſtum retulit immediatè ad *Eli*, jam verò auctor hic, ut ipſe *Gomarus* fatetur, eſt in purus *Arianus*, eoque minùs mihi placent quæcunque ejus inventa.

Secundo. Ut pravus hic auctor Chriſtum refert immediatè ad *Eli*, ita etiam ad *Ioſephum*, qui eſt infra *Eli*, eundem immediate refert, quin etiam ad omnes & ſingulos qui ſunt ſupra *Eli* uſque ad *Adamum*, quod tam *Gomarus* quam *Spanhemius* profitentur eſſe commentum ineptum & abſurdum. 2.

Tertiò. Parentheſis extenſio, ita ut *Ioſephus* eâ includatur, eſt corruptio textûs originalis, nam in omnibus tam manuſcriptis quàm impreſſis codicibus Græcis parentheſis nihil aliud continet quam hæc ſola verba, ὡς ἐνομίζετο, ut putabatur. 3.

Quartò. Suppone diſtinctiones textûs originalis pro doctorum hodie arbitrio commutari poſſe, quod tamen concedendum non arbitror, ne curioſis & perverſis ingeniis nimis lata porta pandatur detorquendi multos Scripturæ locos præter genuinum ſcopum, ſecundum variam diſtinctionum diſpoſitionem: utcunque materia ſubjecta hujus parentheſis extenſionem non admittit, ita enim excluderetur non tantùm ab eo verſu, ſed & omnibus ſequentibus nomen ſubſtantivum filius, qui regit omnes genitivos caſus qui ſequuntur, ſcilicet filius *Eli*, filius *Matthat*, filius *Levi* &c. nam vox υἱὸς, & omnes aliæ voces incluſæ parentheſi excluduntur à reliquâ ſententiâ, quæ abſque his perfecta eſſe ſolet ac debet. 4.

Prætereà. Si ſubaudiendum ſit nomen filius hoc pacto, Jeſus exiſtens filius *Eli*, quàm hoc eſt durum vel auditu, vel intellectu? Ita enim ſecundum hanc ſubauditionem textus eſſet legendus. Jeſus exiſtens filius (ut putabatur filius *Joſeph*) *Eli*, loquutio duriſſima & obſcuriſſima. Ut hinc ſe extricaret Gomarus, commentus eſt omninò novam adverbii ὡς ſignificationem, non vult, ut ante eum omnes mortales ὡς exponi hîc per ſicut, ſed adverſativè per quum, non ſicut exiſtimabatur, ſed quum exiſtimabatur. Nolo examinare locos ab eo citatos ubi ὡς in novâ hac acceptione accipiendum putat, cum ipſe *Spanhemius* à more recepto hîc non recedat, nec alius quiſquam, quantum intelligo, Gomarum hîc ſequatur. 5. *Vanum Gomari inventum.*

Addo. Si participium ὢν exiſtens jungatur cum præcedenti ἀρχόμενος, ſicut in Regiis Antverpienſibus, & in vetere Latino, & aliis multis Bibliis (etſi non in noſtris vulgatis nec in nuperis Londinenſibus) extenſio parentheſis efficiet ſenſum omnino claudum, nullum enim eſſet nomen quod regeret genitivum τοῦ Ἠλὶ, aut quod Jeſum cum *Eli* connecteret. 6.

Deinde extenſio parentheſis ad illuſtrandam 7.

dam ſententiam, ut rectè notat *Gomarus*, requireret verbum expreſſum quod reſponderet τὸ ἐνομίζετο, nimirum ὢν δὲ aut ſimile, legendo ad hunc modum, Jeſus Chriſtus, ut putabatur, filius *Ioſephi*, erat verò filius *Eli*.

8. Octavum contra hanc ſententiam argumentum excludit ea tam quàm præcedens *Mariam*, & Chriſtum ſecundum carnem à *Solomone* Regibuſque omnibus *Iudæ*, omnique jure ad thronum aut ſceptrum *Davidis*, quod hoc pacto uni *Ioſepho*, nequaquam verò *Mariæ* competeret.

9. Nonum *Mariam* in familiâ collocat nimis à *Ioſepho* diſtante: nam, ut numerat ipſe *Spanhemius*, *David* erat quadrageſimus primus à *Mariâ*; detur *Davidis* familiam *Davidis* diebus ad paucos admodum redactam, & radicem *Ieſſe* ad paucos & exareſcentes ramos, vix tamen credibile numerum fuiſſe uſque adeò puſillum, ut nullus Mariæ propinquior inveniretur quàm *Ioſephus*, cujus origo cum ſuâ non ante uniebatur, quàm gradibus ſupra quadraginta ad ipſum *Davidem* fieret aſcenſus.

10. Subſiſtam in decimo. Sententia hæc facit primum in Chriſti genere gradum heterogeneum ab omnibus reliquis, in his enim omnibus eſt nexus filii cum patre, in illo nepotis cum avo, Jeſu cum *Eli*: fateor in lineâ *Matthæi* non tantùm nepotem cum avo, ſed ab nepotem cum atavo conjungi, ſed hoc fit tum ad ſalvandam expreſſam *Matthæi* hypòtheſin de tribus teſſaradecadibus, tum quòd ſacra Scriptura alibi clarè doceat quòd iſti quos *Matthæus* vocat filios, fuerint reverâ abnepotes, aut trinepotes, nihil tale in Lucâ, nec quicquam ſimile abſque neceſſitate affirmari debet.

Reſpondetur ad argumenta Spanhemii 1. Pro ſuâ ſententiâ hæc affert *Spanhemius*. Primò, per eam nihil coactum eſſe in textu, ſed omnia fluere de plano. *Reſp.* Quàm omnia per eam coacta ſint, & quàm ei tam verba quàm ſenſus repugnet, nuper diximus.

2. Secundò. Hujuſmodi parentheſes ſunt conſuetæ, & frequenter filii ſumuntur pro nepotibus. *Reſp.* Iſta vel ſunt petitiones principii, vel nihil adverſum. Quis dubitat frequentiſſimas in omni ſermone parentheſes, ſed extenſiones parentheſeon ultra limites originalium textuum idque ad conturbanda cùm verba tum ſenſum non ſunt conſuetæ, neque in ullo probato auctore apparent: quòd nepos aliquando ſtare poſſit pro filio, facilè conceditur, ſed in eo catalogo ubi in gradibus ſupra octoginta nunquam filius ſtat pro nepote, nemo concedet niſi argumento efficaci convictus, quale nullum hic apparet.

3. Tertiò. Syrus Interpres, etſi non exprimat parentheſin, ſic tamen legit, & putabatur filius *Joſeph*, quæ, ac ſi includerentur parentheſi, ſic cohærent, ut non poſſint disjungi. *Reſp.* Si vellet ſtare *Spanhemius* judicio vel Syri vel Arabis vel Æthiopici Interpretis, ſtatim caderet causâ, illi enim omnes, ut videre eſt in Bibliis nuperis Londinenſibus, *Ioſephum* referunt ad *Eli* ut patrem tam expreſsè, quàm vel Græca vel Latina. Nihil facit ad rem quod cohærent ea verba, & putabatur filius *Ioſephi*, nam non minùs cum noſtrâ parentheſi verba inter ſe cohærent, unum enim & idem eſt, Jeſus fuit (ut putabatur) filius *Ioſephi*, & Jeſus putabatur filius *Ioſephi*. Verùm tota quæſtio eſt num Jeſus prætermiſſo *Ioſepho* immediatè referatur ad *Eli*, an verò *Joſeph* referatur ad *Eli*, ſicut *Eli* ad *Matthat*; hoc eſt quod fieri affirmamus apud Syrum & cæteros omnes interpretes orientales multò expreſſiſſimè, ut cuivis inſpicienti patebit.

Quartum eſt ab auctoritate aliquorum ex Proteſtantibus & Pontificiis. *Reſp.* Hi omnes videntur ſequuti unum *Iunium*, ut aliàs non ſemel, ſed ſi certandum eſſet auctoritatibus, proculdubio pro ſententiis prioribus ſtant multò plures & majores viri, quàm pro hac novâ & ultimâ *Spanhemii*. 4.

Non ultra quæſtionem hanc vexabo, ut *Concluſio.* incepi ita finio, reſponſum generale de patre naturali & legali ſatisfactorium eſſe, ſi particulariùs deſcendatur nihil invenitur fundati, nihil neceſſarii; ſolum conjecturæ & probabilia omnem paginam implent, in quibus ſententia veterum non eſt tam abſurda, quin poſſit commodè ſatis defendi, nec recentiorum quorumcunque placita ita adhuc demonſtrata ſunt, quin multa poſſint objici ob quæ quivis cordatus libertatem poſtulet ἐπέχειν.

QUÆSTIO IX.

Cur ad Joſephum potiùs, quàm ad Mariam Chriſti ſtemma referatur.

IN Genealogiâ Chriſti plura non movebimus quàm hoc unum, quod adverſarii olim tam Pagani quàm Heretici contra Eccleſiam ante omnia premebant. Si (inquiunt) Jeſus à *Ioſepho* ejuſque majoribus deſcendit, tum *Ioſephus* ejus erat pater, neque natus eſt Jeſus ex virgine, adeoque Meſſias eſſe non potuit: ſi verò à *Ioſepho* non eſt genitus, quid ad eum ſpectat *Ioſephi* ſtemma? Cur non Mariæ genus quæ ipſius certa mater erat, potius deſcriptum eſt? Ut hic nodus ſolveretur inventa eſt ea ſententia, quæ Mariæ ſtemma non *Ioſephi* in Euangelio Lucæ texi conſtituit. Sed præterquam quod huic ſententiæ multas rationes & auctoritates oppoſuimus, etiamſi concederetur, non ſolveret nodum; licet enim Lucam Mariæ genus narrantem difficultas non tangeret, *Matthæum* tamen unius *Joſephi* ſtemma memorantem ab hoſtium telis non tegeret. Antiqua ergo & vulgaris reſponſio quæ utrumque Euangeliſtam liberat ab adverſariorum cavillis magis placet, ſcilicet apud Judæos in virorum genealogiis mulieres non conſuevisse numerari, ſed viros ſolos; præter- *Iudæi in virorum genealogiis mulieres non numerabant.*

eà in

eâ in maritorum ſtemmate uxorum genus & familiam ſolitam deſcribi. In hoc reſponſo *Chryſoſtomus*, *Ambroſius*, *Hieronymus*, & alii multi tam Græci quàm Latini Patres acqnievere.

Prior reſponſionis pars ita intelligenda eſt, ut non neget mulieris proſapiam inter *Iudæos* aliquando memoratam: eſto *Iudithæ* ſtirps verè tradita concedatur, etſi liber ille Apocryphus à quodam Judaizante Græculo conſcriptus nugis & fabulis ſcateat, verum etiam eſt. 1. Paralip. cap. 1. & 2. & alibi in Genealogiis judaicis variarum mulierum nomina continentur, ſed quod aſſeritur hoc eſt, in Genealogiis Hebræorum viros ad tribum & familiam non per matres ſed per patres conſueviſſe referri, ſecundum familiare Rabbinorum dictum, familia matris non eſt familia; non enim cujus mater erat ex tribu *Iuda* vel *Levi* ipſe cenſebatur in iis tribubus niſi etiam pater in iis fuiſſet. A communi hâc regulâ excipiendus erat Meſſias, qui à matre tribum accipere neceſſum habebat, qnòd eſſet ἀπάτωρ & nullum inter homines patrem habere potuerit, neque tamen expreſsè & nominatim per matrem vel ad tribum vel ad familiam referebatur, ne ab ordinariâ & conſuetâ Genealogiarum ratione abſque neceſſitate diſcederetur. Abſque neceſſitate, inquam, qnia cùm eadem eſſet tam tribus quàm familia putativi & legalis Chriſti patris Joſephi, quæ veræ & naturalis matris Mariæ; non neceſſe fuit ſub nomine Mariæ Chriſtum ad familiam *Davidis* & tribum *Iuda* referri præter gentis morem, cùm id æquè commodè ſervatâ ordinariâ conſuetudine ſub nomine *Ioſephi* Mariæ mariti præſtari potuerit.

Eadem fuit Ioſephi quæ Mariæ tribus.

Sed hæc eſt pars reſponſionis ſecunda, neceſſarium ad partem priorem additamentum, quoque hoc illuſtretur; Porrò animadvertendum primò, conſuetudinem iſtam Judæorum, ut viri molieres ducerent ex ſuâ tantùm tribu, fundatam fuiſſe in lege Dei, quæ habetur diſertè Num. 36. 6. & ſequentibus.

Secundò. ſecundum eam legem neceſſe fuit mulieribus non tantùm in ſuâ tribu nubere, ſed etiam in ſuâ iſtius tribûs familiâ, imò verò in ſuâ familiâ viro maximè cognato: ratio enim legis erat conſervatio poſſeſſionum non tantùm in eâdem tribu & in eâdem familiâ, non latè ſumptâ, ſed ſumptâ quàm fieri potuit commodè, ſtrictè; aliàs multæ familiæ particulares per extranea connubia mulierum, ſuis hæreditatibus in annis paucis fuiſſent ſpoliatæ: & quidem filiæ *Zelophehad* quæ legis ferendæ occaſionem præbuerunt, & in quibus prima legiſlatæ fiebat praxis, proximis omninò ſuis agnatis, conſobrinis ſcilicet germanis & patrui ſui filiis in uxores datæ ſunt.

Alia ratio virginum ἐπικλήρων

Tertiò advertendum, legem loqui primo de mulieribus ἐπικλήροις quæ dotem habebant in hæreditatibus fundi, non ἐπιπροίκοις, quarum dos non in agris qui cedebant fratribus, ſed in pecuniâ aliave re familiari conſiſtebat. Hinc fit ut in ſacris literis varia habeantur exempla mulierum quæ non tantùm extra familiam, ſed etiam extra tribum ſuam nupſerunt, inprimis inter Levitas, ubi *Aaron* & *Iehojada* uxores duxerunt ex tribu *Judâ*, nam proclive erat in tribu *Levi* tam mulieres quam viros cum extraneis matrimonia contrahere, eo quòd Levitæ non haberent poſſeſſiones, & ſuis matrimoniis neque dare neque auferre poſſent agros; etſi autem lex primò & præcipuè de ἐπικλήροις lata ſit, tamen quia morte propinquorum & aliis caſibus ἐπιπροίκοι aut earum poſteri ſæpè evadebant ἐπίκληροι, conſuetudo communis, quam paucæ exceptiones non violant, ferebat, ne ulla mulier extra ſuam tribum imò familiam nuberet: hoc pacto mariti tribus & familia inventa uxoris tribum & familiam prodebat. Adeoque cùm *Joſephi* genus ad *Iudam* & *Davidem* duceretur, nullum inter *Iudæos* ſummos Chriſti hoſtes à quoquam dubium eſt motum, quin ejus uxoris Mariæ genus ab eodem *Judâ* & *Davide* duceretur. Inprimis cùm *Joſephus* ab omnibus cognoſceretur vir juſtus qui leges & conſuetudines patrias religioſè ſervaret.

alia ἐπιπροίκων.

Denique advertendum Mariam virginem fuiſſe ἐπίκληρον: licet enim paupercula, non tamen in eâ rei ac ſpei familiaris tenuitate fuit, ut nulla ipſi particula agelli à patre relinqueretur, vel ut in nullo caſu ipſi portiuncula aliqua potuerit contingere, in primis cum domo *Davidicâ* ad pauciſſimos redactâ ad quemvis ex iſtis reliquiis ſuperſtitem, ſi non poſſeſſio tyrannicis illis temporibus; jus tamen ad ampla ſatis latifundia contingere, fuit facillimum.

Sed id quod ante omnia evincit Mariam ἐπίκληρον & ἐπικληρονόμον (quod ab interpretibus pleriſque malè negligitur) eſt illius præ omnibus mortalibus prærogativa, ut Dei filius ab eâ carnem acciperet. Tribuum, familiarum, & hæreditautm omnium Iſraëlitarum diſtinctio ad hunc maximè finem inſtituta eſt, ut Meſſiæ nativitas diſtincta, certa, claraque ſecundum promiſſa, prophetias, & ordinem à Deo præſtitutum ex beatâ virgine fieret. Hic finis primarius fuit, cur unquam apud *Iudæos* ullus homo ſeu vir ſeu fœmina eſſet ἐπίκληρος, vel ullum in terrâ Chanaan agri pugillum ut diſtinctus hæres poſſideret. Eane ergo meritò ἐπικληρονόμος cenſenda, ut ut in terrenis paupercula, in cujus unius ſuperexcellentem hæreditatem aliorum omnium poſſeſſiones ut finem, ſcopum, centrum, & antitypum tendebant. Eane pro ſuo incomparabili privilegio omni ἐπικλήρων jure, ante omnes frui debebat? Inprimis eo præ manibus, ut non niſi in ſuâ tribu, & in ſuâ familiâ in eâque proximo agnato debuerit nubere.

Maria virgo fuit ἐπικληρονόμος.

Maria non fuit de tribu leviticâ.

Satis iſta ſunt ad quæſtionis ſolutionem: antequam tamen hinc abiero aliquot cavenda præmonebo. Primò, ne quis exiſtimet Mariam virginem ex tribu Leviticâ, hoc enim ipſum erat, quod Gnoſtici & *Fauſtus Manichæus* contra fidem Chriſtianam urgebant. Concedimus, *Auguſtinum*, *Nazianzenum* & alios multos Patres aſſirmare Chriſtum deſceodiſſe non tantum ex Regio genere *Davidis*, ſed etiam ex ſacerdotali genere *Levi*, Lucamque genus ejus ſacerdotale deſcribere, ſicut *Matthæus* Regale. Sed iſta cum grano ſalis intelligenda.

Error quorundam Patrum malè defenditur à Baronio.

Baronius rectè taxatur à *Cauſabono*, quòd teſtimonia Patrum de ſacerdotali Chriſti genere recitet, & ſine ullâ diſtinctione approbet: certe non ſtat cum Chriſtianâ fide, ut Chriſtus ſit ſacerdos Leviticus: nam, ut habet Apoſtolus Hebr. 7. ℣. 13. 14. Chriſtus fuit de tribu *Iuda*, ex quâ nullus potuit inſervire altari Aaronico. Fortaſſe Patres, quos ut craſsè errantes ibi notat *Cauſabonus* & alii, excuſari poſſunt ab errore commodâ aliquâ diſtinctione, quod quidem ſedulò conatur *Suarezius* ubi ſupra gemino hoc commento. Prius eſt Mariam beatam virginem, vel per ſuam, vel per alicujus ex ſuis majoribus matrem, adeoque per lineam non maſculinam ſed fœmininam ex familiâ fuiſſe *Aaronis*. Alterum, aſſerere Patres, Chriſti lineam apud Lucam eſſe ſacerdotalem, in ſenſu tantùm myſtico non literali: quia ſcilicet *Davidis* filius ad quem Lucas Chriſti ſtemma refert, ejuſdem nominis fuit cum Prophetâ *Nathan* qui expiationem peccati, quæ actio fuit ſacerdotalis, *Davidi* prædicavit. Sed vereor ne σοφὰ hæc φώνημα Patres à nævo non poſſunt ſalvare. Nam prius de genere Sacerdotali per lineam maternam omninò eſt precarium, nullâ nec ratione, nec auctoritate nitens. Poſterius eſt inventum *Thomæ* Angelicæ planè ſubtilitatis, quod licet ab Hiſpani Jeſuitæ acumine valeat perſpici, noſtra tamen hebetudo nullam in eo rationis micam, nullam argumenti umbram dignoſcit.

Neque melius à Suarezio.

Patres quidem pro ſuâ ſententiâ afferunt Luc. 1. 5. & 36. unde ſic ratiocinantur. *Elizabetha Zachariæ* uxor erat ex filiabus *Aaron*: Atqui Maria Chriſti mater fuit *Elizabethæ* conſanguinea. Reſponſio facilis eſt, *Elizabethæ* matrem aut aviam eſſe potuiſſe de tribu *Iuda*, adeoque Mariæ patri aut avo quantumvis propinquam, nihil enim vetabat Sacerdotes uxores ducere de tribu *Juda*, ut dictum.

Rectè taxat Ambroſium Baronius, ipſe tamen rectius taxandus.

Rectè hîc taxat Ambroſium Baronius, quod *Elizabetham* ſtatuat in tribu *Iuda*, licet Lucas expreſsè eam affirmet ex filiabus *Aaron*. Sed non minùs vituperandus eſt ipſe Baronius, quòd in hac literarum luce multis putidiſſimis de Mariâ fabulis patrocinetur, quaſi ipſa inter ſacerdotes nata, ſacerdotibus trimula à parentibus tradita ſit, & ab iis in Sancto Sanctorum depoſita, ubi per annos totos undecim remanſit, nunquam inde exiens donec anno ſuo decimo tertio ab iis Sacerdotibus *Ioſepho* in matrimooium locata eſſet. Fatetur alibi Baronius, *Nicephorum* harum fabularum propagatorem, ſi non auctorem, hominem eſſe nugaciſſimum, & auctores hîc à *Nicephoro* citatos Hippolytum Portuenſem & Evodium Antiochenum eſſe plane ſuppoſititios. Attamen quia nos ipſorum nugas nolumus amplecti contra clariſſimas Scripturas, quæ nullum mortalium intra Sanctum Sanctorum admittunt præter unum Pontificem, idque ſemel tantùm quotannis, novatorum & hæreticorum elogiis ornari habemus neceſſe.

Spalatenſis periculoſus error refellitur.

Secundò cavendum à ſententiâ Spalatenſis lib. 6. de Repub. cap. 1. paragr. 7. Pontificii Gnathones undique corradentes ſophiſmata pro ſtabiliendâ Papæ monarchiâ temporali, inter alia hoc etiam arripuerunt. Chriſtus (inquiunt) ut *Davidis* ſucceſſor jus habuit ad Regnum temporale Iſraëlis, Ergo ejus vicarius Papa jus habet ad temporale Regnum totius Eccleſiæ univerſalis. Spalatenſis non contentus rejeciſſe conſequentiam, oimis temerè involat etiam in antecedens. Certè multi ex doctiſſimis tam Proteſtantium quàm Pontificiorum ſtant pro jure Chriſti ut filii *Davidis* ad Regnum temporale Judæorum, & quæ ex adverſo adfert Spalatenſis argumenta non ſunt difficilia ſolutu. Sed quod in hac non neceſſariâ quæſtione ipſe primus poſt Gnoſticos & Manichæoa contra omnes Chriſtianos profert, tolerandum non eſt, nimirum ut temporale in *Iudæos* Regnum ad Chriſtum nequaquam ſpectare demonſtret, affirmat probari noo poſſe beatam virginem vel ad familiam *Davidis* vel ad tribum *Iuda* ſpectâſſe: Chriſtum tamen ad *Iudam* & *Davidem* referri per *Ioſephum* cujus filius legalis erat: quo uno jure ad *Davidis* familiam ſpectâſſet, licet mater ex tribu *Levi* aut *Ephraim*, aut aliâ quâvis fuiſſet oriunda.

Sententia hæc audax eſt & nova, quam *Spanhemius* Dubiorum parte 1. dubio. 12. paragr. 36. bellè ſatis dedolat, nos pauca tantùm addemus.

Primò nihil lucrari Spalatenſem ex hac ſuâ 1.
hypotheſi, nam ſecundum eam Chriſtus in omnia jura filii legalis *Ioſephi* ſucceſſit, jam verò non minùs filii legales quàm naturales ſuccedebant in hæreditates, imò in Regna, adeò ut hoc ipſo jure filii legalis ſucceſſio in Regnum *Davidis* Chriſto deberetur. Si excipiatur, *Joſepho* alios fuiſſe naturales filios Chriſto legali majores. Reſp. Hoc quidem à quibuſdam tam veteribus quàm reeeotioribus aſſeritur, ſed gratis ſine ullâ ſolidâ probatione, & à pluribus negatur.

Secundò. Sententia hæc non tantùm Ma- 2.
riam ſed ipſum Chriſtum ex tribu *Juda* & familiâ *Davidis* ejicit, nam locum in utrâque ei aſſi-

ei aſſignat tantùm quià filius fuit *Ioſephi*. Ergo ſicut manente omne jure filii legalis, negari poteſt ſimpliciter & abſolutè Chriſtum fuiſſe verum *Ioſephi* filium, ita etiam ſimpliciter & abſolutè negari poterit Chriſtum ex familiâ fuiſſe *Davidis* aut tribu *Iuda*, & ſi concedatur in utrâque fuiſſe [illegible] n, ſecundum filiationem ſcilicet legalem, hoc autem immane quantum repugnat Scripturis utriuſque Teſtamenti Gen. 49. 10. *Shilo* Meſſias naſcitur ex *Juda* de inter pedes ejus, ut habent Hebræa Iſa. 11. 1. Virga oritur de radicibus *Jeſſe* & ſemen de viſceribus ejus 2. Sam. 7. Heb. 1. 5. Act. 11. 30. Iſta negare de generatione naturali Meſſiæ ex familâ *Davidis* & tribu *Juda*
De fructu lumborum ejus. videtur non ſimplex error, ſed, ut rectè eum appellat *Suarez* nbi ſuprà, error in fide.

5. Tertiò. Unicum quod ex Pſeudo Juſtino Spalatenſis pro ſe affert teſtimonium omninò eſt alienum à re, Viſum eſt Deo ex *Ioſephi* uxore *Ioſepho* dare filium, qnem ipſe naturâ non procreavit. Quidtum? Ergone Maria eſt extrudenda familiâ *Davidis*? De antecedentis veritate quis dubitat? Neque de conſequentiæ falſitate ullum ſcrupulum remanere neceſſum eſt.

4. Quartò. In hoc argumento videtur perperam negare *Spanhemius* Chriſtum *Ioſephi* fuiſſe filium legalem; omnia ejus argumenta in hanc rem tangunt tantùm jus leviratûs, ſed ut ſupra dictum, filiatio legalis tam apud Judæos quàm gentes multiplici alio jure nitebatur quàm levirorum, certè in hoc aſſerto ſingularis eſt *Spanhemius*, nec in eo ſequendus videtur.

Damaſceni audax novatio. Cavendum tertiò à determinationibus particularibns, plerique tum veteres tum recentiores ut in quæſtione ſuperiori ita in hac præ manibus ſubſiſtunt in generalibus, contenti aſſerere Mariam *Ioſepho* propinquam genus & ſtemma ſuum in mariti ſtemmate comprehenſum habuiſſe: verùm quo gradu Maria *Ioſephum* attigerit ante Damaſcenum nemo eſt auſus determinare, hic verò audaciſſimè totam eorum cognationem quam Veteres per mille annos ignorârunt ſic enarrat lib. 4. de Orthodox. fide cap. 15. *Levi* (inquit) *Ioſephi* proavus duos genuit filios *Melchi* & *Panthera*, Panther genuit Barpanthera, Barpanther, *Ioakim*, & *Ioakim* genuit Mariam: ſed *Melchi Pantheris* frater ex *Eſtha* uxore *Mathanis* patris *Iacobi* genuit *Eli*, & mortuo *Eli* ſine liberis *Iacob* frater uterinus, ex ejus uxore genuit *Ioſephum* maritum Mariæ, hæc ratione *Ioſeph* per patrem naturalem *Iacob*, avumque *Matthat* ex familiâ *Solomonis* contingebat in tertio vel quarto gradu conſanguinitatis, uxore in ſuàm Mariam ex familiâ *Nathanis*, Maria enim filia fuit *Ioakim*, neptis *Barpantheris*, proneptis *Pantheris*, & abneptis *Melchi* cujus filius *Eli* ex *Eſtha Matthanis*, frater fuit *Iacobi* patris *Ioſephi*.

His Damaſceni commentis nimium patrocinantur cùm Grotius tum Voſſius ubi ſuprà: *Contra Damaſcenum & Grotium arg. 1.*
nihilominus ea improbamus. Primò enim nullius auctoritate teſtimonii nituntur præterquam ipſius Damaſceni qui mille poſt Chriſtum annis vixit, in corrupto admodum ſeculo, multaſque fabulas, nugas, & errores ſuis ſcriptis inſperſit, ſi vel ipſi *Baronio* fidem adhibeamus. Secundò, Damaſcenus hîc aperte 2.
contradicit Lucæ dum *Levi* facit patrem *Melchi*, quem Lucas facit *Melchi* filium. Tertiò, 3.
quod in genere Mariæ ponit *Pantherem* & *Barpantherem*; id ut *Origenes* teſtatur, & hodie in Talmude legitur, prout ipſe Voſſius citat, deptompſit ex impuris Judæorum Chriſti hoſtium mendaciis, neque quæ Voſſius citat ex Epiphanio cum Damaſceni fabulis in multis concordant, nt inſpicienti patebit. Quarto Mariæ patrem *Ioachim* facit ab *Eli* o- 4.
mnino diverſum, filium ſcilicet *Barpantheris*, nepotem *Pantheris* fratris *Melchi*, cujus filius *Eli*, *Ioakimi* ſecundum eum fuit patruus, in iſtis malè conſutis fabulis, neque Grotius neque Voſſius audent Damaſcenum ſequi.

Jeſuitis aliud commentum magis placet. *Ieſuitarum conciliatio non eſt magis proba.* *Chriſtophorus* à Caſtro quem ſequitur *Cornelius* à *Lapide* ex *Nicephoro*, ita genealogiam Chriſti ducit ut *Matthan* communis avus ſit *Ioſephi* & Mariæ hoc pacto: *Matthan* (inquit) genuit *Iacobum* ejuſque ſorores *Soben* & *Annam*: *Sobe* mater erat *Elizabetha* quæ *Zacharia* peperit *Ioannem Baptiſtam*: *Anna* nupſit *Eli* ſeu *Joakimo*, eique peperit beatam virginem, *Jacobus* verò genuit *Ioſephum*. Ita abſque omni difficultate conſanguinitas Mariæ cum *Ioſepho* & *Elizabethâ* pellucet. Sed iſta *Nicephorus* deprompſit ex mali commatis auctoribus, *Evodio* Antiocheno & *Hippolyto* Portuenſi ſcriptoribus ſtramentitiis & non tantùm ſuppoſititiis, ſed falſarum fabularum plenis, quos *Baronius* parum pro ſuorum Annalium dignitate nimis magni æſtimat.

Utcunque in hac commentitii ſtemmatis 1.
parte noto primò: *Nicephorum* ejuſque reprobos auctores *Evodium* ac *Hippolytum Matthanem Ioſephi* & Mariæ avum (ut volunt) ſacerdotem appellare, quod Euangeliſtis repugnat, qni utriuſque majores locant in tribu *Iuda*. 2.
Secundò. Cognationem *Ioſephi* & Mariæ poſitam volunt in eo quod Mariæ mater *Anna Iacobi* patris *Ioſephi* ſoror fuerit, jam verò affinitas per lineam maternam nullum *Ioſepho* jus tribuebat in matrimonium Mariæ. Hinc eſt quod Lucas Brugenſis nolit *Annam* Mariæ matrem *Iacobi* ſororem fuiſſe, ſed *Joakimum* Mariæ patrem *Jacobi* fratrem aſſerit: hoc ſi verum eſſet, conſanguinitas *Ioſephi* & Mariæ proxima clarè demonſtraretur.

Sed & illud *Brugenſis* commentum Scri- 5.
pturis contradicit, quæ *Ioakim* ſeu *Eli* & *Iacob* in magnâ inter ſe diſtantiâ, hunc ad *Solo-*

monem illum ad *Nathanem* referunt. Tertiò. *Eli* & *Iehojakim* pro uno & eodem nomine accipiunt, quod concedendum non eſt, licet id magni etiam inter Proteſtantes viri affirment: nam primò licet apud *Judæos* unus vir duo aliquando haberet nomina, non tamen duo illa viri unius nomina erant nomen unum, certè non magis *Eliakim* & *Jehojakim* unum erant nomen, quàm *Solomon*, & *Iedidia*, quàm *Gideon* & *Ierubbaal*. Secundò. *Eliakim* & *Jehojakim* ne unum quidem ſignificant, niſi *Iehova* & *El* omniaque Divina nomina ſtatuamus non tantùm unum Deum, ſed & unum idemque in Deo attributum ſignificare. Tertiò. Licet *Eliakim* & *Iehojakim* unum eſſent nomen, tamen *Eli* & *Eliakim* non ſunt unum, cur enim *Eliakim* potiùs eſt unum cum *Eli*, quàm *Elizabeth*, *Elimeſech*, *Eliſchama* & alia multa compoſita ex *Eli* & aliquo adjecto? Quartò. *Galatinus* hujus commenti ſi non auctor ſaltem primarius aſſertor non poteſt oſtendere, *Eli* cum *Iehojakim* unum ſignificare, niſi nomen *Eli* prius corrumpat legendo עֲלִי, ut deducatà עָלָה aſcendit, cum *Eli* à nomine אֵל proveniat, in quo nullum eſt Gnajin, quod ſi in hac voce prima radicalis eſſet. Gnajin affinitatem haberet cum *Jakim* poſteriore parte vocum *Iehojakim* & *Eliakim*, ſed nullam cum priore *El* & *Jehova*.

Contra miram Grotii impudentiam.

Eſt denique alia conciliatio particularis Grotii, quæ nihilo prioribus videtur probior. Is ad Luc. 3. 23. mirâ audaciâ commentis ſuis, quæ tamen profitetur tantùm arbitraria, omnia confundit in variis contra omnium Chriſtianorum ſenſum, niſi fortaſſe unius ſui in peſſimis aſſeclæ Doctoris *Hamondi*, à quo ad i-
arg. 1. pſum hîc relegamur. Primò, etſi concedat
in æquali tèmpore unam familiam ſuperare
alteram poſſe & ſolere magno numero perſo-
narum, non vult tamen hoc admittere cum
omnibus doctis in Euangeliſtis, ſed pro ſe-
ptem perſonis, quibus apud Lucam familia
Nathanis inter *Matthat* & *Melchi* ſuperat fa-
miliam *Solomonis*, apud *Matthæum* inter *E-
leazar* & *Matthan* ex ſuo penu depromit ſe-
ptem anonymos, quibus Apoſtoli *Matthæi*
2. lacunas ſcilicet ſuppleat. Secundò. Cum ami-
co ſuo *Cordeſio* falcem audet immittere in i-
pſum textum, Lucæ, reſecando duos cùm
3. *Matthat* tum *Levi*. Tertiò. Judæorum de Pan-
theribus nugas à Damaſceno reſuſcitatas penè
4. totas amplectitur. Quarto. Poſtquam expun-
xit *Levi* Euangeliſtæ, ipſe alium *Levi* è fæ-
cundo ſuo promptuario deſumit, quem fin-
git fratrem *Iacobi* & *Eli*, patremque Barpan-
5. theris, beatæ virginis atavum. Quintò. *Jaco-
bum Matthanis* filium *Ioſephi* patrem natu-
ralem vult mortuum ſine liberis, *Ioſephum-
que* filium naturalem *Eli* facit, ac ſucceſſorem
6. tantùm in bona *Iacobi*, reverâ ſui patrui. Sex-
tò. *Jacobum*, *Eli*, & *Levi* vult fratres ger-
manos, filioſque tres naturales *Matthanis*
miro figmento. Septimò. Licet in familiâ *Na-* 7.
thanis Lucæ inter *Melchi* & *Mariam* quatuor
perſonas numeret, in *Solomonis* verò familiâ
Matthæi inter *Matthanem* & *Joſephum* tan-
tùm unam, non tamen hîc ſibi conſtat, nec
ſupplet per tres anonymos *Matthæi* hîc lacu-
nas. Octavò. Etſi Mariæ patrem cum Pon- 8.
tificiis ponat *Iehojakim*, quem vult eundem cum *Eli* patre *Ioſephi*, ab eo tamen hunc facit tribus gradibus diſtantem, filium ſcilicet Pantheris, nepotem Barpantheris, & abnepotem *Levi* fratris *Eli*, quem vult genuiſſe *Ioſephum*. Ita Grotius Euangeliſtarum ſacroſanctam genealogiam miſerrimè pervertit, addendo, demendo, invertendo plura quàm quiſquam ante eum mortalium.

QUÆSTIO X.

De tempore quo adorârunt Chriſtum infantem Magi.

Quæſtionis explicatio.

EVaſit dudum controverſia inter Theologos tam antiquos quam recentiores, quo demum tempore Magi ſtellæ ductu acceſſerint Bethlehemum, & Chriſtum in cunis adorârint. Matthæus 2. 1. hiſtoriæ nativitatis ſubjicit immediatè iter Magorum ab Oriente, & poſt eorum reditum ver. 13. Chriſti deſcenſum in Ægyptum: ſed Lucas 2. 39. poſt res geſtas in templo Hieroſolymitano die purificationis, qui ſecundum legem fuit quadrageſimus à partu Virginis, habet *Ioſephi* iter cum Mariâ & Chriſto non in *Ægyptum*, ſed *Nazaretham* omnis hîc ἐναντιοφάνεια facilè tollitur. Poſteriores Euangeliſtæ multa omittunt, quæ priores plenè enarrârunt. *Matthæus* hiſtoriam Magorum & Chriſti deſcenſum in *Ægyptum* ita clarè deſcripſerat, ut *Marcus*, *Lucas*, & *Ioannes* iſta planè tranſiliant. Quod *Lucas* reditum *Nazaretham* ſubjungat purificationi, *Matthæus* verò deſcenſum in *Ægyptum* connectat cum adoratione Magorum Bethlehemiticâ, non patrocinatur iis, qui arbitrantur *Ioſephum* Hieroſolymis ipſo purificationis die monitum ab angelo properâſſe in *Ægyptum* tam *Bethlehemo* quàm *Nazarethâ* inſalutatis, nihil enim obſtat quo minùs *Ioſephus* poſt purificationem *Nazaretham* profectus ſit, & inde ab Angelo monitus profugerit in *Ægyptum*. Omnis hîc lis videtur valdè gratuita, ſed de tempore adorationis Bethlehemiticæ res non eſt tam liquida nec apud veteres nec apud recentiores, tres vel quatuor primarias ſententias invenio.

Epiphanii & aliorum ſententia improbatur.

Prima eſt Epiphanii, *Euſebii*, *Auguſtini*, & aliorum qui Magos volunt veniſſe Bethlehemum duobus totis annis poſt Virginis partum, hoc nixi fundamento, quod Herodes occiderit infantes à bimatu & infrà juxta tempus, quod à Magis exquiſiverat. Ergo (inquiunt) Magi venerunt Hieroſolymam & Bethle-

thlehemum, colloquutique ſunt cum *Herode* non niſi duobus annis poſt natum Chriſtum. Sententia hæc tam à Proteſtantibus quam Pontificiis communiter rejicitur, nec ejus fundamentum ſolidum eſt: nam duo illi anni quòs à Magis exquiſiverat *Herodes*, referendi ſunt non ad natum Chriſtum; nec ad Magorum adventum, ſed ad tempus infanticidii, quod diu poſt Magorum diſceſſum contigit.

Rectè quidem *Epiphanius* in illâ hæreſi 51. Alogorum num 8. refutat Porphyrii, Celſi, aliorumque Chriſtiani nominis hoſtium contra Euangeliſtas objectiones, quòd iſti ſimul narrent Chriſti nativitatem, circumciſionem, Magorum adorationem, pueri Jeſu in templo comparentiam, deſcenſumque in Ægyptum, quaſi iſta omnia uno contigiſſent die adeoque impoſſibilis eſſet & falſa ſacra hiſtoria. Reſpondet Epiphanius palpabilem Apoſtatarum obcæcationem quâ non cernebant iſtius hiſtoriæ diſtincta tempora: quod circumciſio nativitas, & purificatio, licet in hiſtoriâ conjungantur, tamen in diverſis temporum intervallis accidiſſe demonſtrarentur, Circumciſio die octavo poſt nativitatem, & præſentatio omnis maſculi in templo die quadrageſimo. Hactenus rectè doctiſſimus Pater & ad hoſtium veritatis calumnias retundendas ſatis: ſed quòd addit Magorum adventum anno poſt nativitatem ſecundo, ac reditum ex Ægypto anno quarto contigiſſe, nullum ex recentioribus ſequacem habet.

Malè tamen Maldonatus Epiphanium taxat.

Maldonatus Jeſuita in Matt. 2. non contentus Epiphanii ſententiam rejeciſſe & refutaſſe; addit Epiphanium aſſerere *Ioſephum* quotannis ex Ægypto Mariam & Chriſtum Bethlehemum reduxiſſe; & hinc factum ut Magi Chriſtum in ſuo bimatu Bethlehemi repererint. *Cauſabonus* noſter *Maldonatum* taxat, quod hunc errorem injuria *Epiphanio* imputaverit: ingenuè fatetur *Petavius* Collegæ ſui *Maldonati* ſphalma meritò notatum: nam quiſquis *Epiphanis* textum ſeriò leget, eum ab hoc abſurdo liberabit: habet quidem aliquid ſimile, *Joſephum* ſcilicet quotannis *Nazarethâ* profectum Bethlehemum, ut inde Hieroſolymam peteret. Gratis quidem hoc & falſo affirmatur ab Epiphanio, utcunque Maldonati lapſus eſt, quòd Ægyptum pro *Nazarethâ* ſuppoſuerit, & in hoc *Cauſaboni* cenſura juſtiſſima eſt, cui *Petavius* non audet refragari. Sed ne *Cauſabonus* impunè ferret ullam in Jeſuitas utlibet meritam cenſuram, in eum *Petavius* involat ut hæreticum, & librorum ex maledictis & calumniis conſutorum effuſorem: nigræ hujus loliginis fons eſt ira, quòd *Cauſabonus Maldonatum* maledicum & virulentum ſcriptorem appellâſſet, certè epitheta hæc jure commeruit *Maldonatus* ob ſua in venerabilem *Bezam* valde virulenta maledicta. Hic in ſuis annotationibus ad Matth. 2. diſputat contra Magorum Regnum, & malè torqueri putat vers. 10. Pſal. 72. de Regibus Tarſis & Inſularum Sebæque & Shebæ ad Magos Euangeliſtarum. Fatetur *Maldonatus* Scripturas in Miſſalibus & liturgiis Romanis aliquando applicari ad perſonas, de quibus ſecundum literam non ſunt veræ, Exempli gratiâ Lucæ 10. 42. Maria elegit bonam partem quæ non auferetur ei, cantat hoc Eccleſia de Mariâ matre Domini, palam tamen eſt apud Lucam Dominum hæc effari non de matre ſuâ ſed de Mariâ ſorore *Lazari* & *Marthæ*: concedit etiam *Maldonatus Mantuanum* & alios viros doctos, inter quos *Janſenium* & *Eſtium* reperio, ſolidis multis rationibus contra Magorum Regnum argumentari, non vult tamen hanc *Beza* libertatem permittere ab ſuo plauſtro convitiorum, ex quibus leviculum eſt, quòd eum toties ingeminet irriſorem veterum Patrum. Certè *Janſenius* & *Eſtius* aliique Pontificii negant à Patribus in ullo ſenſu proprio habitos pro Regibus, & in hanc ſententiam *Beza* varios Patres citat, quos procul abeſt ut unquam irrideat, etſi jure meritiſſimo ridenda propinetur recens Jeſuitarum ſuperſtitio & palpabilis Idololatria, qua *Colonia Agrippinæ* Regum trium proculdubio ſuppoſititia corpora religiosè adorant, ut à ſe factum Jeſuita *Cornelius* in locum fatetur.

Maldonati in Proteſtantes virulentia immerita.

Magi non erant Reges.

Sed non eſt quòd de *Maldonati*, *Petavii*, aut cujuſquam Jeſuitæ maledicentiâ conqueramur, cum Richardus Montacutius in partibus Ladenſium anteſignanus in hoc ipſo argumento Jeſuitas omnes virulentiſſimis in Proteſtantium primarios convitiis longè ſuperet originum par. priore Num. 70.

Montacutius & Ladenſes Jeſuitis virulentiores.

Jeſuita Canus illi eſt doctiſſimus & moderatiſſimus Theologus, ſed Proteſtantibus qui Magorum feſtum non putant ſolemni cultu celebrandum, reformationem furioſorum & Catharorum Puritaniſmum impetit. Hi ſunt Geneveníes cenſores Macrologi, Myconii novatores, naſutuli, δικαιόσοφοι, quibus nihil ſapit non priùs prolatum ex Lemanni lacu, & quod furoris caput eſt, atque amentiæ extrema linea, horridiſſima eſt imprecatio, qua totam illam reformatorum quaſi Puritanorum catervam ultimæ perditioni devovet Num. 62.

Ζῶσι πάντες ὡς κυβευτῶν τῶν ἀπίλωντι γένος. Hinc pellucidè ſatis apparet quid ab iſtis Bacchis bacchantibus expectandum fuiſſet, niſi Ladenſium Sectam miſericors Deus confudiſſet & confregiſſet.

Secunda ſententia eſt *Strabi* in Gloſsâ ſuâ ordinariâ, quam ſequitur *Lyranus*, *Aquinas*. *Abulenſis*, & omnes ferè Pontificii advenniſſe Magos Bethlehemum, ibique Chriſtum adorâſſe die decimo tertio poſt natalem, ſexto ſcilicet Januarii. Hac de re non multùm laboraremus, niſi Pontificiorum prava ſuperſtitio eò nos adigeret, ut Divinâ fide ſenten-

Contra Romana Eccleſia ſententiam arg. 1.

tiam eorum amplecteremur, utpote ſtabilitam non tantùm Eccleſiæ traditione, ſed etiam publicâ multis jam ſeculis praxi, quâ *Epiphaniorum* dies ſeu feſtum Magorum eo die celebratur, ejuſque ſolennitas omnibus Chriſtianis in publica liturgia neceſſariò imponitur. Proteſtantes, ut hoc auctoritatis Eccleſiæ Romanæ vinculum à ſuis conſcientiis depellant, ſic contra ipſorum in hac ſententia tyrannidem argumentantur.

Primò. Nullo firmo ex Scripturis argumento, nec certâ ullâ Eccleſiæ primitivæ traditione probari poteſt Magos decimotertio à nativitate die Chriſtum adoràſſe. Hodierna quidem Eccleſia Romana *Epiphaniorum* diem conjicit in ſextum Januarii, ſed ut *Cauſabonus* exercit. 2. num. 36. demonſtrat, in eodem die priſca Eccleſia Romana ſolebat olim celebrare Chriſti natalem, etſi ab aliquot ſeculis Nativitatis ſolenne Decembris vigeſimo quinto aſcribant. Hodie etiam Chriſti baptiſmum, & primum *Canæ* miraculum unà cum Magorum adoratione Januarii ſexto commemorant: quemadmodum Ergo Eccleſiæ Romanæ praxis antiqua in affigendis Epiphaniis in partu Chriſti Januarii ſexto, & praxis hodierna in aſſignando Chriſti baptiſmo, & primo *Canæ* miraculo eidem diei, non probant iſta omnia eo die contigiſſe, ita Eccleſiæ feſtum Magorum eidem diei aſſignatum non magis probat Magorum adorationem eo die peractam. Argumentum hoc *Eſtii* in locis ſuis difficilibus ad Matth. 2. videtur firmum & irrefragabile.

Secundò. Non potuit iter Magorum ab Oriente Hieroſolymam tam paucis diebus confici, nam primò ex illis tredecim ſeponendi ſunt ab hoc itinere minimùm quinque, unus in itinere Hieroſolymis Bethlehemum, & alii duo quibus Hieroſolymis commorati cum *Herode*, & cum Concilio Sacerdotum & Scribarum colloquuti ſunt, ex reliquis decem duo ſaltem neceſſariò dandi ſunt poſt conſpectam ſtellam & intellectum ſtellæ præſagium, ut ea quæ tam longinquum iter requireret præpararentur, ſuperſunt ergo tantùm octo, etſi des quieviſſe ſabbatho, tantùm ſeptem.

Remigii fabula. Jam verò Oriens Magorum ſedes à permultis tot milliaribus Hieroſolymis diſtare putatur, ut iis conficiendis multò plures quàm ſeptem dies aſſignandi ſint. Verum eſt, ſi cum Remigio Angelorum operam adhibeas in vehendis per aërem Magis, pauciores dies longiori itineri ſuffecerint, etſi animantium vitæ in motu nimis quam celeri à nullâ creatâ potentiâ conſervari poſſe putentur. Sed hoc remigii miraculum nullis doctorum placuit ob multas rationes quas *Abulenſis*, & poſt eum *Salmeron*, aliique referunt.

Oroſii & Mapphæi Rejicitur etiam à Pontificiis communiter fabula quam *Navarrus*, *Oſorius*, & Jeſuita *Mapphæus* recitant, Magorum ſcilicet ſedem *fabula plures.* fuiſſe ad ultimum Orientem, ex tribus enim magis fuiſſe unum Perimalem Regem Coulai vel Cranganoris vel Calecuti longè ultra Gangem, qui poſt ſuum in Indiam Hieroſolymis reditum ſplendidum extruxit Calecuti templum, cum altari & margine in honorem virginis Mariæ. En quanta fides habenda eſt *Oſorio*, *Mapphæo* & aliis Pontificiorum hiſtoricis in multis ſuis valdè magnificis, etſi vera eſſent, mirandis vel potiùs monſtriferis narrationibus: diebus enim Mariæ & aliquot poſt ſeculis in ipſa Judeâ, in ipſo orbe Romano nulla domus publica Chriſtianorum ſacris patebat, & poſtquam erigerentur templa, per multos annos nulla in ipſis altaria viſebantur, imagines verò non niſi ſerò intemplа irrepſerunt; attamen ſi viris iſtis bonis fidem adhibeamus, ante Mariam mortuam Calecuti in Indiâ orientali magnificum palatium cum altari & imagine ab uno Magorum extructum eſt. Apage nugas!

Equidem ex Patribus aliqui Magos collocant longè ultra Gangem, ſed hi ipſorum itineri duos integros annos attribuunt. Latinum opus imperfectum in *Matthæum* inter *Chryſoſtomi* opera, ſed nequaquam *Chryſoſtomi* etſi antiqui ſatis, doctique & pii auctoris hac vadit viâ, ſed paucos habet ſequaces, præter enim non neceſſaria miracula, quod Magi pedibus iter facientes, duobus integris annis & totidem in reditu ſicut Iſraël in deſerto veſtes & calceamenta abſque triturâ immutata & integra retinerent. Lucæ textus refutat hoc commentum: ſtella enim fuit non naſcituri ſed nati Regis Judæorum: ita ad iter ſe Magi ſtellæ monitu non potuerunt accingere duobus annis ante, ſed diebus aliquot poſt natum Dominum, neque etiam tam latè diſtat ultimus Oriens ab occidente, nec tam latè patet totum terræ hemiſphærium, quin ei perambulando, à mediocriter expedito pedite, pauciores multo dies quàm ſunt in biennio ſufficiant.

Magorum iter non fuit Biennale.

Quod habet *Hieronymus* de Perſide Magorum patriâ, amplectuntur *Maldonatus*, *Calvinus*, & alii multi, ſed horum plerique poſt *Hieronymum* ad Magorum iter dromadas adhibent: boc genus camelorum licet equis perniciſſimis multò velocius, tamen in diebus ſeptem, imò bis ſeptem non valebat etiam curſores tabellarios vehere tanto ſpatio terrarum, quantum *Paſagarda* Perſarum Hieroſolymis diſtant, nedum ut Regibus molliter ferendis eo temporis intervallo eſſent idonei. Imo verò qui proximum Judæis Orientem Magis ſedem aſcribunt, ſeu in *Meſopotamiâ*, ſeu in *Arabiâ*, quod facit doctorum multitudo, non facilè perſuadebunt, etiam boc iter diebus ſeptem Reges commode & uti Reges decebat, potuiſſe perficere: moleſtâ autem & indecorâ feſtinatione nihil hic erat opus.

Majus tamen quàm quod diebus ſeptem vel dromadibus potuerunt perficere.

Tertium

arg. 3. Tertium argumentum. Eo tempore non acceſſerunt Magi Bethlehemum, quod vitæ Chriſti infantis ab *Herode* tyranno manifeſtum periculum intuliſſet; atqui ſi acceſſiſſent Magi Bethlehemum decimo tertio à partu Virginis hoc contigiſſet, nam inter decimum tertium à partu & præſentationem pueri in templo, ſunt dies viginti ſeptem. *Herodes* nihil à Magis audiens toto eo tempore, qui tamen pauca ſolùm milliaria vix ſeptem aut octo, quibus Hieroſolymis Bethlehemum diſtat profecturos ſe profitebantur, facilè in ſuſpicionem deveniſſet à Magis ſe deluſum, & vere ſibi ſuoque Regno à recens nato Rege Meſſiâ periculum imminere, quod infanticidii facinore ſtatim depellendum determinâſſet, etiamante Chriſti Bethlehemo digreſſum, ſaltem ut primum accepiſſet, quæ paſtores magnalia in partu, & *Simeon* ac *Anna* in templo Hieroſolymitano de eo prædicâſſent. Periculum hoc à commoto *Herode* vitatur per tardiorem Magorum adventum Bethlehemum: hoc & aliis argumentis dictus doctiſſimus vir *Guilielmus Eſtius* Theologiæ primarius Duaci Profeſſor communem Eccleſiæ Romanæ ſententiam profitetur ſeſe deſerere, & Magos Bethlehemum veniſſe docet, non decimotertio à partu, ſed aliquanto tempore poſt infantis in templo præſentationem.

Eſtii ſententia improbatur. Tertiæ hujus Eſtii ſententiæ pars poſitiva non placet, nam primò, ſi poſt præſentationem in templo veniſſent Magi non reperiſſent puerum cum matre Bethlehemi: ſtatim enim, ut hiſtoria *Lucæ* præ ſe fert, *Joſephus* Hieroſolymis *Nazaretham* cum puero & matre diſceſſit, non Bethlehemum rediit: quod habet *Eſtius* rediiſſe *Joſephum* Bethlehemum, ut ibi reculas ſuas colligens proficiſceretur *Nazaretham*, eſt ſine omni argumento vel teſtimonio.

Richardus Montacutius, cum *Eſtio* videtur Magorum adventum poſtponere diei quadrageſimo purificationis; mordicùs tamen adhæret feſto *Epiphaniorum* Januarii ſexto, quando infans Dei filius Magis Bethlehemi revelabatur, qui hæc duo, verè contraria concordent ipſe viderit.

Communis Proteſtantium ſententia defenditur. Quarta ſententia eſt communis Proteſtantium in quâ nos acquieſcimus, veniſſe Magos poſt decimum tertium diem à partu, ſed tamen ante quadrageſimum purificationis. Quæ tribus prioribus ſententiis evertendis attulimus, huic quartæ ſtabiliendæ inſerviunt, nec ea repetemus, paucis tantùm quod à quibuſdam objicitur diluamus.

Si Magorum, inquiunt, adventus anteceſſiſſet purificationem, tum ex auro & donis Magorum facile fuiſſet *Joſepho* & *Mariæ* pretioſius ſacrificium pro Chriſto obtuliſſe in templo quàm par turturum. Reſp. Dona licet ex theſauris Magorum deprompta, non fuerunt tanta, ut ſtatum vitæ *Joſepho* & *Mariæ* commutarent, certè remanſerunt illi ut & ipſe Chriſtus per totam vitam in re admodum tenui, ita ut ſacrificium pauperibus à Deo injunctum ſatis aptè conveniret *Mariæ*, nihil obſtantibus Magorum donis, ut omittam neceſſariam *Joſepho* curam viatici ad Ægyptiacum iter, & eleemoſynam etiam pauperioribus de iſtis donis ex charitate debitam.

Dum hæc ſcripſiſſem, nec ante incidi in doctiſſimam *Spanhemii* diſſertationem de Magis, Dubiorum Euangelicorum par. 2. pag. 255. & ſequentibus, gaviſus ſum de meo cum viro ſummo in omnibus penè conſenſu. nihil tamen poſt eum lectum ex ſuprà ſcriptis putavi immutandum.

QUÆSTIO XI.

Qui Joannis 2. 20. templum ædificatum dicatur annis quadraginta ſex, & tamen à Solomone templum perfectum eſt annis ſeptem 1. Reg. 6. 38. prout ſecundum à Zorobabele Ezra 6. 15. perfectum eſt anno Darii ſexto poſtquam cœptum eſſet Cyri ſecundo, & mox interruptum ad Darii ſecundum Ezræ 3. 8. & 4. 24?

De quæſtione hac quædam ſuprà diximus lib. 1. cap. 10. quæſt. 13. ſed hic proprius eſt ejus locus ubi plura ſuppetunt addenda. Variantes admodum ſunt hîc doctorum tam nunc quàm olim ſententiæ: ex iis quinque aut ſex perpendimus. Primi putant fruſtra laborari & jure negligi quicquid hîc dubii aut difficultatis moveri poſſit, nam quod Joan. 2. 20. habetur de ædificatione templi annis quadraginta ſex, non eſt ſententia Spiritûs S. ſed profanorum Chriſti hoſtium, quorum ignorantiæ aut errori non patrocinatur Euangeliſta, narrando ipſorum ſententiam: quæ Diaboli & perverſiſſimi hominum falſiſſimè loquuntur & impiiſſimè patrant, ea Dei verbum veriſſimè & ſanctiſſimè recitat. *Dubium hoc non videtur contemnendum.* Quod miſeri iſti infideles malitiosè Chriſto obganniverunt de quadraginta ſex annis ædificati templi nihil probat, nec quenquam gravat negligentem aut negantem pravum ipſorum teſtimonium, imprimis in doctrinâ temporis, ubi doctiſſimi Judæorum & etiam Chriſtianorum ad hunc diem pauca certò, liquidò, & abſque controverſia determinare ſepoſſe profitentur: itaque non pauci putant negligenda quæcunque ex infidelium horum Judæorum dicto quæſtiones oriri poſſunt. In hac ſententia invenio *Lyranum*, *Riberam*, *Emmanuelem Sa*, & *Lucam* Brugenſem, ad hanc claſſem referendi videntur, qui omnes hîc quæſtiones tranſiliunt, in quo numero ſunt *Cyrillus Alexandrinus*, *Junius*, *Cartwrightus Heinſius*, *Hamondus*, Annotatores Anglicani primi & alii. Quibus animus eſt iſtos ſequi omni ſe moleſtiâ ſecurè abdicant, ſed nobis non placet iſtud laborifugium, tùm quod

cætera tota natio doctorum quæſtionem hanc non putet prætermittendam: tum etiam quod ipſe *Lyranus*, *Ribera*, & *Brugenſis*, etſi violentam hanc nodi ſolutionem ſufficere arbitrentur, attamen in aliis reſponſionibus aſſerendis non minùs quàm alii laborent, & cæteri qui nullam difficultatem movent, incertum valde eſt quâ mente hoc faciant. Certè *Heinſius* ut libet doctiſſimus vir, tamen in ſuis notis ubique quæ maximè dubia ſunt, ſolet tranſilire intacta.

Auguſtini Allegoria non hic poſſunt concoqui.

Secunda ſententia eſt *Auguſtini* qui in literali ſenſu, ut videtur, ſibi non ſatisfaciens, pro vulgato nimis ſui ſeculi more confugit ad myſteria, in hoc majores ſequutum ſe profeſſus, *Cyprianum* proculdubio intelligens. In annis templi quadraginta ſex triplex myſterium obſervat. Primum, formationẽ corporis Chriſti veri templi in utero matris prouti omnis hominis diebus quadraginta ſex, quando omnia embryonis membra diſtincta comparent: Deinde multiplicando quadraginta ſex per ſenarium fiunt dies ducenti ſeptuaginta ſex ſeu novem menſes & ſex dies, quibus Chriſtus natus eſt, & omnis maſculus ordinariè ex utero in lucem prodit. Secundum myſterium extrahit ex nomine *Adam*, quod Chriſti carnem in utero ſignificare vult, utpote à primo *Adamo* per matrem *Mariam* ſuſceptam. Literæ, inquit, omnes apud Græcos ſignificant numeros, prima itaque litera in *Adam* α ſignificat unum, ſecunda δ ſignificat quatuor, tertia etiam α ſignificat unum, & quarta μ notat quadraginta: numeri hi quatuor additi faciunt quadraginta ſex, tempus conſtructi templi & perfecti corporis Chriſti in utero. His non contentus addit tertium myſterium, collectionem electorum Chriſto incorporatorum ex quatuor mundi plagis, Oriente, Occidente, Septentrione & Meridie. Prima enim in *Adam* litera α notat ἀνατολὴν ortum, ſecunda δ δύσιν occaſum, tertia ἄρκτον, Septentrionem & quarta μ μεσημβρίαν meridiem; Abſit ut quicquam quod ex tam ſancto & docto vel *Auguſtini* vel *Cypriani* ore proceſſit pronunciemus ridiculum: certè tamen expoſitiones hæ myſticæ nec ex textu producuntur, nec textui quadrant. *Cornelius* quidem à *Lapide*, & ex Pontificiis alii qui ſenſus myſticos literali frequenter addunt & præferunt, iſta myſteria amplectuntur, ſed *Eraſmus*, *Maldonatus*, *Toletus*, & alii etiam Jeſuitæ ingenuè fatentur rejicienda eſſe ut quæ nihil faciant ad verſum, licet gloſſa ordinaria, & ante eam *Strabi* gloſſam venerabilis *Beda*, *Auguſtinum* κ̀ πόδας ſequantur. Tolerabilior fuiſſet ſententia ſi cum myſteriis literalis aliquis ſenſus adjunctus fuiſſet, quemadmodum quidem gloſſa *Auguſtinum* citans ante omnia myſteria eum facit quadraginta ſex annos templi literaliter interpretari de templo *Zorobabelis*; cujus ſtructura à *Cyri* primo ad *Darii* ſextum continuata eſt. Sed literalis hic ſenſus *Strabi* additio eſt ex *Beda* quem fruſtra in *Auguſtino* requiras.

Origenis ſenſus literalis refutatur.

Tertia ſententia eſt Origenis, qui licet alibi in ſenſibus myſticis nimium quam immergatur, hîc tamen literam ſequitur, ſed viâ in quâ puto neminem ſequacem habet, ſi præſtantiſſimum Poëtam *Nonnum* excipias. Quadraginta ſex annos hi volunt de templo primo *Solomonis* accipiendos; dum ipſis objiciuntur ſeptem anni quibus 1. Reg. 6. 35. *Solomonis* templum perfectum dicitur, putant ſe evadere tempus ædificati templi extendendo ad Davidis primum de eo ædificando inſtitutum 2. Sam. 7. à quo tempore materiam ſemper operi ſtruendo parabat; ſed effugium hoc eſt valdè tenue, nam ab eo etiam tempore ad perfectum à *Solomone* templum non fluxerunt anni quadraginta ſex, & licet congrueret tempus, templa tamen non fuerunt eadem; *Solomonis* enim omnino deſtructum fuit, & *Judæi* non de eo quod abolitum, ſed de templo præſenti loquebantur.

Quarta ſententia eſt communiſſima, quæ quadraginta ſex annos accipit de templo ſecundo quod extruxit *Zorobabel*; ſed hæc à variis variè explicatur. *Chryſoſtomus* paucis rem tranſigit ad particularia non deſcendens, nihil enim aliud habet quàm quadraginta ſex illos Judæorum annos ad ſecundum templum ſpectare, non primum; quia hoc annorum viginti ſpatio eſt extructum. Concluſio, ut mox videbimus, non eſt bona, ſed ratio cui ſuperſtruitur eſt multò pejor, nam expreſsè Scriptura non plures quam ſeptem annos ædificationi prioris templi aſcribit. Commentum quo Toletus, & alii Pontificii Chryſoſtomum excuſant, intelligere ſcilicet ipſum non nudum templum, ſed omnia ædificia à *Solomone* extructa, non eſt probandum: nam iſtius commenti apud Chryſoſtomum nulla eſt vola, nullum veſtigium; Novos, ut rectè annotat Jeſuita *Pererius*, Chryſoſtomo *Theophylactus* ſuperaddit errores. Vult enim ſtructuram *Nehemiæ*, quâ murum Hieroſolymitanum perfecit diebus quinquaginta duobus cap. 6. 15. fuiſſe eandem cum ædificatione templi à Judæis commemoratâ Joan. 2. & tamen templum illud extrui cœptum vult non *Cyri* ſed *Artaxerxis Longimani* primo, ac ad ſextum *Darii Nothi* opus perſeveraſſe. Manifeſta hæc ſunt contra claras Scripturas παρεγόμενα.

Chryſoſtomi error malè excuſatur à Toleto.

Lapſus hi in viro tanto non ſinunt mirari ſingulares recentiorum avias. Piſcator accuratiſſimus Theologus Theophylacti calculum errantiſſimum ſequitur, templum ſecundum fundatum aſſerens *Artaxerxis* primo & perfectum *Darii Nothi* ſexto.

Malè Piſcator Theophylactum ſequitur.

Piiſſimus Rollocus *Annii* nugis ſeductus, calculum proponit quem nemo probabit: fundari vult templum primo *Cyri*, ſed *Cyro* ſimul

Rolloci error inexcuſabilis.

& Cam-

& *Cambyſi* tantùm novem annos aſcribit, & Magis unum, *Darioque Hyſtaſpis* tantùm viginti, huic ſubjungit *Darium Longimanum*, qui nunquam vixit ante *Annii* ſomnia, huic annos tribuit novemdecim, & in ejus ſexto templum vult finiri, ſed cum à *Cyri* primo ad *Darii Longimani* ſextum inveniat tantùm annos triginta ſex, novo calculo ſtructuram templi producit ad annos quadraginta novem, finem nimirum decimi noni ac ultimi illius *Darii Longimani* ab *Annio* procreati.

In Calvini ſententiâ deſiderantur. Sed quid *Piſcatoris* aut *Rolloci* παρεργήματα memorem, cum ipſe ſummi judicii vir Joannes Calvinus in ſuâ hîc reſponſione tam longè aberret à ſcopo? 1. Primò enim non tantùm quadraginta ſex hos annos ſecundo templo aſcribit, ſed etiam tempus hujus ſtructuræ primis ſeptem hebdomadis *Danielis* commenſurat, ſuo autem loco clarè demonſtravimus primam 70. hebdomadum *Danielis* non cepiſſe initium multis annis poſt templum abſolutum.

2. Secundò objicit ſibi *Ezram* minorem annorum numerum aſcribere ſtructuræ templi quam quadraginta novem quos ſeptem hebdomadæ requirunt. Ad ἐναντιοφάνειαν tollendam nihil aliud reſpondet, quàm numerandos eſſe annos non tantùm ſtructuræ ſed etiam ceſſationis, quibus ab opere ceſſatum eſt. Verum hoc licet ſuppoſito non aſcenditur ad annos quadraginta, nedum ad quadraginta ſex.

3. Tertiò. Expreſſè ſcribit perfectum ante operis intermiſſionem, imò cùm primùm oblata ſunt ſacrificia abſolutum fuiſſe Sanctuarium, quantum παρέργως Ezræ. 3. 5. 8. erectum eſt altare & oblata ſunt ſacrificia primi anni reditus menſe ſeptimo, ſed non ante annum ſecundum poſita ſunt ulla Sanctuarii fundamenta, & verò mox à primis fundamentis totum opus interruptum eſt, uſque ad ſecundum *Darii Hyſtaſpis*, tantùm abeſt, ut ſanctuarium erigeretur, quam primùm ſacrificari cœptum eſt.

4. Quartò. Totum templum ſecundum vult ab *Herode* deſtructum & novum illud *Herodis* nomen prioris tuliſſe non aliâ ratione, quàm ex vulgari more loquendi: certè totum prius ab *Herode* deſtructum non eſt, alioqui poſterius prioris nomen ferre non potuiſſet ullo jure, & vulgi ſermo huic nomenclaturæ nullum fundamentum dediſſet.

Beza prudentia. Cautior hîc fuit Theodorus Beza, qui etſi communem ſententiam ſequatur, & quadraginta ſex annos cum pleriſque componat ex *Cyri* triginta, *Cambyſis* octo, *Magorum* duobus, & *Darii* ſex; tamen dubitans de calculi hujus communis ſoliditate, profitetur tandem velle ſe ἐπέχειν, & à doctioribus in facultate Chronologica lucem hîc expectare; prudens hæc fuit & laudabilis valdè modeſtia.

Contra communem ſententiam arg. 1. Iſta ſingularia notavi in viris aliquot magnis ſententiæ quartæ fautoribus, notari poſſunt plura in aliis, ſed ad ipſam ſententiam propero, prout à pleriſque tam Pontificiorum quàm Proteſtantium defenditur: ea licet communiſſima ſit, & penè ab omnibus poſt *Bedam* & *Lyranum* approbata, tamen non placet primò, quia ſupponit ab eo anno *Cyri*, quo *Babylone* captâ dimiſit Judæos ad *Darii Hyſtaſpis* ſextum fluxiſſe annos quadraginta ſex. Putidiſſimum hoc eſt, ut ſupra probavimus in Chronologicis Sphalma, à primo enim *Cyri* anno Monarchiæ Perſicæ ad ſextum *Darii* vix viginti tres inveniuntur, ſi ullis priſcæ hiſtoriæ auctoribus habeamus fidem.

Secundò. Nulla ratio eſt cur in annis ſtru- 2.
cturæ templi numerandi ſint iſti quibus à ſtructurâ eſt ceſſatum, in confeſſo autem eſt in opere inſumptos eſſe vix ſex. Da interruptum opus annis quadraginta, centum, aut mille, an omnes hi interruptionis ſtructuræ anni, in ipsâ ſtructurâ inſumpti dicendi ſunt? Ad id quod Ezræ 5.16. objicitur, ædificationem templi perſeveraſſe à tempore quo primùm à *Zorobabele* fundatum eſt uſque ad *Darii* ſecundum, facilè reſpondetur, calumniam hanc fuiſſe profanorum hominum contra expreſſam veritatem Ezræ 4.24. ceſsâſſe enim ibi legimus opus & minimè continuatum à primâ interruptione uſque ad *Darii* ſecundum.

Quinta ſententia, in quâ acquieſcimus eſt, *Sententia Gualteri confirmatur.* loquutos Judæos neque de ſtructurâ *Salomonis*, neque *Zorobabelis*, ſed de ædificatione *Herodis* Magni ante annos quadraginta ſex, ſuo enim ille decimo octavo ædificare cœpit novum templum, utrum prorſus novum, quod vult *Ioſephus*, & poſt eum multi, an tantum renovatum, ut vult *Egeſippus*, & poſt eum recentiorum plures, parum facit ad rem præſentem, modò ante quadraginta ſex annos inceperit opus ſuum inſtruendo templo præſente, in quo Judæi cum Chriſto colloquebantur. Certè ex *Ioſepho* patet quòd *Herodis* decimus octavus quo renovare templum cœpit, fuerit circumcirca quadrageſimus ſextus ante *Tiberii* decimumquintum in quo Chriſtus eſt baptizatus, & colloquium præ manibus cum Judæis habuit: in annis quidem octo magnificentiſſimum illud opus *Herodes* perfecit, ſi *Ioſepho* credimus, ſed tamen ſecundum eundem *Ioſephum*, non tantùm ad *Herodis* mortem ſemper aliquid novi ornamenti addebatur, ſed diu poſt, uſque ad annum quartum *Neronis*, paulò ante urbis & templi per *Titum* excidium, aliquot operariorum millia in templi quà reſtauratione, quà adornatione perſeverabant, ita ut vulgus rectè diceret in templi iſtius præſentis ſtructurâ, quæ nondum abſolvebatur, quadraginta ſex totos annos hactenus inſumptos fuiſſe.

Hujus ſententiæ auctor videtur doctiſſimus noſter *Gualterus*, in eam *Calvinus* inclinat, apertè verò ſequitur *Scaliger* & *Cauſabonus* E-

Kk xercit.

xercit. 13. quò referunt ultimi Annotatores Anglicani, etſi ipſi priorem, non hanc ſequi videantur *Deodatus*, & *Capellus* in *Spicilegio* hâc vadunt viâ. Item ex Pontificiis multi recentiorum, *Baronius*, *Eſtius*, à *Lapide*, & alii, ut ſatis frequenter ex Pontificiis doctiſſimi ſuis deſertis, noſtros, licet diſſimulato nomine, ſequi ſolent.

Baronii inconſtantia.

Meritò hîc *Baronium Cauſabonus* taxat inconſtantiæ & fluctuationis, quòd poſtquam cum laude omnes priores interpretes in ſuperiore ſententiâ poſuiſſet, & *Ioſephum* pro ſuo more falſi damnâſſet, quod *Herodem* tertium ſtruxiſſe templum ſecundo *Zorobabelis* funditus deſtructo doceat, nihilominus ipſe laudatos omnes interpretes deſerens, damnatam à ſe *Ioſephi* ſententiam amplectitur, ut veram nodi præ manibus ſolutionem.

Rejicitur nova ſententia Jeſuitarum.

Eſt adhuc ſexta ſententia, quam *Arias Montanus*, Jeſuita *Sanches*, *Cornelius* à *Lapide* & alii probant, nimirum annos quadraginta ſex non componendos ex annis quibus interruptum opus ceſſabat, ſed ex iis ſolum qui verè in ſtructurâ ſunt inſumpti, verum hos illi conantur invenire conjungendo tempora, quæ in *Cyri*, *Darii*, Maccabæorum, *Oniæ* Pontificis, *Herodis*, & aliorum diebus circa templi inſtaurationem tranſacta ſunt. Calculus hic novus non placet, præterquam enim quod ne ſic quidem quadraginta ſex annorum ſumma ex ſupra dictis minoribus demonſtretur; à *Maldonato*, *Riberâ*, & aliis ſociorum non immeritò videtur hæc ſententia explodi ut abſurda.

QUÆSTIO XII.

Quid ſit Σάββατον δευτερόπρωτον ſecundo primum Luc. 6. 1?

Impudentia eſt negare ſabbathum δευτερόπρωτον.

QUæſtionem hanc pauci Interpretum tranſiliunt; *Lyranus* quidem & pro ſuo more *Heinſius* non tangunt, an quia nimis facilem; an verò quia nimis difficilem arbitrati ſint, quis ſcit? cum ipſi ſuam mentem celent. *Eraſmus* falsè deridet, & meritò, monachum quendam ſacræ Theologiæ Profeſſorem, qui publicè cum magnâ ſponſione negavit ullam ſabbati ſecundoprimi in toto Evangelio mentionem factam, audax ille monachus ſi hodie viveret, craſſæ ſuæ ignorantiæ patronos magnos potuiſſet producere ex libris nuper editis, non tantùm Interpretem Syrum, ſed etiam Arabicum, Perſicum, ac Æthiopicum, qui omnes in ſuis verſionibus vocem δευτερόπρωτον ſuppreſſerunt. Quod habet *Cauſabonus* Arabem retinuiſſe priorem partem vocis compoſitæ vertendo ſabbatum ſecundum, non omnino apparet in noſtro exemplari Londinenſi, utcunque in omnibus Græcis & Latinis codicibus tam manuſcriptis, quàm impreſſis expreſsè legitur δευτερόπρωτον utrum in unâ voce, prouti habent omnia exemplaria Græca, etiam ipſum *Vaticanum Flaminii*, & *Alexandrinum Londinenſe*, an in vocibus duabus, ſecundo, primo, idque diſtinctis, per non neceſſarium, ut videtur, comma, prout Latina recens Romæ editio fert, parum ad rem ipſam facit.

Magna valdè eſt in quæſtione difficultas.

In explicatione rei *Cajetanus* profitetur veram difficultatem, *Cauſabonus* ex *Joanne Citri Epiſcopo* citat Græcum proverbium de inexplicabili apud Judæos ſabbatorum ſecundo primorum obſcuritate, *Ianſenius* tantam in iis difficultatem ponit, ut affirmet nihil certi inveniri poſſe, Jeſuitæ *Rhemenſes* locum tam difficilem pronunciant, ut ſoli Proteſtantes, qui quicquam neſcire dedignantur, ejus elucidationem aggredi ſint auſi. Sed iſtis rectè regerit *Cartvvrightus*, nullos in hujus loci explicatione audaciores, quàm ex ipſâ Jeſuitarum ſocietate per multos inveniri.

Hieronymus in epiſtolâ ad *Nepotianum* refert, dum ipſe juvenis cum *Gregorio Nazianzeno* ut ſuo Magiſtro converſaretur, interrogâſſe, quid eſſet ſabbatum δευτερόπρωτον; Sed virum illum maximum & ex omnibus Græcis Patribus Theologum profundiſſimum nihil habentem quod ſeriò reſponderet, lepido joco quæſtionem ſuam eluſiſſe.

Annotatores Anglicani ultimi, & ante eos notæ Belgicæ varias proponunt ſententias nihil ipſi determinantes, quæ ſit amplectenda. *Eraſmus* & *Maldonatus* profitentur diſplicere ſibi quicquid vel apud antiquos vel recentiores hac de re legerunt: certum eſt magnam hîc eſſe ſententiarum varietatem, etſi nolim cum *Luca Brugenſi* eam vocare infinitam, nec affirmare cum *Grotio* tot eſſe ſententias quot capita, certè tot non ſunt quin poſſint ad paucas claſſes revocari, de quibus quid ſentiamus breviter explicabimus.

Sabbathum hoc non eſt myſticum, ut vult Ambroſius.

Primi poſt *Ambroſium* & *Bedam* quem citat gloſſa ordinaria ad ſenſum myſticum confugiunt exponentes ſabbatum δευτερόπρωτον de ſabbato Evangelico, quod dicitur ſecundum, quia poſterius fuerit legali, & tamen primum quia legali dignius, principalius, & multò excellentius. Sententia hæc approbari non poteſt; quia Lucæ 6. 1. dum Chriſtus per ſata ambularet, ſabbatum Evangelicum non erat in rerum naturâ, nam inſtitutum id non fuit ante Chriſti reſurrectionem.

Nec novilunium ut Lutherus.

Secundò. Alii poſt *Lutherum*, & *Stapulenſem* ſabbatum δευτερόπρωτον intelligunt de novilunio aut alio quodam feſto quod ſabbato ordinario & hebdomadario eſſet inferius & minùs ſolenne: ut enim ſabbatum hebdomadale erat πρῶτον abſolutè, & cum omnibus aliis feſtis comparatum dici potuit πρωτόπρωτον, ita alia feſta, quæ omnia dicebantur ſabbata reſpectu ſabbati primi & hebdomadarii, rectè potuerunt dici ſecundo prima: Sententiam hanc licet ipſius *Lutheri* meritò rejicit *Chemnitius*, eo quòd ſabbatum à *Lucà* memoratum nihilo

lo fuerit inferius ſabbato hebdomadali, ſed ei omninò æquale & ipſum hebdomadale præſtantius cæteris feſtis, in quibus omnibus, etiam ipſo Paſchate licitum erat parare quæ neceſſaria erant ad victum, ita ut in eorum ſanctiſſimo vellicare ſpicas, & multò magis laborioſa opera reprehenſioni non ſubjacerent, ut videre eſt Exod. 12. 16. in ſabbato verò ordinario diſtinctè vetitum eſt vel ignem ad parandos cibos accendere Exod. 35. 3. tale fuerit oportet ſabbatum illud δευτερόπρωτον quod vellicatione ſpicarum ab Apoſtolis violatum Phariſæi calumniabantur.

Nec hebdomadale ſabbatum ſequens aliud feſtum ut Theophylactus.

Tertiò Theophylactus interpretatur de ſabbato ante quod immediatè præcedit aliud feſtum, cum nimirum Novilunium, Paſcha, Pentecoſte, aut aliud quodcunque feſtum incideret in diem veneris ſabbati παρασκευὴν quàm vocant, in quâ ſe præparabant ad ſabbatum ſequens die Saturni, eo caſu dies Saturni vocabatur ſabbatum ſecundo primum: primum quòd eſſet ſabbatum hebdomadale ſabbatorū principaliſſimum; ſecundum, quòd ſequeretur aliud ſabbatum, feſtum nimirum in diem præcedentem incidens. Satis ſic commodè explicaretur vox, ſed non bellè videtur convenire res, itaque vulgò hæc ſententia rejicitur. Sed ratio, quam unam afferunt *Calvinus*, *Chemnitius*, *Ianſenius*, *Maldonatus*, *Salmeron*, & alii, non ſatis eſt firma: ſupponunt illi Judæos poſt captivitatem nunquam immediatè conjunxiſſe duo feſta, ita ut Chriſti tempore nullum feſtum celebrari potuerit in παρασκευῇ ſeu die immediatè ſabbatum antecedente: hoc illi ſupponunt, ſed non laborant probare, ſolus *Chemnitius* pro eâ *Iudaicâ* traditione citat

Iudæis aſcripta regula ficta per Burgenſem.

Brugenſem? cujus in re tantâ auctoritas levis eſt, niſi rationibus vel teſtimoniis multò antiquioribus ſuſtentaretur. Utcunque ipſam ſententiam non probo ob hanc rationem, quod ſabbatum δευτερόπρωτον ſit unum certum & fixum, *Theophylactus* verò illud faciat vagum, incertum, & varium, tot enim ſabbata quolibet anni tempore, ſecundum ejus mentem, erunt δευτερόπρωτα, quot habebant vel Novilunium, vel alium quemvis totius anni diem feſtum immediatè antecedentem: talia autem ſabbata eſſe potuerunt plurima.

Nec hebdomadale cui aliud feſtum incidebat ut Chryſoſtomus.

Quartò. *Chryſoſtomus* hom. in Matt. (non, ut citat *Baronius*, *Chemnitius*, *Cauſabonus*, & alii quadrageſimâ) ſed initio triceſimæ nonæ λθ, ut habet editio Saviliana, ſabbatum δευτερόπρωτον exponit ſabbatum duplex, in quo διπλῆ ἡ ἀργία requies duplicata, cum ſcilicet in ſabbatum hebdomadale aliud feſtum incideret. Hanc ſententiam ſequitur apud Pontificios, *Ianſenius*, *Toletus*, *Lucas Brugenſis*, & *Emmanuel Sa*, apud noſtros, *Chemnitius*, & *Cartvvrightus*, nec recuſat *Junius*, ei tamen non accedimus quòd nullâ ratione nullâ auctoritate eam *Chryſoſtomus* aut ſequaces ſtabiliant, & contra eam militent quæ contra priorem *Theophylacti* produximus; ſi enim *Iudæi* poſt captivitatem duos dies feſtos noluerunt conjungere ita ut unus alium à tergo premeret, multò magis plures feſtivitates recuſâſſent in unum & eundem diem congerere. Deinde caſus ille quo alia feſta in ſabbatum ordinarium potuerunt incidere tam frequens eſſe potuit, ut ſabbatum hoc ſenſu ſecundo primum omnino incertum, varium, & multiplex redderetur. Sed quod præcipuè urgemus eſt ſermonis incongruitas, non enim vocant Græci illa duplicia δεύτερα, quod eſt δεύτερον eſt ſecundum ſed non geminum; quod in contrarium affert *Chemnitius* de Deuteronomio, noſtram rationem potius videtur ſtabilire, nam lex quidem fuerat ſecundò repetita & iterata, non duplicata, in ſecundâ enim aut tertiâ aut quartâ, vel ſi vis centeſimâ repetitione, ſemper manebat una ſimplex lex, nunquam gemina nec duplex duplicatio ergo ſabbati ſeu adjectio alterius feſti ad ſabbatum non rectè diceretur ſabbati δευτέρωσις. Præterea, licet dici poſſet geminum ſabbatum δευτεροσάββατον nullo tamen modo eſſet δευτερόπρωτον ſeu geminatio primi ſed alterius ſabbati; nam feſtum cum ſabbato conjunctum non erat unum & idem cum ſabbato, ſed dies alterius naturæ & ſpeciei, etſi utrumque conveniret in uno communi genere & nomine, & utrumque feſtum requireret ſuam requiem, unoque generali ſabbati nomine indigitaretur.

Δεύτερον non eſt duplex aut geminum.

Neque primus dies Azymorum, ut Peluſiota.

Quintò. *Iſidorus* Peluſiota lib. 3. epiſtolarum epiſt. 110. & poſt eum *Suidas*, *Titus Boſtrenſis*, ac *Eucherius* ſabbatum δευτερόπρωτον interpretantur de primo die Azymorum; ſabbatum hunc diem appellant, quia tota hebdomas Paſchalis erat feſtiva, adeoque ex ſeptem ſabbatis conſtabat, dies autem primus Azymorum dictum eſt ſabbatum ſecundum, quia dies erat ſecundus Paſchatis & etiam ſabbatum primum, quia erat primus dies Azymorum: hanc *Iſidori* ſententiam profitetur ſe ſequi Baronius, qui tamen *Iſidori* mentem non videtur cepiſſe, vel ſaltem non rectè explicâſſe. Nam primo *Iſidorum* vult affirmare primo die Azymorum maturum fuiſſe triticum ad meſſem, nihil *Iſidorus* de tritico, ſed tantùm de ſpicis, quas neceſſe eſt exponere de hordeaceis, de quibus ſolis offerebatur manipulus primo Azymorum, cum triticeæ meſſis primitiæ non ante Pentecoſten eſſent maturæ. Secundò. *Iſidorum* vult ſecundum diem Azymorum vocare ſabbatum δευτερόπρωτον, cùm tamen expreſsè ſemel & iterum, non ſecundum Azymorum, ſed primum nominet, eum diſtinguens à primo die Paſchatis: eò magis Baronii hîc incuria notanda, quòd *Suidam* quem adducit, *Iſidoro* conſentientem primum Azymorum non ſecundum nominare fateatur. Tertiò Baronius citat *Epiphanium* & *Chryſoſtomum* quaſi conſentientes *Iſidoro*, quàm autem longè abſit ab *Iſidoro Chryſoſtomus* jam

Παρεξήγησις Baronii à Cauſabono non animadverſa.

diximus, & quantùm differat *Epiphanius* mox audiemus. Quartò. Non animadvertit Baronius craſſum *Iſidori* errorem, cùm manipulum offerri faciat non ſecundo ſed tertio Azymorum; nullus hîc locus effugio eſt, quaſi intellexiſſet *Iſidorus* tertium Paſchatis, nam ibidem expreſsè diſtinguit inter dies Paſchatis, & dies Azymorum, primum Azymorum faciens ſecundum Paſchatis, ita manipuli oblationem, prout legimus Levit. 23. 11. ponere debuiſſet in tertio quidem Paſchatis, ſed tantùm ſecundo, ſeu craſtino poſt primum Azymorum.

Confeſſi à Baronio errores non debuerunt à Caſaubono premi.

Paroramata hæc omnia *Baronii Caſaubonus* prætermittit, cùm tamen notet in eo errorem alium quem jure potuit prætermiſiſſe, cùm eum ipſe *Baronius* agnoſcat & deſerat: ex falſâ enim *Iſidori* ſuppoſitione, manipulum oblatum die Azymorum tertio, qui ſabbato δευτεροπρώτῳ duobus diebus erat poſterior collegit *Baronius* Phariſæos in Apoſtolis taxaſſe, quòd contra legem auſi fuiſſent novas fruges comedere ante manipuli oblationem: hoc quidem ex falsâ ſuppoſitione *Iſidori* neceſſariò ſequitur, ſed iſtis *Baronius* non adhæſit, verùm ad aliud *Iſidori* fundamentum tranſivit, & diem illum quo vellicârunt Apoſtoli ſpicas, fuiſſe verè ſabbatum hebdomadale docet. Hoc ſi vel *Iſidorus* vel *Baronius* probâſſent, omnia fuiſſent in vado, ſed neuter probare conatur, quod tamen ante omnia ipſis incumbebat: imò ex hoc ipſo rectè argumentatur à *Lapide* contra totam *Iſidori* & *Baronii* ſententiam, ſcilicet primum Azymorum non fuiſſe ſabbatum δευτερόπρωτον, eo quod hoc neceſſario fuerit ſabbatum hebdomale, in quo Deus vetuit parare quæ ad victum ſpectabant: atqui primus Azymorum non fuit tale ſabbatum, in omnibus enim diebus Paſchatis & Azymorum licebat parare quæ ſpectabant ad victum, ut ſupra, diximus; quod vero eo anno ſabbatum hebdomadarium inciderit in primum Azymorum dicunt *Iſidorus* & *Baronius*, ſed non probant.

Oblationem manipuli ſequutum eſt ſabbatum δευτερόπρωτον.

Addo aliud ex *Janſenio* argumentum. Sabbatum δευτερόπρωτον non anteceſſit ſed ſequutum eſt manipuli oblationem: nam ſi anteceſſiſſet, tum Phariſæorum criminatio in Apoſtolis inprimis taxaſſet ſolennis iſtius legis de non comedendis frugibus ante oblationem manipuli violationem, ſed nullum ejuſmodi peccatum Phariſæi in Apoſtolis arguebant, ita certum eſt ſabbatum δευτερόπρωτον quo vellicârunt Apoſtoli ſpicas, ſequutum fuiſſe oblationem, jam verò primus dies Azymorum eam anteceſſit. Quod habet hîc *Caſaubonus* ex *Iſidori* ſententiâ oblationem manipuli & factum Apoſtolorum in eundem incidiſſe diem, illam horis matutinis hoc pomeridianis, nimis à vero alienum eſt, nam præterquam quòd *Iſidorus* expreſsè factum Apoſtolorum ponat, Azymorum primo; & oblationem manipuli contra Scripturam Azymorum tertio, licet daremus *Iſidorum* cum Scripturâ oblationem in ſecundo Azymorum poſuiſſe, tamen etiam ſic Apoſtolorum factum non aliquot horis, ſed integro die & nocte oblationi præponeretur.

Sabbatum δευτερόπρωτον non fuit Pentecoſte.

Sexta ſententia eſt multorum tam ex Pontificiis quàm Proteſtantibus ſabbatum δευτερόπρωτον intelligendum de Pentecoſte quæ ſecunda ſolennitas fuit poſt Paſcha; ſabbatum erat quia feſtum, δεύτερον quia ſecundum à Paſchate primo ſolenni feſto, etiam πρῶτον quia primo ſcilicet Paſchati æquale. *Calvinum* in hac claſſe locaſſemus, quia apertè poſt rejectas aliorum ſententias, eorum amplecti ſe profitetur qui ſabbatum δευτερόπρωτον ſecundam ſolennitatem intelligunt, quæ autem alia intelligi poteſt ſecunda anni ſolennitas quàm Pentecoſte. Tamen quæ ſubjicit vir eximius de Paſchate & primitiis in eo, efficiunt ut non omninò ejus mentem intelligamus.

Calvinus hic obſcurus.

Sententiam hanc ſextam ſequitur aperte *Maldonatus*, & *Cornelius à Lapide*, & ante eum noſter Mercator quem cum approbatione citat *Piſcator*. Si illum ex iſtis legerit *Grotius*, neſcio quid ipſi in mentem venerit ut ſententiæ hujus auctorem ſe jactet, & in hoc ipſi paraſitetur, ut ſolet, ipſius aſſecla *Hamondus*.

Meſſis hordeacea alia à triticeâ.

Annotatores Anglicani & notæ Belgicæ ſententiam hanc referunt inter alias, & tam videntur approbare quàm aliam quamcunque, ſed tamen non videtur proba: prima enim & præcipua ratio cui eam omnes ejus fautores ſuperſtruunt eſt omnino falſa, nimirum fruges in Judæâ non fuiſſe maturas tempore Paſchatis, ut earum tum ſpicæ potuerint vellicari, ſed in Pentecoſte primitias fuiſſe meſſis. *Craſſum* hoc eſt, etſi multorum doctorum, ſphalma, qui non obſervârunt duplicem in Judæâ meſſem expreſsè ſatis in variis ſcripturis diſtinctam Ruthæ 2. 23. Levit. 23. ℣. 11. 15. Exod. 9. 31. 32. priorem hordei, poſteriorem tritici. in priori offerebatur Domino manipulus ſpicarum ſeu עֹמֶר de cujus modo vide *Ainſworthum* in Levit. 23. ex *Maimonide*, & *Chemnitium* in Lucæ 6. 1. in poſteriore die ſcilicet Pentecoſtes offerebantur panes triticei primitiarum. Concedimus in Paſchate nondum maturum fuiſſe triticum, ſed meſſis hordeaceæ initium in Judæâ ſemper fuit in Paſchate; in Ægypto ubi nihilo aut paulò maturior meſſis eſt quàm in Judæâ, aliquot diebus ante initium menſis Niſan, qui magnâ ex parte reſpondet noſtro Martio, linum & hordeum erant in virentibus ſpicis, cùm ſpelta & triticum nondum apparerent ſupra terram, quòd eſſent ſerotina, ut habet locus Exodi ſuprà dictus.

Temerarium Grotii effatum.

Quod affert hîc Grotius ſpicas virentes ſecundo Azymorum tantum dicis cauſâ oblatas, valdè temere & profanè dictum videtur:

nam

nam manipuli oblatio ſtrictè valdè & ſolenniter à Deo injuncta eſt, ante quam prohibetur diſerte omnis novarum frugum eſus: & verò ſi *Maimonides* Rabbinorum à mille annis multò doctiſſimus, patrii moris ſatis erat gnarus, ſpicæ illæ erant non virentes, ſed maturæ, ex quibus trituratis homer farinæ Deo ſecundo Azymorum offerri oportuit, ut videre eſt apud *Ainſvvorthum*, in Levitic. 23. ℣. 11.

Aliud contra hanc ſententiam argumentum affero. In ſabbato δευτεροπρώτῳ non licebat parare quæ ſpectabant ad victum: Atqui in Pentecoſte hoc licebat ut Exod.12.16. patet, ubi in ipſo Paſchate cum ab omni opere abſtinendum præcipitur, curare tamen quæ ad victum ſpe-

Maldonati ineptia. ctabant conceditur. Reſpondet *Maldonatus* reprehenſos Apoſtolos à Phariſæis non quòd cibos pararent, ſed quòd ſpicas colligerent & meterent, quale opus in nullo feſto erat licitum. Quàm imprudenter & ridiculè? nihil enim habet *Lucas* de ſpicarum vel collatione vel meſſione ſed vulſione, idque tam parvæ portionis ut manibus affricarent: nullus unquam τίλλειν vertit colligere aut metere, ſed omnes, ut *Theophylactus*, ἀνασπᾶν attrahere aut vellere.

Nihilo ſolidior eſt à Lapide. Aliter reſpondet à *Lapide*, Pentecoſten non ſimpliciter aut ſemper dictum ſabbatum δευτερόπρωτον, ſed tantùm cùm in eo incideret ſabbatum propriè dictum, alias ſabbatum propriè dictum eum ſequens erat ſecundo primum. Replica, quòd anno præ manibus ſabbatum hebdomadarium inciderit in Pentecoſten, nemo conatur, nemo poteſt probare: Deinde ſabbatum poſt Pentecoſten nullam præ cæteris, anni ſabbatis habebat prærogativam, nam licet Pentecoſte ſecundum fuerit ex feſtis, ſolennibus, tamen uno ſolo die conſtabat, non ut Paſcha aut feſtum tabernaculorum diebus octo. Ita Pentecoſte nullam dignitatem ulli diei, ulli ſabbato ſe ſequenti impertiebatur. Concedit hoc à *Lapide* quantum ad præſcriptum legis, ſed negat quoad devotionem populi, eundem honorem Pentecoſte quem Paſchati deferentis. Replica. Nihil ad nos populi ſuperſtitio (etſi nec eam Jeſuita probet) à præſcripto legis diſcedens.

Denique contra hanc ſententiam arguo. Contextus hiſtoriæ ſabbati δευτεροπρώτου apud Matt.12.1. & Luc.6.1. probat, id tempus non fuiſſe Pentecoſtes ſed Paſchatis, ut fusè *Chemnitius*, *Janſenius*, *Barradius*, & alii probant.

Cùm hucuſque progreſſus forem cepi in manus *Petavii* animadverſiones, in *Epiphanii* hæreſin 30. & 51. ac gaviſus ſum quòd penè in omnibus meis cenſuris tam in *Iſidorum* quàm in *Baronium*, & *Maldonatum* ipſum inſcius ὁμόψηφον habuerim.

Sententia Epiphanii Sententia ſeptima, quàm & nos ſequimur, eſt *Epiphanii* hæreſi 30. num. 32. Docet ibi *Epiphanius* ſabbatum ſecundo primum fuiſſe *hic eſt ve-*
primum ſabbatum ordinarium poſt ſolenne *ra.*
Paſchatis: diſtinguit ſabbata in naturalia & legalia, illa vocat ſabbata hebdomadalia, ab initio mundi ante latam legem à Deo inſtituta; hæc verò feſta alia in lege mandata in quibus requieſcebant Judæi à ſervilibus operibus: iſta etiam vocantur ſabbata, etſi non tam honoranda, quàm hebdomadalia, ut dictum eſt. Primum poſt Paſcha ſabbatum hebdomadale vocat δεύτερον *Epiphanius*, quòd tempore eſſet ſecundum & poſterius feſto Paſchatis; etiam primum quia dignitate erat Paſchate prius, & omni feſto alio extraordinario. Quòd hic ſit verus *Epiphanii* ſenſus non dubitat *Cauſabonus*, & fatetur etiam *Petavius*, licet aliò vellet *Epiphanium* traducere; *Petavii in advertentia.* ſed addit *Petavius* (in quo puto nullum ſequacem habet) *Epiphanium* in hæreſi 50. eſſe delapſum ad priorem ſenſum *Maldonati*: certè *Maldonatus Epiphanium* nominatim ut ſibi adverſarium refutat, licet futiliſſimis argumentis. Verum eſt in hæreſi 51. numero 31. *Epiphanium* vocare ſabbatum δευτερόπρωτον eum diem qui ſeptimus erat à primo Paſchatis, ſicut *Beza*, *Maldonatus*, à *Lapide* & alii plerique tam Proteſtantes quàm Pontificii *Epiphanium* eo loco interpretantur de ſeptimo & ultimo Paſchatis die; ſed qui ejus ſententiam à Paſchate ad Pentecoſten detorſerit, præter unum *Petavium* legi neminem. Certè tam expreſsè & perſpicuè ſabbatum δευτερόπρωτον loco poſteriori refert ad Paſcha, quàm loco priori, etſi cum hâc differentiâ, quòd hær.30. ſabbatum naturale poſt primum Paſchatis, affirmet ſabbatum δευτερόπρωτον, hær. verò 51. ſeptimum à primo Paſchatis, ſeu ultimum Azymorum ſabbatum δευτερόπρωτον ambiguè innuat. Sive naturale, ſive legale ſabbatum fuerit, inter duo illa ſabbata intervallum erat duarum tantùm aut trium dierum, ut habet *Scaliger*. Indiculus de emendatione temporum lib.6. pag.521. ubi eo anno quo Chriſtus vaſit per ſata, primus Paſchatis fuit decimusquartus menſis Niſan, ſecundus Paſchatis, & primus Azymorum fuit iſtius menſis decimusquintus, tertius Paſchatis & ſecundus Azymorum, cùm offerebatur manipulus fuit, ut omnibus annis, decimusſextus Niſan: ſabbatum hebdomadale eo anno incidit in decimum nonum Niſan, ſeu Martii tricefimum primum: adeoque ſeptimus ac ultimus Azymorum, ſeu Paſchatis octavus duobus tantùm diebus ſequebatur viceſimum primum Niſan ſeu Aprilis ſecundum. Tantillum hunc errorem (ſi modò errorem, nam ut *Epiphanius* ſibi conſtet, quid vetat orbem illum ſeptem dierum ordiri, non à primo Paſchatis, ſed à primo die hebdomadis?) facilè emendavit accuratiſſimus *Scaliger* interpretans *Epiphanium* ubique, ſicut *Petavius* fecit hæreſi 30. de primo ſabbato poſt oblatum manipulum Azymo-

rum, diem huoc vocat ſabbatum ſecundo primum, quia fuit primum à ſecuodo Azymorum, à quo Deus Levit. 23. mandavit numerare omnes dies & hebdomadas uſque ad Pentecoſten.

Scaligerum ſequuntur Adverſarii. Non tam miror ooſtros *Iunium*, *Piſcatorem*, *Deodatum*, & alios jam communiter, quàm Jeſuitam *Vaſquem*, *Barradium*, & ante omnes *Scaligeri* antagoniſtam *Petavium*, in ejus ſententiam pedibus ire.

Notatur Beza. Profitentur hîc quidam ſuum diſſenſum, ſed nullo gravi, ut videtur, argumento. Affirmat *Beza* conſentire ſe cum *Scaligero* in die, ſed diſſentire in ratione nominis, quòd ea nullâ auctoritate, nullis exemplis nitatur; ſed, venerandus vir, ſi legiſſet, dum hæc ſcriberet, Canonum Iſagogicorum tertium paginâ vidiſſet auctoritatum & exemplorum, tam ex Judæis quàm Græcis copiam, fallitur etiam *Beza*, quòd ſe cum *Scaligero* aſſerat convenire de die: nam *Scaligeri* ſabbatum δευτερόπρωτον non eſt dies ſeptimus ab Azymorum primo, ut vult, ſed primum ſabbatum hebdomadale, quod ſecundum Azymorum ſequutum eſt, & ultimum Azymorum anteceſſit.

à Lapide. Malè ſeparat *à Lapide Scaligerum* ab *Epiphanio*: utcunque, quod hîc affert contra utrumque argumeotum nullius ponderis videtur: Sabbatum δευτερόπρωτον (inquit) erat hebdomadale, at ultimus ſeu ſeptimus Azymorum tale non fuit. Reſp. *Cornelio*, ut videtur, non fuit curæ vel *Epiphanium* vel *Scaligerum* inſpicere, aliàs non oppugnâſſet ſuam umbram; uterque enim expreſsè ſabbatum δευτερόπρωτον ponit in ſabbato hebdomadali.

Et Maldonatus. Nihilo meliora ſunt *Maldonati* contra *Epiphanium* argumenta. Primò, inquit, ſpicæ in Judcâ non erant maturæ in Paſchate aut menſe Martio. ℞eplica. Ipſius ſocius *Petavius* affirmat hoc non tantùm falsò dici, ſed & expreſsè contra ſacras Scripturas, quæ hordei ſpicas ſecundo Azymorum maturas ſæpè aſſeverant.

Secundò, inquit, tempore Paſchatis in Judæâ ſe calefaciebant ad ignem, ut videre eſt Joan. 18. Ergo tum matura non fuit meſſis. Replica. Tempore nocturno, ioprimis nocte mediâ quovis anni tempore, nedum in martii menſe, accendi ſolet focus.

Tertio. Inquit: Falx ooo immittebatur in meſſem ante oblatas in Pentecoſte primitias. Reſp. Quis jam neſcit, primitias Pentecoſtes ſumptas de ſecundâ Judæorum meſſe triticeâ, ut manipulus Paſchatis ſumebatur de primâ meſſe hordeaceâ.

Quarto inquit, in ipſis Africæ regionibus Judæâ calidioribus, tempore Paſchatis oon matureſcunt fruges. Reſp. Io Africanarum regionum ſi non frigidiſſimâ certè non calidiſſimâ Ægypto, hordeum tempore Paſchatis ſolebat eſſe in ſpicis, ut legenti nonum Exodi patet.

Argumentorum Grotii levitas. Ad iſta Jeſuitarum argumenta contra *Scaligerum*, *Grotius* addit alia duo. Prius, ut δευτερόπρωτον componatur ex πρώτη & δευτέρα, noo eſt concedendum, quia non datur hujuſmodi compoſitionis ullum exemplum. Reſp. Præter multa quæ loco ſupra citato *Scaliger* habet exempla, quid ullo exemplo opus eſt, ubi res eſt manifeſta? Non diffitetur *Grotius* maſculinum δεύτερος & neutrum δεύτερον rectè componi cum πρῶτος, quid ergo impedit fœmininum δευτέρα fundare compoſitionem cum eodem? inprimis cum Dei expreſſum mandatum numerandi ἀπὸ τῆς δευτέρας huic compoſitioni optimum fundamentum præbeat. Poſterius *Grotii* argumentum. Non mandavit Deus numerare ſabbata à ſecundo Azymorum, ſed tantùm dies à quibus Pentecoſte nomeo habet. Reſp. Non tantùm dies, ſed diſertè ſabbata & hebdomadas à ſecundo Azymorum numerari mandat Deus Levit. 23.15.

Etiam Ludovici de Dieu. *Ludovicus de Dieu* contra hanc ſententiam, ot à *Bezâ* explicatur, affert argumentum quod non tangit vel *Epiphanium* vel *Scaligerum*, qui ſabbatum δευτερόπρωτον faciunt ſabbatum propriè dictum & hebdomadale: nullum aotem aliud ſabbatum legale fuit ſeu in primo, ſeu in ſecundo, ſeu ſabbato ultimo Paſchatis, quando cibos curare licuit, non obſtante ſabbatorum illorum legalium religione. Quòd autem *de Dieu* de tribus ſabbatis in hebdomade Paſchali notat, id ante eum alii obſervârunt, & nihil ad præſentem quæſtionem facit: nam eſto primus Azymorum dies fuerit iſtius hebdomadis ſabbatum primum, & ſabbatum hebdomadale poſt primum Azymorum fuerit ſabbatum ſecundum, & ultimus Azymorum fuerit ſabbatum tertium, &, ſi vis, primus Paſchatis antecedens primum Azymorum, luna ſcilicet decima quarta fuerit ſabbatum quartum iſtius hebdomadis, nihil iſta ad ſabbatum δευτερόπρωτον.

Ultima verſio Anglicana eſt improbanda. Ad ſententiam hanc ſeptimam nihil aliud notabo, quàm quòd verſio Anglicana ulnima non hic videatur probiſſima; agnoſco quod habuit vetus (à ſecond ſolemne ſabbath) correctionem meruiſſe, nam ſignificabat ſabbatum δευτερόπρωτον fuiſſe ſecundum, quod tamen *Lucas* vocat primum, & πρῶτον transferebat per ſolemne, ac ſupponebat hoc ſabbatum ad præcedens aliquod ſabbatum ut primum ſolemne referri: iſta (concedimus) vera non ſunt, & requirebant emendationem, ſed quod dederunt emendatores non ſtat cum ſententiâ præ manibus, illi enim reddunt ſecundum ſabbatum poſt primum, nimirum poſt ſecundum diem Paſchatis, qui primus erat Azymorum, hoc meritò *Scaliger* dixit ſabbatum præpoſterum, & *Junius* modo omnioo contrario dicendum arbitratus eſt, ſabbatum primum poſt ſecundum, ſicut expreſsè in ſuæ verſionis Italicæ textu ponit *Deodatus*, Belgæ Dordraceni in ſuo textu retinent Græca de verbo in verbum (in ſecundo primo ſabbato)

ſicut

ſicut ante eos verſio Gallicana habet [ſabbat ſecond primier] obſcuriùs quidem ſed ſecurius, quod nemo poteſt vituperare, cum originale authenticum ſequantur ad amuſſim.

Relinquuntur Annotatores Belgæ.

Priuſquam quæſtioni finem impoſuero, attingam paucis octavam & nonam ſententiam. Notæ Belgicæ, & poſt eas Anglicanæ ultimæ varias ſententias proponunt nihil ipſi determinantes, noſtram ſeptimam habent cum ſuis firmamentis: præthereà illam *Bezæ* de ultimo Azymorum die, & aliorum quoque de ſabbato in Pentecoſte vel poſt Pentecoſten. In octavâ hac non tantùm diſplicet, quòd ſententias falſas, ut nobis videtur, proponat & cum verâ exæqnet, ſed inprimis quod lectores relinquat incertos in trivio, quem ex tribus callem ſequantur.

Capelli & aliorum nova ſententia refellitur.

Nona & ultima eſt apud *Balduinum*, *VValeum* ex *Cloppenburgio* & *Capello*; deſideramus in *VValeo* quòd, cùm hanc unam aſſerat ſententiam ad Lucæ locum elucidandum, non omninò ſignificet, quid in eâ ipſi vel placeat vel diſpliceat; nos quidem rotundè fatemur totam nobis diſplicere: præter enim profeſſam novitatem, affirmat ſabbatum δευτερόπρωτον ſemper antecedere oblationem manipuli, diebus minimùm ſedecim. Eſto in Judæorum lectionario duo apparere anni & menſium principia, primum vigeſimo quarto Tizri in Autumno, cùm, ut ab initio mundi, annus Judæorum civilis incepit; ſecundum vere in Novilunio Niſanis, cum annus ſacer ex Dei mandato poſt populi ἐξόδου inchoari juſſus eſt: non tamen probat *Cloppenburgius* anni ſabbata duo habuiſſe principia, ita ut primum ſabbatum anni civilis diceretur πρωτόπρωτον, & primum anni ſacri δευτερόπρωτον, nam id quod affert ex תְּהִלּוֹת סֵפֶר recentioris Rabbini opere Germanico de Reſch Variſchon primo ac primo, non probat ejus inſtitutum. Licet enim daremus novam ac ſubtilem ejus expoſitionem Reſch Variſchon primum & ſecundum, hoc tamen non eſſet *Lucæ* δευτερόπρωτον ſed πρωτοδεύτερον, quod eſt longè aliud. Secundò. non loquitur *Cloppenburgius* de principio ſabbatorum, ſed de principio anni & menſium, quod nihil ad noſtram quæſtionem. Tertiò. Fatetur *Cloppenburgius* ſabbatum hoc ſuum δευτερόπρωτον plerunque cadere in menſem Februarium ante primũ diem Niſanis, ita ut non ſit omninò primum, ſed nltimum anni ſabbatum. Quartò. Sabbatum iſtud *Cloppenburgii* tot diebus ante ſecundum Azymorum in decimo ſexto Niſan cùm offerebatur manipulus, exiſtebat; nimirum ſæpè totis viginti duobus, & nunquam minùs quàm ſedecim, ut fruges maturæ tum temporis eſſe non potuerint. Lis inter doctos eſt, num Niſanis decimo ſexto ſpicæ hordeaceæ in Judæâ matureſcerent, ſed an Niſanis primo in novilunio aut diebus aliquot antecedentibus in menſe Februario maturuerint, primus eſt *Cloppenburgius* qui affirmat: pro ſe quidem citat *Ioſephum*, ſed præter auctoris mentem; imò & contra verba quæ ipſe ex *Ioſepho* affert, in quibus affirmatur ante decimum ſextum Niſan Judæos ſegetes nullas vel tetigiſſe, οὐ γὰρ (inquit) ἥψαντο: Ratio hæc valida eſt etiam contra *Capellum*, qui licet *Cloppenburgium* in aliquibus corrigat, tamen in hoc ſequitur, quòd ſabbatum δευτερόπρωτον anteceſſerit ſecundum Azymorum, idque novem ſemper minimùm diebus. Hoc ei nemo doctorum concedet.

QUÆSTIO XIII.

An & quare Chriſtus, ultimum ſuum Paſcha unâ nocte maturiùs celebraverit quàm cæteri Iudæi?

NObilis, antiqua, & difficilis ſatis eſt quæſtio de vero die quo ultimum ſuum Paſcha Chriſtus celebravit: Etſi nolim profiteri cum *Spalatenſi* lib. 5. de Repub. cap. 6. parag. 260. dnbium hoc eſſe tam ingens, ut ejns nodus, ſi quis alius in Evangeliis, ſit ſolutu difficillimus.

Tres ſunt hac de re ſententiæ primariæ. Prima Chriſtum ſtatuit anticipâſſe diem legalem Paſchatis, qui fuit lunâ decimaquartâ, ſeu menſis primi Niſan die decimoquarto, ita ut hujus menſis die decimo tertio ultimum ſuum Paſcha Chriſtus celebrârit uno die ante cœteteros Judæos. Secunda eſt eorum qui Dominum die ordinario Lunâ decimaquartâ unà cum cæteris Judæis ſuum Paſcha celebrâſſe docent. Tertia, quæ eſt noſtra, anticipâſſe quidem Chriſtum Judæos vult uno die, ſed ita ut ille diem legalem decimumquartum, hi diem poſteriorem, decimumquintum obſervaverint.

Male recentiores Græci volunt Chriſtum anticipâſſe legitimum Paſchatis diem.

Sententiæ primæ auctores & patroni ſunt recentiores Græci; dico recentiores, quia antiquiores *Chryſoſtomus*, *Epiphanius*, *Theophylactus* & alii in tertiâ ſunt ſententiâ: antiquiſſimi autem Græcorum tantùm abfuerunt ab hac poſteriorum mente, ut à pertinaci ſuâ Paſchatis in Lunâ decimaquartâ celebratione Quartadecimanorum & Τεσσαρεσκαιδεκατίταις titulo infamarentur, quinetiam à *Philaſtrio* & *Auguſtino* in hæreticorum Catalogo diſponerentur; non tam quòd Paſcha celebrarent cum Chriſto Niſan decimoquarto, quàm quòd ſecnndum legem Moſaicam, omnibus Chriſtianis neceſſitatem imponerent eo die celebrandi.

Explicatur quæſtio Azymitica.

Hac de re per multos annos lis nimis quam acerba viguit, & Eccleſias Orientales ab Occidentalibus pudendo ſchiſmate penè ſeparavit: verò imò tuſi *Irenæi* Lugdunenſis magna modeſtia, nec minor auctoritas, *Victoris* Romani Pontificis Orientales omnes excommunicationis telo ferire parati ſuperbum fervorem temperâſſet, tota Eccleſia eo incendio mox conflagratura videbatur: tandem Nicæna Synodus

nodus flammam iſtam extinxit canone conſtructo (qui tameo hodie oon extat) ut Paſcha celebraretur die tantùm Dominico quo Dominus reſurrexit, qui vel in decimumquartum incideret, vel eum proximè ſequeretur.

Aliquot hujus diſcordiæ ſcintillæ diu poſt Concilium Nicænum fovebantur, inprimis in eccleſiis longinquioribus & Britanniâ, ubi noſtri majores Scoti Pictique Orientalium decimumquartum mordicus ſequuti ſunt, Angli autem recentes tunc in Inſulam advenæ, noo minùs animoſè occidentalium Dominicam. videtur *Petavius* in animadverſionibus ſuis ad *Epiphanii* hæreſin 51. ex Jeſuitico ſuo in Romanas partes, quas Angli tum ſequebantur, favore in controverſiâ hac narrandâ, Scotorum ſententiam & argumenta noo ſatis ingenuè proponere. Certè dolendum fuit quòd tamdiu lites de cæremoniis Eccleſias vexaverint, quæ facillimè à primo ortu ſupprimi potuiſſent, ipſarum cæremoniarum omnino noo neceſſariarum totali, ut hodie, apud multos Orthodoxos omiſſione atque oeglectu.

Utcunque Orientales moderni, à quinque aut ſex jam ſeculis cæremonialem hancee controverſiam, immutato aliquantum litis ſtatu ab inferis revocârunt, & nimis quàm acerbè contra Occidentales exagitârunt. An ad hunc diem lis duret neſcio: video quidem in *Jeremiæ* Patriarchæ Conſtantinopolitani cenſurâ Confeſſionis Auguſtanæ cap. 13. ſatis apertè hujus litis contra Occidentalca vitam innui, quos in ſuis ibi notis *Socolovius* fusè contra Orientales tuetur: ſed in Cyrilli Patriarchæ nuperâ confeſſione nullum habetur hac de re verbum. ὁμοδοξότατος enim iſte Patriarcha reformatis Proteſtantium Eccleſiis contra Pontificios Romanos conjunctiſſimus omnes controverſias non tantùm in ritibus & rebus minoris momenti, ſed inprimis in dogmate rebusque gravioribus inter Orientales & Occidentales Proteſtantes inſigni ſuâ & felici operâ ſopire atque extinguere ſummo conatu molitus eſt; etſi hoc labore nefariis Jeſuitarum artibus crudelem necem ſed glorioſiſſimum martyrium ſibi pepererit.

Controverſiæ præ manibus quam recentiores Græci contra Latioos agitabant, primus ſtatus fuit de qualitate panis Euchariſtici, debeatne eſſe azymus an fermentatus: Initio Latini tam quàm Græci panem fermentatum uſurpabant, dum Ebionitæ & alii Judaizantes hæretici pro Moſaicis ritibus oimiùm pugnarent; ſed iſtis hæreticis mortuis & ſepultis, plerique ſi non omnes ubique in Eccleſiâ celebrabaot cœnam in azymis. De hac re ut indifferenti ad annum ſupra milleſimum ſilentium fuit, ſed mox Eccleſia Romana non ſatis habens ut ipſa in azymis celebraret, nimis imperioſè aliis omnibus imperavit ut io hoc ritu ſe ſequerentur: hinc Eccleſia Græca, quæ in multis aliis à Romanenſium ſuperbiâ dudum abhorrere cœperat, non minore cum imperio omnibus ſuis panem fermentatum mandavit, & ut hanc theſin firmo argumento ſtabiliret, docere etiam cœpit, Chriſtum in pane fermentato ſuam cœnam celebrâſſe. Utrique tam Græci quam Latini in hoc conveniebant principio, & ejuſmodi pane celebrandam cœnam, quo ipſe Dominus in primâ ſuâ cœnâ eſt uſus: utinam regulam hanc in maximè neceſſariis & cœnæ partibus ſummè eſſentialibus, cautè obſervâſſent; hoc pacto ſacramenti cœnæ partes integrantes primarias, nimirum calicem, & ipſius panis ſubſtantiam, ounquam auſi fuiſſent Romanenſes ex cœnâ ejicere. Utcunque in circumſtantiis primæ cœnæ merè accidentalibus nullâ neceſſitate cogimur Chriſtum imitari: itaque licet in azymis Chriſtus celebrâſſet (ut quidem celebravit) nulla hinc neceſſitas omnibus Chriſtianis imponitur azymorum: & licet panis primæ cœnæ fuiſſet fermentatus, praxis tamen illa prima oullum cogebat in poſterum fermentatis uti.

Græci hîc fervidiores erant Latinis, nam hi in Concilio Florentino, imò & Tridentino non damnant prorſus fermentatorum uſum, modò ſua Eccleſiis libertas permittatur, ſed Græci ſuum morem omnes voluerunt ſequi ut neceſſarium, oegantes Latinorum azyma veros fuiſſe panes. Certe Miſſarum ab aliquot jam ſeculis panes azymi tam tenuia ſunt folia, ut qui neget eſſe panes, noo valdè erret: tamen infermentata omnia, quia infermentata, negare panes, contradicit noo minùs ſenſibus quàm rationi.

Primarium argumentum, quo Græci probabant fermentatorum uſum neceſſarium, erat Chriſti praxis, quam ex materiâ præ manibus demonſtrare ſe irrefragabiliter putabant. Poſt primum Azymorum ad ſeptimum inde diem, nullum inter Judæos fermenti uſum fuiſſe concedunt omnes, ſed ante primum Azymorum omnes pariter concedunt panem ἔζυμον fuiſſe communem. Si ergo probaverint Græci Chriſtum ſuam cœnam, & ultimum Paſcha celebrâſſe ante primum Azymorum, omnia ſua obtinuiſſe ſe ſatis firmiter arbitrantur. *Aquinas* quidem & alii hanc Græcis conſequentiam negant affirmantes, licet Chriſtus decimotertio die celebrâſſet ultimum ſuum Paſcha, & ultimam cœnam, non inde tamen ſequi celebrâſſe in ἐζύμοις, nam licet ἔζυμον tum fuerit communis toti populo, oec lex azyma requireret ante diem ſequentem, tamen in communi uſu ἐζύμων facilè reperire potuerunt azyma: ſi autem Domino viſum fuiſſet ſuum Paſcha ante dies Azymorum celebrâſſe, nihil ipſi aut cuivis alii facilius, quàm die ante Azyma cum ἐζύμοις communia, reperiſſe azyma, in quibus ſecundum legem Dei inviolabilem Paſcha ſuum celebrâſſet.

Argumenta Græcorum refutantur.

Sed antecedens eſt, quòd omnes Latini &

nos

nos negamus, Græci autem probare conantur; Primò ex Joan. 13. 1. ubi Chriſtus ultimum ſuum Paſcha, adeoque ſacram cœnam celebrâſſe ante feſtum Paſchatis affirmatur. Reſp. Loquitur ibi *Joannes* de feſto Paſchatis prouti à Judæis eo anno celebratum eſt, die non legali decimoquarto, ſed decimoquinto ut poſteà apparebit. Quod autem Chriſtus ſuum Paſcha die decimoquarto legitimo celebrârit, neglectâ Judæorum traditione de dilatione Paſchatis in diem decimumquintum patet ex tribus reliquis Evangeliſtis Matth. 26. 17. Marc. 14. 12. Luc. 24. 7. ubi habetur expreſsè Chriſtum Paſcha ſuum ultimum celebrâſſe primo die Azymorum qui diverſo reſpectu fuit decimusquartus & decimusquintus, ſed nullo modo decimustertius. Reſp. Græci priores três Evangeliſtas errantes in circumſtantiâ temporis à *Ioanne* fuiſſe correctos. Replica. Manifeſta hæc eſt contra ſacras Scripturas blaſphemia. Certè eam multi ex Latinis viri doctiſſimi & ingenui Græcis imputant & inter alios *Thomas Aquinas*, ſed cùm nullum ex Græcis auctorem hujus blaſphemiæ citent, & *Bellarminus* ac cæteri Græcorum adverſarii acerbiſſimi fateantur apud *Euthymium* alioſque Græcos, hujus controverſiæ præcipuos patronos nihil haberi tale, omitti poteſt hæc latinorum immerita ſi non calumnia, certè temeraria nimis & injurioſa inadvertentia.

2. Secundò argumentantur Græci ex Joann. 18. 28. Cùm Chriſtus erat à *Pilato* judicatus nondum *Judæi* ſuum Paſcha comederant, quod ſecundum legem decimoquarto Niſan comedendum erat, Chriſtus autem ſuum celebrârat die antecedente, quem oportuit fuiſſe decimumtertium. Reſp. Si Judæi eo anno diem legalem obſervâſſent & non ſecundum ſuas traditiones contra legem Paſchatis celebrationem à decimoquarto ad decimumquintum tranſtuliſſent, argumentum fuiſſet inſolubile; verum quòd Judæi eo anno non legitimo decimoquarto ſed decimoquinto celebrârint, mox videbimus.

3. Tertiò argumentantur Græci ex Joan. 19. 31. Dies in quo Chriſtus erat crucifixus fuit παρασκευὴ & præparatio ad Paſcha, quod die decimo quarto celebrabatur. Ergo Chriſti Paſcha & cœna quæ die priore celebrabantur, neceſſariò incidebant in decimumtertium. Reſp. ut ſupra παρασκευὴν hanc fuiſſe non ad verum Paſcha legale, ſed ad traditionale Judæorum, quod iſto anno uno die ſerius fuit legitimo.

Contra Græcos arg. 1. Nos autem contra Græcos ſic argumentamur. Chriſtus, ut habet *Chryſoſtomus* in Mat. 26. 2. exactè ſemper, ut in omnibus ita & in die Paſchatis, legem Dei obſervavit; peccâſſet autem contra legem, ſi à die decimoquarto ad decimum tertium Paſchatis celebrationem retraxiſſet. Regerunt Græci, adactum neceſſitate Chriſtum ob inſtantem mortem, ut anticiparet diem Paſchatis, etiam ob hoc, ut typum de Paſchate impleret, ut ſcilicet ipſe verum Paſcha ſacrificaretur in cruce, eo ipſo tempore quo typicum in templo offerebatur. Replica 1. Ille in cujus manu ſunt omnia diſponit ſingula tempore tam oportuno, ut nulla ei neceſſitas à quovis tempore incumbat violandi legem. 2. Cùm reverâ legem Paſchatis exactè ſervâſſet Chriſtus die decimoquarto inter duas veſperas, commodè omnia diſpoſuit, ita ut ejus mors non tantùm in ipſo Paſchatis die contingeret, qui à veſperâ ſecundâ diei decimi quarti inceperat, & ad finem diei decimiquinti perſeverabat; ſed etiam in illis ipſis horis in cruce pendebat, cum agnus Paſchalis in templo à ſacerdotibus immolaretur; quod tamen in reſponſione antitypi ad typum non requirebatur; nam Chriſti mors perfectiſſimus antitypus fuit quotidiani ſacrificii matutini, & omnium ſacrificiorum quæ quovis anni die, & quavis cujuſcunque diei horâ immolabantur, non propterea tamen mori oportuit Chriſtum tempore matutino, aut omnibus horis quibus ullum ſacrificium vel ordinarium, vel extra ordinem mactabatur.

Iterum argumentamur, diem primum azymorum fuiſſe menſis decimumquintum, aliquando quidem vocatur dies decimusquartus ut Exod. 12. 18. quod cautè obſervandum eſt ad varios Scripturæ locos elucidandos, nam aliquando Paſchatis dies & dies primus Azymorum conjunguntur ut unus & idem dies decimusquartus: aliquando disjunguntur ut duo diſtincti; cum Paſchati decimusquartus, & primo Azymorum decimusquintus attribuuntur, quorum hæc ratio eſt: Hebræorum dies incipiebant à noctibus, itaque decimusquintus Niſan incipiebat ab occaſu ſolis diei decimiquarti, quod ergo gerebatur ad iſtius diei decimiquarti occaſum, rectè refertur vel ad decimumquartum vel ad decimumquintum: jam verò Paſcha juſſum eſt occidi in veſperâ decimiquarti diei, quæ fuit non principium ſed finis iſtius diei, nam ſtatim poſt comeſtum agnum primo mane diei decimiquinti extruſus eſt populus Iſraeliticus ex Ægypto, Exod. 12. 33. Cùm autem dicitur Paſcha Levit. 23. 5. paratum inter duas veſperas, cave intelligas tam laxè ut parari potuerit quovis tempore inter primam veſperam iſtius diei quæ incipiebat ab occaſu ſolis diei decimitertii & ſecundam quæ deſinebat in occaſu ſolis diei decimiquarti. Illud enim בין הערבים ſtrictè intelligendum eſt de ſecundâ veſperâ diei decimiquarti & primâ decimiquinti. *Quid ſit inter duas veſperas.* Nam prout *Ioſephus*, *Philo*, ac *Maimonides* Paſcha deſcribunt horâ nonâ ſeu tertiâ pomeridianâ diei decimiquarti tribus horis ante ſolis occaſum agnus mactabatur, offerebatur, & aſſabatur, ut ita para-

tus comederetur ad horam duodecimam in ſolis occaſu & horâ primâ diei decimi quinti poſt ſolis occaſum. Sic appareret, quomodo Paſcha quod parandum erat in fine diei decimiquarti & comedendum initio decimiquinti, rectè referatur tam ad diem decimumquartum quàm ad decimumquintum. Certè celebrationes Paſchatis & primi Azymorum tam erant ſibi invicem vicinæ ac junctæ, ut, quamvis locis citatis diverſis diebus diſtinguantur, tamen aliàs abſque diſtinctione in unum diem conjungantur, ut videre eſt Luc. 22. 7. Marc. 14. 1. Matt. 26. 17.

Subjungimus jam argumenti minorem: Atqui Chriſti Paſcha celebratum eſt primo die Azymorum, ut ex locis jam citatis patet, quomodo autem iſta cum *Ioannis* Evangelio conveniant, ſuprà dictum eſt.

Malè Bellarminus divertit à Græcis ad Proteſtantes.

Bellarmino in diſputatione ſuâ contra Græcos lib. 4. de Euchar. cap. 7. & ſequentibus, non tam curæ eſſe videtur argumenta fortia contra ipſos premere, quàm calumnias ſtruere *Calvino*; certè noſtri in hac quæſtione cum Græcis non jungunt, ſed fortioribus Græcos argumentis oppugnant, quàm quivis ex Pontificiis; quòd verò liberum putemus & indifferens, ut vel in ἀζύμοις vel ἐνζύμοις ſacra cœna celebretur, id ante nos Concilium Florentinum (quod omnes Pontificii ut Oecumenicum approbant) idem planè determinavit: quod verò ex noſtris Eccleſiis quædam ἀζύμοις quædam ἐνζύμοις utantur, id faciunt ex mero arbitrio ſine ullâ neceſſitate: nam ubi panis fermentatus eſt communis non quærunt ἄζυμα; & ubi ἄζυμα ſunt communia, ut apud nos & pleramque Scotiam non quærunt ἔνζυμα. Utinam lites noſtræ omnes cum Eccleſiâ Romanâ tam eſſent compoſitu faciles; hanc ſerram nullus vir pius & doctus diu reciprocaret.

Sententia ſecunda vult Chriſtum & Iudæos eodem die celebrâſſe Paſcha.

Sententia ſecunda Chriſti Paſcha ponit in eodem tempore cum Paſchate Judæorum, nimirum Niſan decimoquarto ad veſperam diei Jovis feriâ quintâ.

Conſtantinus Magnus & alii poſt eum Imperatores *Chriſtiani*, ut religionem ſuam & zelum erga Chriſti nomen mundo demonſtrarent, legibus ſuis civilibus ſanxerunt, non tantùm ut tota hebdomas Paſchalis (ſicut erat inter Judæos) ſed etiam hebdomas ei proxima eſſent feſtivæ; ita ut quatuordecim omninò dies à Dominicâ reſurrectione ut ſolennes

Quid feria.

feriæ per totum Romanum orbem celebrarentur; hoc pacto in hebdomade Paſchali dies Dominica ſeu dies ſolis erat feria prima, dies Lunæ feria ſecunda, Martis tertia, Mercurii quarta, Jovis quinta, Veneris ſexta, Saturni dies, qui erat Judæorum ſabbatum, feria fuit ſeptima. Pro hac dierum in hebdomadâ Paſchali nomenclaturâ, poſt tempora *Conſtantini*, in Eccleſia Latina dies omnium hebdomadum totius anni nominabantur feriæ à primo ad ſeptimum, ſeu à die Solis ad diem Saturni.

Argumenta Baronii pro hac ſententiâ refutantur.

Sententia præ manibus Chriſti Paſcha celebratum vult lunâ decimaquartâ, die Jovis feriâ quintâ, ſicut prior lunâ decima tertiâ, die Mercurii, quartâ feriâ. Pro ſecunda hac ſtant multi viri doctiſſimi tam ex Proteſtantibus quàm Pontificiis. Ex his eſt *Aquinas*, *Toletus*, *Bellarminus*, *Baronius*, *à Lapide*, *Eſtius*, & alii multi. Ex illis *Beza*, licet dubius, *Grotius*, *Hamondus*, Annotatores Anglicani ultimi, & alii. Sententia duas habet partes; prior, Chriſtum ſuum ediſſe Paſcha lunâ decimaquartâ, feriâ quintâ, die Jovis ad noctem: poſterior Judæos eâ ipsâ nocte ſuum etiam comediſſe. Priorem partem facilè concedimus, abundè enim probatur ex Scripturæ locis quos jam adduximus contra primam ſententiam; ſed tota difficultas eſt in ſecundâ parte: varia ad eam probandam congeruntur argumenta à *Maldonato*, *Bellarmino*, & inprimis *Baronio* ad an. Chr. 34. num. 23. Ad ea quæ *Baronius* affert, quia nervoſiùs & clariùs ab ipſo quàm alio quoquam premi videntur, hîc reſpondebimus.

Primum eſt ex tribus primis Evangeliſtis in locis ſuprà citatis. Patet Chriſtum ſuum Paſcha celebrâſſe primo die Azymorum, eodemque die Judæos Paſcha immolâſſe, & à Lucâ aſſeritur neceſſe fuiſſe ut eo die immolarent. *Reſp.* *Marcum* nihil habere de Judæis, ſed tantùm ſimpliciter dicere, immolabant; hoc autem ſatis ſalvatur per factum Chriſti & Apoſtolorum, quicquid alii Judæi egerint. Neceſſitas autem, de quâ *Lucas*, refertur ad officium lege præſcriptum eo die celebrandi; quod Chriſtus cum ſuis exactè præſtitit, non verò ad praxin cæterorum Judæorum, qui Phariſæorum traditionibus à lege hic abſtrahebantur. 1.

Argumentum ſecundum. Lex tam arctè celebrationem Paſchatis diei decimoquarto alligabat, ut ſi qui cauſis maximè neceſſariis eum diem ſervare non poſſent, non tamen poterint in alium diem differre, ſed eodem die decimoquarto menſis ſequentis celebrare divino præcepto mandabantur Num. 9. ℣. 10. 2. Paralip. 30. ℣. 13. *Reſp.* Divinum hoc mandatum non impediebat Scribas ſuas traditiones ad Dei legem addere, quas Chriſtus tam voce quàm facto ſæpè refutavit. 2.

Tertium. Oportuit Chriſtum verum Paſcha mactari eo die quo populus typicum Paſcha celebrabat, Ergo populus eo die celebravit quo Chriſtus eſt crucifixus. *Reſp.* Licet daremus totum argumentum, nihil militaret contra nos: præterea, ut typus & antitypus perfectiſſimè conveniant, non requiritur, ut ſuprà dictum, omnimoda in tempore convenientia. Denique paſſus eſt Chriſtus eo die naturali quo per legem celebrandum erat Paſcha, & quo ipſe ſuum Paſcha comedit, 3.

dit, etſi Judæi in diem poſt ejus paſſionem ipſorum Paſcha diſtulerint.

Scaligeri [illegible]

Quid ſibi velit præſtantiſſimus vir *Ioſephus Scaliger* de emendatione temporum pag. 530. & 531. ὁ κορυφαῖος, ibi enim urget ex *Hilarione*, & rectè; Chriſtum paſſum feriâ ſextâ, Niſan decimoquinto; ſuumque Paſcha mactaſſe feria quinta die decimoquarto ſecundum legem, non ut Judæi, die ſequenti; ibidem tamen iterum atque iterum Chriſtum vult paſſum die decimoquarto, & Paſcha ſuum celebraſſe die decimotertio, quomodo hæc conſiſtant ego quidem non capio; ſed quia repugnantiam hanc ab aliis non animadverto notatam, malo eam imputare obeſitati meæ, quàm cuiquam in viro maximo errori.

Maldonati etiam argumenta refutantur.

Addit *Baronio Maldonatus* ad Matt. 26. 2. multum ſuper argumenta, quorum primaria videntur hæc duo; prius ex Joan. 18. 39. Die
1. Paſchatis quo populus celebravit Paſcha dimiſſus eſt *Barrabas*: Atqui eo die Chriſtus eſt crucifixus, Ergo quo die Chriſtus eſt crucifixus Judæi celebrârunt ſuum Paſcha. Reſp. dato eodem illo die dimiſſum *Barrabam* & non die ſequenti, quod tamen verba non probant, ut rectè obſervavit *Maldonatus*, licet enim eo die poteſtatem à *Pilato* Judæi acceperint ſolvendi *Barrabam*, rectè tamen ejus poteſtatis executio differri potuit in diem ſequentem, quando ipſi feſtum celebrare cœperunt; Sed hoc omiſſo dicimus nihil argumentum concludere pro theſi, nam concedimus populum comediſſe Paſcha eo die quo Chriſtus eſt crucifixus; ſed ob hanc rationem contendimus non comediſſe populum eodem die cum Chriſto qui nocte antecedente comederat.

2. Alterum eſt. Si Chriſtus anticipaſſet diem communem Paſchatis, offendiſſet diſcipulos ſuos, & Judæis ipſum ut legis deſertorem accuſandi præbuiſſet juſtam cauſam. Reſp. Apoſtolos & illum diſcipulum hoſpitem in cujus domo celebravit Paſcha, ſatis armaverat ne ſcandalum acciperent, cùm ante biduum & aliàs de ultimo hoc ſuo Paſchate, ſermonem multum apud ipſos habuiſſet: & quod ad hoſtes, nullam illi juſtam hinc habebant cauſam Chriſtum accuſandi, cùm literam legis contra eorum traditiones exactè ſervaſſet, nec illis dum crimina alia capitalia contra Chriſtum premerent, minutiis iſtis ritualibus iiſque controverſis immorari commodum fuit.

Pro tertiâ ſententiâ communi argumento.

Sententia tertia quam ſequimur eſt Proteſtantium plerorumque, *Calvini*, *Scaligeri*, *Calviſii*, *Cauſaboni*, *Deodati*, *Piſcatoris*, Annotatorum Belgarum, & aliorum, multorumque etiam doctiſſimorum ex Pontificiis ac Jeſuitis, *Janſenii*, *Maldonati*, *Salmeronis*, *Petavii*, & aliorum poſt *Paulum Burgenſem*, Judæos non niſi poſt Chriſti paſſionem Paſcha celebrâſſe in fine diei decimiquinti ac principio decimi ſexti, feriâ ſextâ finiente, & ſeptimâ, quæ fuit ſabbatum, incipiente.

Hanc probamus primò ex Joa. 18. 28. Judæi die paſſionis Dominicæ noluerunt ingredi forum *Pilati*, ne contaminati arcerentur à comeſtione Paſchatis: Ergo eo die Paſcha nondum comederant, quod tamen nocte præcedente Chriſtus celebraverat. Argumenti hujus inſolubilitas patet ex abſurditate reſponſionum quæ hactenus ſunt allatæ. Solutio communis, cui *Bellarminus* & *Baronius* poſt *Toletum* adhærent, eſt; comeſtionem Paſchatis fuiſſe duplicem; unam agni Paſchalis, aliam ſacrificiorum aliorum quæ ſeptem diebus Azymorum offerebantur, priorem peregiſſe Judæos nocte priore cum Chriſto; poſteriorem nocte ſequente poſt Chriſtum paſſum, de hac ſolâ loqui *Joannem*. Diſtinctionem hanc fundant in Deut. 16. 2. Sacrificabis Paſcha domino Deo tuo de pecudibus & bobus: hic oblatio non tantùm agni ſed etiam ovium & boum dicitur ſacrificium Paſchatis. Replica, quòd mundities à *Joanne* memorata referenda ſit non ad agnum Paſchalem, & primum diem Azymorum, ſed ad ſacrificia quæ cæteris Azymorum diebus fiebant eſt contra legem, quæ ſolennitatem feſti ponebat inprimis in comeſtione agni immaculati, & die primo Azymorum, quando ſancta ſemper fuit populi congregatio, in diebus autem reliquis Azymorum tanta in populo mundities & ſanctitas non requirebatur, ut eſt in confeſſo. Secundò. Licet die Paſchatis & primo Azymorum holocauſta & pacifica oblata fuerint de bobus & aliis pecudibus præter agnos, nunquam tamen Scriptura iſta ſacrificia vocat ipſum Paſcha, nec ea comedentes unquam dicti ſunt comedere, ut notat *Cauſabonus* Emphaticè, τὸ πάσχα.

Nova Cardinalium diſtinctio caret fundamento.

Quod ad locum Deuteronomii, corruptus is eſt ab Interprete Latino, nam quod habent Hebræa: וְזָבַחְתָּ פֶּסַח צֹאן וּבָקָר ſecundum Anam, ſacrificabis Paſcha ovem & bovem, malè tranſtulit Latinus, ſacrificabis Paſcha de ovibus & bobus, non enim Paſcha oblatum erat de ovibus & bobus, ſed tantùm de agnis, etſi ovina & bovina ſacrificia cum agno Paſchali ſunt conjuncta. Græcus Interpres veritatem Hebræam hîc ſequitur, θύσεις τὸ πάσχα πρόβατα καὶ βόας. & Chaldæus Paraphraſtes, ut alia ſacrificia à Paſchate diſtingueret, ſic paraphraſticè transfert, Mactabitis Paſcha inter veſperas, & boves ac oves craſtino die.

Spalatenſis commentum refutatur.

Spalatenſis lib. 5. de Repub. cap. 6. parag. 272. omnibus aliorum ſententiis rejectis novam horum dubiorum ſolutionem, quaſi à ſe inventam proponit. Ea quidem nova non eſt, nam legiſſe eam potuit in *Cauſabono*, & fortaſſe legit, ſed ut inventi gloria ſibi uni deberetur, diſſimulat ullibi legiſſe. *Cauſabonus* exerc. 16. parag. 12. affert *Cedrenum*, *Petrum Alexandrinum*, *Metrodorum*, & alium *Anonymum* qui ante *Spalatenſem* diſertè do-

cuerunt Chriſtum in ultimâ cœnâ non omninò comediſſe agnum Paſchalem, neque Azyma, ſed ſolùm cœnam communem. Abſurdum hoc commentum eſt, & non tantùm contra omnium aliorum Chriſtianorum, tam antiquorum quàm recentiorum ſenſum, ſed etiam contra expreſſam Scripturam Luc. 22. 15. Deſiderio deſideravi hoc Paſcha edere vobiſcum. Ecquid hoc tam vehementi deſiderio Chriſtus eſt fruſtratus? num hæc verba loquutus eſt in ipſo actu celebrandi Paſchatis? in ipſo cœnaculo? quod ſuo mandato paratum erat, expreſsè hoc fine ut Paſcha cum ſuis diſcipulis ibi comederet Matt. 26. 17. 18. 19.

In argumentis quæ pro hoc abſurdo affert *Spalatenſis* nulla eſt difficultas. Primò. Paſcha comedebatur, inquit, à ſtantibus & feſtinantibus. At cœna Chriſti ultima fuit prolixa & celebrata à ſedentibus. Reſp. Statio & feſtinatio erant accidentia primi Paſchatis Ægyptiaci quæ nunquam legimus fuiſſe repetita. Secundum. In cœnâ Chriſti fuit jus carnium in quo panis Judæ datus intingebatur, at in Paſchate omnia erant aſſa, nihil carnium coquebatur. Reſp. Illud ἔμβαμμα, in quod Chriſtus panem Judæ intinxit, non erat jus carnium, ſed acetum cum lactucis, & amaris herbis, cum quibus Paſcha comedi à Deo juſſum eſt. Tertium. Putabant diſcipuli juſſum Judam feſtinare ut emeret neceſſaria ad feſtum: Ergo feſtum Paſchatis nondum venerat. Reſp. Feſtum Azymorum erat ſeptem aut octo dierum, primus dies inceperat, cæteri ſequebantur, ad quorum celebrationem multa erant diſcipulis emenda.

Grotii etiam & Hamondi abſurda exploduntur.

Paucæ ſunt tam abſurdæ ſententiæ quin aliquos ſectatores reperiant. *Hugo Grotius* ad Mat. 26. 18. *Spalatenſem* hîc ſequitur, etſi eum non nominet, ut ipſe hujus quoque novitatis ſemet celebret auctorem. Magis ingenuus eſt ejus aſſecla *Hamondus*, qui hîc ut vulgò, ſuarum abſurdarum novitatum incomparabilem verè *Grotium* præcurſorem fatetur ad Mar. 14. 12. litera C. Diſtinguunt hi inter Paſcha θύσιμον & inter μνημονευτικόν: hoc volunt Chriſtum comediſſe die Niſan decimo tertio, unam noctem ante Judæos, non tamen violâſſe legem, quia Paſcha hoc memorativum non fuit lege mandatum, ſed ritus voluntarius quo ſine omni agno panes azymi cum herbis amaris in memoriam Paſchatis comedebantur. Audax commentum; quod Judæi tale Paſcha ſine ſacrificio in terrâ Babylonicâ comedebant, nullo probatur exemplo: quantumviscunque autem ſuperſtitionis infideles Judæi poſt ſuam rejectionem perpetrent, quid ad Chriſtianos? Et ſi quæ affert *Grotius*, ex *Procopio*, ejus ſententiam de Paſchate ſine agno manifeſtè jugulant: utcunque (ſicut novatoribus ſolenne eſt) ad ſolvendum levius dubium, in multò gravius incidunt; hi ut probent Judæos legitimo die decimoquarto ſuum Paſcha celebrâſſe, affirmant Chriſtum comediſſe ſuum die decimotertio illegitimo, imò verò Chriſti Paſcha non fuiſſe Paſcha, niſi ὁμωνύμως, neque omninò à Deo inſtitutum, ſed voluntarium, hoc eſt, ſuperſtitionem voluntariam. Quicquid fingatur de Judæis Chananæam habitantibus, tamen ullum Judæum Hieróſolymis degentem Paſcha unquam celebrâſſe in azymis & herbis amaris ſine agno, idque in die decimotertio, quando Deus azyma non requirebat, nullâ ſcripturâ probari poteſt.

Quod premunt Chriſto agnum Paſchalem extra diem legitimum expectandum non fuiſſe à ſacerdotibus in templo agnos omnes Paſchales mactantibus. Reſp. Diebus ſingulis mactabant ſacerdotes in templo agnos, aliaſque pecudes quamplurimas, quas reddebant quibuſcunque offerentibus comedendas domi: quàm ergo facile fuit pridie Paſchatis patrifamilias apud quem Chriſtus ultimum cœnavit, impetrare mactatum in templo agnum à ſacerdote nihil inquirente ob quos fines agnus iſte comedendus eſſet; Præterea, ſi negaremus agnos omnes Paſchales in templo fuiſſe mactatos à Sacerdotibus, *Philonem* haberemus hâc in re ὁμόψηφον, qui diſertè aſſerit in feſto Paſchatis omnes patresfamilias à Deo permiſſos intra ſuas domos agnum mactare: fatemur aliquando ſacerdotes Paſchata in templo mactata familiis diſtribuiſſe ut comederentur, ut tam ex Scripturis quam *Ioſepho* pater, ſed id ſemper præſtitum negat *Philo*. Quòd autem *Grotius Philonem* aut *Alexandrinum* taxat ignorantiæ patrii in hoc moris, cenſura eſt tantùm pro imperio; rectè *Philo* ante deſtructum templum ſecundum vivens non videtur circumſtantias Paſchatis omnibus Judæis ubicunque viventibus notiſſimas ignorare potuiſſe.

Argumentum ſecundum pro ſententiâ communi.

Secundum noſtrum pro tertiâ ſententiâ argumentum eſt ex Joan. 13. 1. Chriſtus ultimam ſuam cœnam ante diem feſtum Paſchatis comedit, hoc aliter non poteſt intelligi quàm quòd Chriſtus ſuum Paſcha ederit ante Paſcha Judæorum, nam ſupponendo Chriſtum & Judæos eâdem nocte, eâque legitimâ ſua Paſchata celebrâſſe; verba *Ioannis* non poſſent concipi ſine manifeſtâ contradictione; ſcilicet Chriſtum celebraſſe Paſcha die legitimo, & tamen ante diem legitimum Paſchatis; *Baronius*, & *Bellarminus* poſt *Toletum* reſpondent diem Paſchatis ſumi aliquando pro die naturali viginti quatuor horarum à veſperâ in veſperam: aliquando pro artificiali duodecim horarum ab ortu ſolis ad occaſum; loqui verò *Ioannem* de artificiali, non naturali. Replico 1. Diſtinctionem hanc non tollere ἐναντιοφανὴς, celebrâſſe Chriſtum Paſcha legitimo die ante diem legitimum. Secundò. Nuſquam dies Paſchatis pro die artificiali ſumitur, nam hic ſemper incipit à mane poſteriori, & verò ſecundum expreſſum Dei mandatum, nihil Paſcha-

tis

tis remanere potuit, uſque ad ſequens mane. Deinde dies artificialis poſt Paſcha fuit primus azymorum, decimusquintus Niſan, à die Paſchatis antecedente decimoquarto Niſan manifeſte diſtinctus.

3. Tertium argumentum ex Joan. 14. ℣. 14. Chriſtus mortuus eſt in παρασκευῇ Paſchatis Judæorum: Ergo ſuum Paſcha celebravit integro die & nocte ante Paſcha Judæorum, quod ſemper παρασκευὴ ſequutum eſt. Reſpondent tres Cardinales Paſcha nullam habuiſſe παρασκευὴν ſed παρασκευὴν omnem fuiſſe ſabbati, adeoque Chriſtum mortuum eſſe in παρασκευῇ ſabbati, ſed non Paſchatis, quod nullam habuit παρασκευὴν; παρασκευὴν tamen ſabbati dictam fuiſſe Paſchatis, quia ſabbatum eo anno incidebat in ſecundum Azymorum, qui fuit decimusſextus Niſan, & tertius dies Paſchatis. Replico 1. falſum eſſe nullum feſtum Judæorum præter ſabbatum habuiſſe παρασκευὴν: contrarium *Cauſabonus* tot locis Talmudi & Rabbinorum demonſtrat, ut Jeſuita *Petavius* multò in iſtis omnibus Cardinalibus doctior apertè det manus & nobis ſe jungat; & verò quis audeat negare Paſcha ſuam habuiſſe παρασκευὴν cum abſque omni diſtinctione formaliſſimis verbis *Joannes* illud affirmet? Secundò. Falſum eſt ſabbatum dici Paſcha quod tertio die Paſchatis eo anno extiterit, nam licet fateamur totum feſtum Azymorum, ſeptem aut octo dierum vocari Paſcha, tamen omnes illos ſeptem dies & eorum unumquemque à primo ad ultimum vocari Paſcha, non poteſt probari ullo Scripturæ loco. Tertiò. His omnibus omiſſis tenet noſtrum argumentum, nam Paſcha Chriſti uno die anteceſſit etiam illam παρασκευὴν ſabbati in quâ eſt crucifixus.

4. Quartum argumentum. Si Judæi cum Chriſto Niſan decimoquarto Paſcha comediſſent, tum decimusquintus ſequens ſcilicet feria ſexta, ſeu dies veneris in quo Dominus eſt crucifixus, fuiſſet Judæis primus Azymorum adeoque ſanctus, in quo licet præparatio ciborum eſſet licita, omnia tamen opera ſervilia erant illicita: Atqui dies ille Veneris non fuit talis, ſed omnino profeſtus, in quo Judæi publicè capitales agebant cauſas, fabricabant cruces, damnatos necabant & ſepeliebant, imò ipſorum religioſiſſimi ac ſanctiſſimi ſindonem ac aromata emebant, omniaque procurabant quæ ad mortuorum ſepulturam faciebant, à quibus ſtatim ut ſol occidit, religione ſabbati abſtinuerunt, totoque die ſancto ab iis quieverunt. Reſpondent quæ ad mortuorum ſepulturam ſpectabant, fuiſſe opera charitatis quæ dies ſanctiſſimus admittebat: præterea Judæos adeò profanos fuiſſe, ut vel ſabbati religionem flocci fecerint. Replica, opera ad ſepulturam ſpectantia tam fuiſſe profana, ut ab iſtis *Ioſephus*, & ſanctæ mulieres toto ſabbato religione diei abſtinuerint, & verò licet Judæi profaniſſimo eſſent corde, uſque adeo tamen in externis religioſos agebant, ut ne minima, quæ ullâ ſpecie diem ſacrum contaminare videbantur, admitterent.

Quintum argumentum ex Joan. 19. 31. Sabbatum poſt Chriſti mortem dicitur *dies magnus*, denominatio hæc non oritur ex ipſo ſabbato, nam ſic omni ſabbato competeret, ſed ab aliquâ magnâ ſolennitate ſabbato adjectâ, in feſto Azymorum nulla erat magna ſolennitas, nulla ſancta convocatio, niſi die primo & ultimo, ultimum autem nemo vult eo anno incidiſſe in ſabbatum; Ergo primus fuit qui tunc incidens in ſabbatum ei magni diei titulum acquiſivit; & verò primus Azymorum verus fuit die præcedente ſcilicet decimoquinto Niſan, quo Chriſtus poſt legale ſuum Paſcha paſſus eſt; ſed primus ille Azymorum, qui ſabbatum in quo Chriſtus in ſepulchro cubuit effecit diem magnum, fuit etſi non verus, Judæorum tamen primus Azymorum, quem illi, ne duæ magnæ ſolennitates ſe continuò ſequerentur, ex Synedrii præſcripto in ſabbatum tranſtulerunt, ut ſic ſabbatum hoc aliâ maximâ ſolennitate auctum meritò *dies magnus* diceretur. Reſpondent tres Cardinales, dictum illud ſabbatum magnum ob concurſum tertii diei Paſchatis ſeu ſecundi Azymorum cum ſabbato; tranſlationem autem feriarum fabulam eſſe diebus Chriſti, & dum ſtaret ſecundum templum inauditam. Replica, dies Azymorum inter primum & ultimum non erant ſolennes, nec quicquam magnitudinis addebant ſabbato. Quod ad tranſlationem feriarum attinet, eam tam firmiter demonſtrat *Paulus Burgenſis*, & tot teſtimoniis antiquorum Rabbinorum *Cauſabonus* aliique confirmant, ut ipſe *Petavius* eam amplectatur. Non equidem exiſtimo tranſlationem iſtam feriarum fuiſſe divinam, licet hoc disertè affirmet cùm *Calvinus*, tum *Beza*. Nam ſi fuiſſet divina, cur non eam Chriſtus ſequutus eſt? Et tamen non probo *Ludovicum de Dieu*, nec ejus auctorem *Ioannem Cobum*, qui contra Doctiſſimos cùm Reformatorum tum Jeſuitarum hanc feriarum tranſlationem negat: certè ſine eâ ſat rectè defenditur tertia noſtra ſententia, quæ tantùm affirmat rem, quòd Chriſtus ſuum Paſcha pridie quàm cæteri Judæi eorum Paſcha celebrarit, non autem unum aliquem iſtius rei modum, etſi modus hic tranſlationis unius feriæ in aliam, nimirum Paſchatis in ſabbatum videatur expeditior alio quovis, quem adhuc videre mihi contigit. Certè modus quem *Petavius à Ludovico de Dieu* didiciſſe videtur, multò eſt impeditior, ſcilicet eo anno incidiſſe Paſcha in ſabbatum ex Sacerdotum ignorantiâ, & incertâ Noviluniorum calatione, modus hic non probatur à *Petavio* idoneis argumentis, & verò tam incertam & perplexam

5. *Quid ſabbatum magnum.*

omnium inter Judæos feſtorum rationem reddidiſſet, ut populo Iſraëlitico omnino indigna videatur.

Sed ne in hac quæſtione ſim nimius concludo, notans tantum in fine Annotatores Anglicanos ultimos ad Joan. 18. 28. nihil certi in hac quæſtione affirmare, inclinare tamen ad ſequiorem ſententiam, nimirum ſecundam, & pro ea argumenta varia ex Pontificiis inprimis afferre, quæ nos jam refutavimus.

QUÆSTIO XIV.

De horâ Paſſionis Chriſti.

Explicatio Dubii. TEmpus crucifixionis Chriſti diverſimodè ab Evangeliſtis videtur narrari: Joan. 19. 14. *Pilatus* ſedit in tribunali circa horam ſextam, Marc. 15. 25. horâ tertiâ Chriſtus dicitur crucifixus, & verſu 33. horâ ſextâ factæ ſunt tenebræ ſuper totam terram uſque ad nonam, Lucæ 23. 44. hora circiter ſexta factæ ſunt tenebræ. Matt. 27. 45. ab hora ſexta tenebræ fuerunt ad nonam. Varias hic *Maldonatus*, *Zuarez*, & alii quæſtiones movent, ſed præcipua, quam nos ſolam intendimus, eſt una: Qui Chriſtus crucifixus eſt hora tertia, & tamen ad crucem condemnatus eſt non ante ſextam? Quidam levi brachio hanc quæſtionem ut facilem perſtringunt, ſed alii tam veteres quam recentiores, ſatis arduam profitentur. *De Dieu* affirmat difficillimam. De locorum dictorum conciliatione varias invenio ſententias, ex omnibus communiſſimam, ut ſoleo, amplector.

Solutiones Auguſtini modeſte refutantur. Opinantium hîc agmen ducit *Auguſtinus*; is in prolixo illo cap. 13. lib. 3. de conſenſu Evangeliſtarum in dubii hujus ſolutione valdè laborat: duas ſolutiones affert, priorē ex ſua mente; poſteriorem ex aliorum, quam tamen ipſe ſatis approbat, etſi cum modeſtia, ut ſe profiteatur paratum accipere à quovis tertiam, ſiquis meliorem utraque ſua poſſit afferre: utramque etiam proponit tract. in Joan. 117. ſed in Pſal. 63. nobis 64. ver. 3. tantùm priorem; ſicut hæc ſola etiam affertur lib. 65. quæſtionum quæſ. 15. & libro quæſtionum V. ac N. Teſtamenti quæſt. 65. Duo quidem hi libri *Auguſtini* non ſunt, nam continent multa non tantùm contra expreſſam Scripturam, ſed etiam contra ipſum *Auguſtinum*, etſi à *Suarezio* & aliis ut genuina *Auguſtini* ſcripta citentur.

Prior ſolutio hæc eſt, *Marcum* loqui de crucifixione Chriſti per Judæorum linguas, *Joannem* & reliquos Evangeliſtas de crucifixione Chriſti per Romanorum manus; priorem factam horâ tertiâ tribus horis poſt ortum & tribus ante meridiem cum Judæi clamarent; *crucifige, crucifige*; poſteriorem in meridie, cùm *Pilatus* traderet Chriſtum militibus crucifigendum.

Altera ſolutio eſt, *Joannem* intelligi poſſe de ſextâ horâ, non diei ſed παρασκευῆς; παρασκευὴν autem incepiſſe ab horâ noctis nonâ, tribus ſcilicet ante ortum horis, cum in domo *Cajaphæ* Chriſtus à Sacerdotibus blaſphemiæ, morte dignæ damnaretur: ab hac nonâ noctis ad diei tertiam ſex erant horæ, ita ut *Joannis* ſexta παρασκευῆς eadem fuerit cum *Marci* tertiâ diei. *Thomas Aquinas* utramque hanc *Auguſtini* ſolutionem adducit in parte tertiâ ſummæ quæſt. 46. ſecundo ad ſecundum; item in Catenâ ad Matth. 27. 25. ſine omni ſuo diſſenſu: quo minùs decuit *Maldonatum* & alios tam ex Pontificiis quàm Proteſtantibus iſtas rejicere cum faſtidio. Equidem utramque puto rejiciendam, ſed neutram indignabunde & cum ſtomacho, cum utraque probabilior ſit variis aliorum tam priorum quàm poſteriorum commentis.

Cur prior non placeat hæ ſunt rationes. Primò. Crucifixio de quâ Marcus 15. 25. eſt vera & realis per manus Romanorum militum, quia de hac ſolâ *Marcus* loquitur verſibus antecedentibus, nequaquam verò de crucifixione metaphoricâ per linguam. Secundò. Judæorum conſilia & vehementia deſideria, ac furioſæ conſpirationes de morte Chriſti diu præceſſerunt horam *Marci* tertiam. Tertiò. Judæorum petitio de Chriſto crucifigendo non poteſt dici Chriſti crucifixio, antequam *Pilatus* de eo crucifigendo ſententiam tuliſſet, inprimis cùm adhuc *Pilatus* ejus crucifixioni adverſaretur.

Poſterior diſplicet. Primò. Quia παρασκευὴ ſtricta Paſchatis incipiebat à nonâ diei tribus horis ante occaſum & ante veſperam in quâ comedebatur Paſcha: latè verò ſumpta incipiebat à primâ horâ iſtius diei cum oriebatur ſol; nulla autem Scriptura, nec ulla ratio παρασκευὴν inchoat ab horâ nonâ nocturnâ. Secundò. Nemo παρασκευῇ quovis modo ſumptæ tribuit plures horas quàm duodecim, hæc autem ſolutio ei dat quindecim, tres noctis & duodecim diei. Tertiò. Nulla ratio eſt cur præparationem ad mortem Chriſti aſſignemus nonæ iſtius noctis (de quâ horâ nihil loquitur Scriptura) potius quàm horis prioribus, in quibus Scriptura disertè ponit Chriſti apprehenſionem, proditionem, ultimam cœnam, & alios actus præparatorios ad ejus mortem. Quarto. Supponit hæc ſolutio Chriſtum pependiſſe in cruce horis ſex, à tertiâ ad nonam, cum tamen *Joannes* & alii Evangeliſtæ dent cruci tres tantùm horas, ut infra videbimus.

Sententia ſecunda vult *Marci* textum à librariis corruptum, quaſi quod Evangeliſta ſcripſiſſet horâ ſextâ per figuram ϛ. quam ἐπίσημον vocant, id ob ſimilitudinem decepti librarii tranſtuliſſent in Γ notam numeri tertii. *Hieronymus* hæc eſt ſententia in Pſalmi 77. initio, quem ſequitur *Cajetanus* in Mar. 15. 25. & *Sixtus* Senenſis Biblio. 6. annot. 131. Biblia Æthiopica *Sententia ſecunda Hieronymi & Bezæ refutatur.*

thiopica hanc lectionem ſequuntur, in iis enim apud *Marcum* habetur horâ ſextâ. *Aquinas* locis ſupra citatis, hanc ſententiam affert abſque ullo diſplicentiæ ſigno. *Theophylactus* in Joan. 19. ℣. 14. eâdem vadit viâ niſi quod errorem transferat à textu *Marci* ad textum *Ioannis*, apud quem genuinam lectionem vult horâ tertiâ non ſextâ. *Theodorus Beza* in *Marcum* vocat hanc ſolutionem violentam, nihilominus eam haberi dicit, tam in *Camerarii* quàm ſuo vetuſtiſſimo manuſcripto, eamque Poëtam *Nonnum* ſequi, imò verò in Joan. 19. ℣. 14. ipſe lectionem hanc rectam affirmat. *Gerardus* in harmoniâ paſſionis cap. 11. adducit *Petrum Alexandrinum* affirmantem *Ioannis* Evangelium ipſius manu exaratum, quod in Eccleſiâ Epheſinâ ſuis diebus aſſervabatur, legere horâ tertiâ, non ſextâ.

Sententia hæc à cæteris, ut arbitror, omnibus tam Pontificiis quàm Proteſtantibus rejicitur, ut quæ nimis latam portam temerariis ingenii pandat corrigendi Sacras Scripturas. *Hieronymi* in Pſalmos commentarii ex *Pii* quinti ſententia à *Mariano Victorino* ſicut ipſe in præfatione narrat, rejecti ſunt in volumen ultimum ut dubii ſi non ſuppoſititii. *Bellarminus* fatetur in plurimis à falſariis corruptos. Certè *Hieronymus* in Commentariis ad *Matthæum* & *Marcum* nihil habet ſimile. Profectò *Auguſtinus* qui toties & tam prolixè quæſtionem hanc pertractat non prætermiſſet *Hieronymum*, ſiquid tale in ejus ſcriptis legiſſet. Quod *Petri Alexandrini* nomine citatur, mera videtur fabula; quis enim ejus diebus *Joannis* autographum extitiſſe credat?

Quod ad rem ipſam attinet, ſi vera eſſet quæ dicitur *Hieronymi* mens, legendum ſcilicet in *Marco* horâ ſextâ, nullum remaneret dubium, & hâc lectione omnis Evangeliſtarum ἐναντιοφανία tolleretur, ſed omnium tam impreſſorum quàm manuſcriptorum *Marci* exemplarium fides contradicit huic ſacri textûs mutationi, nec rem tantam Æthiopicus, qui nuper prodiit, interpres, ſua unius auctoritate valet ſuſtinere, neque major eſt *Theophylacti* ejuſque ſequacium contra alios omnes auctores: imò vero licet eorum textus apud *Ioannem* largiremur correctionem, nequaquam inde dubium ſolveretur, ſed potius augeretur, cum *Marco Ioannes* jungeretur contra *Matthæum* & *Lucam*, his horâ ſextâ, illis tertiâ crucifixum Dominum affirmantibus. Omitto quòd correctio hæc à *Theophylacto* recitata ipſi repugnet, nam is in Matt. 27. 45. Chriſtum vult affixum cruci horâ ſextâ meridianâ, fateor ob infirmam & falſam rationem, quod ſcilicet eâdem horâ & die electi Chriſti cruce redimendi eſſent, quibus *Adam* in Paradiſo peccavit. *Adam* autem in Paradiſo peccavit die ſexto hebdomadis, eodem ſcilicet quo creatus fuit, idque in ejus diei meridie; quia meridies & hora diei ſexta eſt tempus ordinarium comedendi. Scopæ hæ ſunt admodum diſſolutæ, & argumenta futiliſſima refutatu indigna, etſi *Cornelius à Lapide*, aliique Pontificiorum, hæc ut pulchra myſteria amplectantur.

Theophylacti argumentatio laxa.

Tertia ſententia eſt *Ioannis Piſcatoris*, qui *Ioannem* vult loqui more Romanorum, *Marcum* verò more Judæorum, Judæos autem numeraſſe horas diei artificialis ab ortu ſolis, Romanos à media nocte, ſextam autem à media nocte contigiſſe in tertia ab ortu ſolis, qui in Judæa tum oriebatur horâ quartâ matutinâ. Hæc *Piſcatoris* ſententia non placet, etſi multi viri doctiſſimi paulò aliter atque aliter explicatam approbent: nimirum *de Dieu* in Marc. 15. 25. Annotatores Belgici in Joan. 19. ℣. 14. Annotatores Anglicani ultimi in Luc. 23. 44. *Eraſmus* in Matth. 27. 45. & alii. In ea hæc culpo. 1. Primò. *Piſcator* ſupponit ortum ſolem in Judæa tempore Paſchatis horâ quartâ matutinâ, hoc eſt manifeſtè falſum: nam in æquinoctio, quod in Judæa cum Paſchate coincidebat, ſol nunquam oriebatur ante horam ſextam matutinam.

In tertiâ Piſcatoris ſententiâ culpantur.

2. Secundò. Suppoſito Solem ortum horâ quartâ, & tam multò mane Chriſtum apud *Pilatum* accuſatum, & poſt duarum horarum actionem, horâ ſcilicet ſextâ ſeu tertiâ poſt ortum ſolis, ut habet *Marcus*, condemnatum & crucifixum, ſequetetur Chriſtum non ſex tantùm horis pependiſſe in cruce, ſed totis novem, quod non tantùm aliis omnibus Chriſtianis contradicit, ſed ipſi etiam *Piſcatori*, qui ad Marc. 15. 25. Chriſtum affirmat ſex tantùm horis cruci affixum.

3. Tertiò. Qui corrigunt *Piſcatorem* in 19. Joannis, & Chriſtum paſſum volunt horâ tertiâ ſeu nonâ matutinâ, ita ut ſex horis in cruce pependerit, non ſolvunt dubium præ manibus, quomodò *Ioannis* hora ſexta Romana, ut volunt, coincidat cum *Marci* tertia Judaica, hæc enim Romanis nona non ſexta fuit, niſi ſecundum *Piſcatoris* ſuperiorem expoſitionem neceſſariò rejiciendam.

4. Quartò. Emendatores ſententiæ Piſcatorianæ efficient *Ioannis* ſextam antecedere Marci tertiam horis integris tribus, quod tanta eſt difficultas, acſi Marci tertiam totidem horis ſequeretur.

5. Quintò. Omnes in hac ſententia Chriſtum volunt pependiſſe in cruce horis ſex, à tertia ad nonam, hoc autem etſi quidam ex antiquis affirment, prout eos citat *Suarez* in tertiam Thomæ quæſt. 50. art. 6. plerique tamen omnes Patres, & recentiores tam Proteſtantes quàm Pontificii tres tantum horas aſſignant Chriſto in cruce ab hora ſexta in nonam, prout *Ioannis* locus præ manibus 19. ℣. 14. extorquere videtur; nam hora quaſi ſexta *Pilatus* nondum tulerat ſententiam, ergo certum ante eam horam Chriſtum non crucifixum. Præterea tenebræ quæ non ſunt obortæ ante horam

horam

horam ſextam meridianam factæ ſunt mox ab affixo cruci Chriſto, ratio enim earum communis eſt, quod ſol radios ſuos divino miraculo retraheret à conſpiciendo ſummo quod unquam in terris fuit ſcelere; non teneret hæc ratio ſi tribus totis horis à tertia ad ſextam ſol pendentem in cruce Chriſtum aſpexiſſet, & miſeris mortalibus ut hoc horribile ſpectaculum intuerentur lucem tamdiu præbuiſſet.

6. Sextò. Fundamentum totius hujus ſententiæ non eſt firmum, ſcilicet Joannem 20. 19. loqui de diebus & horis more Romano, eo quòd veſperam etiam ſeram referat ad diem præcedentem non ſequentem, contra morem Judæorum; qui veſperam faciebant antecedere diem non ſequi. *Reſp.* Licet ſemel aut iterum *Joannes* in diebus & horis ſequutus fuiſſet Romanum morem, non inde probatur, cum ſemper aut plerunque aut loco noſtro controverſo id facere, ubi *Matthæus* & *Lucas* qui non prætenduntur ſequi Romanum morem, clarè cum Joanne paſſionem Chriſti incipiunt ab hora ſexta. Prætereà tam Judæorum quàm Romanorum mos fuit aliquando referre noctes ad diem præcedentem non ſequentem: certè in celeberrimo die Paſchatis mactandi inter duas veſperas diei decimiquarti Niſan, utraque veſpera non ad diem decimumquintum quem inchoabant, ſed decimumquartum quem claudebant, referebatur.

Septimò. Vir doctiſſimus *Guilielmus Eſtius* aliter hanc ſententiam explicat in Matt. 27. 5. & Marc. 15. 25. Vult is, & ſæpè repetit, ſolem in Italia tribus horis ſeriùs quàm in Judæa oriri, itaque cùm in Italiâ, ubi *Marcus* ſuum Evangelium ſcribebat, hora eſſet tertia, in Judæa ubi Chriſtus paſſus eſt, hora fuit ſexta, ſcilicet meridies; magna certè viri docti hîc

Eſtii inconſiderantia. eſt inconſiderantia. Eſto tribus horis in Italiâ ſol ſeriùs oriatur quàm in Judæâ, quod tamen verum non eſt, niſi ſemicirculi ab ortu in occaſum integra quarta pars detur intervallo quod eſt inter Judæam & Italiam. Certè gradus longitudinis ab ortu uſque Hieroſolymam quadruplicabunt eos, qui numerantur Hieroſolymis Romam: ſed hoc omiſſo concluſio omnino contradicit argumento, nam ſi ſol tribus horis ſerius oriatur in Italiâ quàm Judæâ, tum hora ſexta ſeu meridies in Italiâ non erit hora tertia pomeridiana, ut loquitur *Eſtius*, in Iudæa, ſed tertia antemeridiana, quam quidem putâſſem fuiſſe *Eſtii* mentem, niſi ſæpius aliter ſcripſiſſet. Utcunque, ne ſic quidem dubium tolleretur: eſto *Ioannis* ſexta Hieroſolymis fuerit tertia pomeridiana Romæ, cur tamen *Marcus* narrans quod accidit Hieroſolymis afferret horas Romanas directas ad horizontem non Iudææ ſed Italiæ? Certè præter multa alia abſurda hinc ſequeretur Chriſtum ſecundum *Marcum* non expirâſſe ante horam diei Iudaici duodecimam, & Romani ſextam nocturnam, nimirum non ante occaſum ſolis, imò ſi ſex horis in cruce pependit, & horâ tertiâ pomeridianâ affixus eſt cruci, non eſt inde depoſitus niſi tribus horis poſt ſolis occaſum, & licet tribus tantùm horis in cruce moratus eſſet, tamen non ante occaſum & noctem, imò non niſi poſt occaſum à cruce depoſitus eſſet, adeoque intra limites ſabbati ſepultus eſt, nec tertio ſed ſecundo die reſurrexit, quæ omnia ſunt contra Chriſtianam fidem.

Sententia quarta eſt eorum qui horam tertiam interpretantur non de crucifixione, ſed de diviſione veſtium verſu ſuperiore notatâ, quaſi illâ facta fuiſſet tertiâ horâ poſt crucifixionem. *De Dieu* hanc ſententiam innuit quaſi interpretis Arabici, ſed temerè, nam Arabs & etiam Syrus non hîc diſcedunt à Græco ϗ per ו vertentes: Fateor Perſam rectæ ſuæ interpretationi [& cùm eum in crucem egiſſent in horâ tertiâ] addere malam mantiſſam [poſtquam eum in crucem ſuſpendiſſent] quæ partim eſt tautologia, partim corrupta paraphraſis; utcunque *de Dieu* hanc ſententiam ex profeſſo rejicit. *Heinſius* tamen in Marci 15. 25. eam mordicùs amplectitur, & fusè conatur probare cum acerbitate, vulgarem & veram ſententiam ut argutias rejiciens. Sententiam hanc *Suarez* dicto loco oppugnat in *Marcello* Monacho Romano doctiſſimo, ex quo eam ſumpſiſſe potuit *Heinſius* licet diſſimulet. Non hîc probo *Balduinum*, *VValeum* qui in dubii hujus ſolutione aliquando *Grotii* verbis ſententiam communem & veram affert, alibi tamen verba *de Dieu* & *Heinſii* adducit tam veritati quàm ſibi invicem repugnantia, ſine ullo diſplicentiæ ſigno.

Sententia quarta Heinſii rejicitur.

Contra *Heinſii* ſententiam ſic arguo primò. Hoc ſolo verſu *Marcus* notat tempus crucifixionis; Ergo ſi tempus hîc referatur non ad crucifixionem ſed diviſionem veſtium, tum quo tempore Chriſtus eſt crucifixus omninò præterit *Marcus*, cum tamen notet tempus actionis multò minùs notabilis. *Quia* 1.

Secundò. *Matthæus* diviſionem veſtium ſubjungit immediatè crucifixioni 27. 35. Idem facit Lucas 23. 34. & Joannes 19. 23. imò & ipſe Marcus 15. 24. Ergo non ſibi & cæteris omnibus contradicit differendo diviſionem veſtium in tres integras horas poſt crucifixionem. 2.

Tertiò. Diviſæ ſunt veſtes ſecundum *Matthei*, *Marci*, & *Lucæ* relationes ante obortum tenebrarum: Atqui ſi tenebræ (nedum actiones ante tenebras) non ſunt obortæ totis tribus horis poſt crucifixionem, tum Chriſtus pependiſſet in cruce diutiùs ſex horis. 3.

Quartò. Unicum *Heinſii* fundamentum eſt hebraiſmus in conjunctione ϗ quam hîc vult ſignificare μετὰ poſt, ſicut frequenter, inquit, Hebraica conjunctio ו exponitur in Vet. Teſtamento. Hebraiſmum hunc non probat *Heinſius* vel uno exemplo quòd ſcilicet LXX Interpre- 4.

terpretes unquam conjunctionem ו tranſtulerint per μετὰ: fateor res conjunctione connexas ſatis frequenter accidere poſt illas quibus annexæ ſunt, non tamen hoc fit per Hebraiſmum, aut ullam virtutem particulæ ו. Locus quem inprimis premit *Heinſius* Joſ.7.25. poſtquam lapidaſſent eum, non facit ad rem. Nam primò Græci Interpretes verbum Hebraicum וַיִּסְקְלוּ non transferunt μετὰ τὸ λιθοβολῆσαι, quod *Heinſio* fuit probandum, ſed verba illa ut eadem cum præcedentibus omninò omittunt; ſicut etiam facit Latinus Interpres & Syrus: verum eſt Chaldæum Paraphraſten transferre illic ו per בָּתַר poſt, ſed nullâ neceſſitate, nam Interpres Arabs & verſio vetus Anglicana ac nova Belgica retinent conjunctionem *&*, licet nova Anglicana & Italica eam vertant *poſt*. Sed demus hoc loco *Joſuæ* neceſſario ſic vertendum, cùm tamen vicies millies & multò ſæpius ו vertatur per *&*, quid hic unicus locus ad textum præ manibus? quem nullus in ulla lingua interpres, vetus, novus, vertit per poſt, ſi unicum Æthiopicum excipias; quem vidiſſe non videtur *Heinſius*, aliàs proculdubio citaſſet. Utcunque nullus adferri poteſt textus, ubi in uno verſiculo ſuis punctis circumcluſo determinatum tempus certæ actioni applicatur per conjunctionem copulativam: in quo iſtud idem tempus ab ea actione ſeparandum eſt, & ad aliam referendum, minimeque omnium verum hoc eſt in verbis noſtris; nam apertè hic *Heinſius* fatetur diviſionem veſtium ad nullum certum tempus aſtringi. Concludimus ergo, non ad horam tertiam poſt crucifixionem. Ergo vana eſt & evanuit, ipſo fatente, tota *Heinſii* diſputatio.

Quinta Calvini ſententia confirmatur.

Reſtat quinta & ultima ſententia *Calvini*, *Bezæ*, *Gualteri*, *Parei*, *Rolloci*, *Gerardi*, *Deodati*, & aliorum Proteſtantium: *Janſenii*, *Maldonati*, *Feri*, *Baronii*, de *Valentiâ*, *Suarezii*, & fere omnium Pontificiorum, locos ſcilicet conciliandos gemina diſtinctione. Prior eſt, aliter Iudæos, aliter Romanos dierum & noctium horas numeraſſe. Romani incipiebant diem à media nocte, & inde ad mediam noctem numerabant horas viginti quatuor, vel ob faciliorem uſum diſtinguebant diem naturalem in duas duodecimas, ſicut & nos hodie; priorem horam primam numerantes à media nocte, poſteriorem à meridie. Iudæi verò incipiebant ſuum diem ab occaſu ſolis, & inde ad proximum occaſum numerabant horas viginti quatuor; & etiam ſicut Romani ob faciliorem uſum dividebant totum ſuum naturalem diem ſeu νυχθήμερον in binas duodecimas, quarum priorem primam numerabant ab occaſu, & priorem duodecimam ponebant in ortu, ſicut poſteriorem primam numerabant ab ortu, & poſteriorem duodecimam ponebant in occaſu. Iſta omnes concedunt, ac facilè probantur ex Mat. 20. ubi poſterior pars νυχθημέρου dividitur expreſsè in duodecim horas diurnas. Ex his patet Romanam noſtramque horam ſextam matutinam reſpondere Judæorum horæ primæ diurnæ, & Judæorum tertiam diurnam reſpondere noſtræ ac Romanorum nonæ matutinæ, Judæorumque ſextam diurnam noſtræ duodecimæ, ac nonam noſtræ tertiæ pomeridianæ, & duodecimam noſtræ ſextæ veſpertinæ. Etſi autem in Iudæâ nulli in anno dies ſtrictè loquendo erant Æquinoctiales præter duos; tam enim illis quam nobis ſphæra eſt obliqua: tamen quia ipſis multò minor erat elevatio poli quàm nobis, & propiùs multò quàm nos illi accedebant ad ſphæram rectam, & in æſtate eorum dies noſtris erant breviores ac in hyeme longiores; hinc factum ut toto anno eorum dies artificialis faciliùs conjiceretur quàm noſter in duodecim horas, non quidem ſemper æquales, ſed paulò longiores æſtate, ac breviores hyeme.

Collatio dierum & horarum Iudaicarum cum Romanis.

Major, imò tota difficultas eſt in diſtinctione ſecundâ. Dividebant Judæi ſuos dies non tantum ut ſuprà, ſed etiam duodecim horas tam noctis quàm diei ſubdividebant in quatuor quadrantes, quorum quilibet tres continebat horas; quadrantes hos noctis vocabant vigilias: quòd autem nox in quatuor divideretur vigilias, variis Scripturæ locis patet, Lucæ 12. 38. legimus de vigilia ſecundâ & tertiâ. Mat. 14. 15. legimus de vigiliâ quartâ. Pſal. 63. 6. de noctis vigiliis in genere. Quadrantes diei non tam diſtinctè apparent in Scriptura, rectè tamen colligi poſſunt ex proportione diei ad noctem; imò verò diſtinctè nominantur ferè omnes quadrantes diei in diverſis Scripturis; certè tertia, ſexta, & nona hora, ut tempora ad preces & ſacrificia deſtinata multoties memorantur, imò ex eo publico uſu in aliis privatis negotiis communiter uſurpabantur, ut videre eſt Mat. 20. & alibi; neque tantùm apud Judæos, ſed & ipſos Romanos dividebantur dies in quatuor quadrantes, ut Centuriatores Magdeburgici centur. 1. lib. 1. probant, & poſt eos *Baronius* ex Cenſorino; utrum verò quadrantes illi denominentur ab eorum primâ an ultimâ, non putamus operæ pretium controvertere, nimirum an primus quadrans denominetur ab hora ſua prima, ut plerique, an à tertiâ ut *Baronius*, & alii pauci, parum refert, modò illa ſeu prima ſeu ultima contineat totum quadrantem.

Diſtinctio quadrantium tam in diebus quàm noctibus.

His poſitis, ſolutio quæſtionis evadit ſatis clara & facilis. Chriſtum dici crucifixum à *Marco* horâ tertiâ, quia crucifixus eſt intra ſpatium iſtius quadrantis, qui à tertia denominatur: deinde dici crucifixum à *Joanne* & reliquis horâ ſextâ, aut horâ ferè ſexta, quia quadrantis illius ſecundi ſexta fuit alterum extremum, ita ut actiones intra tertiam & ſextam peractæ, dicerentur peragi vel tertiâ vel ſextâ, denominatæ ſcilicet ab utrolibet extremo, pro loquentium arbitrio.

Reſpondetur ad objectionem primam.

Contra hanc ſententiam primariæ objectiones ſunt dnæ. Prima. Diviſio diei per quadrantes aſſeritur, ſed nonprobatur. Reſp. probatio hujus aſſerti eſt melior, quàm ulla; quæ pro prioribus ſententiis affertur: conſequentia, à diviſione noctis in quadrantes, ad diviſionem diei in eoſdem, eſt bona: inprimis cùm quatuor quadrantum diei principia penè omnia in ſacris literis memorentur, nimirum hora tertia, ſexta, nona. Ex his tribus quarta ſponte ſequitur, ſeu primam ſeu duodecimam nominaveris.

Etiam ad 2.

Secundò objicinır, ſupponere ſententiam hanc Chriſtum crucifixum horâ circiter ſexta, & tenebras etiam obortas circa eandem horam, tot autem Scriptura narrat inter Chriſti crucifixionem, ſaltem inter ſententiam *Pilati* de Chriſto crucifigendo & obortum tenebrarum, ut peragi tam pauxillo ſpatio potuiſſe non videantur. Reſp. Dura & gravis eſt hæc objectio, reſpondemus tamen Scripturam & optimos auctores non intelligendos ſæpè in Mathematico rigore, ſed laxiùs ſecundum uſum civilem & politicum, inprimis ubi molliens particula quaſi expreſsè adjungitur tempori; omnia itaque dici poſſe acta hora ſexta, quæ inter terminos, principium ſcilicet & finem iſtius horæ ſunt facta: & omnia hora quaſi ſexta fieri dicenda ſunt, quæ horæ dimidio ante vel poſt ſextam peracta ſunt. Jam verò in ſeſquihora multæ actiones peragi potuerunt, inprimis à viris furore & malitiâ plenis; qui omni vi, omni arte, Chriſti exitium deproperabant & præcipitabant. Prolixæ iſtæ inter Jndæos, *Pilatum*, ac Chriſtum diſceptationes: flagellatio, coronatio, miſſio ad *Herodem*, ablutio manuum *Pilati*, & alia multa in hiſtoriâ paſſionis memorata peracta ſunt, antequam *Pilatus* ultimum in tribunali ſedit, horâ quaſi ſexta: iter autem in Golgotha, & omnia quæ in viâ contigerunt, & ipſa crucifixio ac diviſio veſtium, & alia complura horâ, ac ſemiſſe potuerunt facilè peragi; & cætera vel in tribus horis tenebrarum, vel eo poſt tenebras tempore, quo Chriſtus vixit, acta ſunt.

Areopagitæ fabula de tenebris tempore crucis.

Престереà tenebræ iſtæ non videntur uſque adeò craſſæ & palpabiles ac Ægyptiacæ, in quibus nihil quicquam potuit moveri, ſed tales potius in quibns Dominus potuerit alloqni cùm latrones, tum matrem ac *Ioannem*, quin etiam aſtantes ipſum alloqui, illique illudere potuerint, ſive *Origenis*, ſive *Hieronymi*, ſive *Areopagitæ* de illis tenebris ſententiam acceptemus. Sen enim craſſæ nubes, cum *Origine*, ſolem caligine involverint, cum *Hieronymo* ipſe ſol ſuos radios retraxerit, ſeu cum *Dionyſio* luna accurrens totalem ſolis eclipſin effecerit, non tamen neceſſe fuit, nec ullum novi, qui affirmet tantam fuiſſe obſcuritatem, quin dicta omniâ potuerint in eâ peragi: etſi modus tenebrarum *Dionyſianus* valdè fabuloſus videatur. Quid enim attinet multiplicare miracula abſque neceſſitate, ut prope in momento ab ortn advolaret plena luna in meridiem, & ibi in alio momento ſe collocaret in Eclipticâ directè ſub ſole, ut ejus totam faciem obſcuraret; deinde in eodem ſtatu ad trihorium conſiſteret; quartò, ut pariter in momento retrocederet ad priorem in ortu ſtationem? Horum unumqnodque tantum fuiſſet miraculum, quantum ipſæ tenebræ: & licet de iis Scriptura altè ſileat, *Dionyſius* tamen ſcribit omnia ſuis ſe oculis ſpectâſſe. Benè habet quòd *Origenes*, *Hieronymus*, & alii prioribus ſeculis viri docti de ſuppoſititiis iſtis fabulis nihil quicquam inaudiverint. Certè non debuit *VVardus* noſter in quæſtionibus ſuis ad Matt. 27. iſtas Pſeudoareopagitæ lberas nænias, quarum ipſos Pontificios pudet, approbare.

QUÆSTIO XV.

De numero Paſchatum à Baptiſmo ad mortem Chriſti.

Quæſtionis momentum.

INter omnes Chronologos antiquos, novos, celebris eſt hæc quæſtio, inter pleroſque etiam Evangelii interpretes; ajo pleroſque, nam fateor ea eſt aliquorum prudentia, ut quos ſolvere nequeunt nodos intactos & innominatos tranſiliant. Quæſtio etiam eſt magni momenti; nam ab eâ pendet certa determinatio annorum Chriſti in terris: imò prout ea ſolvitur totius ſacræ Chronologiæ corpus hâc ex parte, vel rectè compingitur, vel pravè luxatur unius, duorum, aut plurium annorum neceſſariâ additione; vel non minùs neceſſariâ detractione. Tale autem eſt Chronologiæ corpus ut ejus omnes artus ita arctè cohæreant per Aſtronomicos & Chronologicos circulos, ut ſi in diebus nedum annis ſit error aut variatio, tota facies cœli, totaque compages temporum alteretur.

Prima ſententia Irenæi rejicitur.

Quinque hic ſunt principes ſententiæ. Prima eſt *Irenæi* adverſus hæreſes lib. 2. cap. 39. aſcribentis Chriſto annos quadraginta ſex aut quinquaginta, ponentis tamen Baptiſmum in anno triceſimo, prout habet Evangeliſta: cum itaque poſt Baptiſmum viginti aut ſedecim minimum annos Domino attribuit, neceſſe eſt, ut tnt Paſchata poſt Baptiſmum numeranda cenſuerit. *Auguſtinus* & alii ſententiam hanc refutantes videntur eam aſcribere plnribus quam *Irenæo*, nullum tamen nominatim lego præter *Irenæum*, qui eam defenderit. Certè repugnat manifeſtis ſcripturis, nam crucifixus eſt Dominus ſub *Pontio Pilato* imperante *Tiberio*, cujus anno decimoquinto baptizatus erat Dominus. Si autem mortuus non fuiſſet ante quinquageſimum aut quadrageſimum ſextum, oportet ut fuerit paſſus diu poſt revocatum ex Judæâ *Pilatum*, & mortuum *Tiberium*; nam *Pilatus* præſidebat Ju-

dææ

dæ non ultra annos duodecim, nec imperavit *Tiberius* ultra viginti tres.

Irenæi rationes ſolvuntur.

1. Rationes quas pro ſe *Irenæus* adfert omninò non ſunt validæ. Prima. Ex eo quòd dixerint Judæi Joan. 8. 57. Nondum quinquaginta annos habes, ſequitur Chriſtum tum temporis propinquum fuiſſe annis quinquaginta. Reſp. Ex hac vulgi ſuppoſitione Chriſtum nondum attigiſſe annum quinquageſimum, nihil ſequitur de propinquitate vel ad quinquageſimum vel ad quadrageſimum, ſed tantùm virum fuiſſe non provectæ ætatis, ut magis appareret abſurdum, quòd *Abrahamo* ſe priorem affirmaverit.

2. Secundum *Irenæi* argumentum. Jeſus omnem ſanctificavit ætatem, infantiam, pueritiam, juventutem, ſenectam, Ergo quinquageſimum annum, à quo ſenecta incipit, ipſe attigit. Reſp. Multa Chriſtus ſanctificavit quæ ipſi in ſuâ perſonâ nunquam contigerunt, omnes morbos, febres, lepras, puerperia, phthiſes, pleureſes, hydropes, & alios innumerabiles ſuis ſanctificavit, omne genus vitæ piis per Chriſtum ſanctificatur, mercatura, militia, artes omnes liberales & illiberales, quas tamen Chriſtus in ſua perſona nunquam exercuit.

3. Tertium argumentum. Chriſtus jure merito ab omnibus Rabbi & Magiſter eſt nuncupatus; Ergo magiſtri habuit ætatem, ætas autem Magiſtri erat annus quinquageſimus aut quadrageſimus. Reſp. Ad ordinarii Doctoris Levitæ, ac Sacerdotis munus exequendum non plures quam triginta annos lex requirebat: ad prophetam qui extra ordinem ad Doctoris & Magiſtri munus vocabatur, nullum tempus certum fixum fuit.

4. Quartum. Viri Apoſtolici qui cum *Ioanne* & aliis Apoſtolis converſati ſunt tantam Chriſti ætatem perhibuerunt. Reſp. Fatemur *Irenæum* cum *Policarpo* aliquandiu in juventute verſatum, & *Policarpum* cum *Joanne* Apoſtolo. Sed ut vel *Joannes* vel *Policarpus*, vel quiſquam alius vir Apoſtolicus, illius traditionis auctor fuerit non eſt concedendum, niſi fortaſſe *Papias* aut ſimilis quis ingenii ſimplicioris vir intelligatur, ad fabulas veris hiſtoriis miſcendas proclivior.

Irenæum Baronius fruſtra excuſat.

Certè *Baronio* eo uſque ſententia hæc *Irenæi* diſplicet, ut eam à veteribus hæreticis *Irenæi* ſcriptis infartam affirmet; hoc inprimis argumento, quòd ibidem *Irenæus* affirmet Chriſtum anno triceſimo baptizatum, & tertio exinde Paſchate crucifixum, quæ ſtare non poſſunt vel cum quinquageſimo vel quadrageſimo ejus anno. Ego quidem libenter cenſuram hancce *Baronii* admitterem, ſed præterquam quòd *Feuardentius*, *Maldonatus*, *Janſenius*, cæterique omnes docti tam Pontificii quàm Proteſtantes errorem hunc non falſariis, ſed ipſi *Irenæo* imputent: additio hæc (ut vult *Baronius*) hæreticorum non tantùm in fine capitis 39. adjungitur, ſed etiam in penè toto cap. 40. prolixè ex ſacris literis defenditur.

Feuardentius Petavio inſolentior.

Dum hac de re in ſuâ ad *Irenæum* præfatione *Feuardentius* monachus agit, evomit in totam Proteſtantium nationem verbis contumelioſiſſimis plenos congios bilis, quaſi contemptores, irriſores, & conculcatores Patrum. Profectò neminem novi virum doctum in noſtra communione qui non tantâ quam quivis Pontificiorum cum reverentiâ Patribus aſſurgat: quandocunque autem in ipſis nævos reperiunt, in iis corrigendis non aliam ſequuntur regulam quam ipſi Jeſuitæ approbant & præſcribunt: hæc enim *Petavii* in hac ipſa quæſtione ſunt verba ad *Epiphanii* hæreſ. 51. Alogorum pag. 205. Multa ſunt »
à ſanctiſſimis Patribus nonnumquam parum »
verè attenteque ſcripta, quæ quidem præſtare »
re velle, religioſi fortaſſe ſed parum pruden- »
tis eſſe arbitror, vehementius autem exagitare, »
neque religioſi neque prudentis: nos eâ quâ »
par eſt moderatione, in divinorum homi- »
num (ſed hominum) errores ac lapſus non tam »
inquirimus, quàm oblatos ultro ac vel invi- »
tis occurrentes, ne cui fraudi ſint, patefacimus, »
tueri autem atque defendere nihil magis quàm »
eorum vitia (ſi quæ fuerint) imitari debemus. »

Sententia ſecunda Tertulliani unum tantum Paſcha Chriſto Aſcribens poſt baptiſmum repudiatur.

Sententia prima peccavit in exceſſu, ſecundæ peccatum eſt in defectu. *Tertullianus*, *Clemens Alexandrinus*, *Lactantius*, *Tatianus*, *Julius Africanus* apud Hieronymum in Dan. 9. *Auguſtinus*, & alii multi Patrum, unum tantum annum inter baptiſmum & mortem numerant. Sententia hæc expreſſis *Joannis* Evangeliſtæ locis repugnat, ubi tria ſaltem paſchata à baptiſmo ad crucem diſertis verbis leguntur. Diſtinctio *Henrici Philippi* errorem hunc non palliat, quòd ſcilicet auctores hi indefinitè numerum triceſimum quaſi rotundum accipiant, non negantes in accurato calculo eum ad aliquas annorum excreſcentias extendi poſſe. Quòd hæc ipſorum mens non fuerit, & quòd à baptiſmo ad mortem, unicum tantùm ſine ulla extenſione annum agnoverint, argumentum quod ex Iſai. 61. 2. afferunt, ſatis manifeſtat, inde enim concludunt Chriſtum prædicaſſe annum Domini acceptabilem, quem *Iſaias* in numero ſingulari, efferens facit tantùm unum. Præterea baptiſma & crucem ſub iiſdem ejuſdem anni Conſulibus [duobus Dominis] dicti auctores volunt contigiſſe. Itaque ficulneum velum eſt omnis hîc diſtinctio, & excuſatio manifeſti erroris fruſtranea eſt.

Tertia Epiphanii de tribus Paſchatibus etiam rejicitur.

Tertia ſententia tria paſchata ſeu duos annos numerat inter baptiſmum & Crucem: hujus auctor eſt *Irenæus*, & poſt eum *Epiphanius*, quos ſequuntur plurimi, *Lyranus Abulenſis*, *Pererius*, *Maldonatus*, *Petavius*: etiam ex noſtris *Calvinus*, *Muſculus*, &

alii. Sequuntur hi *Epiphanium* in numero Paſchatum, ſed non in rationibus iſtius numeri. Concludit hic ex Iſa. 61. 1. prædicaſſe Chriſtum duos annos, alterum acceptabilem, quo omnibus accepta & grata erat Chriſti doctrina; alterum contradictionis, quo Chriſto à Judæis eſt contradictum. Quàm frivola ſit hæc *Epiphanii* argumentatio *Petavius* loco ſuprà citato oſtendit, ubi etiam *Epiphanium* rectè corrigit, dum malè vult colligere duo Paſchata ex Joan. 7. 10. 37. ibi enim agitur de uno tantum feſto non duobus, neque id Paſcha fuit ſed σκηνοπηγία; rectiùs multò *Irenæus* tria Paſchata ſuperſtruit tribus aliis Evangeliſtæ locis, tam expreſſis ut iis non poſſit contradici, nimirum cap. 2. 13. cap. 6. 4. & cap. 13. 1. hîc ſi ſtetiſſet *Irenæus*, nec per apocripham traditionem multos alios poſt baptiſmum annos addidiſſet, de quibus nihil Evangelium, à magno ſe nævo præſtitiſſet immunem. In hac tertia ſententia tantùm culpamus quòd pauciores annos & pauciora Paſchata Chriſto attribuat, quam quæ ex ſcripturis clarè & neceſſariò eliciuntur.

Quarta de quatuor Paſchatibus non ſatisfacit.

Quarta ergo ſententia contra priorem, quatuor Paſchata affirmat, non tria tantùm; hanc ſequitur *Chemnitius*, *Beza*, *Iunius*, *Rollocus*, *Grotius*, Annotatores Belgæ (Anglicani hîc ſunt ambigui, tantùm enim proponunt ſententiam hanc cum priori, nihil ipſi determinantes) *Baronius*, *Ianſenius*, à *Lapide*, *Henricus Philippi*, *Emmanuel Sa*, *Toletus*, *Ferus*, & alii multi ad Joan. 5. v. 1. Hujus ſententiæ primarium fundamentum eſt, præter tria in prioribus *Ioannis* locis expreſſa paſchata, quartum etiam firmâ conſequentiâ evinci ex capite 5. ver. 1. Hoc quidem aſſerit *Irenæus*, ſed, ut rectè notat *Petavius*, non propterea ſtatuit plura quam tria paſchata, eo quòd feſtum cap. 5. confundat cum Paſchate capitis ſexti. In hoc certè errat *Irenæus*, nam nemo dubitat quin hæc ſint duo feſta diverſa, ſed omnis difficultas eſt demonſtrare feſtum capitis quinti fuiſſe paſcha non aliud: prioris enim ſententiæ auctores volunt fuiſſe Pentecoſten, eo quòd ſeqnatur immediatè Paſcha capitis ſecundi. Verumenimvero hoc eſt apertè falſum; nam poſt paſcha cap. 2. ver. 13. nominatim affirmat Chriſtus verſu 35. quatuor adhuc fuiſſe menſes ad meſſem: ultima tritici meſſis prope claudebatur in Pentecoſte, cùm panes ſimilæ Deo offerebantur diebus quinquaginta poſt oblatum manipulum primitiarum in Paſchate; à Paſchate autem ad primam meſſem non erat unus menſis, imò vix unus dies, nam ſecundo die poſt Paſcha offerebatur manipulus hordei, cum quo prima meſſis hordeacea incipiebat, & à Paſchate ad ſecundam tritici meſſem in Pentecoſte non erant duo menſes, nedum quatuor, nam in quinquaginta Pentecoſtes diebus, decem deſunt ad duos menſes, ergo impoſſibile ut hoc feſtum fuerit Pentecoſte poſt primum Paſcha: & ſi dicamus (quod nolunt hujus ſententiæ patroni) fuiſſe Pentecoſten poſt ſecundum Paſcha, evertet hoc tertiam & ſtabiliet quartam ſententiam, non minùs quam ſi feſtum iſtud expreſsè concederetur fuiſſe Paſcha.

Notatur Grotius.

Non omninò hîc capio *Grotii* mentem: vult ille feſtum Joan. 5. 1. intelligendum de Paſchate, quatuor tamen menſes Joan. 4. 35. memoratos, vult numerandos à primo Niſan; certe feſtum quod quatuor menſibus ſequitur primum Niſan eſſe non poteſt neque Paſcha, neque Pentecoſte.

Etiam Cartwrightus.

Cartwrightus, & quidam Pontificii, ut notat *Maldonatus*, feſtum Joan. 5. 1. nominatum volunt σκηνοπηγίαν; hoc autem etiam eſt impoſſibile; nam σκηνοπηγία celebratur menſe Semptembri, ut habemus Levit. 23. 31. September autem antecedebat meſſem primam hordei, minimum menſibus ſeptem, & ſecundam tritici menſibus novem, ita ut primum feſtum quod quarto menſe ante meſſem apud Judæos immediatè ſequutum eſt, nullo modo potuerit eſſe σκηνοπηγία. inter hanc enim & quadrimeſtre ante meſſem intercedebant duo alia feſta, nimirum Paſcha & Pentecoſte.

Et Cajetanus.

Sunt qui affirmant ſciri non poſſe quod fuerit illud feſtum Joan 5. 1. Ita *Cajetanus* & *Gualterus* in locum, qui ſic ſentiunt ad claſſem tertiam referendi ſunt; contra quos pro quartâ ſententiâ jam diſputamus.

Alterum quartæ ſententiæ argumentum eſt Dan. 9. 27. ubi Meſſiæ ante mortem prædicatio Evangelii aſſeritur futura per hebdomadæ dimidium, hoc eſt per annos tres & ſemeſtre, niſi autem ad paſſionem quatuor Paſchata numeres, tantum Meſſiæ miniſterio temporis non dabitur; tria enim Paſchata duos tantùm annos efficiunt, ſed quatuor efficiunt tres & tot menſes, quòd à Baptiſmo ad proximum Paſcha fluxerunt, qui fuere minimum tres ſecundum calculum communem quo Baptiſmus ad Januarii ſextum, & ſequens Paſcha ad Martii viceſimum quintum, vel Aprilis tertium refertur, tres illi anni cum tribus menſibus dimidium hebdomadæ propheticæ annorum expleti etſi non mathematicè & præciſe ad menſem, diem, horam, & momentum, civiliter tamen & politicè, ubi ſecundum vulgarem loquendi modum laxior eſt calculus.

Quinta ſententia de 5. Paſchatibus videtur probabiliſſima

Quarta ſententia hactenus videtur vera, ſed ultra inquiritur. Num præter quatuor plura neceſſe ſit Paſchata agnoſcere, quod quidem affirmant ſententiæ quintæ auctores *Mercator*, *Scaliger*, *Calviſius*, *Cauſabonus*, *Deckerius*, & alii: hanc *Suarezius* fatetur non poſſe convinci falſitatis ex ſacris literis, & *Henricus Philippi* nullam invenit rationem adæquatam cur hæc rejiciatur, quam quòd à communi doctorum ſenſu differat: Sed iſta nulli cordato ſatisfacient, ſi modo ex ſcripturis vera ul-

ra ulla fundamenta hujus ſententiæ afferri poſſint, cujuſmodi hæc quæ ſequuntur afferri ſolent à fautoribus ſententiæ. Primo Luc. 6. 1. σάββατον δευτερόπρωτον eſt primum ſabbatum poſt diem ſecundum Paſchatis, ſeu primum Azymorum, ut ſuprà abundè confirmatum eſt, tam rationibus quàm auctoritatibus, Ergo hoc ſabbatum ſupponit Paſcha immediatè præcedens, illud autem non fuit vel primum Paſcha Joan. 2. 13. vel ſecundum Joan. 5. 1. ergo tertium interjectum inter Joannis 5. 1. & Joannis 6. 4.

Quòd non fuerit primum patet ex eo quod diu poſt primum à Baptiſmo Paſcha, *Ioannes Baptiſta* fuerit liber à carcere, ut Joan. 3. 24. videre eſt, ſed ante illud ſabbatum quo diſcipuli vellicabant ſpicas *Ioannes* fuit in carcere, ut comparanti *Matthei* undecimum ſecundo cum duodecimo primo clarum eſt; neque verò ſabbatum illud erat quod unmediatè ſequutum eſt ſecundum Paſcha *Ioannis*, nam eo ſabbato Chriſtus remanſit Hieroſolymis, ut habemus Joan. 5. 2. & 5. & ſanavit ægrum ad piſcinam *Bethesda*, nec eo die ambulavit cum diſcipulis per ſata, neque verò in Paſchate relinquere potuit Dominus urbem ante illud ſabbatum, quod ſemper interveniebat inter Paſcha & ſeptimum Azymorum, ſeu octavum Paſchatis, quia non niſi finito feſto & peractis omnibus ſeptem diebus Azymorum qui veniebant ad feſtum, illud deſerebant. Ergo veriſimillimum eſt ſabbatum illud, in quo immediatè à Paſchate ante finitum feſtum Jeſus ambulavit per ſata fuiſſe actum in Galilæâ, cùm Jeſus metu Judæorum non aſcendit Hieroſolymam: hoc eſt *Scaligeri* & ſequacium primarium fundamentum cui quintum Paſcha ſuperſtruunt.

Pontificii compelluntur ad quintum Paſcha.

Pontificii plerique etiam cum ſtomacho hoc *Scaligeri*, ſeu potiùs *Mercatoris* inventum rejiciunt, ſed ut ipſorum de quinto Paſchate indignatio comprimatur, meminerint quam plurimos ex ipſorum doctiſſimis neceſſitate, ut videtur, adigi ad numerum hunc agnoſcendum, licet ex alio principio; nam ſi inter Baptiſmum & primum miraculum Canæ, unum Paſcha ponendum eſt, tum agnoſcenda ſunt minimùm quinque paſchata, ſaltem ab omnibus quartæ ſententiæ auctoribus, nam illi omnes quatuor numerant paſchata poſt nuptias Canæ; quod autem inter eas nuptias & Baptiſmum unum Paſcha intervenerit, ſic probamus.

In omni integro anno ſemper eſt unum Paſcha: Atqui à Baptiſmo ad nuptias Canæ erat integer annus ſecundum magnam turbam doctiſſimorum Pontificiorum qui non tantùm hoc affirmant; ſed accipiunt pro publicâ Eccleſiæ fide, eo quod Eccleſia in ſuis liturgiis eodem die Januarii ſcilicet ſexto Chriſti baptiſmum & miraculum in nuptiis celebret, quaſi hoc factum fuiſſet die ipſo anniverſario quo Chriſtus fuit baptizatus. Hic ſenſus eſt *Ruperti*, *Alcuini*, *Bernardi*, *Aquinatis*, *Durandi*, *Cajetani*, *Suarezii*, *Barradii*, *Saliani*, *Mariana*, & aliorum multorum quos citat *Henricus Philippi* in quæſtionibus ſuis de nato & paſſo Chriſto pag. 66. *Baronius*, fateor, & alii ſunt in diverſâ ſententiâ. Sed hi non omninò poſſunt ſalvare per omnia ſua commenta Romanæ Eccleſiæ auctoritatem, quæ populis proponit credendum primum miraculum Chriſti eodem die anniverſario peractum cum Baptiſmo, ſcilicet Januarii ſexto, ſi autem in eo die nihil tale contigit, hoc pacto Eccleſia Romana docebit manifeſtè falſum.

Alio etiam modo evincitur quintum Paſcha. *Deckerus* Jeſuita doctiſſimus Chriſto dat annos in terris triginta quinque, & *Keplerus* Chronologus cum primis doctus triginta ſex: ſecundum iſtorum fundamentum quintum Paſcha erit neceſſarium, & verò nihil eſt quod Jeſuitæ contra *Scaligerum* hîc diſputent priuſquam fratrum & Collegarum ſuorum fundamenta probè everterint.

Reſpondetur ad argumenta Niſbets contra quintum Paſcha. ad 1.

Adfert vir doctus *Niſbetus* noſter lib. ſui pag. 260. contra quintum Paſcha quinque argumenta. Primum, quod vocat infallibile, eſt ab annuis vicibus Pontificum *Annæ* & *Cajaphæ*. Tempore baptiſmi *Annas* fuit ſummus Pontifex Lucæ 3. 2. tempore paſſionis *Cajaphas* fuit ſummus Pontifex Joan. 11. 49. & 18. 13. anno vero inſequenti *Annas* rediit ad Pontificatum Act. 4. 6. hinc apparet *Annam* & *Cajapham* viciſſim adminiſtraſſe Pontificatum, itaq; anno baptiſmi *Annas* & altero anno poſt baptiſmum *Cajaphas*, ac tertio anno iterum *Annas*, quartoque, *Cajaphas*, ac quinto iterum *Annas* Pontifices fuerunt, ergo à baptiſmo ubi *Annas* Pontifex, ad crucem ubi *Cajaphas* Pontifex, eſt intervallum trium aut quatuor, non plurium annorum, adeoque nec plurium Paſchatum. Reſp. licet concederemus *Annam* & *Cajapham* per annuas vices adminiſtraſſe Pontificatum (quod plerique tam Pontificii quam Proteſtantes explodunt ut abſurdum) non tamen eſſet argumentum infallibile. Nam primò qui unum tantum annum Chriſti miniſterio attribuunt per hoc argumentum ſuam ſententiam poſſent confirmare, nam in Euangelio non legimus expreſſum *Annæ* & *Cajaphæ* Pontificatum, niſi in anno baptiſmi & anno crucis. Ergo inter baptiſmum & crucem unius tantùm anni fuit intervallum. Secundo. Qui quinque aut ſex annos miniſterio Domini attribuunt æquè poſſent ad hoc argumentum confugere, nam ut *Niſbetus* *Cajaphæ* Pontificatus in cruce numerat quartam vicem ab *Annæ* Pontificatu in baptiſmo, quidni *Keplerus* ſextam eam vicem appellet: certè non infirmiora arbitratur *Keplerus* ſua argumenta quibus probat ſex annos inter baptiſmum & crucem fluxiſſe, adeoque omiſſas in Evangelio quatuor vices Pontificum quàm

Annas & Cajaphas non erant Pontifices per vices.

Niſbetus ſua quibus probat fluxiſſe quatuor & omiſſas duas vices. Tertiò. Quod Act. 3. 6. vult *Niſbetus* Pontificem *Annam* quaſi tum à *Cajaphâ* ad ipſum rediiſſet Pontificatus, neſcio an ullus alius doctorum hoc affirmet: incipiebat certè annus Judæorum à Niſan menſe, & cum novo anno novæ Pontificum vices, ſi ergo in Paſchate medio ſcilicet menſis Niſan *Cajaphæ* fuerunt vices, ſtatim poſt ejuſdem anni Pentecoſten nondum potuit à *Cajaphâ* ad *Annam* redire Pontificatus. Quartò. Difficultas erit in modo numerandi vices, nam ſi numeres excluſivè, intervallum erit duorum tantùm annorum, ſed ſi incluſivè, habebis annos quatuor.

Verùm his omiſſis ipſum argumenti fundamentum aggrediamur, invenio eſſe quæſtionem valdè difficilem explicatu, & multùm à doctis vexatam, quomodo *Annas* & *Cajaphas* dicantur in iiſdem Scripturæ locis ſimul ſummi ſacerdotes. Nolumus ex occaſione præſentis argumenti in rem ipſam prolixè digredi, fateor *Bezam*, & poſt eum *Deodatum*, Annotatores etiam Belgas ante *Niſbetum* facere *Annam* & *Cajapham* Pontificatûs per annuas vices adminiſtratores, ſed in hoc ſolidius multò videtur *Calvini* judicium, quod ſequitur *Scaliger*, *Caſaubonus*, *Calviſius*, *Janſenius*, & plerique alii, nunquam ſcilicet uno tempore duos fuiſſe Pontifices. *Beza* nititur teſtimonio *Euſebii* hiſtoriarum lib. 1. cap. 10. *Calvinus* verò teſtimonio *Joſephi* Antiquit. lib. 18. cap. 3. & ſequentibus. *Euſebius* equidem eſt unicus auctor duorum in annuâ viciſſitudine Pontificatum adminiſtrantium, adeòque triennii aut quadriennii à baptiſmo ad mortem Chriſti ex vicibus *Annæ* & *Cajaphæ* deducti, ſed *Euſebium* rectè refellunt *Scaliger*, de emendatione temporis lib. 6. pag. 505. & in præfatione ad *Euſebii* Chronicon, item *Caſaubonus* in *Baronium* exercitatione 13. parag. 4. *Petavius* quoque de temporibus lib. 10. cap. 56. & alii: nam quæcunque hîc habet *Euſebius*, ea omnia ex uno *Joſepho* deſumere ſe profitetur, quàm autem diverſa, imò adverſa *Euſebio* *Joſephus* adferat, conferenti utriuſque locos facile apparebit. *Joſephus* Antiquit. 18. cap. 3. 6. & ſequentibus, tradit *Annam* conſtitutum Pontificem à *Quirinio* in fine dierum *Auguſti*, deſtitutum autem à *Valerio Grato* Romano Præſide paulò poſt principia Imperatoris *Tiberii*, & ab eodem *Grato* in quatuor annis quinque Pontifices immutatos, quorum ultimus *Joſephus Cajaphas* remanſit in munere non tantùm ad undecimum Præſidis *Grati* annum; ſed etiam per totam Præfecturam *Pilati*, donec hic in viceſimo ſecundo *Tiberii* à *Vitellio* Syriæ Præfecto Romam miſſus eſt ad dicendam cauſam: tum etiam à *Vitellio Cajaphas* eſt à Pontificatu motus, & ei ſucceſſor datus. Ex his Joſephi peſſimè infert *Euſebius* primò tempus prædicationis Chriſti fuiſſe à Pontificatu *Annæ* ad *Cajaphæ* Pontificatum, inter quos quatuor erant alii, quorum ſinguli uno anno erant Pontifices. Quanta hæc eſt inconſiderantia? Num ullum *Joſephus* verbum quod inſinuet Chriſti miniſterium inceptum in Pontificatu *Annæ*, & in *Cajaphæ* Pontificatu finitum? Et quoque ſi hoc verum eſſet, annon ſex anni vel minimum quinque forent prædicationis Chriſti, utpote quæ per ſex annuorum Pontificum, quos ex *Joſepho Euſebius* nominat, tempora duraverit. Secundò. An quicquam *Joſephus* de conjunctione Pontificatuum *Annæ* & *Cajaphæ* exprimit? Imò vero diſertè inter eos aliorum quatuor Pontificum nomina conjicit. Tertiò. An ullum *Joſephus* verbum de annuâ Pontificum adminiſtratione? Verum eſt, illis quatuor Pontificibus inter *Cajapham* & *Annam* interjectis quadriennium aſſignat, ſed *Anna* à *Quirinio* inſtituto imperante *Auguſto*, & non niſi à *Grato* quarto aut quinto poſt *Quirinium* Præſide deſtituto, item *Cajapha* qui a *Grato* inſtitutus totâ *Pilati* præfecturâ perſeverans, à *Vitellio* gradu motus eſt, complures annos dat, imò apertè docet poſt *Herodis* tempora, uſque ad ultimam templi deſolationem ex merâ tyrannorum libidine Pontifices ad annos, menſes, & dies, inſtitutos fuiſſe abſque omni regulâ, niſi quam ambitio & avaritia præſcribebant.

Calvinus rectius ſequitur Joſephum quàm Beza Euſebium.

Perperam iſta ex *Joſepho Euſebius* prætendit ſe deducere, ſed quod addit *Beza*, & poſt eum alii de annuorum iſtorum Pontificum adminiſtratione per vices, nullum non tantùm *Joſephus*, ſed nec ipſe *Euſebius* verbum, imò è contrario nullum ex omnibus quos nominat Pontificibus *Euſebius* poſt quam à munere ſemel ceſſavit, ullis vicibus ad munus rediiſſe innuit.

In errorem Bezæ Petavius incidit.

Ob inventum hoc taxat *Bezam Petavius* ubi ſuprà, & tamen ipſe in id ipſum eoque pejus ibidem incidit. Solutio enim gravis iſtius dubii, Qui *Annas* & *Cajaphas* ſimul Pontifices fuerint? in quâ cæteris omnibus rejectis acquieſcit eſt, quòd adminiſtraverint Pontificatum per vices, verùm ut à *Beza* differat, vult non annuas vices, ſed vel diurnas, vel menſtruas, prout *Pilatus* præſcribebat, *Petavii* hoc commentum eſt multò vaniſſimum contra ea quæ tam ex *Joſepho* quàm *Euſebio* jam protulimus, ubi totâ *Pilati* præfecturâ ſolus *Cajaphas* abſque ullo collegâ; vel diurno, vel menſtruo, vel annuali Pontificatum adminiſtravit; ſed nimis primum hoc *Niſbeti* argumentum preſſimus.

Reſpondetur ad ſecundum Niſbeti Argumentum.

Secundum hoc eſt. Agnus Paſchalis Exod. 12. 3. 15. die decimo Niſan ſeparatus eſt, ut mactaretur decimo quarto, itaque tres habuit dies præparationis ad mortem: ergo Chriſtus tres annos habuit prædicationis præparatorios ad crucem. Affirmat auctor argu-

mentum

mentum hoc non tantùm eſſe validum, ſed validum neceſſariò. Reſp. Si concederemus ullum in boc argumento valorem, non tres, ſed quatuor aut quinque anni hinc concludetentur, nam à die decimo ad decimiquarti ſecundam veſperam ſunt quinque dies: vult enim *Nisbetus* dies numerari à veſperâ priori, itaque dies decimus erit unus, undecimus alter, duodecimus tertius, decimustertius quartus, decimusquartus quintus, inprimis cum agnus mactaretur inter duas veſperas, hoc eſt in fine diei decimi quarti, & initio decimiquinti, ut ſupra probavimus. Neque cujuſquam interpretum memini, qui non quatuor ſaltem dies ſeparationis agni nominet: quod ſi cum *Nisbeto* tres tantum numerare placeat, quid ſiet de dimidio diei & dimidio anni, pro quo hîc diſputatur?

Ad rem ipſam reſpondeo. Nullâ auctoritate, nullâ ratione ex his diebus deducuntur ulli anni: agnus quidem Paſchalis veriſſimus & clariſſimus fuit Chriſti typus & ſeparatio agni ad ſacrificium, per nos licet, ſignificet Chriſti ſeparationem ad crucem, ſed quod trea dies ſeparationis agni præfigurent tres annos prædicationis Chriſti nullus eſt ante *Nisbetum* qui affirmet. *Ainſvvortbum* video ex noſtris & *Toletum* ex Jeſuitis docere decimum diem ſeparationis agni præfiguràſſe Chriſti ingreſſum Hieroſolymam die Palmarum, qui quintus fuit ante mortem, ſed ex tribus diebus ſeparationis agni concludere tres annos prædicationis Chriſti, aut quatuor Paſchata à baptiſmo ad crucem, ineptius videtur, quàm ſi ex ætate agni, qui non potuit excedere unum annum, concluderemus cum Patribus Cbriſti miniſterium eſſe non potuiſſe diuturnius. Hujuſmodi typorum applicatio gratuita eſt, ne dicam valdè temeraria & improbanda.

Ad tertium.

Tertium argumentum ex *Danielis* nono vigeſimo ſeptimo, ubi publicum Meſſiæ miniſterinm & confirmatio fœderis definitur dimidio hebdomadæ, hoc eſt, tribus annis & dimidio. Reſp. Etſi locum hunc *Nisbetus* poſt *Beroaldum* malè exponat, quaſi Chriſtus non fuiſſet mortuus in medio ſed fine ultimæ. ſeptuaginta hebdomadarum, ut ſuo loco demonſtravimus, tamen hinc elicitur argumentum ſolutu difficile, quod a Chriſti baptiſmo ad mortem fuerit media hebdomas, ſeu anni tres cum dimidio. Verumenimverò ipſe *Nisbetus* ſolutionis fontem ſatis facilem aperit, diſtinguendo inter privatum & publicum Chriſti miniſterinm, illud à baptiſmate, hoc à Paſchate *Joannis* ſecundo inchoans, illi anni dimidium, huic tres annos attribuens. Nullum quidem nos agnoſcimus Chriſti miniſterium privatum; nam non minùs publica fuerunt Chriſti doctrina & miracula in Galilæâ quàm Hieroſolymis: ſed tamen, ſi hîc liceat diſtinguere, prout neceſſariò diſtinguendum videtur ex *Matthæi* quarto decimo ſeptimo, ubi aſſeritur non niſi poſt conjectum *Joannem* in carcerem cœpiſſe Chriſtum prædicare, & ſeparare duodecim Apoſtolos ad prædicandum; apparebit plus quàm anni dimidium à baptiſmo ad eam prædicationem, & plures quàm tres annos ab ea prædicatione ad crucem fluxiſſe; nam duobus totis annis *Joannes* à pleriſque doctis putatur remanſiſſe in carcere. Sed nolo nunc in hanc difficilem controverſiam deſcendere.

Ad quartum & quintum.

Quartum quod promittit *Nisbetus* argumentum non comparet. Quintum eſt ipſa quæſtio, quatuor ſcilicet poſt baptiſmum, non plura fuiſſe Paſchata; ad hoc ſatis jam eſt reſponſum.

Concluſio

Quæſtionem concludamus: Sententia prima omninò eſt abſurda: ſecunda, tertia, quarta, ſecundum partem poſitivam ſunt omnes veræ & certæ, ſed ſecundum negativam & excluſivam falſæ: verum eſt enim quòd Chriſtus prædicaverit unum annum, item duos, & tres, ſed quòd tantùm unum, tantum duos, vel tantùm tres, falſum. Pro quintâ ſententiâ nolim contendere contra tot & tantos auctores, videtur tamen valdè probabilis.

QUÆSTIO XVI.

Ad quæ tempora Actorum Capitis ſeptimi verſus decimusſextus referendus ſit?

Quæſtionis propoſitio & difficultas.

QUæſtio hæc quibuſdam videtur leviuſcula, & profectò quæſtiunculam in terminis *Hieronymus* vocat epiſtolâ centeſimâ quintâ. Sed, ut mihi videtur, reverendi Patris locutio hæc eſt prorſus *Ironica:* quæſtionem enim ut levem ſuis obtrectatoribus proponit, quam illis relinquit diſſolvendam; ipſe tamen, quod multi queruntur, ſolvere nunquam conatus eſt. De tempore rei geſtæ facilè conveniret inter Chronologos, ſi de vero ſenſu loci inter interpretes conſtaret. Circa ſenſum quæruntur quatuor: primum, qui à *Stephano Emmor* dicatur filius *Sichem*, cùm à *Moſe* perhibeatur *Sichemi* pater. Secundò. Quomodo ſepulchrum *Sichemæ* emptum ſit pretio argenti, cum Geneſeos trigeſimo tertio *Iacobus* illud pretio agnorum emiſſe dicatur. Tertiò. Quomodo Patriarchæ translati ſint *Sichemam*, & ibi ſepulti, cùm ſolus *Ioſephus* ibi ſepultus fuerit. Quartò. Quomodo *Abrahamus* illum agrum emerit ab *Emmor*, cùm iſta ab *Emmor* emptio Geneſeos trigeſimo tertio *Iacobo* aſcribatur. Ad tria priora quæſita commodæ ſatis reſponſiones afferuntur, ſed ad quartum nulla dum meo quidem judicio reſponſio apparet, quæ cuiquam ingenuo planè ſatisfaciat. De nihilo non eſt quòd tot viri docti omnium partium quæſtionem hanc multò difficillimam, & penè inſolubilem profiteantur. *Rivetus* ſummi judicii vir in Geneſeos vigeſimum tertium, Difficultas, inquit, eſt penè inſolubilis, quæ omnium interpretum ingenia mirè torſit. *Ludovicus*

dovicus de Dieu in Actorum ſeptimo decimoſexto locum vocat diſſicillimum & inexplicabilis difficultatis; non tantùm ut *Salmeron* in Actorum quarto, gravia hìc ſunt dubia, ſed prout à Lapide implicatiſſima & difficillima. *Pererius* in Geneſ. 23. Prægravis, inquit, perardua, & quorundam judicio inextricabilis quæſtio eſt, undique difficultatibus circumſepta, in qua quò me vertam neſcio.

An Sechem fuerit Emmoris & pater & filius?

Utcunque ad primum quæſitorum, quomodo *Emmor* dicatur filius *Sechem* à *Stephano*, & à *Moſe Sichems* pater? In promptu reſpondere eſt, Interpretem Actorum Latinum malè addere vocem filii, cum in authentico Græco nihil tale habeatur, ibi enim eſt Ἐμμὼρ τοῦ Συχέμ, quod æquè commodè, ſecundum Pontificiorum doctiſſimos, ſuppleri poteſt per patrem quàm per filium, ut tam ex profanis quàm ſacris literis rectè probat *Beza*. Hìc verò neceſſariò per patrem ſupplendum eſt, cum *Moſes* diſertè *Emmor*, *Sichems* patrem vocet.

Lectio Latina ſatis antiqua videtur, cùm *Syrus* ne ſequendo Interpretem Latinum *Moſi* contradiceret, omninò ea verba filii *Sechem* omittat, legens tantum à filiis *Emmor*.

In hoc exemplar Arabicum, quo *Beza* & *Iunius* ſunt uſi, *Syrum* ſequutum eſt, ſed illud exemplar multò præſtantius, quod jam in Bibliis πολυγλώττοις habemus, Latinum ſequitur verbatim, ſicut etiam Æthiops Interpres.

Affirmat *Beda* vidiſſe ſe in Græco quodam exemplari non τοῦ Συχέμ, ſed τοῦ ἐν Συχέμ, & certè in præſtantiſſimo illo manuſcripto olim *Alexandrino*, nunc Londinenſi, ſic hodie legitur, quod *Tremellii* expoſitionem rectè admittit, à filiis *Emmor* Principis in Sichem, ſeu *Sichemita*. Non eſt quod huic *Bedæ* ſolutioni immoremur, cum vera hujus loci expoſitio ſatis ſit liquida comparanti vulgares textus Græcos cum verbis *Moſis* Gen. 33. 19. Multò minùs immorari volumus alteri ejuſdem *Bedæ* interpretationi, qui, ut Latinum Interpretem conciliaret cum *Moſe*, *Sichem* procudit geminum, ita ut *Emmor* dicatur tam pater quàm filius *Sechem*, quemadmodum communiter avus & nepos ejuſdem ſunt nominis.

Lyranus, quem (ut defendatur αὐθεντία Tridentinæ verſionis Latinæ) ſequuntur Jeſuitæ, *Salmeron*, *Pererius*, à *Lapide*, & *Lorinus*, vult potiùs *Emmor* fuiſſe binominem, vocatumque etiam *Segor*: vana hæc ſunt quæ nullo argumento probantur, & quæ ad nos nihil ſpectant, qui aliquot millia errorum in authenticis Latinis ſcimus, etiam poſt omnes Pontificum emendationes, extare.

Anglica noſtra vetus legebat *Emmor* filii *Sechem*, ſed recentior rectiùs hodie patris *Sechem*.

An ager Sichema emptus ſit pecuniâ, an agnis?

Quod ad ſecundum quæſitum, quo pacto ager *Sichema* emptus ſit pretio argenti, cùm *Iacobus* Gen. 33. 19. illum emerit centum agnis? Qui emptionem *Abrahami* à *Stephano* intellectam volunt, non hìc conſtringuntur, quia manifeſtum eſt *Abraham* duplicem ſpeluncam Hebronis numeratâ pecuniâ redemiſſe. Imo hinc primarium argumentum deſumunt ut probent emptionem *Stephani* non de Jacobo exponi, qui nullam pecuniam ſed ſolos agnos dedit pro ſuo agello. Reſponſio tamen non eſt difficilis, nam vox קְשִׂיטָה ſignificat non minus nummum quàm agnum; vetus tamen Latinus, etiam *Iunius*, & omnes hodie verſiones vulgatæ, Anglica tam vetus quàm nova, Belgica, Gallica, & Italica, vertunt *nummos*, forte quia nummi tum ſignabantur imagine agni, ut olim omnis pecunia geſtabat pecudis imaginem: nam ante nummos pecudibus mercimonia commutabantur. Vox in Bibliis non habetur niſi ter. Primò Geneſ. 3. 19. Secundò. Joſuæ 24. 11. ubi eadem prorſus eſt ſententia quæ fuit in Geneſi, & tertio Jobi 42. 11. ubi res ipſa loquitur transferendam potiùs per *nummum* quàm *agnum*. Videte non tantùm *Buxtorphii* Dictionarium Hebraicum, & *Pagnini* Theſaurum cum additionibus *Merceri* & *Buxtorphii* filii Dictionarium Chaldaicum, ſed inprimis Radices Rabbi *Davidis Kimchi* ad vocem קְשִׂיטָה invenietis vocabulum hoc rectiùs verti per *nummum* quàm *agnum*: ac Rabbi *Akibam* (non ut malè ſeribit *Hamondus* Rabbi Aquilam) in ſuâ peregrinatione Arabicâ (non ut *Buxtorphius* filius, Africanâ) comperiſſe Arabas (apud quos in majori uſu hæc & multæ aliæ voces quàm apud Hebræos) uſurpare eam ſemper pro *nummo* non pecude, atque ex hoc Arabum uſu probat in loco præ manibus ſic interpretandam.

Tertium quæſitum eſt difficilius, ſed tamen ſolubile, Quomodò patres tranſlati ſint *Sichemam* & poſiti in monumento *Abrahami*, cum ſolus *Ioſephus* dicatur à *Moſe* tranſlatus *Sichemam* & ibi ſepultus, ſoluſque *Iacob*, nullus verò filiorum, ſepultus fuerit in monumento *Abrahami* ad Hebronem. Legat quibus otium eſt, *Rivetum*, *Paræum*, *Iunium*, *Pererium* in vigeſimum tertium & triceſimum tertium Geneſeos, etiam in ſeptimum Actorum, *Bedam*, *Calvinum*, *Bezam*, *Gualterum*, *Piſcatorem*, *Deodatum* Annotatores Anglicanos, & Belgas, *Mentzerum*, *Lyranum*, *Lorynum*, à *Lapide*, *Eſtium*, *Salmeronem*, *Ludovicum* de *Dieu*, *Grotium*, *Hamondum*, & alios tam ex Pontificiis, quàm Proteſtantibus, magnam in reſponſione ad hoc quæſitum varietatem inveniet. Multi volunt non *Ioſephum* tantùm, ſed etiam cæteros Patriarchas tranſlatos ex Ægypto, & ante *Ioſephi* oſſa *Sichema* ſepultos. *Beza*, *Rivetus*, *Piſcator*, & alii putant hoc probabile. Hujus ſententiæ auctor eſt *Hieronymus*, qui epiſtolâ centeſimâ primâ ad *Pammachium*

hæc

hoc affirmat. Verùm *Ioſephus* Antiquitatum ſecundo, capite tertio, vult omnes Patriarchas præter *Joſephum* ſepultos *Hebrone* in ſpeluncâ *Machpelach. Lorinus & Pererius* exiſtimant *Joſephum* hîc præferendum *Hieronymo*: certè diebus *Hieronymi* ſepulchra Patriarcharum extitiſſe non videntur, nam in paucioribus quàm bis mille annis, oſſa humana, & omnes ſepulchrales loculi diſſolvuntur in pulverem: & verò multa quæ *Hieronymus* affert in Epitaphio *Paulæ* intelligere oportet cum grano ſalis. Verumenimverò *Lorinus* & *à Lapide* præferunt hîc *Hieronymum Ioſepho*. Sunt qui utrumque conjungant, exiſtimantes Patriarchas omnes cum *Ioſepho* fratre primò ſepultos in *Sichem*, poſteà verò à *Sichemitis* tranſlatos *Hebronem*. Ratio tranſlationis allata à *Ludovico de Dieu*, quod *Sichemitæ* ut amici Iſraëlitis, filiorum *Iacobi* oſſa à ſe tranſtulerint in ſpeluncam Hebronicam, merito à *Lorino* rejicitur, quòd *Sichemitarum* in *Simeonem* & *Levi* odium (ſi modò poſt urbis *Sichemæ* πανωλεθρίας ulli *Sichemitæ* extiterint) ab ipſis expreſſiſſet eorum oſſium potiùs comburium, quam ullam honeſtam ſepulturam: & tamen *Lorinus* ante diſputationis ſuæ clauſulam eò inclinat, ut Patriarchæ primò *Sicheme*, poſtcà Hebrone poſiti ſint, quod licet daretur, non inde ſolveretur oculatum teſtimonium *Paulæ* apud *Hieronymum* profitentis vidiſſe ſe *Sicheme* duodecim Patriarcharum ſepulchra, niſi tertiò tranſlatos affirmemus, ut primò ex Ægypto *Sichemam*, & ſecundò *Sichemâ Hebronem*, & tertiò *Hebrone Sichemam* delatos, quæ videntur deliria, & veri fructus nimiæ credulitatis traditionibus non ſcriptis adhibitæ.

His ergo omnibus rejectis unico ſacrarum Scripturarum fundamento innitamur, & Patriarcharum in Ægypto mortuorum nullos inde tranſlatos dicamus præter *Iacobum* & *Ioſephum*, ita ut omnis de cæterorum tranſlatione vel *Sichemam* vel *Hebronem* diſputatio ut fabuloſæ traditioni ſuperſtructa jure negligenda ſit. Verba verò *Stephani* in numero plurali, quaſi plures uno ſepulti fuiſſent in *Sichem*, commodè poſſunt exponi, non per textûs ſacri correctionem, quod facit *Syrus* interpres pro ſuâ auctoritate & judicio, contra omnes Patres (ut notat *Tremellius*) legens in ſingulari *mortuus, tranſlatus, poſitus*, omnia, ut videtur, de *Iacobo* intelligens, quaſi is primò *Sichemam* delatus fuerit priuſquam *Hebrone* ſepultus. Correctio hæc textûs temeraria eſt, nec omninò neceſſaria, & tranſlatio iſtius hiſtoriæ à *Ioſepho* ad *Iacobum* veritati non eſt conſona.

Reſponſio ergo, in quâ hîc acquieſcimus, eſt ea, quam *Strabus* in Gloſsâ ſuâ ordinariâ apud *Lyranum* affert ex *Rabano*, Synecdochen eſſe ſcilicet integri, pluralis pro ſingulari, tranſlati & poſiti pro tranſlatus & poſitus fuit in *Sichem*, prout docemur Joſuæ 24. 32. Synecdochen hanc amplectitur *Calvinus*, & multis exemplis illuſtrat *Lorinus*, nimirum *Matthæi* vigeſimo ſexto, octavo, murmurârunt diſcipuli, plurale hoc intelligitur de uno ſingulari *Iudâ Iſcariote*, qui ſolus indignabatur ob profuſum unguentum, prout exponit *Ioannes* duodecimo, undecimo; deinde *Matthæi* vigeſimo ſeptimo, quadrageſimo quarto, latrones dicuntur obloquuti Chriſto in cruce: verum hoc non fuit niſi de uno latrone impœnitenti, prout exponit Lucas viceſimo tertio, triceſimo nono. Hoc poſito, vult *Lorinus*, quem hîc ſequuntur Annotatores Anglicani, & alii, locum exponendum diſtributivè, nimirum tranſlationem *Sichemam* de oſſibus *Ioſephi*, & poſitionem in ſepulchro *Abrahami* de *Iacobo*. Sed rectè diſtributio hæc *Riveto* & aliis diſplicet, cùm verba *Stephani* apertè de uno & eodem ſubjecto loquantur, *Ioſepho* ſcilicet qui tranſlatus fuit *Sichemam*, & ibi in monumento poſitus. Verum eſt in verſu priori expreſſum *Iacobi* nomen, nihilominùs verſus hic de *Ioſepho* intelligendus eſt, ei enim ſoli hiſtoria congruit; nam ex omnibus Patribus in Ægypto mortuis ſolus *Ioſephus Sichemam* tranſlatus, & *Sicheme* ſepultus fuit.

Quomodo Abram emerit monumentum ab Emmor?

Quartum quæſitum eſt multò difficillimum, ſi non deſperatæ difficultatis, Quî *Abraham* emerit à filiis *Emmor* monumentum? *Maſius, Eugubinus, Lipomannus* apud Pontificios, & ex noſtris *Calvinus, Beza, Piſcator, Deodatus, Pareus, Mentzerus, Gualterus*, & alii textum putant à librariis corruptum, & nomen *Abrahami* irrepſiſſe additum à quodam ſciolo deſcriptore, cum nomen *Iacobi* à prioribus repetitum rectè conveniat cum verbo emerit. Correctio hæc ſi fundata eſſet, totum dubium evacuaret; ſed *Rivetus, Lorinus, Pererius, Salmeron, à Lapide*, & alii, rectè pronunciant durum eſſe in textu ſacro errorem admittere, contra exemplarium omnium tam manuſcriptorum quàm impreſſorum fidem.

Durum eſt corrigere textum originalem.

Hamondus correctionem hanc quidem rejicit, ipſe tamen ex ſuo ingenio etiam ultra Magiſtrum ſuum *Grotium* tres aut quatuor verſiculi hujus interpolationes audacter procudit: præterquam enim quòd cum *Syro* Interprete (cui malè hîc Arabem *Grotius* adjungit) τ̃ Συχὲμ expungat, & pro *Emmor* legat *Ephron*, vult etiam loco *Ephron* vel *Emmor* ponere *Heth*, & verò pro τῶν υἱῶν Ἐμμὸρ vult ſcribi τ̃ υἱ̃ Ζὸρ· neque mirâ hac violandi ſacrum textum prurigine contentus cum *Grotio* ſuo poſt aliquos Pontificios vult *Stephanum* utramque emptionem tam *Abrahami* quàm *Iacobi* ſuis verbis exprimere velle, quod à ratione valdè eſt alienum.

Hamondi protervus innovandi pruritus.

Ludovicus Capellus in ſuo ad Actorum ſeptimi decimum ſextum ſpicilegio, nihilò meliori

Etiam Capelli.

liori vadit viâ, nam pro ſuo more corrigendi ſacrum textum, vult loco *Abraham* legendum ὁ τοῦ Ἀβραὰμ ἔγγονος, nepos ſcilicet *Abrahami Iacobus*; vel, niſi hoc ſuum commentum admittatur, affirmat certum *Stephanum* lapſu memoriæ duas emptiones *Abrahami* & *Iacobi* in unam confudiſſe. Dolendum Profeſſorem in Eccleſiâ reformatâ iſtas frequenter Sacræ Scripturæ maculas aſpergere ex ſui unius ingenii conjecturis ἀλογωτάτοις, quas ipſi Jeſuitæ ut blaſphemiæ proximas averſantur.

Abraham pro Abrahamide.

Alii nullam in textu mutationem admittentes vocem *Abrahami* variis modis exponunt. *Ludovicus de Dieu*, cùm in Græco nullus ſit articulus, legit in caſu Dativo, quaſi *Abrahamo* patri Iſraëlitarum *Jacobus* ſuprà dictum emiſſet agrum *Sichema*. *Vatablus* & *Robertus Stephanus* ponunt in caſu Genitivo, & ſubaudiunt filium vel nepotem, vel potiùs, ut *Rivetus*, faciunt nomen Patronymicum, *Abraham* pro *Abrahamides*, & hujuſmodi phraſeos varia *Salmeron*, & *à Lapide* exempla afferunt, tum ex ſacris tum ex profanis literis, Servus meus *Iſraël* pro *Chriſto*, item *David* ſæpe pro *Chriſto*, *David* etiam pro *Rehoboamo*, & *Rehoboam* pro *Abiam*. *Tros* pro *Trojano*, *Dardanus* pro *Ænea*. Reſponſio hæc ſalvat verba textûs, & ex omnibus allatis videtur commodiſſima, ita tamen ſubtilis & longinqua eſt, ut malim meliorem expectare, quàm iſti meum calculum animitùs addere.

DIA-

Diatriba Prooemialis
In publicis Academiæ comitiis recitata, cum Theologicas Prælectiones auſpicarer de hæreticorum Autocatacriſi. anno 1642. Jul. 6.

Num omnis hæreticus deditâ operâ, ſciens prudens videnſque contra ſuæ mentis lumen errores tueatur, numque hæreticorum αὐτοκατάκρισις nihil aliud ſit, quàm craſſa hypocriſis ſimulantium errores contra animorum ſuorum rectè ſentientium expreſſa dictamina.

Omne ſeculum ſibi propria poſſidet tam bona quàm mala.

QUemadmodum φιλάνθρωπος ille Deus ex immenſo ſuæ bonitatis mari, novos in genus humanum quotidie beneficiorum rivos effundere gaudet; non ſecùs iſte μισάνθρωπος Dæmon, ex profundâ nimis ſuæ pravitatis abyſſo, non ceſſat evomere in miſeros mortales, novam ſemper Iliada malorum. Nullum à mundi primordiis fluxit ſeculum, quod non propriis, quæ patres ignoravêre, donis à divinâ manu beatum eſt; quod non itidem novo ac majoribus inaudito calamitatum genere, ab inimici malignâ dexterâ vexatum. Antiquiora miſſa ſunto; quæ nunc præ pedibus domi jacent, ſi cui volupe eſt oculo non prorſus incurioſo luſtrare, abſque moleſtâ longinquorum indagine comperiet, eos etiam nuper in noſtros vertices depluiſſe cœlitùs bonorum imbres, quà in Eccleſiam, quà in Regnum, quà in ſcholas; ut, ſiquis rerum noſtrarum ſenſus ad majores pervadere poſſet, noſtra proculdubio longè præ ſuis in terris tempora, felices animæ gratulabundæ deprædicarent. Vice verſâ, eos cernere eſt in nectaris noſtri craterem infuſos per Satanæ manum ab imâ Styge latices; qui ſuo toxico divini liquoris ſuavitatem corruperunt. Si nos pateretur quod præ manibus eſt argumentum, in huncce campum aliquantò liberiùs expatiari; non ingratum, confidimus, foret, inſpectare velut in gemellâ paginâ parallelum iſtorum quibus per Dei bonitatem, quà publicè, quà privatim læti fruimur bonorum, & illarum ex adverſo miſeriarum, à quibus per Satanæ pravitatem ſtat, quod vel impræſentiarum doleamus, vel metuamus in futurum.

Sed quoniam properamus aliò, inter complures, quibus *Zionis* noſtræ turres concutit machinis peraſſiduus hoſtis, unam mecum animadvertite præ cæteris egregiam; quam paucis tantùm abhinc annis, antiquus doli omnis fabricator ex novo ære procudit; tantâ cum arte, ut ejus ictibus ſuſtinendis, vix ulla valli craſſities, ulla muri latitudo ſufficiat; nuperum indigito Satanæ ſtrategema, quo mendaciorum ille Pater non unum aut alterum errorem, ſed tota plauſtra, ſed ipſum equum Trojanum in utero quotquot fuerunt, quotquot eſſe poſſunt hæreſes ferentem, intra Eccleſiæ muros ſiſtere conatur.

Non ſatis habuit inimicorum Dei Archidux *Apollyon*, ex Abyſſi puteo emiſiſſe Jeſuitarum, cæterique Cleri Romani catervas: quæ infernalium dogmatum ſuorum fumo obcæcarent quotquot in meretricis Babylonicæ gremio divina juſtitia commorari, ſaltem commori permittit: iſtarum Locuſtarum utut improbus, & nimiùm quantùm infelix labor exhaurire non valuit totum Satanici furoris in Eccleſiam Chriſti dolium. Verumenimverò quò majorem adhuc ſtragem animarum nequam ille ſpiritus ederet, loricatos ſuos Scorpiones à tergo ſubſequi juſſit, alius generis militum phalangem, quæ *Caſſandro* & *Spalatenſi* ductoribus, novis armis aggrederetur quoſcunque à locuſtarum fumo illæſos, ad fugam ex Babylone paratos, aut jamdudum extra Romæ pomæria poſt felix effugium degentes obſervâſſent; imperans omni ope niterentur retinere meditantes fugam, & qui jam evaſerunt retrahere ad priſtina ergaſtula, dementatos hoc incantamento, quaſi Eccleſiæ Romanæ errores utut multi, utut palpabiles, tolerabiles tamen omnes eſſent, & procul ab exitii periculo, utpote qui longè infra hæreſin ſubſideant. Hujuſce legionis Tartareæ artes primariæ ſunt, hæreſin in defectu conſiſtere, nequaquam in exceſſu, hæreſin defectu ſuo non quoſvis, ſed fundamentales fidei articulos tollere; iſti autem ſint oppidò pauci, quin etiam in numero adeo pauxillulo, ut qui tandem ſint, vix ac ne vix quidem certò poſſit à quoquam pronunciari; denique fundamentales, quicunque tandem ſint articuli, per hæreſin impeti oportere rectâ fronte, non per conſequentiarum ambages, nedum conſequentiis adeò remotis, adeò obſcuris, ut abſque proſyllogiſmis hæreſeos venenum conſpici non poſſit.

Remonſtrantes Apologiſtæ peſſimis omnium artibus veritatem oppugnant.

Ab hac quam dicimus legione, tam egregia Archiduci navata olim eſt, & hodie etiam præſtatur opera, ut nullo præterea milite videatur egere Satanas ad plenam de Eccleſiâ Chriſti victoriam reportandam. Quanquam, ut certior ac ſplendidior triumphus fiat, no-

vos

vos adhuc, quos diu in ſubſidiis abdiderat, in apricum nuper deduxerit planè triarios, quibuſcum unis in præſentiâ mens nobis eſt manum conſerere: intellige ſis, Remonſtrantes Apologiſtas; uſque adeò præfractæ viros audaciæ, ut ultimam cuncti pudoris lineam longè tranſiliiſſe videantur.

Hi, quò primum apud Imperatorem *Apollyonta* gratiæ locum obtineant, quò ſua Satanæ mei ita ſupra Jeſuitas, ſupra *Caſſandrum*, ſupra *Spalatenſem*, etiam ſupra *Ladenſes* oſtentent; opus verè magnum moliuntur, & præ ſe ferunt, quod ante ipſos mortalium auſus eſt nemo. Affirmant diſertis verbis errorem quantumvis magnum, peccatum nullum dici debere, fœdiſſimos errones *Manichaeos, Arianos, Socinianos, Anabaptiſtas, Pontificios*, & (ut mihi quidem videtur conſequentiſſimum) *Judaeos, Turcas, Paganos*, quantumvis ob alia, ſi qua habeant peccata, damnari poſſine, ob errores tamen quibus infames ſunt, nullam vel à Deo, vel ab hominibus odii micam mereri. In hoc abſurdum abſurdorum abſurdiſſimum viros aliàs nimis quàm perſpicaces præcipitavit ipſorum Dea, quod ipſi perditè depereunt idolum, libertas arbitrii: ſic enim cum ratione inſaniunt: Omne peccatum voluntarium eſt, liberum eſt, in voluntate ſedem habet; errores verò mentis vitia ſunt, non voluntatis; quare errores, niſi voluntarii ſint, quod rarò contingit, nec unquam niſi per accidens, peccata non ſunt dicendi. Quòd ad hæreſes attinet, quas S. Scriptura non ſemel opera carnis, & peccata maxima perhibet; ajunt non eſſe meros errores, ſed mixtos cum variis voluntatis lapſibus, imò verò hæretici infamiam nulli aſpergendam aſſerunt, qui non ſponte, ac lubenti animo, qui non deditâ operâ, ſciens, prudens, videnſque contra aperta ſuæ mentis ſenſa errores complectitur. En quò dementiæ miſeros ſuum perduxit arbitrium!

Status controverſiæ cum Apologiſtis de naturâ hæreſeos.

Nunc non vacat omnes iſtas avias, ut eſt in Satyrâ, revellere, in ultimâ figamus pedem, quæ delirant de hæreſi revocemus ad trutinam. Num omnis hæreticus erret ſciens, prudens, videns? An nemo hæretici notâ inſigniendus ſit, qui animitus errores ſuos, ut veritates exoſculatur? Hoc apologiſtæ aſſerunt, nos cum totâ Chriſtianorum natione negamus.

Pro vulgatâ controverſantium methodo, ex quatuor argumentorum locis noſtram aſtruemus ſententiam. Afferemus Scripturas, rationes, Patres, & adverſariorum ſua cædentium vineta confeſſiones: quæque ipſi ex iiſdem Scripturarum, rationis, Patrum fontibus haurire profitentur, quàm valemus paucis, diluemus.

Primus Scripturæ locus pro veritate.

Pro rectâ ſententiâ primus locus eſto 2 Theſſ. cap. 2. à verſu 9. ad 13. *Cujus adven-*
„ *tus eſt ex vi efficaci Satanæ, & cum omni*
„ *ſeductione injuſtitia in iis qui pereunt, ideò*
„ *mittet iis Deus efficaciam erroris, ut cre-*
„ *dant mendacio, ut damnentur omnes qui*
„ *non crediderunt veritati, ſed acquieverunt*
„ *in injuſtitiâ.* Hinc ſic argumentor. Primarii ſequaces Antichriſti ſua dogmata pro veris habent; Atqui primarii ſequaces Antichriſti ſunt Hæretici: Ergo quidam Hæretici ſua dogmata pro veris habent. Concluſio contradictione directâ theſeos adverſæ frontem impetit: de Minore, nemo, quòd ſciam litem movet. Major ex verbis Apoſtoli ſic fit liquida. Quibus Deus mittit efficaciam erroris, ut credant mendacio, quos Satanas efficaciter ſeducit, ut non credant veritati, ſed acquieſcant in injuſtitiâ, iſti ſua dogmata habent pro nimiùm veris: Atqui hæc eſt ſequacium Antichriſti conditio, ſecundum Apoſtoli diſerta verba.

Alter locus eſto 2 Tim. 2. 18. 24. 25. 26. *Secundus.*
„ *Qui circa veritatem aberrârunt à ſcopo,*
„ *& ſubvertunt quorundam fidem. Servum*
„ *autem Dei non oportet pugnare, ſed cum*
„ *lenitate erudire eos, qui contrario animo*
„ *ſunt, ſi fortè daturus ſit iis Deus reſipiſcen-*
„ *tiam ad agnitionem veritatis, ut ſanitate*
„ *mentis receptâ, evadant ex Diaboli laqueo,*
„ *ab eo facti captivi ad ejus libitum.* Inde ſic arguo. *Hymenaeus* & *Philetus* ſua dogmata habebant pro veris: Atqui illi erant hæretici. Ergo. Minorem ſiquis vocaret in dubium, ſic probaremus; Qui naufragium faciunt fidei, quorum doctrina depaſcit ut cancer, qui ob falſa dogmata ſunt vitandi, qui ob corruptam Chriſti doctrinam ab Apoſtolo Satanæ ſunt traditi, ii ſunt hæretici: Atqui iſta omnia *Hymenaeus* & *Philetus*: Ergo. Sed de Majore omne dubium eſt, quod tamen Apoſtoli verbis ſic probamus. Qui aberrârunt à veritate, qui non agnoſcunt veritatem, quorum animus veritati contrarius eſt, quorum ipſa mens captiva eſt in Satanæ laqueo, iſti quæ profitentur dogmata, non vident eſſe falſa, ſed habent pro veris: Atqui hæc omnia *Hymenaeus* & *Philetus* verbis citatis.

Tertius locus 2 Tim. cap. 3. v. 8. & 13. *Tertius.*
„ *Quemadmodum autem Jannes & Jambres*
„ *obſtiterunt Moſi, ita hi obſiſtunt veritati,*
„ *homines mente corrupti, rejectanei circa fi-*
„ *dem: improbi autem homines, & impoſtores*
„ *procedent in pejus, ſeducentes, atque ſe-*
ducti. Argumentum eſt, Qui obſiſtunt veritati, eo quòd ipſorum mens corrupta ſit, qui ſeducunt eo quòd ſeducantur, iſti non vident ſuorum dogmatum falſitatem: Sed hæc multorum hæreticorum conditio eſt. Clara major. Qui ſua dogmata intus in mente falſa, prout reverâ ſunt, exiſtimat, is veritatem animo complectitur, non obſiſtit veritati; is mente & judicio corruptus non eſt, is licet alios ſeducat, ipſe tamen non ſeducitur. Minor non minùs liquida: nam dictis verſibus

hære-

hæreticos depingit, quod ſic probo. Qui in Eccleſiâ Chriſtianâ reſiſtebant Apoſtolis, ſicut in veteri populo Pſeudo Prophetæ reſiſtebant *Moſi*, hi erant hæretici, ſi credere fas eſt diſertis *Petri* verbis epiſtolæ poſterioris cap. 2. ver. 1. Atqui de ejuſmodi *Paulus* loquitur.

Quartus. Quartus locus eſto Mat. 22. 29. *Erratis neque Scripturam ſcientes, neque potentiam Dei.* Hinc arguo. Errantes etiam fœdiſſimè ſub V. Teſtamento neſciebant dogmata ſua errores fuiſſe: Ergo Hæretici ſub N. Teſtamento neſcire poſſunt dogmata ſua errores eſſe. Conſequentia valet: quanquam enim errantes ſub Veteri & Novo Teſtamento in multiplici poſſint eſſe diſcrimine; dici tamen non poteſt, cur in præſenti pares non ſint, adeò ut ſi in hæretico ſub N. Teſtamento neceſſariò requiratur ſui erroris conſcientia, eadem non poſtuletur ad hæreticum, vel, ſi mavis, ad perversè & pertinaciter errantem ſub veteri. Antecedens Chriſti verbis probatur. Sadducæi neſciebant ſua dogmata errores fuiſſe; nam ipſorum peccatum erat error, & neſcientia Scripturarum: Atqui Sadducæi erant fœdiſſimi errantium ſub V. Teſtamento. Minor non eſt dubia. Major eſt Chriſti teſtimonium.

Prima pro veritate ratio. Ne multi ſimus, ſtabimus his quatuor ex Scripturâ locis. Habetote totidem rationes. Si neceſſe eſt hæreticum omnem exiſtimare in ſua conſcientia falſa eſſe quæ aliis proponit ut vera, tum nemo de hæreſi converniri poteſt apud humanum judicem: Atqui poſterius abſurdum. Connexio Majoris patet: nam ſolus Deus eſt ſcrutator renum & καρδιογνώστης, mortalium nemo, ni ultra humanam crepidam velit aſcendere, pronunciare valet ex certâ ſcientiâ, qualis in omni judice neceſſaria eſt, cujuſquam os ab animo diſcrepare. Oris animique concordia diſcordiave uni tribunali Divino relinquendæ: itaque ſi hæreſis neceſſariò & eſſentialiter ut ſuam formam, ſaltem ut proprium formale poſtularet, in hæretico diſcrepantiam oris ab animo, ab humano foro, ut crimen uni Deo cognoſcibile removenda foret. Certè.

Hoc Ithacus velit, & magno mercentur Atridæ.

Hoc ipſum eſt peſſimæ hujus operæ *Remonſtrantibus* pretium. Contendunt enim hominum neminem de hæreſi ſtatuere debere, quaſi nemo mortalium id poſſet: hac latè patenti portâ jubent irruere in Eccleſiam hæreticorum omnigenos greges; quos ſuo iſti ſinu peramanter excipiunt, dextram fraterrimæ fraternitatis ſine ſcrupulo jungentes, rejectâ ad diem Domini, omni, quæ de hæreſi moveri poſſit, lite. Quàm immane verò ſit hoc ἄτοπον, præter laudatam omnium Eccleſiarum omni tempore praxin, hæreticos vocantium in jus, præter varios Scripturæ locos, is ipſe ad Titum cap. 3. v. 10. in quo cauſæ ſuæ columen conſiſtere putant adverſantes, abundè probat. Ibi enim hominibus mandat Apoſtolus ut accuratè cognoſcant de hæreſi, ut hæreticum ſui delicti admoneant, & refractarium depellant Eccleſiâ; ſcientes hujuſmodi ſubverſum eſſe, & ſuâ ſibi pertinaciâ meritum damnationis calculum accerſiviſſe.

Secunda ratio. Qui dogmata ſua falſa pro falſis habet, is non errat: Atqui omnis hæreticus errat: Ergo. Minor nititur intimâ hæreſeos naturâ; nam hæreſi error eſt genus: rectè enim Auguſtinus [*Quanquam omnis error non ſit hæreſis, omnis tamen hæreſis eſt error*] Fundatur Major in ipſa forma erroris. Nam error eſt deviatio mentis à re; eſt conceptus falſus, eſt apprehenſio rei aliter quàm ſe res habet; ut veritas eſt congruentia cum re, ſive in conceptu, ſive in conceptûs expreſſione per vocem aut ſcriptum, aut quodvis aliud ſignum. Itaque hæreticus, ſi falſa ſua dogmata pro falſis habet, nequaquam errat. Summa eſt inter hæretici conceptum & rem conſonantia, diſcordia nulla. Equidem dum quæ novit falſa populo propinat pro veris, putidiſſimè diſſimulat, quam mente celat veritatem, & nefarium agit hypocritam, ſed nequaquam errat, cùm, quæ errores ſunt, pro erroribus habeat. *Secunda.*

Tertia ratio. Nulli hæretico aſcribenda proprietas eſt, quæ ab omni hæreſeos notâ abſolvit *Manicheos*, *Arianos*, *Macedonianos*, *Vorſtium*, *Socinum*, *Servetum*, & quotquot pro ſummè nefariis hæreticis, vel hodie, vel olim habiti ſunt: Atqui controverſa proprietas hoc manifeſtè præſtat. Majorem Remonſtrantes negant: nam non rarò de ſuâ ſibi plaudunt modeſtiâ, & æquitate animi, flocci facientes omnium Eccleſiarum præjudicia, quibus viros, ut ajunt, innocentiſſimos ſub hæreſeos prætextu præcipiti nimis calculo vel nuper, vel olim damnârunt. Non obſtante tamen novâ ipſorum Theologiâ, nobis cum cætero Chriſtianorum orbe ſtatuere placet, perquam atrox abſurdum eſſe nebulones dictos ex hæreticorum delere catalogo. Certe ſi *Maneti* & *Vorſtio*, qui divinam eſſentiam, finibus circumſcribunt; ſi *Ario*, *Serveto*, *Socino*, qui Chriſto divinitatem auferunt; qui Sp. Sanctum in accidens, in qualitatem transelementant; qui Trinitatem non modò pernegant, ſed infandis etiam blaſphemiis pollutam conculcant; iſtis ſi labem hæreſeos eluas, non eſt quòd vel in præteritis, vel quæ poſt hoc fluent ſeculis requiras, quis hæreſeos infamiam commereatur. *Tertia.*

Minor, quòd controverſa proprietas eos omnes à dicto crimine abſolvat, ſic patet. Si Hæretici proprium ſit convinci in conſcientiâ de ſuorum dogmatum falſitate, dictos ab hoc crimine abſolvas neceſſe eſt; ni tibi conſtet iſtorum interna de ſuis erroribus perſua-

ſio: tantùm autem abeſt, ut hujuſmodi quicquam conſtare poſſit, ut contrarium ſit vel certiſſimum, vel ſummè probabile, quòd ſcilicet ſceleſta omnia quæ diximus capita perſuaſiſſimum habuerint, primarios ſaltem ſuos errores firmiſſimas fuiſſe veritates.

Veteres prætereo; novitios tres hæreſiarchas quòd attinet, *Vorſtii*, *Socinique* videſis ſeu vitam ſeu ſcripta, in neutro ullum veſtigium, ulla vola tam pravæ ſimulationis apparebit: quin etiam eâ apud adverſarios uterque pietatis, innocentiæ, ſinceritatisque prorſus ἀνυποκρίτῳ famâ floret, ut omnis hoc genus ſuſpicio quàm longiſſimè abeſſe debeat. *Servetus* noſtri ſeculi blaſphemorum Coryphæus, deſperatiſſimâ etiam ad ſanguinem, etiam ad tormenta, & ad ultimum ſupplicium pertinaciâ, teſtatum fecit quàm animitus ſceleratis ſuis placitis adhæſerit.

Quarta. Quarta ratio. Si venenum omne, omneque vitium hæreſeos in eo conſiſtit, quòd hæreticus contra mentis ſuæ lumen, ſuæ conſcientiæ dictamen, errores amplectatur; tam nudo ac mero errori, cum quo iſta voluntaris malitia conjuncta non eſt, nullum vitium, nullum venenum ineſt: At poſterius eſt ἀναντίῤῥητον. Majorem adverſarii lubentes largiuntur. Minoris abſurditatem negant, affirmantes in mero errore mentis, utut ſummam pertinaciam ſupponas, nullum eſſe vitium; imò verò errores, qui apud nos & cæterum Chriſtianorum vulgus teterrimæ hæreſes audiunt, apud ipſos omninò non ſunt peccata. Nam ipſorum hæc ſunt apophthegmata: *Crimen culpa eſt voluntaria, hæreſis planè involuntaria, & propriè dicta innocentia eſt. Error eſt innocens, & culpæ expers, haud eſt nocens, quicunque non eſt ſponte nocens, quis nomen unquam ſceleris errori dedit? Ipſi ſeductores abſque ſuâ culpâ ſeducunt.* Permultis hujuſmodi maximis ſcatet Apologiæ cap. 24. Quanquam igitur boni iſti viri in Minori nullum inconveniens videant, noſtri tamen officii eſt eam abominari ut monſtrum. Nam ſi in errore nullum eſt peccatum, certè non tantùm quod Remonſtrantes ubique pleno ore prædicant, quotquot hodie in terris hæretici dicuntur, habendi ſunt pro fratribus genuinis, pro Chriſti ſinceriſſimis membris; verum etiam Judæis & Turcis pandenda ſunt Eccleſiæ adyta: quin & ipſe Paganiſmus aditum hac ratione poſtulabit in cœlum; nam Judaiſmus, Turciſmus, Paganiſmus, quid aliud ſunt quàm mentis errores. Profectò ſi Socinianis abſque omni piaculo, abſque ullâ ſalutis jacturâ negare liceat Chriſtum Deum, blaſphemare Sp. Sanctum, & ejurare ſacroſanctiſſimam Trinitatem; ſi *Vorſtius* innocens eſt, dum Deum in finitorum, & corporeorum numerum redigit, ſi *Serveti* pura eſt ab omni ſcelere anima, quanquam in Deum omni blaſphemiarum ſpurcitie ad ultimum uſque ſpiritum debacchatus ſit, iſtos omnes ſi liberes peccati reatu hoc nomine, quod quæ miſeri eructârunt ex ipſis animæ penetralibus, ex ipsâ mentis ſuæ medullâ protulerint, iniquum certè fuerit atriore carbone notâſſe Judæos vel Turcas, vel Paganos; quorum multi ſingulis ſemper ſeculis parati fuerunt vel ſanguine, & vitâ, teſtatiſſimum facere quæ contra Chriſtianos blaſphemarent, ea ſe abſque omni hypocriſi, ex imo cordis, qualequale haberent, fundo proferre, niſi ad iſtas abſurditatum Gorgonas Remonſtrantes expalleant, nobis ipſorum durior adamante frons, ſtuporis plurimum incutiet.

Ex tertio argumentorum fonte, Patrum, *Teſtimonia*
quos vocant, teſtimoniis, benè multa haurire *Patrum.*
proclive eſt. Animus fuit ex hiſtoriâ primarum quatuor OEcumenicarum Synodorum, prout ab Euſebio, Theodoreto, Socrate, Epiphanio, & aliis tradita eſt, demonſtrâſſe, quid tandem illud fuerit quod in *Ario Nicæni*, quod in *Macedonio Conſtantinopolitani*, in *Neſtorio Epheſini* Patres, & in *Eutyche Chalcedonenſes*, ut hæreticum damnaverunt. Hoſpes eſt in veteri hiſtoriâ qui neſcit quoties plerique omnes hæreſiarchæ, ad evitandas, quas tum Eccleſiæ canones, tum Imperatorum edicta, in hæreſin ſtatuebant pœnas; perditiſſimâ ſimulatione profeſſi ſint orthodoxiam, contra conſcientiæ errantis dictamina. Quod verò unquam famoſorum quiſquam hæreticorum errores tantùm ſimulaverit, quod veterum quiſquam affirmet ullam hæreticorum ſectam deditâ operâ ſcientes, prudentes, falſa dogmatizâſſe, contra expreſſam mentium ſuarum obtenebratarum ſententiam, nullus profectò memini. Certè in promptu, & ad manum erat errantibus omnibus Remonſtrantium hæc Apologia, iniquè ſecum agi occlamantibus, quòd quantumvis totâ errarent terrâ, mari, cœlo, procul tamen ab omni hæreſeos abeſſent maculâ: quandoquidem parati eſſent Deos omnes jurare, etſi juratis nulla fides adhiberetur, etiam ſanguinis martyrio teſtari, ſua ſibi dogmata ſaniſſima, veriſſima videri. Hujuſmodi tamen errorum excuſatio hæreticorum ingenioſiſſimis in mentem nunquam venit.

Ad hoc probandum, nil opus eſt teſtimoniis Patrum; *Remonſtrantes* nudiuſtertius nati, præ ſe ferunt apertè cornicum hîc oculos configere: ſuperciliosè ſatis ſibi unis acceptam ferri volunt hujuſce inventi gloriam. Ad noviter repertorum numerum, nupera hæc ipſorum de hæreſi commentatio adjungenda eſt. Quia tamen ex Auguſtino quædam afferre videri volunt, quibus ſua ſtatuminentur, non gravabor ex eo pauca citare, eoque lubentius, quod Auguſtino nemo quiſquam in hoc argumento teſtis magis idoneus produci poſſit. Nam nemo Patrum diutiùs in fœdiſſimarum hæreſeon cœno volutavit, nemo apertiùs

tiùs ſuæ mentis ſenſa quæ eſſent, dum Satanæ laqueis irretitus in erroris puteo jacêret, Deo ſimul, & hominibus prodidit. Fatetur is ingenuè toto Maniehæiſmi ſui undecennio firmiſſimam ſeſe fidem habuiſſe putidiſſimis nugis: credidiſſe ficum veras emittere lacrymas, in cibis angelos corporaliter incluſos, etiam Dei partieulas eum alimento in ventres humanos illabi, iterumque ructibus elabi.

„ Ipſum audito Confeſſ. lib. 3. cap. 10. *Senſim* (inquit) *atque paulatim productus ſum*
„ *ad eas nugas, ut crederem ficum plorare*
„ *cùm decerpitur, & matrem ejus arborem la-*
„ *cteis lacrymis, quam tamen ficum ſi aliquis*
„ *comedisſet ſanctus, miſceret viſceribus, &*
„ *anhelaret de illâ Angelum; imò verò parti-*
„ *culas Dei gemendo in oratione atque eru-*
„ *ctando: quæ particulæ ſummi atque veri*
„ *Dei ligatæ fuiſſent in eo pomo, niſi ſancti den-*
„ *te, ac ventre ſolverentur. Iſta quidem cre-*
„ *didi miſer.* Et capite ſequente. *Novem*
„ *ferme* (inquit) *anni ſequuti ſunt, quibus*
„ *ego miſer illo limo profundi ac tenebris fal-*
„ *ſitatis, cùm ſæpe ſurgere conarer, & gra-*
„ *viùs alliderer, volutatus ſum.* Et lib. 4. cap.
„ 10. *Per idem tempus annorum novem, ab*
„ *undevicesſimo ætatis meæ, uſque ad duode-*
„ *tricesſimum ſeducebamur, & ſeducebamus,*
„ *falſi atque fallentes.*

Confeſſio Adverſariorum.

Poſtrema nobis argumentorum claſſis, adverſantium erit confeſſio. Ludit in humanis divina juſtitia, mendaces non ſinit eſſe memores, in linguas doloſas Babylonem infundit: eo ipſo in loco ubi dogma probroſum quod refutamus, eructant, omnino contrarium non ſemel enunciant. Perlegat qui volet dictum infame eaput Apologiæ vigeſimum quartum, inveniet inter Remonſtrantium dictata, primo, hæreticos non aliud ore proferre, quàm quod intus animo verum cre-
„ dunt, his verbis. *Hæretici nec ſimulant,*
„ *nec mentiri ſe ſciunt, & quod, animo ſen-*
„ *tiunt id ore profitentur.* 2. *Volunt hæreticos*
„ *viros uſque adeò plerunque pios, ut, ſi ani-*
„ *mo agnoſcerent errores, eos ſtatim expue-*
„ *rent ore his verbis. Sæpiſſimè innocentiſſimi*
„ *& optimi homines carnis & mundi oſores*
„ *hæretici eſſe deprehenduntur, id eſt, errori*
„ *alicui pertinaciter inſiſtentes, nec quiſquam*
„ *eſt hæreticus qui ſi hæreſin ſuam opus eſſe car-*
„ *nis intelligeret, non ſtatim eam abdicaturus*
„ *ſit, & deſerturus.* Tertiò affirmant peccare in charitatem qui eâ ſuſpicione gravare audent hæreticos, quaſi deditâ operâ errarent,
„ his verbis. *Hi negans ſe hæreticos eſſe, ſe*
„ *perperam ſentire, ſe blaſphemare, imò con-*
„ *traria omnia proteſtantur, atque ut prote-*
„ *ſtationi ſuæ fidem faciant, mortibus omni-*
„ *bus mori malunt quàm aliter agere, ne æter-*
„ *num pereant. Magiſtratus credere debet*
„ *neminem (qui modo pius ac probus eſt) ſtu-*
„ *dio ac deditâ operâ hæreticum eſſe velle, aut*
„ *pertinaciter in errore velle perſeverare; in-*
„ *primis ſi id ſeriò profiteatur, & mori ſe mal-*
„ *le dicat, quàm a ſententiâ vel latum unguem*
„ *velle diſcedere.*

Quarto ſummam ſtatuunt eſſe pertinaciam de cujuſquam alterius pertinaciâ pronunciare
„ his verbis. *Imò noſtrum de aliorum pertina-*
„ *ciâ judicium, nil niſi mera pertinacia eſſe*
„ *poteſt.*

Quintò, hæreticorum etiam blaſphemias non eſſe peccata; eo quòd oriantur ex mero errore, quem qui docent, tantâ cordis ſinceritate amplectuntur, ut etiam ſanguine ſancire parati ſint, his verbis. Non niſi imprudenter, & per errorem purum putum id fa-
„ ciunt. Item. *Hæreticus qui errore deceptus*
„ *blaſphemat, cùm credat ſe non modo non*
„ *blaſphemare, ſed Deum ex præſcripto ver-*
„ *bi ſui glorificare, blaſphemus non eſt quem*
„ *lex occidi jubet.* Item. Hæreticus blaſphemus propriè eſſe non poteſt.

Objectio ex Tit. 3. 11.

Plura non addam ad orthodoxæ ſententiæ κατασκευὴν pauca ſolùm ἀνασκευαστικῶς reſpondeamus ad argumenta contraria. Proram & puppim in adverſantium diſputatione facit epiſtola ad Titum eap. 3. v. 11. unde ſic argumentantur. Omnis αὐτοκατάκριτος peccat contra ſui judicii, ſuæ mentis, ſuæ conſcientiæ expreſſum dictamen: Atqui omnis hæreticus eſt talis. E. Si negaremus Minorem, rueret ſtatim tota fabricæ moles in fabrorum capita, quâ cùm opprimerentur, ſibi ſolis ruinæ ſuæ referre debent gratiam. Docent enim loqui Apoſtolum dicto loco, non de omnibus, non de pleriſque hæreticis, ſed iis ſolùm qui de rebus levibus inanes concitant lites; qui ob logomachias, & quæſtiones quas ipſi intus probè ſciunt nullius eſſe momenti, cœlum terræ miſcent. Iſti verò quàm ſint oppidò pauci, imò quàm verè nulli, non difficile eſſet demonſtratu, ſi liceret per clepſydram: ſed miſsâ Minore, Majorem pernegamus: quàm magnis autem id faciamus auctoribus, & quantâ cum ratione habetote paucis.

Qui ſint αὐτοκατάκριτοι.

Theologi veteres permulti ſententiam Apoſtoli quæ præ manibus eſt, pertractârunt: nobis in noſtro muſeolo ruſticano cunctos videre non eſt datum; ſed quibuſcum colloqui contigit, de omnibus ſpondere audeo, nihil ipſos afferre in locum quod Remonſtrantibus faveat. Sex nomino non infimi ſubſellii viros, tria Orientis lumina, *Athanaſium*, *Chryſoſtomum*, *Theodoretum*; Occidentis totidem, *Ambroſium*, *Auguſtinum*, *Hieronymum*. *Theodoretus* ſuis in locum commentariis nullum γρῦ, nullum ἰῶτα ſubinnuit, quod Remonſtrantium commentationi patrocinium præbeat. *Athanaſius* dum frequenter in dictum incidit locum, ne tantillum habet, quod adverſariis faveat.

Chryſoſtomus locum commentans, nihil aliud ad αὐτοκατάκρισιν requirit, quàm perſeve-

rantiam

rantiam in errore poſt admonitiones; ſic e-nim Apoſtoli verba interpretatur: Τί ἐστιν (inquit) ὢν αὐτοκατάκριτος; ὁ γὰρ ἔχει εἰπεῖν ὅτι οὐδείς εἶπεν, οὐδείς ἐνουθέτησεν, ὅταν μετὰ τὴν νουθεσίαν αὐτὸς ἐπιμένῃ, αὐτοκατάκριτος γίνεται. Quin & in antecedenti ſententiâ errorem fatens: ipſam hæretici mentem immutâſſe μετανοῆσαι τὴν γνώμην. *Ambroſius* in locum ne ſyllabam pro Remonſtrantibus habet. *Auguſtinus* ſexagies huc ex occaſione deve[illegible]tus, tant[illegible].

Hieronymus in ſuis commentariis apertè adverſariorum con[illegible] elidit, affirmans αὐτοκατάκριτον exiſt[illegible] ſua dogmata uſque adeo vera, ut meliorem docentem habeat pro er-„ rante; ſic enim loquitur: *A ſeipſo conde-„ mnatus eſt, qui ſemel biſque correctus, au-„ dito errore ſuo non vult corrigi, errare exi-„ ſtimans corrigentem; & è contrario ad pu-„ gnas & jurgia verborum ſeſe parans eum „ vult lucriſacere à quo docetur.*

Verumenimverò, quia novaturientibus ſordet auctoritas veterum, accipite quæ ipſimet in hunc afferunt locum. Doctor *Potterus* in ſuo celebri nimis opuſculo, ubi *Caſſandri*, *Spalatenſis*, & Remonſtrantium ad morem, latam hæreticis omnibus, pleriſque ſaltem ad ſalutem pandens portam; nontamen plura ad αὐτοκατάκριτον requirit hiſce tribus, ut in Scripturâ veritas apertè reveletur, ut eadem erranti diſtinctè proponatur, ut errans nullâ naturali ἀβλεψίᾳ laboret, nullo mentis extraordinario vitio impediatur, quò minùs quod apertè revelatur à Deo, quod diſtinctè proponitur ab hominibus intelligere valeat: iſta verò omnia fatetur conſiſtere cum errantis opinione de dogmatum ſuorum veriſſimâ veritate.

Sed miſſis auctoritatibus, quâ tandem ratione probant negatum argumentum? dum volvas & revolvas à capite ad calcem Apologiam totam, nullam invenies rationis umbram, niſi quòd forte ex ipſo vocabulo αὐτοκατάκριτος ingenioſi homines excudant.

Ex voce tamen nullis fidiculis aliud extorqueas quam *damnatum à ſe*; ſi ultrà premas, omnem ſui damnationem; ſuæ mentis tantùm & conſcientiæ ſententiâ fieri, omninò negamus ſequelam. Nam à genere ad ſpecierum alteram putida eſt conſequentia, nec melior à re ad unum rei modum. Multis modis condemnare ſeipſum quis poteſt, mente ſuâ, ore ſuo, opere ſuo: de poſterioribus modis aliquoties ſacra Scriptura, de primo quantum memini, nunquam. Luc. 19. 22. *Serve nequam, ex ore tuo te judico.* Hic qui ſuis verbis condemnationis ſuæ argumenta Domino miniſtravit, eſt à ſe condemnatus, hoc eſt, ab ore ſuo. Ad Rom. 2. 1. *Quiſquis alium damnas, teipſum condemnas, quia eadem facis.* Hic uterque modus αὐτοκατακρίσεως conjungitur; oris, in alienâ condemnatione; operis, in ſuo facto; de mentis & conſcientiæ ſententiâ nihil. Rectè itaque interpretantur Apoſtoli verba præ manibus, condemnat ſeipſum hæreticus, qui ſicut *Ambroſius*, *Hieronymus*, *Auguſtinus* vocabulum Græcum exponunt, & fortaſſis ante ipſos Syrus Interpres, transferens *ipſe condemnat animam ſuam*, non verò *ipſe condemnatur ab animâ ſuâ*, *vehou bajab naphſhah*. Interpretamur ergo condemnat ſeipſum, ſuo facto ſcilicet, quòd Eccleſiæ admonentis conſilia contumaciter ſpreverit; ſuo etiam ore, quod omnis hæreticus verbis ſaltem amplectens Divini verbi literam (alioqui ex Hæretico Ethnicus evaderet) omnis (inquam) ore profitetur eas veritates, ex quibus ſuæ hæreſeos error, & falſitas neceſſariò evinci poteſt. Tertium propriæ damnationis modum Remonſtrantes pro imperio volunt Apoſtolo obtrudere, ſed nobis liceat diſſentire, donec imperium ſuum unico ſaltem argumento ſtatuminaverint. Id ipſi quidem, quoad ſcio, non conantur; à ſequacium tamen nonnullis unica ſolet afferri ratio, quam proximo loco paucis perſtringemus.

A Scripturis depulſi confugiunt ad humanæ rationis puteum, inde unius tantum argumentuli ſitulam hauriunt. Qui errori, inquiunt, addunt in errando pertinaciam, iſti ſponte contra mentis ſuæ lumen errant: Atqui hæc omnium hæreticorum ſors eſt. Amplectimur Minorem, ſed quantis meritò ſibilis Major excipienda ſit, loquantur Remonſtrantium Magiſtri. Varia citare licet Apologiæ commata, vide tantùm ſis pag. 271. *Con-„ tumacia* (inquiunt) *vel pertinacia de for-„ mali ratione hæreſeos eſt, pertinacia autem „ non ſignificat voluntatis actum, quaſi hæreti-„ cus etiamſi de veritate fundamentali ſit con-„ victus, velit tamen ex profeſſo opinationi ſuæ „ falſæ adhærere, nihil minus: hoc enim me-„ rum figmentum eſt, ſed ſignificat errorem „ mentis, in quo ſeductus manere vult, ſive „ quia rationes non audit, quæ contrarium „ efficaciter ſuadent, ſive quia rationes, per ſe „ ſatis efficaces pro merito non introſpicit aut „ conſiderat.* Item pag. 285. *Nemo deditâ o-„ perâ errat, aut errare ſe ſibi perſuadet, cùm „ de æternâ ſalute ſuâ agitur; quare fas non „ eſt invito alicui malitiam attribuere, cha-„ ritas aliud ſuadet, & præſumptiones pro er-„ rante ſunt: quod ad pertinaciam attinet, eam „ errans non diffitetur, ſed conſtantiam eſſe in „ veritate credit; pertinacia enim eſſe deſinit, „ cùm quis in eo quod credit aut ſentit, erra-„ re ſe non advertit, adeoque ſe non errare fir-„ miter perſuaſum habet.*

Quod ad teſtimonia veterum, duo tantùm afferuntur ex Auguſtino loci: alter ex præfatione libri de hæreſibus ad Quod vult Deum. *Reſponſio ad Auguſtini loca.* „ *Quid ergo faciat hæreticum, regulari qui-„ dem definitione comprehendi ſicut ego qui-„ dem exiſtimo, aut omninò non poteſt, aut „ quàm difficillimè poteſt.* Sed nihil iſta ὡς ἔπος

[illegible]. Eſto, impoſſibile ſit regulari definitione comprehendere, quis ſit hæreticus, num tamen hujus impoſſibilitatis neceſſaria cauſa fuerit, quòd hæreticus errores ſuos contra mentis ſuæ ſententiam tuetur? nihil certè facilius, quàm hanc hypocriſin accuratiſſimo penicillo cuilibet volenti depingere. Cui vacat antecedentem inſpicere paginam, inveniet omnem *Auguſtino* difficultatem definiendi hæretici motam eſſe ex ſolâ *Philaſtrii* cum *Epiphanio* differentiâ in ſuis hæreticorum catalogis. Nihil aliud vult modeſtiſſimus vir, quàm difficillimum eſſe, tam claris tamque certis notis hæreticos deſcribere, ut eorum catalogos ante ſua tempora expoſitos legenti liqueat, nullum adſcriptum infami ordini præter ſuum meritum; nec ullum omiſſum qui atro iſto carbone notari commeruerit. Quàm hoc præſtitu difficile ſit, cernere eſt in ipsâ emendatâ *Auguſtini* hæreticorum recenſione; etiam hîc legas multos, inprimis *Patalorynchitas*, *Abeloitas*, & nudis pedibus ambulantes; quos erroris & imprudentiæ notaveris, ſed hæreſeos notâ vix ac ne vix quidem audeas commaculare.

Alter locus eſt de utilitate credendi cap. 1. ubi diſtinguens inter hæreticum & hæretico
„ credentem, *hæreticum ſic deſcribit*, *qui a-*
„ *licujus temporalis commodi*, *& maximè*
„ *gloriæ*, *principatuſque ſui causâ*, *falſas o-*
piniones vel gignit, *vel ſequitur*. Reſp. quid hoc ad elenchum? An difficile eſt, cui ſuperbia, avaritiave fuerit prima erroris cauſa, opinari falſiſſima dogmata ſatis eſſe vera? Ut taceam omnium experientiam ſeculorum; *Auguſtinus* ibidem loci affirmat, quòd nihil facilius ſit, quàm non ſolùm dicere, ſed etiam opinari ſe verum inveniſſe. Certè creſcit hæc facilitas, ſi vel cupido, vel ſpes ad manum ſint, quæ novam ab ipſarum uliginoſo ſolo tenebrarum, & caliginis nubem menti aſpirent.

Peroratio. Habetis quæ dierum aliquot ſtudium congeſſit ad novam hanc controverſiam illuſtrandam: novam, inquam, nam, ni mea me fallat conjectura, nemo ante hac novum hocce Remonſtrantium delirium attigit. Quò major mihi ſpes, æqui vos conſulturos quæ in primo certaminis hujus ortu, cruda nimis tenuiaque, & conſeſſum hunc fortean dedecentia protulerim, deprecor cenſorias virgulas, & caperatas *Catonum* frontes, quanquam aſteriſcos, & Creſſas notas ſperare non liceat, eſt tamen in votis obæratorum, carbonumque & theta nigri dedecora effugere. Benignioris cenſuræ propemodum certam expectationem mihi facit plerorumque qui adſunt, antiquis experimentis, demonſtratus in me non vulgaris amor. Quæ fabulantur veteres amoris conſpicilla, quibus amicorum omnia, qualiacunque tandem in ſe, perplacent tamen amicis, minimum habent fabulæ: genuinus eſt abſque omni fabula character amoris, prout Divina *Petri* manus depingit, amati lapſus contegere. Charitas (inquit) operit multitudinem peccatorum 1. Epiſt. 4. 8. Eadem de *Solomonis* ore fluxit veritas Prov. 10. 12. *Omnes defectiones obtegit charitas.* Hæc me una ſpes huc devexit ſi non invitum, certè, quod ſciunt multi, valdè diuque reluctantem. Niſi magnetis iſtius magna fuiſſet in me attrahendo efficacia, ego frigidum, durum, & grave ferrum, nunquam memet moviſſem loco. Nam præterquam quod probè mihi conſcius eram, quàm vacuum geſtarem pectus iſtius theſauri omni-variæ eruditionis, virilis eloquentiæ, ſpectatæ prudentiæ, exemplaris pietatis, indefeſſæ ſedulitatis, aliarumque virtutum, quas hæc ſtatio ſuo jure poſtulat: præter, in quam, iſtius theſauri profundam apud me pauperiem, magna ſemper à puero mihi voluptas erat in vitâ quietâ, in latebris procul ab hominum luce, ab urbano ſtrepitu lyricinis Chriſtiani votum multùm meo ſemper adlibuit cordi, Syneſii volo hymnorum primo.

Iſta ſic vertit Petavius.

Ὁ μὲν ἵππων εὖ ἄγοι,	Alius equos ſcitè agitet,
Ὁ δὲ τόξον εὖ τιταίνοι,	Alius arcum benè tendat,
Ὁ δὲ θήσαυρα φυλάσσοι	Alius acervos cuſtodiat
Κτεάνων, χρύσεον ὄλβον,	Opum, aureas divitias,
Ἑτέρῳ δ' ἄγαλμα χαίτη	Alii vero (ſit) decus coma,
Κατ' ἰνίων πιτνοῦσα:	Demiſſa cervicibus:
Πολύϋμνος δέ κεν εἴη	Celebris admodùm alius ſit
Παρὰ κούροις, παρὰ κούραις	Apud juvenes, apud puellas
Ἀμαρύγμασι προσώπου.	Nitenti decore vultûs,
Ἐμὲ δ' ἀψόφητον εἴη	At mihi tranquillam liceat
Βιοτὰν ἄσημον ἕλκειν,	Vitam ignotam ducere,
Τὰ μὲν εἰς ἄλλους ἄσημον	Cæteris quidem ignotam,
Τὰ δὲ πρὸς Θεὸν εἰδότα,	Deo autem notam.
Τί γὰρ ἀλκὰ, τί γὰρ κάλλος,	Quid enim vires, quid verò forma,
Τί δὲ χρυσὸς, τί δὲ φαμὰ,	Quid verò aurum, quid verò fama,
Βασίλειαί τε τιμαὶ,	Regiique honores,
Παρὰ τὰς Θεοῦ μερίμνας;	Si conferantur cum curis de Deo?

INnatum hoc deſiderium ἀσήμου καὶ ἀψοφήτου βίου trabali clavo meæ meruri affigebat. Quanquam in præſentiâ laxatum me, ſolutumque tandem ſentiam, adamantinis propè catenis, per veſtras importunas, non dicam, at certè frequentes, & vehementes valdè interpellationes,

tiones, quæ mentem meâ multò conſtantiorem expugnare dudum potuiſſent. Magnum fateor ad hoc quod jam cepi conſilium mihi fuit illicium, expreſſa, quam feciſtis publicè, fides; ſi poſt aliquanti temporis rudimentum, militia hæc nova non ſaperet palato ſeu veſtro, ſeu meo, liberrimi ad priſtina caſtra reditûs facturos vos mihi copiam. Hujuſce fidei cùm uſus ac opus erit proculdubio præſtandæ, ſpe certâ plenus, amplector quam datis ſpartam. Agnoſco lubens, dum pertenuem, quæ mihi adeſt, literarum ſupellectilem recolo, diſcipulorum ſubſellia, quam Doctoris Cathedram meis fortunis belliùs convenire; nec alia, mihi credite, mens unquam fuit, hancce capeſſenti provinciam, quàm ut unà vobiſcum, adoleſcentes, condiſcipulum agerem; confidens per Dei bonitatem futurum, ut diligenti doctiſſimorum, qui adſunt, Profeſſorum ἀκροάσει, induſtriaque privatorum mei veſtrique ſtudiorum inter nos collatione, in me quidem reviviſcant, ſi qui olim inerant amoris erga diſciplinas igniculi, deſuetudinis longæ cineribus probe jam extincti; in vos verò tanta eruditionis omnigenæ copia, ex divino cornu iſtorum felici miniſterio effundatur, ut ex veſtro ordine, numeroque ſuborituri ſint aliquandò, quibus iſtam, quam nunc capio, lampada, ſpartamque gratulabundus tradam; non ut à me jam qualitercunque curandam, ſed, quod ſpero, voveoque, egregiè adornandam; iſtam Dominus feſtinaverit precor lucem, ita mihi ad amatas tenebras proclivior reditus fuerit.

Intereà parvitatem meam (moderatores ſpectatiſſimi) veſtris imperiis obſequentem habebitis. Noviſtis mei ordinis homunciones non eſſe liberos, nec ſui juris; ut mea ad vos commigratio ſupremo Eccleſiæ Senatui complaceat, non eſt mearum virium præſtare; hodiernum uteunque facinus, luculentus, puto, teſtis eſt, quâ cupiditate ferar habendi gratiam, quàm valeo maximam, almæ Matri, amplæque, in quâ ſedet, Civitati. Priſtina non memoro ſumma beneficia; natale ſolum, infantiæ vagitus, pueritiæ luſus, rudimenta literarum, ſemina pietatia, honores Scholæ, Philoſophicam in hiſce ædibus profeſſionem ad quintum uſque ſtipendium. Quicquid certè mihi eſt vitæ, quicquid bonorum, quantulumcunque literarum, quantulumcunque gratiæ; maximam omuium partem hic locus ſuo jure ſibi vendicat. Sed hæc antiqua ſunt, antiquata tamen nolim, recentiorum præſentior ſenſus eſt, dum cogito quantis laboribus, quantâ cum moleſtiâ, quàm magnis impenſis, quàm obſtinatâ conſtantiâ, annos jam totos quatuor, Civitas ſimul & Academia junctis dextris unanimes, meum ad ſe reditum procuraverint. Intereà dum ego ſileo, dum obſurdeſco, dum reluctor, dum occlamo, dum recalcitro; fateri cogor, ſi non miri, certè ſingularis, inſuetique in me immerentem amoris indicia demonſtrata: cui rependendo utut nunquam ſim par, quò tamen aliquod grati animi teſtimonium edam, profiteor eſſe unicè in votis, ut bonâ ſuperiorum cum gratiâ, mihi liceat impendere quod annorum in terris reliquum eſt, veſtris commodis, veſtrique unorum ſervitio. Sin, quod abſit, vetabit major Synodus, quod juſſit minor, meum me hîc larem figere, quod re nequirem, voto, preceque quotidie conarer: in Eccleſiam, Academiam, Civitatem Glaſguæ, mihi gratiæ, mihi literarum, mihi vitæ fontes; exuberantem donorum omnium ſegetem ab unico gratiarum Oceano aſſiduus comprecarer. Hoc voto ſupplices junctis animis Deum veneremur.

Diatriba de Dei ſimplicitate, num quicquid in Deo eſt, Deus ſit?

Princeps præſentis ſeculi malum eſt ſpiritus erroris.

UNumquodque ſeculum ſua propria vexârunt mala, noſtrum hoc multa non unius generis male habent: num priori poſterior dies ſemper deterior ſit, & ætatum ultima miſerrima, non diſputo: quotidianus mortalium ubique ſenſus abundè, putò, demonſtrat, quod nunc currit ſeculum, à priorum paucis, calamitatum vel numero, vel magnitudine ſuperari. Cætera tacitus tranſeo, vide tantùm ſis, quanta hodie miſeriarum moles Eccleſias hujus Inſulæ premat, peſſundet, & tantum non opprimat. Uſquamne gentium ex abyſſi puteo major, tetriorve monſtrorum colluvies, & numeroſior pravorum ſpirituum caterva proſerpſit, quàm quæ hodierno die in noſtrâ Britanniâ palàm, apertâ fronte, in maximâ hominum luce dominari, triumphare, & tantum non regnare conſpicitur?

Dum inter iſta nuper monſtra verſarer, multorum nova, inſueta, & infanda deformitas, horrorem aliquando, fateor, incutiebat, perſæpè commovebat dolorem.

Socinianiſmus Vorſtii inter Anglicanas ſectas dominatur.

Verùm unius præ cæteris omnibus inexpectatus occurſus non levi ſtupore percuſſit. Poſt aliquanti temporis conſuetudinem minùs mirabar in populi fæce, literarum, pietatis, & prudentiæ vacuâ (licet opinione cùm ſcientiæ, tum pietatis ſuæ admodum inflata) Bruniſtarum, Anabaptiſtarum, Antinomianorum, Familiaſtarum, & quæ ſuperſunt, ſectarum magnos greges. Cùm autem inter ipſos magnates, viros tam literis, quàm dignitate claros, *Vorſtium*, & *Socinum* redivivos familiariter verſari animadverterem, teterrimas quaſque contra Trinitatem, contra Chriſtum blaſphemias in deliciis eſſe, initio quidem elàm, & aliquo cum metu, ſed mox poſito pudore, palam mandari typis, & commendari populo elogiis eorum, quibus librorum cenſuram auctoritas publica demandabat; & cùm à nonnullis veritatis zelus de hiſce malis,

etiam

etiam publicos queſtus, quà voce, quà calamo exprimeret, qui ad clavum Reipub. ſedebant, & præcipuâ vel in comitiis, vel in Synodo, vel in Civitate, vel in Provinciis auctoritate pollebant, frigere, ſilere, connivere viderem; tum verò ſolicitum animum multæ, variæque cogitationes angere, magnuſque metus ſubire, oe noſtrorum, parentumque peccatorum reatus à divinâ juſtitiâ extorſiſſet poteſtatem Satanæ erigendi in noſtrâ miſerâ Britanniâ eos erroribus thronos, eas hæreſibus arces, ea blaſphemiis caſtra, quæ olim Monaſterii, alibique in Germaniâ & Belgio, extruere impurus ille Spiritus magno molimine conatus eſt, ad ipſa Chriſtianiſmi fundamenta convellenda, ad ſupprimendam omnem cœptæ reformationis ſpem, imò verò ad explodendum inſtaurandæ Religionis ipſum nomen. Quanquam io medio metu non mediocris perſæpè fiducia recreabat, ſimiles tandem in Britanniâ Satanæ conatuum fururos exitus, quàm in Germaniâ dudum fuiſſeor; omnes noſtræ Babylonis turres, quæ tantâ hodie cum vi, tantaque arte, atque induſtriâ ſtruuntur, io vertices ſtructorum collapſuras, tantumque properantis iſtius ruinæ fragorem futurum, ur omnes inter nos errorum ſpiritus vel contritos enecet, vel territos extra noſtra pomœria ad longioquas oras ounquam redituros in æternum exilium expellat.

Præſentis opella ſcopus & occaſio.

Intereà dum peſtilens errorum aura noſtras regiones afflare pergit, quibuſcunque animarum ſalus curæ eſt, magnopere incumbant, ut ſe, alioſque probè muniant adverſus aëris infecti venenum. Tradidimus ſuperioribus dictatis aliqua contra vicinos errores antidota; plura ejus generis io poſterioribus ſcriptis emiſimus in publicum. In præſeoti Diatribâ dabimus quæ contra *Vorſtianos* noo ſine labore, & ſolicitudine ſumus meditati. Res fuit cum adverſario procaci, qui coofidenter admodum & animosè *Vorſtium* ſuſcepir defendendum in ſuis contra divinam ſimplicitatem blaſphemiis. Quæ pro bæreſi ſtatuminandâ afferebat ille, ſub Opponentis accipite perſonâ, & quæ regerebam ego, ſub Reſpoodentis oomine habetote.

Hæreſis, & blaſphemia jure merito Vorſtio imputantur.

Oppugnans ſic præfatus eſt, ſibi videri temerè me nimis & acerbè *Vorſtii* perſonam puogere, dum virum condemnarem hæreſeos, & teterrimarum contra ipſam Divinitatem blaſphemiarum.

Reſpondebam, nunquam mihi cordi fuiſſe, perſonæ cujuſquam infamiæ notas imprimere, niſi magna ſubeſſet cauſa: quàm meritò autem *Vorſtio* ab omnibus orthodoxis Eccleſiis fœdiſſimæ lituræ aſpergi ſoleant, videre eſt in egregiâ illâ Regis Jacobi ad Ordines fœderatos declaratione.

De causâ Vorſtii narratio hiſtorica.

Conradus Vorſtius aliquot aoois Profeſſorem egit Theologiæ noo ſine laude *Steinfurti* in *VVeſtphaliâ* in illuſtri Scholâ Comitum à *Bentheim*: ſed poſteà in varios errores dilapſus eſt, & in magnam Socinianiſmi ſuſpicionem apud omnes vicinos incurrit. Ut hæ maculæ eluerentur, ad *D. Paræum*, & Profeſſores Heidelbergcoſes à Comitibus *Benthemiæ* miſſus eſt; ibi excuſationibus, declarationibus, promiſſionibus, tam ſedulam homo ſubdolus navavit operam, ut ὀρθοδοξίας teſtimonium reportaverit. Sed mox ex colloquiis, & diſputationibus privatis, & cum notis Socinianis familiaritate, ἑτεροδοξίας fama recruduit, dooec ad annum 1610. præter propter, tractatus de Deo evulgatus, omnem de viri ſummè peſtifero ſeoſu ſcrupulum ſano cuivis exemit. Eo temporis fervebant in *Bataviâ* de Arminianiſmo certamina: *Iacobus Arminius*, *Franciſci Iunii* in Academiâ Lugdunenſi ſucceſſor, omnes fœderati Belgii provincias in annis paucis pernicioſorum errorum lolio rereplevit: dum quotidie malum invaleſceret, divina manus *Arminium* tempeſtivâ morte movit loco, de Theologo qui ſuccederet, magna per omnes provincias ſolicitudo; Arminianorum primipilares *Barneveltius*, *Grotius*, *Utenbogardus*, in toro *Belgio* nimis quàm potentes, Curatoribus Academiæ Lugduoenſis obtinuerunt vocationem *Vorſtio*, ut *Leidæ* in Profeſſoratu Theologiæ *Arminio* ſuccederet; & per importunas Ordinum Geoeralium literas ei procurârunt à Comitibus *Benthemiæ* libertatem diſcedendi *Steinfurto*. Id orthodoxos omnes peſſimè habebat: intercedebant & voce & ſcripto multi Miniſtrorum, ſed fruſtra. Tandem *Iacobus Britanniæ* Rex à Theologis Anglis monitus de regiooum ſuarum periculo ab erroribus, ſi in vicino *Belgio* radicem egiſſent, cum fœderatis Ordinibus per legatos agit ſemel & iterum, ne Arminiano inceodio *Vorſtii* oleum adderetur. Sed cum Ordines per triumvirorum nominatorum ſuſurros malè conſultos, animadverteret, ſuis poſthabitis monitis, in Vorſtianâ vocatione pergere, tum verò ſplendidam pietatis & prudentiæ plenam contra *Vorſtium* Declarationem regio nomine expreſsè publicavit: ubi magno omnium rectè ſeotientium ubique cum plauſu, bos Vorſtianæ fronti pro merito characteres inuſſit.

Iacobi Regis de Vorſtio teſtimonium.

Subjiciemus ipſa Regis verba Regiorum o-
» perum pag. 353. Conradus Vorſtius *infelix*
» *hæreticus, vel potiùs atheus.* Ibidem. *Liber*
» *de Deo, atheiſmo, & blaſphemiis ita refer-*
» *tus eſt, ut non modo librum flammis cenſea-*
» *mus urendum, ſed auctorem quoque ipſum*
» *graviſſimâ pœnâ mulctandum.* Pag. 354.
» Vorſtius *vipera & monſtrum hominis, qui*
» *ipſam Deitatis eſſentiam ſibi exagitandam*
» *ſumpſit.* Pag. 355. *Infames libri in Cœmete-*
» *rio Paulino, & in utrâque Academiâ pu-*
» *blicè noſtro juſſu cremati.* Pag. 358. Vor-
» ſtius *homo corruptiſſimus, miſer, athei-*
» *ſmum, & hæreſes publicavit. An quiſquam*

 » *hære-*

,, *hæreticorũ magis aliquando meruerit ignem,*
,, *veſtrum eſt judicium.* Pag. 359. *Quantum*
,, *potes noſtro nomine contende, ut hæreticus il-*
,, *le ex tot blaſphemiis confuſus exigatur in exi-*
,, *lium.* Pag. 360. *Vorſtius Leidæ in Eccleſiæ*
,, *veſtræ ſeminario vexillum adverſus Deum*
,, *proponit, novam commentus ſectam ex an-*
,, *tiquis & novis hæreſibus conſutam, dixit in-*
,, *ſipiens in corde ſuo non eſt Deus. Atquiple-*
,, *no ore in Deum blaſphemias ebuccinat, &*
,, *ſciens volensque nihil non impietatis ſtylo*
,, *ſuo permittit; huic præ omnibus hæreticis,*
,, *qui inde uſque ab exorto Evangelii lumine è*
,, *tenebris emerſerunt, ſine controverſiâ pal-*
,, *mam ſcias deferri.* Pag. 361. *Vorſtius jam*
,, *multiplicis hæreſeos convictus teſtibus omni*
,, *exceptione majoribus.* Pag. 364. *Ut quanto-*
,, *pere Vorſtii Atheiſmum, & hæreſes, omneſ-*
,, *que impietatis hujuſce fautores oderit, Chri-*
,, *ſtiano orbi innoteſcat.* Pag. 365. *Hic Anti-*
,, *joannes ſanctiſſima quæque profano ſtylo ſolli-*
,, *citat, & cælos, & Dei ſolium profano ala-*
,, *rum remigio ſublatus, ſacram illius & in-*
,, *effabilem eſſentiam ſacrilegis quæſtionibus ſo-*
,, *licitat, Deum inficiatur actum purum, &*
,, *qualitatum expertem, qui nempe aliquid in*
,, *ſeipſo diverſitatis & multiplicitatis habeat;*
,, *&, horreſco referens, principium cujuſdam*
,, *mutabilitatis, quaſi bellum non Theologiæ*
,, *tantùm, ſed omnibus humanis ſcientiis in-*
,, *dixiſſet.* pag. 366.

Synodi Dordracenæ de Vorſtio teſtimonium.

Regia hæc opera *Lugduno & Batavia Vorſtium* pepulit, utcunque frendentibus amicis: animoſque fecit *Mauritio* Auraniæ Principi, & Orthodoxis exarmandi Arminianos, qui multis in locis vim adverſariis apertam faciebant, & non obſcurè Provinciarum diſſipationem civili bello meditabantur; *Barneveltius* mulctatus capite, *Grotius*, & *Vtenbogardus* acti in exilium, Dordracena Synodus convocata, quæ conſentientibus tam Provincialium, quàm exterorum Theologorum ſuffragiis Vorſtium hoc ſtylo confodit, actorum ſyno-
,, dalium pag. 368. *Doctrina* Vorſtii *de quam-*
,, *plurimis momenti maximi dogmatibus, ut*
,, *Verbo Divino, & confeſſionibus reforma-*
,, *tarum Eccleſiarum contraria, impia, blaſ-*
,, *phema, & in divinam majeſtatem, & ve-*
,, *ritatem, multis modis contumelioſa, in Ec-*
,, *cleſiis, & Scholis reformatis nequaquam to-*
,, *leranda, ſed ex iiſdem cum deteſtatione peni-*
,, *tus eſt eliminanda & extirpanda.* Jam patêre puto nullam in me temeritatem, acrimoniam nullam, tot tantiſque *Vorſtii* cenſoribus meum etiam addidiſſe calculum.

Objectio.

Pergit Opponens. Dicis *Vorſtium* modeſtiæ velum curioſitati prætendiſſe, qui tu ſcire potes ipſum modeſtiam tantùm ſimulâſſe? Nunquid mortalium quiſquam eſt καρδιογνώστης? Dicis *Vorſtium* curioſas magis, & periculoſas de Divinitate ſpeculationes effudiſſe, quàm ab ullo hæreticorum per annos mille trecentos emanârunt. Annon *Anthropomorphitæ*? Annon *Triformiani*, noxia magis de Deo deliria ſomniarunt? Jure omnes hæreticorum de Deo errores, per annos mille trecentos legiſti? Et ſi tanta in *Vorſtio* perverſitas appareat, qui tu tam molliter de ipſo loqueris? Dicis termino diminuente, videri eum duas fundamentales hæreſes defendere.

Vorſtius hypocriſeos convincitur.

Reſp. Meæ de *Vorſtio* cenſuræ nihil hic opponitur, præter aliquot quæſtiones parum aut nihil ad rhombum, ad quas tamen ſigillatim reſpondebo. Ad primam, fundamentum meæ de Vorſtianâ hypocriſi ſcientiæ, eſt ordinarius à Deo & naturâ fixus hypocryſeos index, ſplendidorum prætextuum ad fœdè patrata collatio. Multoties clamat *Vorſtius* ſe id operam enixè dare, ut curioſæ, & audaces Scholaſticorum, aliorumque ſpeculationes cohibeantur: intereà ſpeculationes ipſe multò magis curioſas, & audaces paſſim eructat. Si ex his præmiſſis concludo ſimulâſſe ipſum prius, ut efficeret poſterius; pauci, puto, mihi propterea mortalis cujuſquam peccati crimen imputabunt.

Vorſtius Anthropomorphitis periculoſior.

Quod de *Anthropomorphitis* quæritur, num *Vorſtius* curioſas magis, & periculoſas de Deo ſpeculationes quàm iſti, propoſuerit? Hoc ſi affirmarem, quomodò redarguerer? *Anthropomorphitarum* placita de curioſitate minimum habebant, parum etiam ab ipſis periculi; craſsè adeò & palpabiliter errant: imò verò gens hæc errantium ab antiquâ Eccleſiâ in ſchiſmaticorum, nedum hæreticorum cenſu poſita non eſt, ſecundum *Auguſt. hæreſ.* 50.
,, Vadianos Epiphanius *ſchiſmaticos, non hæ-*
,, *reticos videri vult, alii vocant Anthropomor-*
,, *phitas, quamvis ſint qui in Ægypto eos Ca-*
,, *tholicæ Eccleſiæ communicare aſſeverent.*

Ad quæſtionem autem ab Opponente propoſitam reſpondet *Auguſtinus* adverſus epiſtolam Fundamentalem cap. 23. ubi inſtituitur comparatio inter *Anthropomorphitas* Deo corpus humanum aſcribentes, & *Manichæos*, qui corpus etiam Deo affingebant, non humanum verò, ſed immenſum quoddam & confuſum abſque membrorum diſtinctione, ſuperiùs infinitâ, & continuâ extenſione diffuſum, inferiùs contractum, diviſum, & ſciſſum: in errore priori ſimplicem & carnalem ruſticitatem notat: ſed de poſteriori, *Quid*
,, (inquit) *iſta opinione fœdius, quid tenebro-*
,, *ſius hujuſmodi errore dici aut fingi potuit?*

Vorſtius crudus Manichæus.

Manichæus hic error ipſiſſima *Vorſtii* mens eſt, quod ſic probo. Primò. *Vorſtius* diſertis verbis corpus Deo aſcribit, & blaſphemiam hanc variis Scripturæ locis aſtruere ſatagit contra *Piſcatorem* pag. 5.

Deinde. Vorſtianum hoc corpus nihil habet cum Tertullianæo commune; ita enim Deo corpus aſſignabat *Tertullianus*, ut ſimul affirmaret Deum ſecundum ſuam ſubſtantiam ubique totum, & non per loco-

rum

rum ſpatia partitum, ſed in ſuâ naturâ & ſubſtantiâ immutabiliter permanentem: non tale corpus Deo tribuebat, cujus partes aliæ minores, aliæ majores valeant aut debeant cogitari, ſi *Auguſtino* credimus, hæreſi 68. Iſtarum excuſationum nulla *Vorſtio* competit; nam quod Deo corpus attribuit, negat eſſe ubique, negat uſquam eſſe totum ſimul; *Vorſtio* Dei corpus eſt verè magnum, & qualitatibus ſubjectum, naturâ & eſſentiâ mutabile, cujus partes in majore coexiſtente ſunt majores, & in minore coexiſtente minores. Genuinam hanc *Vorſtii* de Dei corpore ſententiam, loci tractatûs de Deo, apologeticæ & exegeticæ, ubi hac de re agitur, inter ſe collati apertè demonſtrant, quantumvis tergiverſari conetur.

Tertiò. Quod Vorſtianum Dei corpus ipſiſſimum Manichaicum ſit, patet ex Apolog. cap. 18. præcipua enim, quam in Manichaico Dei corpore notavit *Auguſt.* abſurditas erat, quòd ſcinderetur inferius, ne contactu terrenarum tenebrarum pollueretur; jam verò negat *Vorſtius* loco citato, divinæ ſubſtantiæ, quæ ipſi eſt corpus, ubiquitatem; affirmatque infrà in terris divinam ſubſtantiam abeſſe, & ſeparari à multiplicibus locis, ab omnibus ſcilicet, in quibus humanus oculus fœdum quicquam aut vile ſpectat: hæc autem corporea ſeparatio & abſentia ſine Manichaicâ ſciſſione & fiſſurâ eſt impoſſibilis. Concludo ergo ad primum quæſitum reſponſionem; abſurdiores multò de Deo ſpeculationes *Vorſtii* quàm *Anthropomorphitarum*.

Vorſtius Tritheitas ſupergreditur. Quod de *Triformianis* quærebatur, ſive iſtos intelligas qui tres Deos aſſerunt, vulgò *Tritheitas*; ſeu potius quos hæreſi 74. deſcribit *Auguſtinus*; qui unum tantùm volebant Deum, ſed ejus eſſentiam dividebant in tres partes, ita ut integra Dei eſſentia ex ſingulis iſtis partibus compleretur; ajo utriſque præponendum *Vorſtium* non curioſitate modò & periculo, ſed etiam abſurditate errorum: Nam præterquam quòd doceat omnia quæ ipſi, tres in Deo eſſentias realiter differentes conſtituens; inſuper addit ex ſuo, præter iſtorum tres, quartam in Divinis eſſentiam, de quâ nihil *Tritheita*, nihil *Triformiani* ſomniârunt. Exeget. pag. 36.

Hæreticorum de eſſentiâ divinâ errores pauci. Tertium Opponentis interrogatum fuit, num ego omnes omnium hæreticorum per annos 1300. ſpeculationes de Deo perlegiſſem? Fateor equidem lubens in argumento quovis lectionis meæ profundam pauperiem; ſed pauxilluli admodum temporis ſtudium, quicquid ab Opponente quæritur, valet aſſequi. Omnes omnium hæreticorum evulgati errores doctorum diligentiâ in paucos nequaquam vaſtæ magnitudinis libros congeſti ſunt; quos, quibus animus eſt, mediocri diligentiâ paucis menſibus perſtringere licet: ſed quod nobis unicum præ manibus nunc eſt, hæreticorum de Divinâ eſſentiâ errores poſt veteres *Manichæos*, ad uſque natum *Vorſtium*, pauci adeò ſunt, ut, ſi in unum colligantur faſciculum, quarta unius ſemihorulæ portio iis perlegendis abundè ſufficiat.

Modeſtia cum zelo bellè conſiſtit. Quod ultimò quæſitum eſt, cur, ſi *Vorſtius* ex tot nefariis hæreſibus conſutus eſſet, dixerim ipſum videri duos fundamentales errores defendere? Facilè reſpondeo, in duobus *Vorſtii* erratis fixiſſe me pedem, ſtudio tantùm properandi ad alias controverſias, in quibus majori cum fructu tempus teri putabam, quàm ſi omnia iſtius novaturientis hæretici ſomnia perſequerer. Quod autem de divinæ eſſentiæ omnipræſentiâ, & unitate errores præter ceteros nominarem, factum eſt, quia nota mihi erant verſipellis viri κρυφόψυχα, quibus in pleriſque aliis placitis ſuos ſolebat ſenſus involvere, quod in nominatis nativa argumenti perſpicuitas non permittebat. Quod voce [*Videtur*] uſus ſim, mea modeſtia culpari non debuit, in ipſo diſputationis limine, dum ego accuſarem, Opponens *Vorſtium* defenderet, antequam ullas pro meâ ſententiâ rationes produxiſſem, non decuit ullâ vel magnificentiâ, vel aſperitate verborum uti, quanquam vocabuli [*videtur*] uſurpatio, vulgata ſit apud principes tam Philoſophos, quam Juriſconſultos, dum firmiſſimas, & fundatiſſimas ſuas concluſiones proponunt.

Primus Vorſtius divinam ſimplicitatem oppugnavit. Iſta præfatus Opponens accedit ad figendum controverſiæ ſtatum: in his quæ huic deſtinat ſcopo, non pauca diſplicent. Primò, inquit, quæſtio de divina ſimplicitate inter doctos agitatur in utramque partem, & utraque pars ſuos fautores habet. *Reſp.* Nemo quiſquam ante *Vorſtium* divinam ſimplicitatem oppugnavit. Non ſibi ſolet vir hic deeſſe in congerendis doctorum teſtimoniis, ſiqui vel Proteſtantium, vel Pontificiorum, vel veteris Eccleſiæ Patrum adduci poſſunt ſuorum paradoxorum patroni: ſed in re præſenti nullum à quoquam jota eſt producibile, ſi excipias unum *Juſtini Martyris* tractatum quæſt. *Poſt Pſeudojuſtinum.* Chriſt. ad Græc. quæſt. 3. Multum, fateor, de hac auctoritate gloriatur *Vorſtius*, ſed fruſtra. Nam liber ille planè ſpurius eſt, aliquot annorum centuriis poſt denatum *Juſtinum* conſcriptus, ut vel primam inſpectanti pagellam liquebit. Quid enim *Juſtino* cum *Manichæis*, cum *Origene*, cum *Irenæo*, viris iſto ſeculo nondum in lucem editis?

Numerat *Vorſtius* quadraginta *Juſtini* rationes contra Dei ſimplicitatem; & quidem ex hoc penu ſuorum præcipua in hoc argumento de verbo ad verbum *Vorſtius* deprompſit: attamen pleræque iſtarum quadraginta rationum adeò ridiculæ ſunt, ut earum pudeat ipſum *Vorſtium*. Confitetur enim *Vorſtius* divinæ voluntatis facultatem realiter eandem eum eſſentia, ideò dum diſputat de di-

verſitate & compoſitione divinâ, ad voluntatis actus non ad ipſam facultatem ſe confert, & in actibus ad decreta tantùm confugit, non attingit conſilium. Sed ea *Pſeudojuſtini* dementia eſt, ut ſophiſmatis ſuis concludere nitatur realem differentiam, non tantùm inter eſſentiam & actum voluntatis, ſed inter eſſentiam, & ipſam voluntatis facultatem. Tria in Deo æquali realitate diverſa ponit, eſſentiam, voluntatem, & velle. Præterea fatetur *Vorſtius* divinæ voluntatis actus neceſſarios, qui pro objecto ipſum Deum habent, ab eſſentia realiter non differre, itaque ſe arguere profitetur realem diverſitatem ab eſſentia divina tantùm actuum voluntatis liberorum, qui in creaturas, & objecta extrinſeca feruntur: contrarium prorſus tramitem inſiſtit ſpurius auctor. Quod ad genuinum attinet *Juſtinum*, pauci patrum contra *Vorſtii* ſphalmata, divinæ eſſentiæ unitatem, & perſonarum trinitatem, divinæ ſubſtantiæ omnipræſentiam, omnimodam ſimplicitatem, & immutabilitatem diſertiùs, pleniùs, & clariùs aſſerunt..

Pergit Opponens in conſtituendâ quæſtione:

Opponens abſurdior Vorſtio.

Controverſia, inquit, de divinâ ſimplicitate ejuſmodi eſt, ut quivis in eâ ſuo ſenſu ſecutè poſſit abundare, & utramvis partem ſine noxâ tueri: nam ſimplicitas, & compoſitio termini ſunt Metaphyſici, & obſcuri, tranſcendentes vulgi captum, quos Scriptura neque diſertè affirmat, nec negat.

Reſp. Loquitur Opponens abſolutè, non de certâ ſimplicitatis ſpecie, itaque ſecundum ejus dictata, licebit cuivis abſque periculo, omnem Deo ſimplicitatem auferre, & quamlibet compoſitionem affingere, etiam ex materiâ & formâ, ex genere & differentiâ, & ex partibus integrantibus; ſuperat diſcipulus Magiſtrum, iſta non auſus eſt *Vorſtius*. Omnem in Deo ſimplicitatem negare ſe non profitetur: pro certâ tantùm compoſitionis ſpecie, ex ſubjecto nimirum & accidentibus,, præ ſe fert contendere.

Opponentis ſophiſma retunditur.

Quod ad Opponentis argumentum, quanti ponderis ſit, videte in pari. *Perſona, trinitas, eſſentia*, termini ſunt ſcholæ, in ſuâ intimâ naturâ ſuperantes vulgi captum; ad quorum perfectam notitiam plus Phyſicæ, Mathematicæ, Metaphyſicæ requiritur, quàm ad capiendum quid ſit ſimplex & compoſitum, & ſecundum Opponentem Scriptura nihil diſertius de perſonalitate, trinitate, eſſentiâ divinâ, quàm de ſimplicitate affirmat. Num ergo quæſtiones omnes de Trinitate, de perſonis omnibus, etiam de eſſentiâ tam levis momenti fuerint, ut parum referat quam quiſque contradictionis partem in iis tueatur? Num omnes ſuo ſenſu permittendi ſunt eò uſque abundare, ut divinas perſonas, ut trinitatem, ut ipſam Dei eſſentiam abnegent? Ultra has abſurditatum metas, nullus hæreticorum, nullus atheorum unquam provectus eſt.

Quæſtionis de divinâ ſimplicitate momentum.

Quæſtio de divinâ ſimplicitate multò maximi momenti eſt apud Theologos omnes tam Pontificios, quàm Proteſtantes. Dum explicant divinam naturam, attributa omnia facere ſolent realiter inter ſe unum & idem cum eſſentiâ; & inter attributa ſimplicitati primum perſæpe locum aſcribant, hinc unitas, infinitudo, immutabilitas, omnipræſentia, & alia multa ſecundum humanum intelligendi modum fluunt, dependent, & demonſtrantur. Videat opponens ſuos hic auctores, *Vorſtium*, *Arminium*, *Jackſonum*, *Scheiſfurdum*, & alios hujus farinæ. Quiſquis divinam ſimplicitatem vel tantillum lædit, eatenus omnia attributa lædit, ipſique radici divinæ eſſentiæ vulnus infligere conatur.

Unum inſuper ſphalma noto in Opponente circa quæſtionis ſtatum, quòd multiplicet theſin, & argumenta non applicet ad unum certum, hinc fit ut perplexâ ἀμεθοδίᾳ extra oleas neceſſariò digrediatur. Profitetur inſtitutum ſuum probandi compoſitionem in Deo ex ſubjecto & accidentibus, inde dilabitur ad oppugnandum vulgatum axioma, *Quicquid eſt in Deo, Deus eſt*, neque hîc conſiſtens in aliquibus argumentis, divinam non compoſitionem, ſed mutabilitatem concludit. Magna hæc eſt ἀταξία. Diſputandi leges permittunt Opponentis argumenta pleraque rejicere, utpote tranſvolantia ſcopum, nec attingentia quæſtionis punctum. Sed cedemus ſtricto jure, eoque libentiùs, quòd quæ aſfert Opponens omnia ex *Vorſtio* deſumpta ſint, & ab auctore, in aliquod ſaltem divinorum attributorum eâ pravitate directa, ut reſpondere ſit operæ pretium; ne quod iſtius hæreſiarchæ venenatum telum teneræ cujuſquam menti infixum permaneat.

Contra Dei ſimplicitatem argumentum primum.

Quæ primi argumenti loco profert Opponens in hanc conjicio formam: Divina decreta, Electio ſcilicet, & Reprobatio non ſunt Deus, ſed accidentia; actiones nimirum tranſeuntes ad creaturas: Atqui divina decreta ſunt aliquid in Deo: Ergo eſt aliquid in Deo quod non eſt Deus, ſed accidens. Majoris duæ ſunt partes; prior probatur ratione duplici, primò, ſi decreta eſſent Deus, tum darentur multi, & contrarii Dii: nam decreta ſunt multa & contraria: At poſterius abſurdum: Ergo decreta Dei non ſunt Deus.

Secundò. Decreta Dei libera ſunt & contingentia quæ potuerunt non fuiſſe: At Deus eſt ens neceſſarium: nam impoſſibile eſt ut Deus non fuerit: Ergo. Poſteriorem primæ Majoris partem, quòd decreta Dei ſint accidentia, ſic probat. Omne ens reale quod non eſt ſubſtantia eſt accidens: At decreta ſunt entia realia, nec ſubſtantiæ, nam omnis ſubſtantia eſt vel Deus, vel aliqua creatura verè exiſtens: atqui decreta non ſunt Deus, neque creatu-

creaturæ verè exiſtentes: Ergo non ſunt ſubſtantiæ.

Argumenti difficultas. Reſp. Palmarium hoc eſt *Vorſtii* ſophiſma, quod mihi, fateor, aliquandiu ſolutu ſatis arduum videbatur, ſed poſteà inveni reſpondendi difficultatem exortam, non ab eo, quòd ulla in argumento veritas eſſet, ſed partim ab incogitantiâ meâ, partim à ſublimitate & obſcuritate materiæ. Hujuſce argumenti objectum, extra omnem controverſiam, eſt abſtruſiſſimæ, & profundiſſimæ naturæ: loquitur enim de ipsâ eſſentiâ perſonæ quæ habitat lucem in acceſſam φῶς οἰκῶν ἀπρόσιτον 1 Tim. 6. 16. in cujus conſpectu celſiſſimi Seraphin duplicis alæ velo vultus contegunt Iſa. 6. 2. coram quo ſanctiſſimus Propheta pallii integumento faciem obvolvit 1. Reg. 19. 3. qui in ſummo Euangelii ſplendore ab illuminatiſſimorum oculis non perſpicitur niſi ex parte, ἄρτι βλέπομεν ἐκ μέρους. idque in umbrâ, & reflexione ſpeculi nequaquam perſpicuâ; δι' ἐσόπτρου, ἐν αἰνίγματι 1. Cor. 13. 12. quem Theologi ab Apoſtolorum ſeculo perſpicaciſſimi profitentur, plus quàm ineffabilem (*Auguſtini* vox eſt) imò verò omninò incomprehenſibilem, incognoſcibilem, ſupra omnem cognitionem, eatenùs ſolùm comprehenſibilem, quòd ſit ipſa infinitudo, & incomprehenſibilitas. Ἀκατάληπτον παντελῶς, καὶ ἄγνωστον, ἰδίας γνῶσιν. τοῦτο μόνον αὐτοῦ καταληπτὸν ἡ ἀπειρία καὶ ἡ ἀκαταληψία *Damaſcenus* de orthodoxâ fide lib. 1. cap. 4.

Mirari non debebam obortas mihi tenebras in argumenti diſcuſſione, quod eò altitudinis volâſſet, quò humani acies oculi, abſque caligatione, perſequi non valet; in argumento quod plenè diſcuti non poteſt ſine vetitâ irruptione in ſanctum montem Dei, abſque tranſgreſſione limitum antiquorum, & remotione terminorum ſeculi, quos divina manus humanæ curioſitati repagula poſuit. Vetantur mortales nimio ſcrutinio majeſtatem inveſtigare, ne gloriâ oppreſſi pereant.

Summa hæc materiæ ſublimitas ſolabatur anxiè laborantem de ſolvendo ſophiſmate, ſimulque diligentiam exacuebat, non ut obſcuro & cæcutiente lumine irruerem inveſtigatorus imperſcrutabilem, ſed ut iis illuſtratus radiis, quos infinita lux ex ſuo inacceſſo fonte effudit, vel in ſuperiorem S. Scripturæ regionem ad dirigendam fidem, dum viſione frui non datur; vel in inferiorem naturæ, in rectæ rationis reliquiis; conarer retundere, & erroris, craſſarumque tenebrarum convicta dare novas & audaces nugas (de mixturâ, compoſitione, & accidentibus) quas auſu profano *Vorſtius* Creatoris majeſtati obtrudere molitus eſt.

Quanquam autem iſta perficere cæpta non valuiſſem, ſtatutum tamen erat adhærere ſententiæ *Auguſtini* in eodem hoc vel admo-„ dum ſimili verſantis ſophiſmate. *Has* (in-„ quit) *argumentationes quibus impii noſtram* „ *ſimplicem pietatem de viâ rectâ conantur a-* „ *vertere, ſi ratio refutare non poteſt, fides ir-* „ *ridere debet.* de Trinit. lib. 4. Omninò neceſſe eſt hunc animum induere contra multas Sophiſtarum ſtrophas, inprimis *Socinianorum*, *Atheorum*, & *Scepticorum* ignita tela, quibus Satanas omnia Chriſtianiſmi, & omnis Religionis, imò verò omnis naturæ, & ſenſuum fundamenta ſatagit eruere. Detur ergo venia, ſi prolixiùs aliquantò Achilleum hoc *Vorſtii* argumentum expendero, nam cum bono Deo ſingulas ejus partes, Majorem, Minorem, Concluſionem, harumque probationes omnes putidæ falſitatis convincam.

Decreta ſunt actiones tendentes ad extra, ſed non extrinſeca. Minor, quòd decreta Dei ſint aliquid in Deo, vera non eſſet, ſi ſtarent Opponentis principia; nam decreta Dei, ſecundum eum, actiones ſunt tranſeuntes, ergo non in Deo ſed à Deo: actionis enim tranſeuntis ſubjectum eſt patiens non agens; ſed arces in aëre non lubet ſtruere, nec ex Opponentis temeritate captare lucrum. Decreta Dei non ſunt actiones tranſeuntes, nam actus omnes tam intellectûs, quàm voluntatis Divinæ, quanquam pro objectis creaturas extra Deum habeant, ſunt tamen actus verè immanentes; Vocat *Vorſtius* actiones tendentes ad extra, & externas aliquando, nunquam tranſeuntes, quantum memini. Et ſi tales eſſent, rueret etiam hac ex parte ejus argumentum, falſa eſſet Minor, decreta non eſſent aliquid in Deo, ſaltem non aliter quàm denominationes extrinſecæ, & relationes rationis.

Dei decreta, & eſſentia ſunt unum, licet quædam dicantur de decretis, quæ non ſunt vera de eſſentiâ. Sed præteritâ Minori nego majorem, idque in utrâque parte, & omnibus probationibus. Probationes omnes ab hoc uno pendent clavo, decreta & eſſentiâ Dei non ſunt unum, ſed diverſa, eo quòd aliqua dicantur de decretis, quæ vera non ſunt de eſſentia. Quàm vitreum ſit hoc argumentum tùm in ſe, tùm applicatum ad præſentem materiam, docet Magiſter Sent. lib. 1. diſt. 66. ubi huic reſpondens objectioni, Dei natura, & voluntas non poſſunt eſſe unum, quia Deus naturâ genuit filium, „ voluntate verò non genuit; *Facile* (inquit) „ *eſt hoc refellere, nam & præſcientia, ſive* „ *ſcientia Dei, quâ ſcit vel præſcit bona vel* „ *mala, divina natura, ſive eſſentia eſt: &* „ *prædeſtinatio, ſive voluntas ejus, eadem di-* „ *vina eſſentia eſt: nec eſt aliud Deo ſcire,* „ *quàm eſſe & velle, & unum idemque eſt* „ *ſcientia Dei quòd voluntas; non tamen di-* „ *citur de voluntate quicquid dicitur de ſcien-* „ *tiâ, & è converſo: nec omnia illa ſuâ vo-* „ *luntate vult Deus, quæ ſuâ ſcientiâ ſcit, &* „ *tamen unum & idem in Deo eſt ſcientia &* „ *voluntas, præſcientia, & prædeſtinatio. Ita* „ *cùm unum ſit natura Dei & voluntas, di-* „ *citur tamen Pater genuiſſe filium naturâ,* „ *non voluntate, & eſſe Deus naturâ, non vo-* „ *luntate.* Magiſter ergo & tota Schola reſpuent totius argumenti fundamentum, negabunt-

gabuntque decretum Dei non eſſe Deum, quanquam aliqua de decretis affirmentur, quæ de Deo neganda ſunt.

Decreta in Deo ſunt in ſe unum, licet noſtro modo concipiendi, & reſpectu objectorum aut effectorum ſint multa, & contraria.

Sed ſingulas probationum partes propiùs inſpiciamus. Decreta (inquit Opponens) ſunt multa & contraria. *Reſp.* Quæcunque in Deo vel ſunt, vel eſſe concipiuntur, duobus modis conſiderantur. 1. In ſe, & ut in Deo ſunt. 2. prout ab hominibus concipiuntur, vel ut ſunt objecta humani conceptûs, & ſermonis ſecundum iſtum conceptum; argumentum loquitur de decretis in notione priori, prout ſunt in Deo, & ſecundum ſe, aliàs non attingeret ſcopum. Itaque hoc ſenſu negamus decreta vel eſſe contraria, vel plura. Non contraria; quia viliſſimæ creaturæ, nedum Dei Opt. Max. privilegium eſt, non ſubjici eodem tempore contrariis; hæc enim ſunt ἀλλήλων φθαρτικὰ, non patiuntur ſe mutuò in eodem ſubjecto. Præterea in electione & reprobatione diverſitas objecti impedit plenam oppoſitionem, non ſunt ad idem, iidem non eliguntur, & reprobantur: Decreta etiam in ſe non ſunt multa, nam ſi multiplicarentur pro numero objectorum, multò major compoſitio in Deo exiſteret, quàm vel *Vorſtius*, vel alius quiſquam ſomniavit, inhærerent Deo accidentia, ſi non infinita, ſaltē innumera: decreta, & volitiones Dei circa omnes, & ſingulas, creaturas exercentur, itaque, ſi multiplicentur pro multitudine objectorum, tot & tam varia ſint oportet, non tantùm quot ſunt creatæ ſubſtantiæ, ſed tot etiam quot accidentia ſingulis ſubſtantiis, ſecundum Dei voluntatem, vel adſunt, vel abſunt. Statuamus ergo cum doctis tam antiquis quàm recentibus, objecta & effectus voluntatis divinæ in creaturis quamlibet multa & contraria; ſed volitiones, & actus voluntatis in Deo non plures quàm unum & eundem, quod hoc ſimili illuſtrat Aquinas. Sol ſemper unus & idem eſt, ejuſque radiorum emanatio eſt una tantum ſolaris corporis actio: hujuſce tamen unius actionis objecta tot ſunt, quot creaturæ, quæ vel lucem, vel calorem, vel influxum Solis patiuntur, & effecta tam varia contrariaque, quàm illuminatio, excæcatio, induratio, liquefactio, vita, & mors: vel aliæ quævis operationes, quæ radiorum ſolis in mundo hoc inferiori præſentiam, vel abſentiam ſequuntur. Diſtinctio, & oppoſitio quæ in hiſce cernitur, nullam in ipſo ſole, & radiorum ejus emiſſione diſtinctionem, nedum multiplicationem, minimè omnium oppoſitionem aut contrarietatem producit. Eadem in Deo ejuſque voluntate ratio eſt, dum ad objecta & effecta in creaturis comparantur.

Actus intellectûs, & voluntatis divinæ in ſe ſunt unum & neceſſarium.

Altera probationis pars, quòd decreta Dei ſint libera & contingentia, quæ potuerint non fuiſſe, vera non eſt de decretis, prout ſunt in ſe, & in Deo: nam omnes divinæ voluntatis actus in Deo ſunt unus & idem, quanquam nos pro noſtro concipiendi modulo, eos dividamus & multiplicemus; non aliter valentes eos concipere, quàm ad noſtrarummet voluntatum ſimilitudinem: jam verò humanæ voluntatis actus ſunt reverâ in ſe multi, eorumque quidam contingentes, quidam neceſſarii: ſed ad miſeræ creaturæ anguſtias, non debet Creatoris infinitudo commenſurari, abſque infinitæ diſſimilitudinis, & diſproportionis agnitione. Neque oculus, neque mens hominis plura ſimul diſtinctè valet apprehendere; conſpicimus, & intelligimus unum poſt aliud, idque diſtinctis, & ſucceſſivis temporis (ſaltem cogitationum) intervallis: eadem voluntatis conditio, diverſis actibus in diverſa tendit objecta: primò finem, poſt media appetit; & in mediis modò in unum, modò in aliud inclinatur, pro majori vel minori mediorum ab ultimo fine diſtantia. Nativa hæc hominis infirmitas, & inperfectio creationis lege ipſi impoſita, efficit ut humanæ tam mentis quàm voluntatis actus, pro multitudine, & varietate objectorum neceſſariò multiplicentur; ſed ſumma Creatoris perfectio ab hâc creatæ infirmitatis lege ipſum præſtat immunem: uno & eodem intellectûs actu ſuam ipſius eſſentiam, & creaturas omnes præſentes, præteritas, & futuras ſimul, & in eodem inſtanti diſtinctiſſimè comprehendit; ſimiliter uno & eodem voluntatis actu, fertur in ſeipſum ut ſummum bonum, & ultimum finem, atque in creaturas ut media ad iſtum finem. Iſta à Theologis fundamenti loco ſolent poni. Vide *Aquinatem*, 1. par. quæſ. 19. art. 5. in Corp. Hinc concludo decreta Dei in ſe unum tantùm eſſe divinæ voluntatis actum, non magis diviſum in ſe, vel liberum à neceſſitate, aut contingentem, quàm ipſam Dei eſſentiam.

prout eſſentia etiam ſecundum Vorſtium.

Divinæ voluntatis actus circa Deum, & creaturas in ſe ſunt unum.

Hactenus nobiſcum, & cum veritate conſentientem habemus ipſum *Vorſtium*, quòd Divinæ voluntatis actus circa primum, & principale objectum, divinam ſcilicet bonitatem, contingentes non ſint, ſed neceſſarii, imò prorſus iidem cum Dei eſſentiâ, iſtam nunquam auſus eſt veritatem ſolicitare, litem tantùm intendit de actibus voluntatis circa creaturas, nempe de decretis. Quod ſi verò omnes divinæ voluntatis actus, realiter iidem ſint, & volitiones, ſeu decreta Dei de creaturis, in ſe & ut in eo exiſtunt, unum & idem ſint cum Dei volitione ſui ipſius, ſeu infinitæ ſuæ bonitatis à ſeipſo fruendæ, & creaturis pro ipſius arbitrio manifeſtandæ, & communicandæ. Hæc ſi ſic ſe habent, non poteſt unius iſtorum actuum neceſſitas aſſeri, quin cæterorum, qui realiter iidem ſunt, neceſſitas concedatur.

Præterea, nullam ponit *Vorſtius* diſtinctionem inter multa, quæ humano concipiendi modo plus inter ſe differunt, quàm duo ejuſdem voluntatis actus, unus circa media, alter circa finem. Decreta de creaturis, & volitio ipſius Dei, eſſentia & exiſtentia divinæ ſub-

ſtantiæ

ſtantiæ & attributa, divina attributa inter ſe, Dei intellectus, voluntas, vita, potentia, veritas, juſtitia, &c. omnia hæc *Vorſtio* ſunt unum & idem: etiam in attributis, facultas & actiones, intellectus cum omnibus actibus elicitis, voluntas cum volitionibus primariis, ipſi ſunt unum & idem, & inter ſe & cum divinâ eſſentiâ; nullâ diſtinctione reali ab invicem ſeparata; quanquam de iſtis intellectus humanus multos & varios conceptus efformet; & ſecundum iſtos conceptus apprehenſis varia uni attribuat, quæ alteri non conveniunt: imò multa de omnibus affirmet quæ neganda ſunt de ſingulis: cùm imperfectio hæc multorum & diviſorum conceptuũ poſteriori cogitatione corrigitur, & omnia quæ de Deo dicuntur, apprehenduntur ut revera ſunt in conceptu unius & indiviſæ naturæ divinæ. Num gemini voluntatis actus plus inter ſe differre poſſunt, quàm eorum alter à voluntatis facultate? quàm voluntatis facultas à facultate intellectûs, aut ab attributo potentiæ, vitæ, juſtitiæ &c. Num duo voluntatis actus plus à ſe invicem diſtabunt, quàm innumeri Intellectûs actus, vel à ſe invicem, vel à facultate, vel ab ipſâ divinâ eſſentiâ? Horum omnium unitatem & identitatem *Vorſtius* concedens, de illorum diverſitate non eſt audiendus.

Deus eſt ſupra & extra omnes Categorias.

Alteram primæ Majoris partem, quòd decreta non tantùm diverſa ſint ab eſſentiâ, ſed etiam verè accidentia, probat opponens duplici disjunctione. Prior, Omnia in Deo vel ſunt ſubſtantiæ, vel accidentia. Poſterior, Decreta non ſunt ſubſtantiæ, quia neque Deus, neque ulla creatura exiſtens.

Reſp. Utraque disjunctio eſt falſa, prior negatur ab *Auguſtino* in terminis lib. de Trinitate cap. 5. *In Deo* (inquit) *nihil quidem ſecundum accidens dicitur, nec tamen omne quod dicitur, ſecundum ſubſtantiam dicitur.* Idque non tantùm ob peculiarem ibi memoratam rationem, ſed inprimis ob argumentum generale, quod alibi ſæpè ab *Auguſtino* inculcatur, divinæ nimirum perfectionis ſupereminentiam, per quam fit, ut Deus & omnia ipſius attributa ſint ſupra & extra ſubſtantiarum & accidentium ordines, extra Prædicamentorum omnium cancellos. Inter Deum, & creaturarum perfectiſſimas, imò & creaturarum perfectiones omnes compactas in unum nulla eſt proportio, nedum ut conveniant in unâ naturâ genericâ Iſ. 14. 17. *Omnes gentes ſicut nihil coram eo, pro nihil & inani reputata ſunt ei, & cui aſſimilabitis Deum?* Secundum *Damaſcenum* Deus nullum eſt entium, non quòd ſit non ens, ſed quòd ſupra omnia entia, & omninò ſupra ipſam eſſentiam. de orthodoxâ fide lib. 1. cap. 14. Οὐδὲν τῶν ὄντων ἐστὶν, οὐχ ὡς μὴ ὤν, ἀλλ' ὡς ὑπὲρ πάντα τὰ ὄντα, καὶ ὑπὲρ αὐτὸ τὸ εἶναι ὢν καὶ ὑπὲρ οὐσίαν πάντων. Superſubſtantialis eſſentiæ fons omnibus entibus, ὑπερέχων πηγὴ τοῦ εἶναι τοῖς οὖσι. cap. 18. prout loquitur *Aquinas*, *Deus non ſe habet ad creaturas, ut res diverſorum generum, ſed ſicut id quod eſt extra omne genus, & principium omnium generum.* Alioqui fœdior in Deo compoſitio neceſſariò concedenda eſſet quàm *Vorſtiana* præ manibus, ex genere nimirum & differentiâ, & fatendum foret quædam Deo naturâ priora, nimirum ens & ſubſtantiam, nec eſſet Deus abſolutè eſſentia prima, aliqua divinæ eſſentiæ pars in omni creaturâ exiſteret, & in omni ſubſtantiâ minimùm duæ; Deus creator eſſet iſtarum ſuæ eſſentiæ partium, quæ ſunt in creaturis, vel aliquid in creaturis non crearetur, ſed exiſteret à ſeipſo, adeoque Deus eſſet, quæ tetra ſunt ἀποπομπαῖα.

Vorſtius ponit in Deo propriiſſima accidentia.

Alterum Opponentis disjunctivum, Decreta neque ſunt Deus, neque res creatæ verè exiſtentes, nam decretum de re aliud quid eſt à re decretâ. E. ſunt accidentia in Deo. Reſp. Ex hac ratiocinatione patet, accidentia quæ Deo aſcribit Opponens, ſtrictè & propriè ſumi, & vera entia eſſe Deo inhærentia, imò verò accidentia communia & ſeparabilia, ſecundum Opponentis deſcriptionem, quæ præſentia non proſunt, nec abſentia lædunt ſubjectum. Adeoque compoſitio hæc Dei ex ſubjecto & accidentibus veriſſima ſit oportet, & nequaquam lenienda *Vorſtii* limitationibus, quodam modo, & ſuo ſenſu.

Accidentia quæ propriè de Deo dicuntur ſubſtantialiter prædicantur.

Utcunque Opponentis argumentum nullum eſt, prior disjunctionis probatio, quòd decreta non ſint ſubſtantiæ, quia non Deus, eſt ipſum principium & quæſtio, quæ non debuit ab Opponente peti ſine argumento; inprimis cum ei contradicat *Auguſtinus* in terminis, affirmans omnia quæ de Deo dicuntur, verè & ſine tropo dici ſecundum ſubſtantiam, „ & omnia eſſe Deum. *Non aliud*, inquit, „ *eſt Deo eſſe, & aliud magnum eſſe, ſed hoc* „ *idem eſt illi eſſe, quod magnum eſſe; quia i-* „ *pſe eſt ſua magnitudo, hoc de bonitate, æter-* „ *nitate, omnipotentiâ Dei dictum ſit, omni-* „ *buſq́; omnino prædicamentis quæ de Deo poſ-* „ *ſunt pronunciari: quod ad ſeipſum dicitur* „ *non translatè, ac per ſimilitudinem, ſed pro-* „ *priè (ſi quid tamen dici de illo propriè ho-* „ *minis ore poteſt) totum ſubſtantialiter di-* „ *citur.*

Altera diſtinctionis pars, Decreta non ſunt ſubſtantiæ, quia non creaturæ, quia decreta in alio genere eſſe oportet, quàm res de quibus decreta fiunt. R. Tam propoſitio quàm confirmatio hic vitioſæ ſunt; prior, quia ſupponit omnem creaturam verè exiſtentem eſſe ſubſtantiam, etiam omnem ſubſtantiam quæ non eſt Deus eſſe quid creatum verè exiſtens: utrumque hoc falſum eſt, nam omne accidens ſingulare eſt ens creatum verè exiſtens in ſuo ſubjecto, nullum tamen accidens ſingulare eſt ſubſtantia: Item, nulla univerſalis ſubſtantia exiſtit, nam exiſtentia eſt ſingularium; attamen omnis univerſalis ſubſtantia eſt veriſ-

ſimè ſubſtantia, imò præter eam nulla ſubſtantia eſt prædicamentalis; nam ſubſtantiæ exiſtentes ob ſingularitatem excluduntur à prædicamento. Non permittit, arbitror, ipſa *Vorſtii* logica, ut univerſales ſubſtantiæ priventur appellatione ſubſtantiarum, & accidentia ſingularia contra priſcam nomenclaturam fruantur ſubſtantiarum nomine.

Non minùs abſurda eſt propoſitionis confirmatio, ſupponit enim decreta Dei omnia eſſe de ſubſtantiis; & propterea ipſa eſſe in genere accidentium, utrumque falſum eſt. Præcipua enim Dei decreta ſunt de gratiâ & gloriâ, quæ non ſunt ſubſtantiæ: præterea ſecundum hoc fundamentum, omnia decreta de accidentibus eſſent ſubſtantiæ, quia in alio genere, quàm res de quibus decreta fiunt.

Argumenta contra accidentium inhærentiam in Deo.

Quanquam abundè demonſtraverimus apertam falſitatem ſingularum primi argumenti partium; ut tamen omnis de hoc argumento ſcrupulus omninò profligetur; argumentabimur, antequam procedemus ex locis communibus diſputationum Theologicarum, Scripturâ, ratione, Patribus, contra hunc omnium *Arminii* errorum fontem, accidentium in Deo inhærentiam, divinamque ex ſubjecto & accidentibus compoſitionem.

1. Deus eſt quod eſt.

Ex ſacrâ Scripturâ ſic primùm arguo, Cujus nomen proprium eſt eſſe quicquid eſt, & eſſe abſolutè, in eo nullum eſt accidens: Atqui nomen Dei proprium eſt eſſe quicquid eſt, & eſſe abſolutè. Exod. 3. 14. *dixit Deus ad Moſen, ego ſum qui ſum, qui ſum miſit me ad vos.* Ergo. Prior Majoris pars ſic patet, Nomen hoc Dei principale, & propriiſſimum nihil Deo peculiare ſignificabit, nec quidquam aliud importabit, quàm quod viliſſimis creaturis eſt commune, niſi hic ejus ſenſus ſit, quod quicquid de Deo affirmatur ipſi eſſentiale ſit, imò ipſius eſſentia, & non accidens; nam in omni alio ſenſu propoſitio hæc, ſum quod ſum, vera eſt de quâvis miſerrimâ creaturarum; omnis creatura eſt quod eſt, vel eſſentialiter vel accidentaliter: quicquid de quocunque affirmatur vel eſt de ejus eſſentiâ, vel aliquid præter ejus eſſentiam; ſed eſſe eſſentialiter, ſeu eſſe per eſſentiam, ei proprium eſt, cujus eſt nomen eſſe quod eſt.

Altera pars majoris ſic patet. Qui eſt abſolutè, ejus eſſentia eſt illimitata & infinita, quicquid in eo eſt, eſt eſſentia, nam ſi in eo quicquam exiſteret, quod non eſſet eſſentia, quod eſſet præter vel extra eſſentiam, per hoc ejus eſſentia limitaretur, & finiretur, nec ampliùs infinita, & abſoluta remaneret.

Hujuſmodi deductiones ex citato loco multos doctorum auctores habent. Ipſe *Vorſtius* contra *Piſcatorem* pag. 98. hinc probat Deum eſſe ſimpliciſſimum, & ἀσύνθετον. Mirus mihi diſputator fuerit, qui ex iſto loco ſolidè concludet Dei ἀσυνθεσίαν, & non ἁπλουσίαν, quique inde probaverit Deum ens ſimpliciſſimum, non tamen immunem à craſſo illo compoſitionis genere ex ſubjecto, & accidentibus.

Damaſcenus, unde ἀσυνθεσίας vocabulum mutuâſſe videtur *Vorſtius* multas hujus meæ argumentationis partes habet de Orthodox. fide lib. 1. cap. 9. Nomen illud Dei, ſecundum eum, totum eſt, quod in ſe complectitur infinitum, & immenſum eſſentiæ pelagus ὅλον ἐν ἑαυτῷ συλλαβὸν ἔχει τὸ εἶναι, οἷόν τι πέλαγος οὐσίας ἄπειρον, καὶ ἀόριστον. Et ibidem Deum ex ullis attributis compoſitum affirmare ἐκ πολλῶν συνθέτον, eſt extremæ impietatis ἐσχάτης ἐστὶν ἀσεβείας.

Sed ante omnes *Auguſtinus* inſtitutum præſens urget de Trin. lib. 7. cap. 5. *Deus ſi*
„ *ſubſiſtit ut ſubſtantia propriè dici poſſit, in-*
„ *eſt ei aliquid ut in ſubjecto, & non eſt*
„ *ſimplex cui hoc ſit eſſe quod eſt, & quicquid*
„ *aliud de illo ad illum dicitur, ſicut magnus,*
„ *omnipotens, bonus, & ſi quid de Deo ejuſ-*
„ *modi non incongruè dicitur. Nefas autem*
„ *eſt ut ſubſit Deus bonitati ſuæ, atque illa*
„ *bonitas non ſubſtantia ſit, vel potius eſſen-*
„ *tia, neque ipſe Deus ſit bonitas ſua, ſed in il-*
„ *lo ſit tanquam in ſubjecto: unde manifeſtum*
„ *eſt Deum abuſivè ſubſtantiam vocari, ut*
„ *nomine uſitatiori intelligatur eſſentia quod*
„ *verè & propriè dicitur, ita ut fortaſſe ſolum*
„ *Deum dici oporteat eſſentiam, eſt enim verè*
„ *ſolus, quia incommutabilis eſt, idque nomen*
„ *famulo ſuo Moyſi enunciavit, cum ait: Ego*
„ *ſum qui ſum, & dices ad eos; Qui eſt, miſit*
„ *me ad vos.* Videtis *Auguſtini* dogmata, manifeſtum eſſe Deum nullis accidentibus ſubjici, omne accidens, quod Deo ineſſe dicitur; revera eſſe ipſius eſſentiam, quòd Deus eſſentiæ ſit adeò ſimpliciſſimæ, ut abominandum ſit accidentia in eo ponere: iſtas & ejuſmodi maximas in dicto Scripturæ loco fundat.

2 Quicquid de Deo dicitur, affirmatur in recto, & in quid.

Iterum argumentor. De quo omnia attributa, etiam ea quæ maximè accidentalia eſſe videntur, affirmantur in recto & in quid, in eo nulla ſunt accidentia, nulla eſt compoſitio: Atqui de Deo omnia ſua attributa ſic affirmantur. De vitâ vide Joan. 14. 6. *Ego ſum vita*; æquipollet hic vita viventi Deo. Deut. 5. 26. De Deitate Coloſſ. 2. 9. In ipſo habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter, quod in concreto exprimitur 1. Tim. 3. 16. Deus manifeſtatus in carne. De divinâ naturâ 2. Pet. 1. 4. *Ut efficiamini divinæ conſortes naturæ*, idem cum illo Joannis, nati ſunt ex Deo, & Pauli, Deus eſt in vobis.

Hactenus conſentit *Vorſtius*, ut vita, Deitas, divina natura affirmentur de Deo in recto, & in quid; ita ut hîc abſtractum & concretum, eſſe & eſſentia, natura, & ſuppoſitum, differentia & ſpecies, forma & formatum non differant, ut in creaturis ſemper fit. Sed ultrà proceſſit noſtra Minor ad omnia attributa etiam maximè accidentalia. De his videamus quid habet Scriptura. De veritate vide Jo. 14. 6. Ego ſum veritas. De potentiâ Mar. 14. 62. Sedens

Sedens ad dextram virtutis, idem quod alibi ad dextram Dei. Hujuſmodi quoque accidentia fatetur *Vorſtius* prædicari de Deo in quid, & in abſtracto, nec verè eſſe accidentia, nec ullam in Deo compoſitionem facere.

Etiam quæ videntur accidentia liberrima.

Ultra ergo probemus Minorem de iis accidentibus quæ *Vorſtius* habet pro veriſſimis accidentibus, nimirum de voluntatis actibus erga creaturas, de dilectione hominum, de charitate Dei erga nos. De hac vide 1 Jo. 4. 16. Nos cognovimus charitatem quam habet Deus in nobis, Deus charitas eſt. Omninò locus hic non poteſt eludi, loquitur contextus perſpicuè de actu voluntatis divinæ, de dilectione, quam *Auguſtinus* in locum vehementiorem voluntatem appellat. Actus hic eſt circa creaturas, cujuſmodi *Vorſtio* eſt maximè liber & contingens.

Si effugium hic tentaret, quod anteceſſorea ſui hæretici arripiebant, quaſi Deus hîc charitas vocaretur tantùm metonymicè, quòd efficeret in hominibus charitatem; nulla hîc elapſui rima eſſet, ſi *Auguſtino* credimus de
,, Trin. lib. 15. Cap. 21. *Hunc ſenſum facilè*
,, *refutat Scripturarum ipſa locutio, non enim*
,, *dictum, Dominus charitas mea, ſicut Deus*
,, *ſpes mea, potentia mea, ſed Deus charitas*
,, *eſt, ſicut Deus ſpiritus eſt; hoc qui non diſ-*
,, *cernit intellectum à Domino, non expoſitio-*
,, *nem quærat à nobis, non enim apertiùs poſ-*
,, *ſumus quicquam dicere, quàm Deus chari-*
,, *tas eſt. Ergo charitas eſt.*

Quod ad Patres, Diſceptationis initio elegit Opponens *Auguſtinum* loco omnium: ex eo multa ſuprà citavimus, ſed tanta ſupereſt copia, ut duo ſive tria addidiſſe ab eo teſtimonia operæ pretium ducam. Primo, vide librum 5. de Trin. cap. 3. & ſequentibus, ubi proponit, & refellit Arianorum argumentum, quod ſubtiliſſimum vocat. Hæretica ipſorum concluſio fuit, diverſam eſſe Patris & filii ſubſtantiam (ipſiſſima hæc *Vorſtii* mens eſt, quam tuetur Opponens) iſtam concluſionem neceſſariò inferre ſe putabant, ex duobus Catholicæ fidei principiis; prius, quod nihil de Deo affirmaretur ſecundum accidens; alterum, quicquid de Deo dicitur, ſecundum ſubſtantiam dici. Ex his præmiſſis certiſſimi erant concludendi ſuam hæreſin. Reſponſionem applicat *Auguſtinus* ad ſecundum principium, & diſtinctionibus explicat: ſed principium primum, quod nullum ſit accidens in Deo, nihilque de Deo ſecundum accidens dicatur, concedit, repetit, & probat abſque ullâ limitatione. Deinde lib. 6. cap. 6. oſtenſâ multitudine & diverſitate, quæ inter eſſentiam, & inter accidentia, etiam inter ipſa accidentia in omnibus creaturis, tam ſpiritibus quam corporibus apparet, nullam in Deo ſi-
,, milem diverſitatem reperiri affirmat: *Cùm*
,, *in animâ aliud ſit artificioſum eſſe, aliud in-*
,, *ertem eſſe, aliud acutum, aliud memorem,*
,, *aliud cupiditas, aliud timor, aliud triſtitia,*
,, *aliud lætitia, manifeſtum eſt non ſimplicem,*
,, *ſed multiplicem eſſe animæ naturam. Deus*
,, *verò multipliciter non dicitur magnus, ſa-*
,, *piens, bonus, beatus, verus, & quicquid a-*
,, *liud non indignè dici videtur: ſed eadem*
,, *magnitudo ejus quæ ſapientia & beatitudo,*
,, *& eadem veritas quæ illa omnia, & non eſt*
,, *ibi aliud beatum eſſe, & aliud magnum,*
,, *aut ſapientem, aut verum, aut bonum eſſe,*
,, *aut omnino ipſum eſſe.*

Quod autem univerſale hoc [*quicquid de Deo non indignè dicitur*] intelligat *Auguſtinus* tam de liberis divinæ mentia & voluntatis actibus, quàm de quopiam alio attributo, præter multos alios locos vide de Trin. lib. 5. cap. 13. ubi demonſtrans præter alias inter divinum & noſtrum intellectum diſcrepantias, hanc præcipuam adducit, quòd Deus ab æterno cognoſcat omnia, etiam maximè contingentia, non aliter creata quàm creanda, idque uno ſimplici & ſingulari intellectûs actu.
,, *Omnia ſimul videt, non vel ut alternante*
,, *conſpectu, huc illuc, & inde huc, & rurſus*
,, *inde vel inde in aliud atque aliud, ſed, ut*
,, *dixi, ſimul omnia videt, quorum nullum eſt*
,, *quod non ſemper videt. Hujuſce divini pri-*
,, *vilegii hoc ipſi fundamentum eſt. Quia* (in-
,, quit) *quæ Deo ſcientia, ipſi & ſapientia, &*
,, *quæ ſapientia ipſa eſſentia ſive ſubſtantia,*
,, *nôſſe, & eſſe illi unum eſt; quia in illius*
,, *natura ſimplicitate mirabili non eſt aliud ſa-*
,, *pere quàm eſſe, ſed quod eſt ſapere hoc eſt eſſe,*
,, *ut in ſuperioribus libris ſæpè jam diximus.*

Quod autem ad charitatem attinet, liber-
,, rimus eſt voluntatis actus. *Nam quid aliud*
,, (inquit) *eſt charitas quàm voluntas, cha-*
,, *ritas & dilectio unius rei eſt utrumque no-*
,, *men. De hâc charitate ita loquitur* cap. 17.
,, *In illâ Trinitatis ſimplici ſummaque naturâ,*
,, *non eſt aliud ſubſtantia, aliud charitas, ſed*
,, *ſubſtantia ipſa eſt charitas, & charitas ipſa*
,, *eſt ſubſtantia, ſive in Patre, ſive in Filio,*
,, *ſive in Spiritu S.*

In actu puro non eſt potentia paſſiva.

Præter teſtimonia multæ rationes ſuppetunt. Prima ſit. Omne ſubjectum accidentium eſt in potentiâ ad recipiendum aliquid quod deeſt: nam omnia iſta accidentia ſunt poſteriora ſubjecto, imò a ſubjecto ſeparabilia; dum abſunt, ſubjectum eſt in potentiâ illa recipiendi, & dum adſunt, illa amittendi; Atqui Deus non eſt in potentiâ ad recipiendum quicquam, nam ſecundum omnes Deus eſt puriſſimus actus, cum quo potentia receptiva non conſiſtit, multò minùs potentia recipiendi ullam abſentem perfectionem: iſta enim efficeret Deum imperfectum, adeoque non Deum. Jam verò accidentia quibus Deum *Vorſtius* ſubjicit, & facit ut ſæpè ſit in potentiâ ad illa recipienda, ſunt veræ perfectiones, actus ſcilicet voluntatis facultate ſuâ quam actuant, nobiliores.

Compoſitum eſt poſterius ſuis componentibus, & in ea reſolubile.

Iterum arguo. Omne ſubjectum accidentium eſt quid compoſitum: Atqui Deus non eſt compoſitius; nam omne compoſitum eſt naturâ poſterius ſuis componentibus; componentia ſunt naturâ priora & ſimpliciora eo quod exipſis componitur. Compoſitum, ut ex componentibus fit, ita in ea eſt reſolubile: Atqui nihil eſt naturâ prius aut ſimplicius Deo. Deus in nihil poteſt reſolvi. Ergo nec ex quopiam componi.

Vorſtiana compoſitio eſt craſſiſſima.

Tertia ratio. In omni ſubjecto accidentium eſt craſſiſſima compoſitio; nam compoſitiones ex genere & differentiâ, ex eſſe & eſſentiâ, ex naturâ & ſuppoſito. minores ſunt quàm ex ſubjecto & accidente: quia illa omnia ſunt magis inter ſe unum, ſunt in uno prædicamento, coaleſcunt in unam naturam ſubſtantialem, quod in ſubjecto & accidente non fit, nec fieri poteſt: Atqui in Deo nullus eſt compoſitionis gradus. quia eſt actus ſimpliciſſimus, ejus ſimplicitas, ut cætera omnia ejus attributa, eſt infinita & perfectiſſima; ſi minimus compoſitionis gradus in Deo reperiretur, tantundem detrahi oporteret ab oppoſitâ ſimplicitate; nam ab admixtione contrarii, provenit alterius contrarii gradualis diminutio; & verò divina compoſitio, quam urget *Vorſtius*, non eſt paucorum graduum; compoſitio eſt ex multis myriadibus accidentium, quæ omnia eſſentialiter differunt, & à ſe invicem, & à ſubjecto: hujuſmodi mixtura divinam naturam à celſiſſimo ſimplicitatis culmine, in quo ab æterno ſtetit, neceſſariò dejiceret in craſſiſſimæ compoſitionis profundiſſimum barathrum.

Accidentia æterna non ſunt creatura.

Quarta ratio. Accidentia quæ dicuntur eſſe in Deo, vel ſunt Deus; vel creaturæ, nam inter creatorem & creaturam nullum eſt medium. Non creaturæ, ſic enim in infinito ſubjecto finita ponerentur accidentia, quod eſſet ſummè incongruum. Prætereà, omnis creatura eſt temporaria, nulla eſt æterna; nam ſic exiſteret ante creationem, adeoque ante ſuam exiſtentiam. Atqui pleraque, ſi non omnia accidentia (de quibus hic *Vorſtius*) ſunt æterna, decreta ſcilicet ante mundi conſtitutionem.

Inhærentia accidentium Dei eſſentiam faceret mutabilem.

Quinta ratio. Illud in Deo non eſt quod ipſam ejus eſſentiam quotidianæ mutationi ſubjiceret: Atqui accidentia ipſam Dei eſſentiam quotidianæ mutationi ſubjicerent. Minor ſic patet. Accidentia illud ſubjiciunt mutationi, quod eſt ſubjectum ipſorum inhærentiæ: nam accidentia non alterantur, ſed ſubjectum cui inhærent, per ipſorum acceſſum & receſſum alteratur. Quod autem ipſa Dei eſſentia Vorſtianorum accidentium ſubjectum ſit, eſt extra controverſiam; nam dato quod unum accidens alteri ut ſubjecto aliquando inhæreat, nihilominùs fatetur *Vorſtius* Dei voluntatem, in quâ decreta collocat, eſſe ipſiſſimam Dei eſſentiam.

Secundum Vorſtianorum Argumentum.

Sed pergamus ad ſecundum Opponentis contra divinam ſimplicitatem argumentum, quod à *Vorſtio* his verbis mutuatur. Tres ſunt, inquit, in Deitate perſonæ realiter à Deitate, & à ſe invicem diſtinctæ, paternitas, filiatio, ſpiratio ſunt in Deitate; generatio activa & proceſſio ſunt actiones & paſſiones in divinâ naturâ, non tamen ſunt divina naturâ. Ergo ſunt aliqua in Deo quæ non ſunt divina natura. Addit opponens λογομαχίαν ſolùm eſſe negare in Deitate tres eſſentias. Verum eſt (inquit) non eſſe tres divinas eſſentias, ſi eſſentiam ſumas pro naturâ ſubſtantiali, ſed concedendum eſt tres eſſe in Deitate eſſentias, ſi vocem eſſentiæ ſumas pro verâ entitate, & cur non poteſt, imò cur non debet ſic ſumi? nam ut non datur res ſine realitate, ita neque ens ſine eſſentiâ.

Argumenti materia difficillima.

Reſp. Primi argumenti materia, actus ſcilicet divinæ eſſentiæ interni, eâ fuit ſublimitate, ut ſi conticeſcens nihil reſpondiſſem, parvum hoc ſilentio, vel mihi, vel cauſæ præjudicium acceſſurum fuiſſet. Rectè in hoc caſu rejicitur Concluſio, licet nihil ad manum ſit quod diſtinctè opponatur præmiſſis: verùm ſecundi objectum eſt naturâ multò magis ſublimi, & abſtruſâ; de ipſâ conſtitutione, & internis proprietatibus divinarum perſonarum loquitur, iſta imperceptibilia magis, & conceptu nobis difficiliora, non tantùm quàm alia omnia extra Deum, ſed etiam quàm ipſa eſſentia divina.

Silentes hîc non ſunt victi, nec tradunt cauſam.

Quanquam ergo obmuteſcerem, non deeſſent huic meo ſilentio, infirmitati, ignorantiæ, inſignes patroni. *Hilarius*, cùm idem contra ſe argumentum, ſed alio fine ab hæreticis afferretur, ſic reſpondit de Trin. lib. 1.
,, *Immenſum eſt quod exigitur & incompre-*
,, *henſibile, extra ſignificantiam eſt ſermonis,*
,, *extra ſenſûs eſt intentionem, non annuncia-*
,, *tur, non attingitur, non tenetur; verborum*
,, *ſignificantiam rei ipſius natura conſumit,*
,, *ſenſûs contemplationem imperſpicabile lu-*
,, *men obcæcat, intelligentia capacitatem, quod*
,, *fine nullo continetur, excedit. Mihi ergo*
,, *in ſenſu labes eſt, in intelligentiâ ſtupor eſt,*
,, *in ſermone verè non jam infirmitatem, ſed*
,, *ſilentium confitebor.* Et paulò poſt. *Ego*
,, *neſcio, non requiro, ſed conſolor me tamen;*
,, *Archangeli neſciunt, angeli non audiê-*
,, *runt, ſecula non tenent, Propheta non ſen-*
,, *ſit, Apoſtolus non interrogavit, Filius ipſe*
,, *non edidit. Non putet homo ſuâ intelli-*
,, *gentiâ generationis ſacramentum ſe poſſe*
,, *conſequi.*

Et de eodem tractans ſubjecto *Ambroſius*
,, de fide ad Gratianum cap. 5. lib. 1. *Mens*
,, *deficit, vox ſilet, non mea tantùm, ſed &*
,, *angelorum: ſupra poteſtates, ſupra Angelos,*
,, *ſupra Seraphim, ſupra Cherubim, ſupra o-*
,, *mnem ſenſum eſt.* Quanquam ego nullum
xd replicare valerem ad allatum argumen-

tum,

tum, audacter tamen tantorum virorum patrocinio ab omni cenſurâ ἀναμφιλογίας tectus, ipſam negarem concluſionem. Sed moleſtum, & ægrè mihi accideret, ſi tam periculoſum hæreticorum ſophiſma omninò intactum dimitterem. Itaque dabitis veniam, ſi eodem prorſus modo excipiam ſecundum hoc, quo priori occurſum eſt: ſingulas argumenti partes conabor falſitatis convincere; contra Concluſionem, Scripturas, patres, rationes, quantum ſatis erit, afferam.

Argumentum premitur abſurdo.

Ut placatiori aure noſtra ad peſtilens hoc argumentum reſponſa Opponens accipiat, etſi noſtra, minùs placebunt, ut ipſe quid ad ſuum ſophiſma reſpondeat, invenire cogatur: proponam primo loco quæ illud ſequentur abſurda uſque adeò tetra, ut ipſe *Vorſtii* ſtomachus non concoquat. Primò infert argumentum compoſitionem in Deo ſubſtantialem; nam tres perſonas in Deo non vocaverit accidentia, cùm tres in Deitate eſſentias ipſas dicat; itaque quæ ex his eſſentiis compoſitio naſcitur, eſſentialis & ſubſtantialis ſit oportet. At qui *Vorſtius* talem in Deo compoſitionem non agnoſcit; imò verò ipſe Opponens dum initio quæſtionis ſtatum poneret, non aliam præ ſe fert compoſitionem in Deo defendere, quàm quandam accidentalem. Quòd ſi argumenti hujus amore Opponenti placeret, non *Vorſtii* tantùm, ſed ſua ipſius effata deſerere; parum tamen proficeret, niſi in multò pluribus adhuc ſibi contradiceret. In priori argumento hoc propoſuit dilemma; Decreta ſunt vel ſubſtantiæ, vel accidentia: non ſubſtantiæ; quia neque Deus, neque res verè exiſtentes, & creatæ; applicentur disjunctiones ad rem præſentem. Perſonæ vel ſunt ſubſtantiæ, vel accidentia; accidentia nullus dixerit: ſi ſubſtantiæ; tum vel Deus, vel res creatæ verè exiſtentes: non res creatæ: Ergo Deus. Itaque argumentum quod ipſas à Deitate diverſas facit, ſtare non poteſt, niſi priori ſuo argumento Opponens renunciet.

Argumentum in Deo ponit quatuor, imò mille, imò infinitas diverſas eſſentias.

Secundò. Argumentum infert non tantùm tres in Deo diverſas eſſentias (quas *Vorſtius* non negat, & Opponens diſertè affirmat) ſed quartam inſuper, imò decem eſſentias, realiter diverſas; imò multa millia diverſarum eſſentiarum, de quo *Vorſtius*, nec ullus hæreticorum, quantum intelligo, unquam ſomniavit. Ajo argumentum in Deo quatuor eſſentias realiter diverſas ponere; nam eſſentiam communem realiter differre facit à tribus propriis eſſentiis perſonarum, imò his quatuor expreſsè addit alias ſex, nimirum tres relationes, paternitatem, filiationem, & proceſſionem, & tria illarum relationum fundamenta; generationem activam, & paſſivam, miſſionem, ſeu ſpirationem, quæ omnia opponenti ſunt diverſæ entitates reales, adeoque diverſæ eſſentiæ: quinetiam omnis divinæ voluntatis, omnis divini intellectûs actus Opponenti eſt verum accidens in Deo, adeoque vera entitas, & eſſentia, quorum myriadea multò plures ſunt, quàm quivis vel hominum, vel Angelorum poteſt in numerum redigere.

Argumentum negat Patrem filio ὁμοούσιον, imò patrem facit ἑτεροούσιον à ſeipſo, & perſonas Trinitatis facit accidentia.

Tertiò. Affirmat hoc argumentum ſecundam Deitatis perſonam habere eſſentiam realiter diverſam ab eſſentiâ primæ perſonæ, adeoque filium non ὁμοούσιον, ſed ἑτεροούσιον Patri, quod craſſiſſimus eſt *Arianiſmus* in terminis. Imò in hoc argumento *Vorſtius* abſurditate ſuperat *Arium*, nam non modò filius erit ἑτεροούσιος à Patre, ſed ipſe Pater erit ἑτεροούσιος à Deo; alia Patris, alia Dei erit eſſentia ſecundum *Vorſtium*. Opponens etiam hæc Vorſtii monſtra ſuperat: nam fatetur in Deitate unam tantùm reperiri eſſentiam, ſi eſſentia ſumatur pro naturâ ſubſtantiali, aliæ autem in Deitate entitates, quas tres eſſentias vocat, ipſi non ſunt ſubſtantiales naturæ: adeoque vera erunt accidentia: nam omnia in Deo & omninò omnia Opponens affirmat vel eſſe ſubſtantias, vel accidentia. Ergo tres in divinitate perſonæ, quæ non ſunt Opponenti naturæ ſubſtantiales, oportet ſint accidentales, quod nuſquam affirmavit ipſe *Vorſtius*.

Divinæ perſonæ diſtinguuntur realiter à ſe invicem, à naturâ tamen non differunt realiter, imò nec formaliter, ſed modaliter tantùm.

Iſti & plures alii monſtroſi partus, quos ſuo ſinu ſophiſma hoc fovet, cogent auctorem, niſi horum quoque monſtrorum fautor haberi velit, ſolutionem afferre; aut in communi, quam jam damus, acquieſcere. Vulgaris, & ſolida reſponſio eſt antecedentis negatio; divinæ perſonæ utut inter ſe realiſſimè diſtinctæ, à Deitate tamen, & naturâ divinâ non realiter differunt; relationes, etiam actiones & paſſiones ſuprà dictæ non differunt à divinâ eſſentiâ. Differentiam hîc *Vorſtius* non debuit ſumpſiſſe, ſed probâſſe, cognovit Theologorum tam Pontificiorum quàm Proteſtantium, & aliorum omnium poſt Ariana tempora ſibi contrariam ſententiam. Aſſertio jam dudum in omnium Chriſtianorum ſcholis vulgata eſt, à quâ nos depelli non ſtatuimus per nudas cujuſquam aſſertiones nullo ſuffultas argumento. Quod in Divinâ tam eſſentiâ quàm perſonis abſtractum & concretum ſunt realiter idem, quemadmodum in divinis ſapientia non differt realiter à ſapiente, ita nec paternitas à patre, nec filiatio à filio; quod paternitas, filiatio, proceſſio, generatio, nativitas, miſſio (ſeu ut relationes, ſeu ut actiones & paſſiones concipiantur, ſive ut originationes, ſeu ut proprietates, ſeu quocunque modo) ſemper tamen remanent unum & idem cum perſonis à quibus non diſtinguuntur, niſi modo ſignificandi. Præterea divinæ perſonæ, licet diſtinguantur à ſe invicem, omnes tamen eædem ſunt cum naturâ: tantùmque abeſt ut perſonæ & natura differant realiter, ut inter eas ne formalis differentia inveniatur.

Vorſtii argumenta

Satis habuit cognitum *Vorſtius* communem hanc fuiſſe Chriſtianorum, quibus Sacroſan-

 cta tri-

vel ſunt nudæ affectiones, vel ſophiſmata antiquata.

ćta trinitas cordi erat, doćtrinam; cui is homuncio contradicere non debuit, niſi rationibus, & aućtoritatibus in quibus fundata fuiſſet, reſpondiſſet, & pro novis ſuis paradoxis ſolida attuliſſet argumenta: quorum neutrum ullibi, quantum ſcio, conatus eſt. Meras ſolùm negationes opponit, aut hunc ex trivio paralogiſmum: quòd, quæ Deo attribuuntur, examinanda ſint ad modum quo eadem attributa creaturis inſunt, & de creaturis dicuntur; adeoque cùm paternitas in hominibus ſit realiter diſtinćta, & diverſi prædicamenti à ſubjećto cui ineſt, & ab aćtione quam habet pro ſuo fundamento, oporteat ſic ſe rem habere „ in divinis. *Meminiſſe potuit maxima „ Theologicæ omninò in oppoſitum. Quic„ quid in rebus creatis habet eſſe accidentale, „ ſecundum quod transfertur in Deum, ha„ bet eſſe ſubſtantiale, ſecundum Aquinatem* „ 1. par. qu. 38. art. 2. *Aut ſecundum „ Boethium, Cùm quis prædicamenta ver„ tit in divinam prædicationem, cunćta mu„ tantur in ſubſtantiam quæ prædicari poſſunt.* Quid ad nos contrariæ *Vorſtii* aſſertiones, cùm nudæ & vacuæ argumentis obambulant?

Argumenta, quod perſonæ non differant realiter à naturâ.

Intereà ſubjiciamus nos aliqua communis ſententiæ fundamenta ex Scripturis, ratione, & Patribus, quòd ſcilicet tres divinitatis perſonæ à divinâ naturâ realiter non differant; quanquam à ſe invicem differant, ut tres veriſſimè diſtinćtæ perſonæ, non ſolùm tres meri modi exiſtendi, quam ſententiam ſuis adverſariis *Vorſtius* per calumniam affingit. Juſtinus Martyr, & cæteri poſt eum orthodoxi, formalitatem diſtinćtionis quæ inter perſonas eſt, poſuit in τρόπῳ ὑπάρξεως, nemo tamen dixit perſonas nihil aliud fuiſſe, quàm meros τρόπους ὑπάρξεως. Sed pergo ad argumenta.

Perſonæ non ſunt nudi modi exiſtendi.

Tres perſonæ ſunt unus Deus.

Primò. Quod eſt unus Deus non realiter differt à Deitate: Atqui tres perſonæ ſunt unus Deus. Minorem lege 1 Joa. 5.7. *Tres ſunt qui teſtantur in cœlo, Pater, Verbum, & Sp. Sanćtus, & hi tres unum ſunt.* Quòd autem unuſquiſque trium ſit Deus, non eget probatione.

Una perſona eſt in aliâ.

Secundò. Iſti non habent diverſas eſſentias, quorum unus ſemper eſt in alio: atqui divinarum perſonarum una ſemper eſt in alterâ Joa.10.11. *Credite mihi; quia ego in Patre, & Pater in me eſt:* ἐμπεριχώρησις hæc identitatem eſſentiæ in omnibus perſonis probat.

Quod ad patres, Omnes Orthodoxi poſt *Nicænam Synodum* amplexi ſunt ὁμοούσιον hoc ſenſu, quod omnes tres perſonæ ſint unius eſſentiæ, & nullo modo quoad eſſentiam differant. Qui volet conſulere Auguſtinum,

Mens hic Auguſtini.

„ *audiet ab eo quod Pater & Filius divinita„ te ſint unum, nec ſit ibi ſubſtantiæ differentia, „ alioqui quomodo unum Deum dicimus, di„ verſitas enim facit plures?* Idem Auguſtinus de eſſentialibus attributis ſic determinat. „ *Omnia ſunt unum, non enim eſt aliud vi„ vere, aliud intelligere, aliud eſſe, ſed id „ quod eſt intelligere, hoc vivere, hoc eſſe eſt. „ Et de attributis omnibus perſonalibus ſic con„ cludit. In illâ ſummâ trinitate, tantùm eſt „ una, quantum tres ſimul, nec plus aliquid „ ſunt duæ, quàm una, nam in ſe infinitæ ſunt: „ ita ſingula ſunt in ſingulis, & omnia in ſin„ gulis, & ſingula in omnibus, & omnia in „ omnibus, & unum omnia. Et de Trin. lib. „ 6. cap. 10. lib. 7. cap. 5. & ſequentibus. Hoc „ eſt Deo eſſe quod ſubſiſtere, ideò ſi una eſſen„ tia trinitas, una etiam ſubſtantia: in per„ ſonis eadem ratio eſt, non enim eſt aliud „ Deum eſſe, aliud perſonam eſſe, ſed omnino „ idem. In hac trinitate cùm dicimus perſo„ nam Patris, non aliud dicimus quàm ſub„ ſtantiam Patris, quocirca ut ſubſtantia Pa„ tris ipſe Pater eſt, non quà pater eſt, ſed „ quà eſt, ita & perſona patris, non aliud quàm „ pater eſt; quemadmodum hoc illi eſt eſſe, quod „ Deum eſſe, quod magnum, quod bonum eſſe, „ ita hoc illi eſt eſſe, quod perſonam eſſe. Tres „ perſonas unam eſſentiam dicimus, tres au„ tem perſonas ex eâdem eſſentiâ non dicimus, „ quaſi aliud ibi ſit quod eſſentia eſt, aliud quod „ perſona; quia hoc eſt illi Deum eſſe, quod „ eſt eſſe, tam tres eſſentias, quàm tres Deos „ dici nefas eſt.* Suadet animarum naviculas omni curâ dirigere inter duos ſcopulos *Arii* & *Sabellii*, *Macedonii*, & *Praxeæ*, ut inter *Scyllam* & *Charybdin*, qui æquali naufragio omnes ſibi appropinquantes perdunt, dum hi perſonas confundunt, & illi eſſentias multiplicant, faciuntque diverſas, & dividunt.

Recentiores omnes pro Patribus contra Vorſtium.

Quod ad Theologos recentiores, vide *Aquinatem* primâ par. à quæſt. 27. ad 44. in ſingulis ferè articulis, quem in hoc argumento Pontificii omnes ſequuntur, & *Hieronymum Zanchium* de tribus Elohim cap. 1. lib. 8. cum quo proteſtantes omnes præter Antitrinitarios conſentiunt.

Rationum loco tres tantùm breviter propono.

Sententia Vorſtii infert πολυθεΐαν, & ἀθεΐαν.

Prima. Si in Deitate ſint tres diverſæ eſſentiæ, tum tres ſunt dii: Atqui poſterius eſt impoſſibile: nam ſi tres ſint dii, eſſe poſſunt tres myriades Deorum: & ſi tres ſint Dii, vel plures uno, nullus omnino eſt Deus. Major clara, nam ab eſſentiâ ſpecificâ ad ſpeciem, & à natura ſingulari ad ſuppoſitum, neceſſaria eſt conſequentia. Sequitur ab humanâ eſſentiâ ad hominem; quiſquis hanc habet, eſt homo, iſtâ multiplicatâ, hic neceſſariò multiplicatur. Quot ſunt creaturæ viventes habentes diverſam humanitatem, tot ſunt diverſi homines; quot ſunt divinæ perſonæ quæ ſuam realiter à cæteris diſtinćtam divinam eſſentiam habent, tot ſunt Dii.

Secundò. Impoſſibile eſt ut ſint plura infinita: Atqui divina eſſentia eſt infinita: Ergo impoſſibile eſt, ut ſint plures eſſentiæ divinæ.

Ter-

Tertiò. Quæ realiter differunt, à ſe invicem poſſunt ſeparari, eorum unum de alio poteſt negari, eorum unum per ſe ſolum in ſuâ eſſentiâ ita eſt completum, ut abſque alio rectè poſſit concipi; atqui Deitas ſeparari nequità perſonis, non poteſt abſque contradictione de iis negari, abſque illâ hæ non poſſunt concipi: Deitas non tantùm eſt in earum eſſentiâ, ſed omnis eſſentia quam illæ habent. Ergo perſonæ non differunt realiter à naturâ divinâ.

Argumenta hæc non debent ſperni, nam omnia magnos habent auctores, qui *Vorſtii* hoc ſophiſma abominantur ut ἄθεον, quod ipſam divinitatem tollit, nam de eâ loquitur ut naturâ univerſali, quæ de tribus perſonis eſſentialiter differentibus affirmatur in quæſtione quid: ipſa autem eſt ens in potentiâ tantùm, non ens actu, quæ non exiſtit per ſe niſi in ſuis individuis, atque adeò quæ nec eſt, nec poteſt eſſe Deus.

Metaphyſica Vorſtianorum praviſſima. Sed propemodùm prætericram Opponentis ſubſidia, quibus argumentum ſuum ſecundum confirmabat. Perſonæ, inquit, habent ſuas diverſas eſſentias, quia ſuas diverſas entitates: nam omne ens, & omnis entitas ſuam habet eſſentiam, ut omnis res ſuam realitatem. Reſp. *Vorſtii* argumentum malum fuit, ſed ab Opponente redditur deterius; ita enim arguebat *Vorſtius*. Quicquid verè exiſtit, ſuam habet eſſentiam ab eſſentiâ aliorum verè exiſtentium realiter diverſam. Axioma hoc falſum eſt, cui Chriſtiani omnes tam Philoſophi quàm Theologi contradicunt, ſed dum Opponens quod *Vorſtius* de ente verè exiſtente loquebatur, deducit ad omne omnino ens, imò verò ad omnem abſolutè entitatem, ultra *Vorſtium* in errore progreditur.

Studio brevitatis duos in Opponentis argutatione errorum fontes indigitabo. Primò arguit ab entitate ad eſſentiam. Non hoc permittunt Metaphyſicorum ſcholæ: entitas, ut minimùm extenditur ad omne objectum intellectûs, ita ut non ſolùm ens, ſed principia, affectiones, & modi etiam entis, imò quicquid non eſt omninò nihil, ſuas habeant entitates, ſed eſſentia multò ſtrictioris eſt naturæ; diſtincta non tantùm ab ente *Metaphyſica* ſubjecto, & entitate iſtius ſubjecti abſtracto, ſed ab omnibus modis entis, ab omnibus affectionibus entis, & ab aliis omnibus entis principiis, exiſtentiâ, ſubſiſtentiâ, ſuppoſitalitate, inhærentiâ &c. Omninò ergo incongruum eſt, ab omni entitate concludere eſſentiam, nam foret ſic proceſſus in infinitum.

Alter erroris fons eſt, quòd ab ente procedatur ad eſſentiam, ita ut quot in Deitate, vel alio quovis ſint entia, tot ſint eſſentiæ. Applicetur hoc ad ſingularem hominem. Si, quot ſunt in *Socrate* entia, ſeu ſubſtantiæ ſeu accidentia, tot Socratem oporteat habere eſſentias, quid fiet de veteri & vero ſcholarum omnium placito; *unius rei una tantùm eſt eſſentia?* Sed de hujuſmodi Sophiſtarum tricis ſatis ſuperque.

Tertium Opponentis argumentum eſt facile. Tertium Opponentis argumentum hoc eſt. Scriptura Deo attribuit ea quæ non ſunt Deus. Gen. 6. 6. Exod. 32. 10. 12. Iſaiæ. 63. 11. R. In his locis nulla eſt difficultas. In primo dicitur pœnituiſſe Deum quòd fecerit hominem, & indoluiſſe in corde ſuo. In ſecundo excandeſcentia furoris Deo aſcribitur, & in tertio recordatio rerum præteritarum. Iſta omnia attribuuntur Deo impropriè, tropicè, & per ἀνθρωποπάθειαν, metaphoricè ob ſimilitudinem effectorum non affectionum.

Hactenus non contradicit *Vorſtius*, quanquam enim miſer iſte infeliciſſimè totam divinam naturam deformare conatus ſit, tam in eſſentiâ quàm in perſonis; & propriiſſimè abſque ullo tropo, ullâ figurâ in Deo ponat complures humanorum affectuum, utpote amorem, timorem, ſpem, & alios; locos tamen allatos ex Gen. 6. & Iſ. 63. accipi concedit metaphoricè, in ultimo illo, & meditatiſſimo ſuo ſcripto contra Piſcatorem pag. 238. neque uſquam memini, ubi dolorem, furorem, reſipiſcentiam, recordationem Deo propriè aſcribat; quòd ſi fuiſſet auſus, auctoritatum, & rationum in oppoſitum torrente fuiſſet obrutus.

Quartum Opponentis argumentum eſt abſurdiſſimum. Quartum opponentis argumentum; Deus dicitur habere vitam in ſeipſo Jo. 5. 26. aliud eſt ſubjectum vivens, aliud vita ipſa; qui poſſidet, alius ab eo quod poſſidet; non poteſt quiſquam eſſe ſui ipſius vel cauſa, vel effectum, itaque cùm iſta à Deo cauſentur, & efficiantur, oportet ſint aliud à Deo, aut ut Deus ſit alius à ſe. Reſp. argumentum hoc ſuperiora omnia ſuperat abſurditate; illa ponebant in Deo compoſitionem accidentalem, & ejuſmodi ſubſtantialem, quæ ex unione perſonarum cum naturâ oriebatur; ſed argumentum præ manibus novum compoſitionis genus in Deo ponit, de quo nihil *Vorſtius* (quantum ſcio) nimirum compoſitionem inter Deum & ſuam vitam; inter Deum, & ſuam eſſentiam, exiſtentiam, Deitatem, naturam divinam, inter Deum, & omnia ſua attributa in abſtracto: nec compoſitionem tantùm, ſed etiam ejuſmodi inter compoſita differentiam, ut alterum de altero ſemper ſit negandum; Deus non eſt vita ſua, ſua bonitas, ſua Deitas, ſua natura; nam iſta omnia poſſidet & habet, itaque ab iis differre neceſſe eſt. Confirmatio adhuc in abſurditate pergit, Iſta omnia (inquit) à Deo differunt, quia iſta Deus cauſatur & efficit, ipſe eorum eſt cauſa, iſta illius effecta. Hæc opponens profert abſolutè abſque ullâ limitatione de omnibus quæ Deus poſſidet, ut ſuam vitam; Itaque Deus cauſa ſit oportet ſuæ vitæ, ſuæ juſtitiæ, ſapientiæ, bonitatis, imò ſuæ eſſentiæ, exiſtentiæ, Deitatis, & a-

liorum

liorum omnium abſtractorum quæ dicuntur ineſſe Deo; omnia iſta ſint oportet Dei effecta, Deus iſtis omnibus naturâ prior, iſta Deo poſteriora, ſine quibus rectè poteſt concipi. Itaque dabit Opponens Deum ſine Deitate, ſine vitâ, abſque ſapientiâ, abſque eſſentiâ, abſque exiſtentiâ, omnia enim hæc abſtracta ſunt Dei effecta, ipſi naturâ poſteriora ſecundum præſens argumentum.

Hæc abſurdiſſima abſurda ſuadebunt Opponenti benignâ aure accipere hujus ſui argumenti pernegationem; eoque magis quòd Scriptura, & maximi Theologi tam antiqui quàm recentes mihi in hac negatione præiverint.

Scripturæ ſuprà citatæ Deum ſuam vitam, & ſuam veritatem appellant.

Abſtractum & concretum non differunt in divinis.

Quoties demonſtrat *Auguſtinus* infallibilem divinæ naturæ ſimplicitatem excludere omnem realem diſtinctionem inter abſtractum & concretum in divinis, unum tantùm habete locum de Civitate Dei lib. 11. cap. 10.
,, *Eſt bonum ſolum ſimplex quod eſt Deus, a-*
,, *lius eſt Pater, quàm Filius & Sp. Sanctus:*
,, *ſed alius dixi, non aliud. Hæc trinitas unus*
,, *eſt Deus, nec ideo non ſimplex, quia trini-*
,, *tas, ſed ideo ſimplex dicitur, quia quod ha-*
,, *bet hoc eſt. Sicut dicitur vivens habendo*
,, *vitam, & eadem vita ipſe eſt, & propter*
,, *hoc natura dicitur ſimplex, quia non eſt a-*
,, *liud habens, aliud quod habet; vas liquorem*
,, *habet, corpus colorem, aër lucem, anima ſa-*
,, *pientiam; nihil horum eſt id quod habet: nam*
,, *neque vas liquor, neque corpus color, neque*
,, *aër lux eſt, neque anima ſapientia; aliud*
,, *ſubſtantia quâ corpus eſt, aliud qualitas: ſed*
,, *quæ principaliter vereque divina ſunt, dicun-*
,, *tur ſimplicia; quia non aliud eſt in iis quali-*
,, *tas, aliud ſubſtantia.*

Inter recentiores vide *Aquinatem* par. 1.
,, qu. 40. art. 1. in Concl. *In divinis, inquit,*
,, *non differunt quod eſt, & quo eſt.* Item par.
,, 3. quæ. 3. art. 3. ad 1. *De rebus ſimplicibus*
,, *loqui non poſſumus niſi per modum compoſi-*
,, *torum, a quibus cognitionem accipimus. Et*
,, *ideò de Deo loquentes utimur nominibus con-*
,, *cretis, ut ſignificemus ejus ſubſiſtentiam,*
,, *quia apud nos non ſubſiſtunt niſi compoſita,*
,, *& utimur nominibus abſtractis, ut ſignifi-*
,, *cemus ejus ſimplicitatem. Quòd ergo dicitur*
,, *Deitas, vel vita, vel aliquid ejuſmodi eſſe*
,, *in Deo, referendum eſt ad diverſitatem quæ*
,, *eſt in conceptione intellectûs noſtri, & non*
,, *ad aliquam diverſitatem rei.*

Accidentia rectè ſupponunt Deum mutabilem.

Ultimum opponentis argumentum hoc eſt. Deus reſpectu voluntatis tranſeuntis ad creaturas recipit ſpeciem aliquam perfectæ mutationis. *Ambroſ.* in Catenâ in Lucam, *Novit*
,, *Dominus mutare ſententiam, ſi tu noveris*
,, *emendare delictum.* Reſp. Conſequentiam à mutabilitate voluntatis divinæ ad compoſitionem in naturâ divinâ agnoſco bonam & neceſſariam. Hic nodus eſt inſolubile vinculum quo *Vorſtius Arminio* connectitur. Quiſquis divinorum decretorum mutabilitatem & dependentiam ab humanis volitionibus tuetur, idem compoſitionem, & inhærentiam accidentium ſeparabilium in naturâ divinâ tueri neceſſe habet. Ergo rectè, & conſequenter ad cætera ſua placita hîc argumentatur Opponens: ego autem conceſſâ conſequentiâ nego antecedens, quòd divina voluntas mutabilis ſit. Certè ſi voluntas mutabilis eſſet, ea non poſſet eſſe Deus, ſed accidens eſſet in Deo: nos autem qui Dei voluntatem credimus eſſe Deum ipſum, ut loquamur conſequentia & conſentanea nobiſmet ipſis, neceſſe eſt ſtatuamus cum Apoſtolo, vacuum Deum omni mutationis umbrâ, quòdque in Deo nulla ſit mutatio perfecta aut perficiens, ſed omnis in eo mutatio magnum, ſecundum nos, imperfectionis erit ſignum.

Arminianiſmus ad Vorſtianiſmum neceſſariò aſcendit.

Negatum antecedens nullo argumento probat Opponens, ſed tantùm teſtimonio *Ambroſii*; eoque non ex ipſo *Ambroſio*, ſed ex Catenâ *Thomæ* in Lucam. Quod ſi vel ipſum *Ambroſium*, vel *Thomam* inſpexiſſet Opponens, ubi præſentem quæſtionem ex inſtituto tractant, facilè ſuum percepiſſet errorem. Nam per ſententiam quam Deus mutavit, nihil aliud intelligit *Ambroſius* quàm ſilentium ex Dei ſententiâ *Zachariæ* primò impoſitum, & poſteà remotum. Pœna peccatori impoſita, & poſteà remiſſa nullam importat in voluntate Dei caſtigantis, & caſtigati vulnera curantis mutationem, ut rectè Thom. par. 1. quæſt.
,, 19. art. 7. *Aliud eſt mutare voluntatem, a-*
,, *liud velle mutationem aliquarum rerum:*
,, *poteſt enim aliquis eâdem voluntate immu-*
,, *tabiliter permanente, velle ut nunc fiat hoc,*
,, *& poſtea fiat contrarium. Quod autem Am-*
,, *broſii mentem rectè expono, ex antecedenti-*
,, *bus ipſius verbis fit liquidum. Vide quàm*
,, *bonus Deus & facilis. indulgere peccatis;*
,, *non ſolum ablata reſtituit, ſed etiam non ſpe-*
,, *rata concedit: ille dudum mutus prophetat,*
,, *nemo ergo diffidat, nemo veterum conſcius*
,, *delictorum præmia divina deſperet, novit*
,, *Dominus mutare ſententiam &c.*

Sententia Thomæ.

Si cui animus eſt *Ambroſii* ſententiam pleniùs cognoſcere, tum de præſenti, tum de aliis multis *Vorſtii* erroribus, legat illum egregium de vocatione gentium tractatum. Ibi lib. 2. cap.
,, ultimo in medio. *Nihil obſiſtere gratiæ di-*
,, *vinæ poteſt, quo minùs id quod voluerit im-*
,, *pleatur. Ad quoſlibet rerum humanarum*
,, *exitus ſe noſtra convertat aſpectio, nulla ſe-*
,, *cula, nulla negotia, nullos generationum or-*
,, *tus atque deceſſus, ab æternis & inſcrutabi-*
,, *libus judiciis Dei vacare reperiet. Omnes*
,, *varietatum compugnantia, & univerſa diſ-*
,, *ſimilium proventuum cauſa, quas inveſtiga-*
,, *re, & diſcernere non valemus, in illâ æter-*
,, *nâ ſcientiâ ſimul nota ſimulque diviſa ſunt,*

Mens Ambroſii.

,, *& ni-*

,, *& nihil ibi inordinatum eſt, etiam necdum*
,, *exiſtentibus qualitatibus actionum; quoniam*
,, *non eſt in Deo accidens motus, nec nova vo-*
,, *luntas, aut temporale conſilium, nec cogita-*
,, *tio ejus cum rerum mutabilium inæqualita-*
,, *te variatur, ſed cuncta pariter temporalia*
,, *& tempora ſempiterno & ſtabili comprehen-*
,, *dit intuitu, & omnibus omnia jam retri-*
,, *buit, qui, quæ ſunt futura, jam fecit. Nihil*
,, *opus eſt teſtimonium hoc in multas contra*
,, Vorſtium *antitheſes reſolvere.*

Auguſtinus Ambroſium ſequitur.

Si opponenti non fiat ſatis, ex ſuis auctoribus *Ambroſio* & *Thomâ*, redeat ad *Auguſtinum*, quem initio omnium Patrum loco elegit. Is de Trinit. lib. 15. cap. 20. ſic habet.
,, *Nos aliquid aliquando volumus, quod antea*
,, *non volebamus, propterea mutabilis intelli-*
,, *gitur noſtra natura, quod abſit in Deo eſſe*
,, *credamus; neque ob aliud ſcriptum eſt, mul-*
,, *ta cogitationes in corde viri. conſilium au-*
,, *tem Domini manet in æternum; niſi ut in-*
,, *telligamus ſicut æternum Deum, ita æter-*
,, *num eſſe ejus conſilium; ac per hoc immu-*
,, *tabile, ſicut ipſe eſt. Quod autem de cogi-*
,, *tationibus, hoc etiam de voluntatibus veriſ-*
,, *ſimè dici poteſt.*

Objectioni Opponentis occurrit Auguſtinus expreſsè de civitate Dei lib. 22. cap. 1.
,, *Cùm dicitur mutare voluntatem, ut, quibus*
,, *lenis erat, v. g. reddatur iratus, illi potiùs,*
,, *quàm ipſe, mutantur: etenim quodammodo*
,, *mutatum in his quæ patiuntur inveniunt,*
,, *ſicut mutatus ſol oculis ſauciatis, & aſper*
,, *quodam modo ex miti, & ex delectabili mo-*
,, *leſtus efficitur, cùm ipſe apud ſeipſum ma-*
,, *neat idem qui fuit.* Et capite ſequenti. *Fiet;*
,, *ſi Deus voluerit, non quia Deus novam vo-*
,, *luntatem, quam non habuit, tunc habebit,*
,, *ſed quia id quod ex æternitate in ejus immu-*
,, *tabili paratum eſt voluntate tunc erit.*

Et utrumque Gregorius.

Gregorius Magnus Ambroſii mentem in-
,, ſigniter aperit. Moral. lib. 16. cap. 4. *Omni-*
,, *potens Deus & ſi mutat plerumque ſenten-*
,, *tiam, nunquam tamen conſilium: eo ergo*
,, *tempore ex hac vitâ quiſque ſubtrahitur,*
,, *quo ex divinâ potentiâ antè præſcitur. Et*
,, *cap. 17. Deus ſicut immutabilis naturâ eſt,*
,, *ita & cogitatione, nam etſi fuerunt qui de-*
,, *precationibus ſuis ejus cogitationem avertiſ-*
,, *ſe videantur, ita tamen fuit ejus æterna co-*
,, *gitatio, ut ſententiam illius avertere depre-*
,, *cando potuiſſent, & ab eo accipere quod age-*
,, *rent apud ipſum. Dicat ergo & nemo aver-*
,, *tere poteſt cogitationem ejus, quia judicia e-*
,, *jus ſemel fixa nequaquam mutari poſſunt,*
,, *unde ſcriptum eſt, præceptum poſuit, &*
,, *non præterivit. Et rurſum, cœlum, & ter-*
,, *ra tranſibunt, ſed verbum meum non tranſi-*
,, *bit. Et rurſum. Non ſunt cogitationes meæ,*
,, *ſicut cogitationes veſtræ, neque viæ meæ ſic-*
,, *ut viæ veſtræ. Cùm ergo exteriùs mutari vi-*
,, *detur ſententia, interiùs conſilium non mu-*
,, *tatur, quia de unaquaque re immutabiliter*
,, *intus conſtituitur, quicquid foris mutabili-*
,, *ter agitur.*

Iſta omnia ſi non dimoveant Opponentem, quo minùs mutationem divinæ ſententiæ non ponat in ſententiæ effecto aut objecto, ſed in ipsâ intrinſecâ Dei voluntate, animadvertat in quæ ſe vepreta inducat, in quæ ſe abſurda præcipitet. Neceſſe eſt efficiat Deum ab humanâ voluntate pendêre, ut affirmet hominum pœnitentiam veram cauſam eſſe non temporalium actionum Dei, ſed æterni etiam ipſius conſilii, ut rectè Thomas ex Auguſtino
,, colligit par. 1. quæ. 19. art. 5. *Omnis cauſa*
,, *efficiens major eſt eo quod efficitur. Nihil*
,, *autem eſt majus voluntate Dei. Ergo cauſa*
,, *ejus non eſt quærenda. Concedit Aquinas or-*
,, *dinem naturæ poſtulare ut in rebus à Deo vo-*
,, *litis una ſit cauſa exiſtentia alterius, ſed*
,, *quicquam à Deo volitum efficere cauſam i-*
,, *pſius volitionis Dei vocat mentis inſaniam*
,, *quaſ. 23. art. 5. in corpore. Non eſt aſſigna-*
,, *re cauſam divinæ voluntatis ex parte actûs*
,, *volendi, ſed poteſt aſſignari cauſa ex parte*
,, *volitorum, in quantum ſcilicet Deus vult*
,, *aliquid eſſe propter aliud (ut alibi exprimit*
,, *in nobili illâ maximâ) velle finem non eſt*
,, *Deo cauſa volendi ea, quæ ſunt ad finem; ſed*
,, *vult tamen ea quæ ſunt ad finem, ordinari in*
,, *finem: vult ergo hoc eſſe propter hoc, ſed non*
,, *propter hoc vult hoc. Quid vis ampliùs?*
Tanta abſurda ſunt, quæ hanc mutabilitatis in Divinâ voluntate ſententiam ſequuntur, ut *Vorſtius* tandem det manus, & hac ſuâ causâ apertè cedat contra *Piſcatorem* pag. 9.

Diutiùs in hac quæſtione non immorabimur, properabundi ad alia.

Amica per epiſtolas de Prædeſtinatione Collatio cum Theologo Ladenſi.

Ladenſes audaci impudentiâ ad multos teterrimos errores amplectendos ruebant.

REverende vir, in eligendo Collationis hujuſce ſubjecto, vellem ſervâſſes methodum de quâ inter nos convenerat, & quam in prioribus congreſſibus fueramus ſequuti.

In primâ de Perſeverantiâ Collatione profeſſus es quà verbo, quà ſcripto magnum tuum dolorem ob varia ſchiſmata quæ eccleſiam Chriſti in partes multiplices lacerant, ſimulque deſiderium videndi Chriſtianos omnes, ut aliquando fuerant, in uno ovili unitos, eò magis quòd in tuo de controverſiis, quæ hodie Chriſtianum orbem vexant, ſtudio nihil obſervâſſes quod juſtam ullius ſchiſmatis, & à ſe invicem ſeparationis cauſam præberet: nulli enim Chriſtianorum ſectæ tuo judicio hæretici nomen ſenſu ullo proprio imponi poſſe, noſtramque eccleſiam abſque neceſſitate ſeceſſionem feciſſe ab iis qui vulgò vocantur ſeu *Papiſtæ*, ſeu *Arminiani*, ſeu *Lutherani*, ſeu *Vorſtiani*, ſeu *Socíniani*; quæcunque iſtis à vulgo vel concionatorum, vel populi

moventur lites, ſunt plerunque meræ logomachiæ, & ſi quando realis eſt controverſia, exiſtimas ab adverſariorum ſæpè parte veritatem conſiſtere, ſi quando antem illi errent, arbitraris ipſorum errores adeo leves, ut non obſtent, quò minùs ipſos ut fratres in Chriſto amplexari debeamus, & ad omnia noſtra ſacra admittere, neque ab ullo ipſorum cœtu ſacro, cultúve abſtinere. Tua hæc aperta, ingenuaque confeſſio effecit, ut primò de hæreſi in genere diſceptaremus, num quiſquam, qui opiniones ſuas ut libet in ſe falſas ipſe tamen veras credit, in foro Dei hæreticus cenſeri poſſit, aut jure eccleſiâ expelli. Mox deſcendimus ad eos ſpeciatim qui vulgò hæreticorum nomine infamantur, num eorum ulla dogmata ejus eſſent pravitatis, ob quam auctores meritò ex noſtris cœtibus excluderentur. Incepimus à *Vorſtio*, quod ejus errores viderentur profundiſſimi, qui imum Religionis omnis lapidem, ipſam eſſentiam divinam impeterent: pleroſque huic imputatos errores pro veritatibus habuiſti: in libro ejus de Deo nihil culpâſti præter incommodiores quaſdam formulas loquendi: ſubjectum hoc erat præcedentis noſtræ collationis. Proximum fuit ut *Socinianorum* contra Trinitatem placita perpendiſſemus: iſtis affirmâſti te non ſubſcribere, nec mirum, cum nullum tunc cujuſquam *Sociniani* ſcriptum legiſſes. *Smalcius* & *Volkelius*, quos à me mutuabas, nondum ad te pervenerant, utcunque profitebaris nullos, quos *Socinianis* imputatos audiviſti errores, juſtas tibi videri ſeparationis cauſas. Iſta vellem accuratè diſcuſſiſſemus, nam labor hic quæſtiones multas inſequentes illuſtrâſſet, & amputâſſet; nam ſi probaſſes *Socinianorum* negationem divinitatis Chriſti, ſubſiſtentiæ Spiritûs Sancti, & trinitatis perſonarum in unitate eſſentiæ divinæ, juſtam non eſſe quenquam à noſtris ſacris arcendi cauſam, dediſſem victas manus, totamque tuam primam propoſitionem conceſſiſſem, nimirum nullum dogma Pontificium, nullum *Arminii*, neque aliûs cujuſquam, qui Chriſtiani nomen fert, meritò impedire noſtram cum ullâ, aut omnibus ſectis plenam unionem, ac in unum cœtum redintegrationem: ſtatim ſequuta fuiſſet Papanorum errorum conſideratio, num horum vel dogmata, vel praxes, ob quæ Proteſtantes ab iis dudum ſeceſſerunt, tam leves eſſent & frivolæ logomachiæ, ut nullam initio noſtris majoribus diſcedendi ex Romanâ eccleſiâ cauſam præbuerint, nec nobis hodie, ut extra eam ſynagogam permaneamus; Arminiani denique articuli veniſſent ad manus. Ordo hic naturalis & perſpicuus erat, commodum fuit, ut eum, prout incepimus, proſequutus fuiſſes. Quandoquidem autem tibi libuerit locum proximum tribuere uni ex quæſtionibus ultimis, ἀμυδήτως hanc prætermittens reſpondebo ad ea, quæ affers in celeberrimo illo de Prædeſtinatione articulo.

Priuſquam diſputas, definis electionem & reprobationem, poſteà figis quæſtionis ſtatum, nominas oppoſitas partes, poſt diſputationem fuſè diſſeris de naturâ ejus dogmatis, quod tueris. Methodus hæc ſat mihi placet, & in eâ κατὰ πόδας te ſequar. Sed in materiâ ſubjectâ ab initio ad finem propè nihil eſt quod non diſpliceat, diſſenſûs mei rationes impertiar, quas pro libitu tu examines.

Omnia Opponentis argumenta ex Spalatenſi & Gerardo Voſſio ſunt deſumpta.

Initio profiteor nihil apud me gratiæ addi ſcripto tuo ab auctoribus unde illud exſcribis. Quicquid habes, invenio penè totum, proœmium, concluſionem, diſputationem integram, ſcripturas, Patres, rationes, apud *Spalatenſem* de Republicâ eccleſiaſticâ lib. 7. cap. tt. quæſt. 4. præter paucas additiones ex *Gerardi Voſſii* hiſtoriæ Pelagianæ lib. 6. Theſ. 14. 15. *Spalatenſis* dum iſtum librum ſcriberet à Proteſtantium eccleſiâ declinabat, verùm antequam edidit in lucem evaſerat fœdus apoſtata, & non tantum alter *Ecebolius* eſt factus, ut eum rectè *Eboracenſis* nuper præſul depingit, ſed etiam Eccleſiæ Britannicæ acerrimus hoſtis; prout tute fateberis, modò legas conſilium reditûs ei libro præfixum, ex quo diſputationem tuam mutuaris. Nihilominùs licet auctor apud me nihil gratiæ argumentis tuis procuret, cavebo ne ulla ab homine præjudicia abſterreant ab amplectendo quæ affers, modò notâ veritatis inſignita inveniam: quodcunque enim hoc Dei charactere imprimitur, mihi gratum erit, utut ab adverſario acerbiſſimo oblatum.

Spalatenſis definitiones electionis & reprobationis non ſunt probæ.

Definitiones tuæ, quas à nemine poſſe negari affirmas, hæ ſunt: Electio eſt inſcriptio quorundam in libro vitæ, & Reprobatio eſt quorundam ex libro vitæ deletio. Definitiones hæ *Spalatenſis* adeò vitioſæ ſunt, ut nullus quaruncunque partium eas admittere poſſit, vel ut definitiones, vel ut veras ſententias. Actionem definire per ſuum effectum, eumque tantùm unum, & talem qui omninò metaphoricus eſt, invenietur contra omnes rectè definiendi regulas. Quod Reprobatio ſit cujuſque deletio qui aliquando inſcriptus fuit libro vitæ, ab omnibus omnium partium rejicitur. Nam cum *Pontificiis*, *Lutheranis*, & *Arminianis* imputatur, quod ſecundum varia ſua principia neceſſe habeant docere omnes homines ſemel electos, adeoque reprobos omnes aliquando verè electos, & reprobationem, ſecundum tuam definitionem, eſſe deletionem ex libro vitæ eorum, qui per electionem aliquando ei libro inſcripti fuerant; Adverſariorum, quos vidi, etiam abſurdiſſimi, poſtquam in multa hypothetica divagati ſunt, tandem tamen omnes concludunt in ſimplici & abſolutâ negatione, quenquam qui ſemel electus eſt, poſſe reprobari, aut ullum qui per electionem libro vitæ inſcriptus eſt, poſſe inde per reprobationem deleri.

Dum

Spalatenſis rectè ſtatuit quæſtionem.

Dum figis quæſtionis ſtatum, id quod defendendum ſuſcipis eſt electio reſpectiva, conditionalis, & dependens à fide, & bonis operibus, imò à fide, pietate, & perſeverantiâ. Status hîc quæſtionis à *Spalatenſi* fixus mihi perplacet, nam virtutem habet quæ in pleriſq; diſputationibus deſideratur: efficit theſin ita planam, & ambiguitatibus vacuam, ut partium ſententiæ plenè & perſpicuè poſſint conſpici.

Vana eſt Spalatenſis jactantia de omnibus Patribus pro Pelagio contra Auguſtinum in doctrinâ electionis.

Quos adducis pro tuæ ſenteotiæ fautoribus ſunt omnes patres Græci & Latini ante *Auguſtinum*, & hodie omnes *Lutherani*, *Arminiani*, & plerique *Jeſuita*. Aſſertionem hanc tuam paulùm perpendamus. Ordinaria *Pelagii*, ſuorumque olim ſequacium ſeu in toto ſeu ex parte jactantia fuit, quòd pro ipſis contra *Auguſtinum* ſtaret tota præcedens antiquitas: verùm *Auguſtinus* diſertè contrarium affirmat. Videtur *Auguſtinus* Patrum ante ſe mentem habuiſſe tam perſpectam quàm quivis ſuo ſeculo hæreticorum, nec ſcientem, prudentem de ſanctis Patribus voluiſſe mentiri; quinetiam in variis Pelagianorum dogmatis adducendo diſtinctè permultos ex Patrum ſcriptis locos, hæreticæ jactantiæ vanitatem coarguit, nimirum in articulis de originali peccato, de neceſſitate prævenientis gratiæ, de efficaciâ gratiæ operantis, in hiſce capitibus ſi tuorum ipſorum auctorum *Spalatenſis*, *Voſſii*, ac *Molinæ* judicio vis acquieſcere, abundè probat *Auguſtinus* Patres Græcos & Latinos pro ſe contra Pelagianos facere. Idem affirmat de prædeſtinatione; nam in boc capite auctores tui *Auguſtinum* meritò deſeruerunt, & in Pelagii caſtra tranſierunt, dum aſſerunt *Auguſtinum* priores Patres in dogmate de electione vel non intellexiſſe, vel falſum de iis teſtimonium præbuiſſe, ejus verò adverſarios & rectè hic Patres intellexiſſe, & probè ſincereque eorum mentem explicâſſe, ſuo loco examinabimus; perpendentes ſingula quæ affers Patrum teſtimonia, & quæcunque ultra tibi placebit addere. In hoc examine, ſpero, invenies Patres tam Græcos quàm Latinos non magis *Auguſtino* contradicere in ſententiâ ſuâ de prædeſtinatione, quàm in reliquis ſuis contra audaciſſimos & ſubtiliſſimos hæreticos dogmatis.

Lutherani in doctrinâ electionis ab Arminianis differunt.

Quòd *Lutherani* in tuâ ſint ſententiâ de electione dependente à fide & operibus neſcio quî probaveris, certè alia *Lutheri* mens fuit. Vide præfationem Commentarii in epiſtolam ad Romanos; ibi diſertè fidem & bona opera poſteriora electione, ejuſque effecta facit. Si *Mortono* credas in nupero ſuo ad noſtrum *Duraeum* ſcripto, *Lutherus* ubiqoe electioni conditionatæ adverſatur. Verum eſt *Lutheri* diſcipulos diu poſt magiſtri mortem, ut arbitrarium ſuum à nobis ſchiſma confirmarent, varias quæſtiones in articulis de electione, & reprobatione non neceſſarias contra nos moviſſe: attamen à tuo hîc dogmate ad bunc diem longè abſunt. In collatione Mompeligardenſi pag. 147. teſtatur *Beza* Lutheranos, etſi doceant meritum mortis Chriſti omnibus hominibus abſque exceptione cujuſquam offerri, & reprobationem provenire ex præviſione infidelitatis ac finalis impœnitentiæ, nihilominùs tamen affirmare electionem omnino priorem, & nullo modo dependentem à præviſâ fide; quin & hodie cum ſuas contra nos lites ad integram, ut profitentur, centuriam extenderuot, & Synodum Dordracenam in ipſo de electione articulo acerbiſſimè taxaverunt, docent tamen fidem & omnes actus gratioſos poſteriores eſſe etſi oon electione, ſequi tamen Dei propoſitum, conſilium, beneplacitum, quod reverâ electio eſt, licet ipſi velint electioois tantùm regulam vocari. Hac de re vide *Mentſeri Anti-Grotium*, ubi etiam affirmat *Matthia Martinus* de electione ſententiam in Synodi Dordracenæ actis editam, ipſiſſimam eſſe quam hodie Lutherani tuentur, quæ longè differt à propoſitiooe tuâ. etſi inde excluderes tam opera quàm perſeverantiam: ſed cum opera includis tuæ theſi, omnes Lutherani eam rejicient ut veram hæreſin: illi enim efficiunt juſtificationem & electionem in cauſis & objectis omninò pares, docendo fidem præcedere utramque, ſed opera utramqoe ſequi, imò verò ſtatuere bona opera juſtificationis adeoque electionis cauſas, Lutherani bactenus ſemper abominati ſunt ut craſſiſſimum Romanæ eccleſiæ errorem.

Ieſuitarum principes in doctrinâ electionis contrarii ſunt Arminianis.

Quòd ad *Jeſuitas*, licet omnes tecum ſentireot, parum hoc adderet, vel opis vel bonoris tuæ cauſæ, ſed tam abſurda hæc eſt theſis tua, ut ipſorum etiam Jeſuitarum plerique eam rejiciant quaſi ipſam *Pelagii* bæreſin. In hoc clarus & multus eſt *Bellarminus*. *Mortonus* in ſcripto prænominato ei addit primarios omnes illius ſocietatis, nominatim citat *Salmeronem*, *Maldonatum*, *Suareſium*, *Pererium*, & *Toletum*. Imò verò hiſtoria illa Concilii Tridentini, ob quam multùm, fateor, debemus apoſtatæ tuo *Spalatenſi*, diſertè teſtatur in ea Synodo noo tantùm Jeſoitas & Dominicanos, ſed totum Theologorum corpus, tam *Scotiſtas* quàm *Thomiſtas* dependentem tuam prædeſtinationem vehementer ut ipſiſſimum Pelagianiſmum impugnaſſe: quicunque autem *Tridenti* pro eâ ſtabant fuiſſe tantùm obſcuros quoſdam monachos, qui ratiunculis humanis, in primis politicis ſe opponebant, non tantùm ſcripturis & Patribus, ſed toti Scholaſticorum choro. Editionis Italicæ pag. 205.

Ipſe Molina contradicit Arminianis.

Multum etiam falleris de ipſo *Molina*; is te docebit nullum unquam Theologum docuiſſe ipſam prædeſtinationem ab ullâ cauſâ ullâ conditione pendentem, nam prædeſtinatio eſt ipſe Deus independens. qu. 23. art. 1. diſp. 3. pag. 307. Omnem etiam fidem, & bona opera quæcunque, imò verò quicquid ſalutem promovet,

Qq 2 ſive ſit

ſive ſit actus gratioſus, ſive naturalis, effectum eſſe prædeſtinationis, & eâ poſterius. Ibid. quodque effectorum prædeſtinationis nulla dari poſſit cauſa. art. 5. diſp. 1. memb. 1. ubi *Henricum Gabrielem, Javellum, Piggium*, & aliquot alios, qui prædeſtinationem reſpectu effectorum dependentem faciunt à bono uſu liberi arbitrii à gratiâ adjuti, ut à ratione & conditione ſine quâ non, cur congruè unus prædeſtinetur, alter non, etſi eos abſolvat à Pelagianiſmo, damnat tamen erroris, ejuſque periculoſi in ipsâ fide multis argumentis membro 4. ipſe verò plenè amplectitur placitum *Auguſtini, Durandi, Thomæ*, & Scholaſticorum communiter contra mentem, ut profitetur, Patrum ante *Auguſtinum*. Addit tamen communi ſententiæ de prædeſtinatione non ſecundum præſcientiam, ſed abſolutâ clauſulam de ſuo quam profitetur novam, ejuſmodi tamen quam ſibi perſuadet *Auguſtinum* & *Thomam* libenter amplexuros fuiſſe, modò ipſis fuiſſet propoſita, ut ipſorum dogmatis bellè conſentientem. Quî hoc fieri poſſit mihi quidem videtur inexplicabile; & licet multis ſæpè verbis explicare conetur *Molina*, non tamen, exiſtimo, attingit ſcopum: utcunque, cùm à quibuſdam ipſi objiceretur, hanc quam addit clauſulam abſolutæ ſecundum *Auguſtinum* & *Thomam* prædeſtinationi efficere ipſum verè patronum tuæ ſecundum præſcientiam prædeſtinationis, patheticè in integra ſectione objectum hoc ſibi refutat ut intolerabilem calumniam membr. 12.

Arminiani diu rejecerunt electionem ex operibus.

Ipſi etiam *Arminiani* propoſitionem tuam non niſi nuper amplexi ſunt in ſcriptis recentiſſimis, Confeſſione & Apologiâ, ubi extra oleas primorum omnium ſuorum articulorum multùm divagati ſunt. *Arminius* totâ vitâ, *Corvinus* etiam in ſuâ ad *Molinæum* reſponſione poſt Synodum Dordracenam, nullam prædeſtinationem ab operibus volunt ullo modo pendere, ſed à ſolâ fide, eâque ipſis propriâ, quæ tibi fortaſſe non placet: certè nullus vel Pontificiorum, vel Lutheranorum eam tuetur.

Arminiana fides tam Lutheranis quàm Pontificiis diſplicet.

Arminiana fides, à quâ ſuſpendunt primò juſtificationem, ac deinde electionem; non eſt illud inſtrumentum applicans nobis Chriſtum primarium fundamentum noſtræ cùm juſtificationis tum electionis, ut docent Lutherani, ſed actus quem Deus poſuit loco totius juſtitiæ legalis, qui operatur non virtute objecti, ſed virtute ſuâ: ille autem actus fidei producitur à libero arbitrio noſtro ut verâ efficienti cauſâ partiali, quæ ſola efficit fidem actum obedientiæ dignum laude, ſi non mercede. Fidem talem & operationem ejuſmodi abhorrent Lutherani, utpote qui tantùm loquuntur de fide productâ à ſolâ gratiâ Spiritûs Sancti, ut unicâ ejus efficiente principali, cui uni omnis laus & gloria noſtræ actionis eſt debita, & de fide cujus operatio ſeu in electione ſeu juſtificatione eſt tantùm inſtrumentaria; fides etiam hæc Arminianorum rejicitur à Pontificiis; nam hi per fidem juſtificantem intelligunt habitum fidei infuſum, quem Arminiani rident. Dubito ergo an cum Arminianis te jungas in electione dependente à fide: dum autem in hoc actu fidei addis opera, nullum habes Arminianorum tibi conſentientem, niſi iſtos, qui nuper *Socino* remonſtrantes ſe demonſtrarunt.

Pro electione ex operibus prima Spalatenſis ſcriptura eſt ex epiſtolâ ad Rom. 8. 29.

Sed quis tecum, vel contra te ſentiat parum refert, modò tuam ſententiam ex ſacra Scriptura probaveris; hoc equidem conaris per ſex expreſſos ſcripturæ locos. Primus eſt Rom. 8. 29. [*Quos præſcivit, hos etiam prædeſtinavit, ut conformes fierent imagini filii ſui.*] Clarè, inquis, hîc habetur prædeſtinatio dependens à præſcientia, quid autem aliud potuit præſciri quàm fides, & perſeverantia? Reſp. Tua hujus loci expoſitio auctorem habet *Pelagium*, ut videre eſt in ejus commentariis ad tuum textum tom. 8. operum *Hieronymi*: non tamen rejiciendum putamus, quod ex ore hæreſiarchæ proceſſerit, modò probaveris quadrare textui, ſed hoc nequaquam conaris: tantùm affirmas præſcientiæ objectum aliud eſſe non poſſe quàm fidem & perſeverantiam, nudæ aſſertiones non ſunt argumenta. Negamus ullibi in tota Scriptura præſcientiam ſic ſumi, noſti pleroſque interpretes præſcientiam hîc accipere pro actu divinæ voluntatis & amoris juxta verbi ſimplicis [*cognovit*] in Scriptura ſignificationem, itaque præſcivit hoc loco idem eſt quod prædilexit, reſpiciendo ad amorem Dei, qui ſecundum noſtrum concipiendi modum prior eſt electione juxta *Thomam*, vel, juxta alios, prima eſt electionis pars, prout prædeſtinatio ſecunda. Secundò. Quod *præſcivit* hoc loco ſit *præamavit* ex *Eraſmi* teſtimonio eſt ſententia *Origenis* & *Theophylacti*. Ita etiam *Arminius, Corvinus* & Synodici omnes Remonſtrantes interpretantur, nullumque in hoc loco ſuæ cauſæ præſidium ponunt.

Arminiani loco hoc, quo abutitur Pelagius, non nituntur. Præſcientia ſimplicis intelligentiæ alia eſt à præſcientia viſionis.

Nihilominus, ſi tibi videtur, præſcientiam hîc efficere actum divini intellectûs, nihil inde lucraberis, *Auguſtinus* enim & *Thomas* tuorum adverſariorum primi liberè largientur concipiendam in Deo quandam præſcientiam prædeſtinatione priorem, neque enim poteſt vel mens ordinare, vel voluntas quicquam decernere, priuſquam intellectus præconcipiat omnia ordinanda & decernenda, verùm talis præſcientia nihil facit ad tuam cauſam: ejus enim objectum eſt tam æterna ſalus quàm fides & perſeverantia, imò verò quicquid ullo modo comprehenditur in electionis decreto oportuit priùs videri quàm decerni, ſed nihil hic prævisum ad noſtram quæſtionem: hic enim præſcientiæ modus ad divinam omniſcientiam ſpectat, & ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, cujus objectum eſt omne ens poſſibile, quod nullam habet exiſtentiam, neque

ullam

ullam futuritionem vel neceſſariam vel contingentem, antequam poſt decreta divinæ ſcientiæ practicæ & voluntatis cadere incipiat ſub alius generis præſcientia, viſionis ſcilicet rerum actu futurarum ſecundum prius Dei decretum & voluntatem de futura ipſorum actuali exiſtentia. Etſi ergo tibi daremus quod [præcognovit] hoc loco actus eſſet divini intellectûs, nihil inde commodi tibi accederet, nam interpretaremur de ſimplici intelligentiâ cujus objecta nullam habent operationem, nullam omninò entitatem, nec ſunt ullum fundamentum ullius dependentiæ: itaque fides & perſeverantia quatenus objecta ſunt hujus præſcientiæ, nullæ cauſæ ſunt, nullæ conditiones prædeſtinationis, imò nec ſalutis, tam enim prædeſtinatio & ſalus quàm fides ejuſmodi præſcientiæ ſunt objecta. Si verò ultra extendere velis ad præſcientiam præviſionis, quæ poſterior eſt multis divinæ voluntatis erga hominem actibus, prior tamen prædeſtinatione: ita ſi velis accipi, neceſſe eſt probes ſic accipiendum, & cum hoc probatum dederis, proximè tibi incumbit ut oſtendas præſcientiam hujus præviſionis habere pro objecto non tantùm eligendorum perſonas, prout textus præ ſe ferre videtur, ſed etiam ipſorum qualitates.

Fides non eſt objectum præſcientia præviſionis.

Donec tibi vacare libuerit huic operi, ego int rim ſic probo præſcientiæ hujus objectum non eſſe fidem & perſeverantiam. Primò. Si præſcientiæ hujus objectum eſſet fides vel ulla alia in homine qualitas, tum inprimis charitas; nam charitas eſt qualitas eo textu expreſsè nominata: atqui præſcientiæ hujus objectum non eſt charitas: hæc enim eſt opus legis, etſi prædeſtinaremur ſecundùm divinam præſcientiam noſtri amoris, electio eſſet ex operibus, quòd Apoſtolus manifeſtè rejicit, ſicut Lutherani ad hunc diem tenent, *Arminius* etiam ad mortem, ejuſque ſequaces niſi admodum nuper.

Secundò. Locus hic fidem facit prædeſtinatione poſteriorem; quia facit efficacem, vocationem, quam omnes concedunt cauſam fidei prædeſtinatione poſteriorem, divina præſcientia ſequitur ordinem rerum quem in naturâ & exiſtentiâ habent, quod naturâ prædeſtinatione poſterius eſt, & exiſtit poſt prædeſtinationis effectum, non eſt eâ prius in ipſâ divinâ præſcientiâ, hoc enim ſecundum omnes tuos patronos divinam præſcientiam inordinatam faceret, & res prævideret in alio ordine, quàm in ſuis exiſtentiis inter ſe habent: prædeſtinationi ad gratiam nec fides, nec perſeverentia, nec ulla gratia prævia eſt, omnes enim iſtæ gratiæ ſunt poſteriores prædeſtinatione, & ejus effecta: jam autem prædeſtinatio quæ hic præſcientiæ jungitur, eſt prædeſtinatio ad gratiam ejuſque finis, & effecta ſunt vocatio, juſtificatio, & conformitas cum Chriſto.

Spalatenſis locus ſecundus non concludit ejus Theſin.

Secundus tuus locus eſt Rom. 11. 2. *Deus non rejecit populum ſuum, quem præcognovit.* Reſp. Ex hoc loco nullum pro te argumentum deduci poteſt, niſi priùs *Pelagii* commentarium accipias, & rejicias *Auguſtini*: ille exponit *præcognovit* per præſcivit crediturum, hic per *prædeſtinavit*: ſed inter commentantes hoc eſt diſcriminis, *Pelagius* ſuam textûs corruptionem dictat pro mero arbitrio abſque ullis rationibus, *Auguſtinus* verò expoſitionem ſuam multis rationibus ex ipſo textu confirmat, utcunque, non potes argumentari à nudâ voce præſcientiæ priuſquam refutaveris quæ adduxi ad priorem locum contra hujuſmodi abuſum vocis *præſcientiæ*, & cùm iſta omnia ſuſtuleris, exceptiones aliæ multæ ſuperſunt loco huic poſteriori propriæ, quæ te impedient ne conſtituas præſcientiæ hic objectum, vel fidem, vel perſeverantiam, vel opera.

Variæ ſcripturæ divinæ populi Judaici electionis cauſam faciunt ſolam gratiam & non opera, ita Apoſtolus hoc loco clariſſime, imò verò aſſertioni ſuæ hanc addit terribilem clauſulam, quicunque electionem aſſeribit operibus, deſtruit Dei gratiam, & gratiam negat eſſe gratiam. Cùm Deus populum Judaicum manu prehendit, ut cum eo fœdus iniret, invenit jacentem in pollutione peccati ut recens natum infantem in ſuo ſanguine Ezech. 16. amavit tamen ex mero ſuo beneplacito Deut. 7. & 10. Non erant tum Iſraëlitæ credentes, aut in fide perſeverantes, ſed natio erant obſtinatè perverſa & rigidi colli perpetuò rebellis. Exceptiones hæ ſatis validæ ſunt, ut oppugnent ſimplicem tuam affirmationem.

Locus tertius 1. Petri 1. v. 2. Spalatenſi contradicit.

Locus tertius eſt 1. Petr. 1. 2. *Electi ſecundum divinam præſcientiam in ſanctificatione Spiritûs in obedientiam & aſperſionem ſanguinis.* Hic, ais, electio eſt ſecundum divinam præſcientiam. Reſp. Nemo negat electionem ſecundum præſcientiam, ſed tua theſis habet electionem ſecundum præſcientiam fidei, perſeverantiæ, & bonorum operum. Quòd locus hic ullam habeat ſyllabam de ejuſmodi præſcientiâ, non eſt aſſerendum ſed probandum, certè apertè hic ſignificatur fidem & opera poſteriora electione, niſi velis fidem negare ullam eſſe partem ſanctificationis, neque applicare aut aſpergere Chriſti ſanguinem, & velis etiam affirmare bona opera nihil ſpectare ad obedientiam, ſi fides ullus ſit fructus Spiritûs ſanctificantis, ſi fides purget conſcientiam ab operibus mortuis, applicando credenti ſanguinem loquentem meliora ſanguine *Abelis*; ſi omnia noſtra bona opera nihil aliud ſint quàm obedientia (quæ omnia, puto, concedes) tum locus hic manifeſtè probat prædeſtinationem non ex fide & operibus, ſed ad fidem & opera, textus enim loquitur de prædeſtinatione in obedientiam & aſperſionem ſanguinis, quin etiam ſecundum omnes tuos in

Eccleſia Romana ſocios non in ſanctificatione, ſed in ſanctificationem ſpiritûs.

Quantum autem abſit *Petrus* ut faciat fidem aut bonum opus quodcunque in nobis priora electioue, videre eſt epiſtola ejus poſteriore cap. 1. omnia in nobis vel ad pietatem vel ſalutem ſpectantia vocat dona Dei, & à divina ejus potentia vult fluere ut à cauſa efficiente, gratioſa autem Dei dona & opera potentiâ ejus Spiritus oon ſunt abſque decreto, & decretum Dei dandi gratiam ac potenter illam operandi per ſpiritum, non differt ab electione.

Locus quartus Iacobi 2. 5. ei etiam repugnat.

Locus quartus eſt Jacobi 2. 5. *Nonne Deus elegit pauperes hujus mundi divites fide?* Objectum hic electionis ſunt pauperes divites fide. Reſp. Perpende verba ſequentia, & videbis quàm evidenter locus hic tuam theſin evertat, cum divitibus fide jungit Apoſtolus hæredes ſalutis, ad utroſque pariter electjonem refert: ſi prior qualitas electione prior ſit, etiam poſterior erit, ſin autem poſterior omnibus fatentibus, electione ſit poſterior, tum etiam prior ea erit poſterior, jam verò nullus unquam tam fuit abſonus, ui affirmaret hæreditatem regni electione priorem, nemo ergo divitias fidei electioni debet præponere: utraque enim qualitas ad electionem refertur in æquali gradu, utraque eſt vel prior, vel ntraque eſt poſterior electione, & quando una procul dubio electione ſit poſterior, alteram etiam eâ poſteriorem eſſe neceſſe eſt. Deinde vult Apoſtolus pauperes eligi noo qui jam ſuot divites in fide & hæredes regni, ſed ut ſint divites fide & regni hæredes, ut babet verſio Anglicana, vel ut Latina, fieri divites & hæredes, ut rectè interpretatur *Auguſtinus:* elegit Deus fideles, ſed ut ſiot, non quia jam eraut. Apoſtolus *Iacobus* dicit, *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo divites fide & hæredes regni?* eligendo facit divites in fide; ſicut & hæredes regni. Quod autem fides electione poſterior ſit docet *Iacobus* Cap. 1. 17. 18. ubi omnis doni Deum facit auctorem, & immutabilem ejus voluntatem cauſam regenerationis per verbum prædicatum.

Quintus 2 Tim. 2. 20. 21. ei quoque contradicit.

Quintus eſt 2. Tim. 2. 20. 21. *Siquis ſe purgaverit ab iſtis, vas erit in honorem.* Qui ergo, inquis, ſe purgat prædeſtinatus eſt, ut ſit vas in honorem. Reſp. Locns hic probat, neceſſe eſſe ut quicunque electus eſt purget ſe criminibus, ſed ut purgatio hæc antecedat electionem nihil hîc eſt quod ullum veritatis colorem huic aſſertioni præbeat, ſed multa quæ eam convincant falſi: nam ipſe ſcopus loci eſt oſtendere certiiudinem perſeverantiæ fluere ab antecedenti electionis immutabilitate. Perpende verborum contextum. Loquitur Apoſtolus de hæreticis apoſtatis, qui aliquando in eccleſiâ celebres erant, ſed poſteà aberrârunt à veritate: ipſorum erroris materia fuit reſurrectio mortuorum: quicquid Scriptura de hoc articulo habebat, hoc ipſi verbotenus fatebantur, ſed reverâ & per bonam conſequentiam evertebant: antiqua ipſorum in eccleſiâ auctoritas ipſis quorundam aures aperuit, quorum fidem falſis ſuis dogmatis everterunt, hinc ſcandalum multis objectum, quod Apoſtolus tollit, & ex populi animis omnem anxietatem removet ab eo, quod viderent ſeducentium & seductorum hæreticorum apoſtaſiam, hac ratione, quòd nullus electorum Dei ita poſſit ſeduci, quia fundamentum Dei ſtaret immobile, firmatum ipſius ſignaculo: ejus electi quos probè noſcebat non ita ſeducebantur, licet reprobi cadereot ab eâ veritate quam aliquando ſunt profeſſi, & evaderent peſtiferi ſeductores, non propterea tamen populum turbari, & animo liqueſcere conveniebat. Vides hic electionem, Deique amorem, ac cognitionem ſuorum adduci pro firmo & obſignato fundamento, quod pios ſervat ne pereant per hæreſin & apoſtaſiam, ſed in fide perſeverent in finem, iſta nunquam electio præſtare poſſet, ſi poſterior eſſet divinâ præſcientiâ humanæ fidei, operum & perſeverantiæ.

Locus ſextus nihil ad Spalatenſis cauſam.

Quantopere electio ex operibus oppoſita ſit huic epiſtolæ, videre eſt ex cap. ſuperiori 9. ubi docemur oon tantùm æternam electionem, ſed neque ipſam in tempore vocationem, imò neque ipſam ſalutem eſſe ex operibus, aut ſecundum opera, ſed ſecundum Dei propoſitum & gratiam in Chriſto ante mundum.

Ultima tua ſcriptura eſt Gen. 18. 19. *Quia eum cognovi, quòd imperabit ſuis filiis*, ergo Deus elegit *Abrahamum* ut ſit pater credentium, quia futurus erat vir juſtus. Reſp. Nihil hic locus de *Abrahami* electione, ſed tantùm de revelatione deſtructionis *Sodomæ*, etiam hic Dei actus & beneficium quæ nihil ad prædeſtinationem, fundantur in Dei favore, qui *Abrahamo* benedixit ut evaderet in gentem magnam & patrem *Meſſiæ*, quòd autem angelus dixit cognoviſſe ſe de *Abrahamo*, non erat ejus juſtitia, ſed ipſius inſtructio aliorum in viâ juſtitiæ. Denique quòd *Abrahami* electio non fuerit ex operibus, videre eſt in executione ejus, ſcilicet vocatione & juſtificatione: cùm eum Deus vocavit, fuit idololatra, Joſuæ 24. 14. Patres Iſraëlitarum inſerviêrunt diis alienis ultra *Euphratem*. Ezekel. quoque 16. 3. ſignificans quid aote vocationem *Abraham* & *Sara* in conſpectu Dei fuiſſent, *Pater tuus* (inquit) *fuit Amorræus, & mater tua Hittita.* Quod etiam *Abraham* non fuerit juſtificatus ex operibus, nec fide ut opere, ſed ſolâ gratiâ & fide ut inſtrumento applicante gratiam, & miſericordiam Dei propter Chriſtum remittentis peccata impiorum, Apoſtolus Rom. 11. facit manifeſtiſſimum.

Claudis ſcripturas hoc epiphonemate valdè pro-

dè probabile eſſe decreta divinæ prædeſtinationis ad ſalutem eſſe ex prævisâ fide & bonis operibus. *Reſp.* Nullus omnium dictorum locorum habet ſyllabam vel de prævisis operibus, vel prævisâ fide, & perſeverantiâ, nedum de omnibus tribus, ut tu propoſuiſti, quare qui tuam cauſam agunt accuratiſſimè Remonſtrantes Belgæ locos hos omnes quos in manus tuas *Spalatenſis* poſuit, prætereunt ut cauſæ omninò inutiles.

Primus Spalatenſis ex Origene locus eſt abſurdus, evertens Chriſtianiſmum. Poſt Scripturas accedis ad patres. Primus quem citas eſt *Origenes* lib. 3. περὶ ἀρχῶν. Unumquodque igitur vas ut vel ad honorem à Creatore reformetur, vel ad contumeliam, ex ſeipſo cauſas & occaſiones præſtitit creatori: juſta hæc videtur aſſertio, & cum omni pietate concordans, ut ex præcedentibus cauſis unumquodque vas vel ad honorem, vel contumeliam præparetur. *Reſp.* Si negarem, hæc verba eſſe *Origenis*, auctores tuos haberem pro patronis. *Voſſius* enim hiſtoriæ Pelagianæ pag. 273. ait valdè incertum, num iſti περὶ ἀρχῶν aut quoſcunque alios habemus tantùm latinè ex ſolâ *Ruffini* fide, ſint verè *Origenis*. Sed dato verba iſta *Origenis* eſſe, nihil faciunt ad tuam theſin, nihil loquuntur de æterno Dei decreto, ſed ſolùm de ejus executione temporali, nimirum de rationibus & cauſis, cur Deus alios glorificet, alios damnet. Quòd ſic intelligenda ſint verba facilè concedes, ſi à curtâ magis eorum in *Voſſio* citatione vadas ad pleniorem & prolixiorem in *Spalatenſi*, ibi à temporalibus actibus Dei, de quibus ſolis tua verba loquuntur, idem concludit auctor de actibus Dei æternis, ſed concluſionis iſtius verba quæ ſola agunt de electione, tu non profers, itaque nihil eſt quod ad ea reſpondeam, & verò, ut arbitror, nunquam produces, uſque adeò abſurda ſunt, ut nullus Chriſtianus ea concoquat. Hic eſt ubi priſcum de *Origene* verbum locum inprimis habet, ubi malè, nemo pejus, nunquam, ut mihi quidem videtur, à cujuſcunque Chriſtiani nominis calamo tantum tetrarum abſurditatum mare profluxit, quantum *Hieronymus* epiſt. 59. ad *Avitum* de eo libro per viam compendii in ipſis *Origenis* verbis deprompſit, quicquid *Ruffinus* & *Socrates* afferant in contrarium. In ipſis quæ affers verbis ejus ſcopus eſt primariam infinitarum ſuarum abſurditatum probare, nimirum animas humanas in aliquo infinitorum mundorum, qui hunc, in quo vivimus ſucceſſivè ſequentur, evaſuras vel angelos vel diabolos; ſecundum bona vel mala ſua opera quæ Deus vidit in aliquo priorum mundorum ipſas præſtitiſſe, priuſquam in ulla corpora infunderentur: hæc materia eſt concluſionis, quam rectè omiſiſti. Concluſionis hujus verba cùm *Ruffinus*, quàm poteſt amicè, transfert; hæc ſicut [*ut autem alia animæ fierent in honorem, alia in contumeliam materiarum cauſarumque præceſſerunt merita*] etiam iſta verba ponit *Hieronymus* inter vitia deteſtanda, ſerpentes & viperas, ut loquitur, iſtius libri: ut in aliis illis libris *Origenem* facit patrem *Arii*, & omnium hæreſium, ita hic illum invenies Patriarcham Pelagianorum, cùm electionem docet ex operibus, non tantùm ut ex occaſionibus, ſed etiam ut ex cauſis à parte noſtrâ, imò ut ex meritis: iſtis ipſe *Molina* craſſi Pelagianiſmi notam inurit. Iſta *Arnoldus*, & omnes Remonſtrantes centies profitentur longiſſimè à ſuâ mente abeſſe, imò in iſtis ipſe *Origenes* ſibi videtur contradicere; nam in alterâ *Spalatenſis* citatione concludit nullam præſcientiam prædeſtinationis cauſam cenſeri poſſe; ergo quod affers ex *Origene* nihil facit ad tuam cauſam, quæ autem antecedunt & conſequuntur à te citata tam ſunt abſurda, ut neceſſariò ab omni Chriſtiano rejicienda ſint.

Secundus ex Ambroſio corrumpitur. Secundum tuum teſtimonium eſt ex *Ambroſio* de fide lib. 5. cap. 2. Apoſtolus ait, quos præſcivit & prædeſtinavit, non enim ante prædeſtinavit, quàm præſcivit, ſed quorum merita præſcivit, eorum præmia prædeſtinavit. *Reſp.* *Ambroſius* capite hoc 2. & toto iſto lib. 5. refutat ex Scriptura ut damnabilem impietatem illud dogma, quod *Arium* dicit à Diabolo didiciſſe, nimirum eſſentiam Patris, Filii, & Spiritûs S. eſſe non eandem ſed diverſam, quod tamen tu cum tuo *Vorſtio* diſertè affirmas: hæc materia loco à te nominato tractatur, ſed de tuâ citatione nullum verbum. Capite quidem tertio invenio quædam à te citata quæ hic perpendam. Auctores tui *Voſſius* & *Spalatenſis* fuſiùs verba citant in hunc modum; non eſt meum dare qui juſtitiam ſervo, non gratiam. Idemque ad patrem referens addidit, dabitur quibus paratum eſt, ut oſtenderet patrem etiam non petitionibus deferre ſolere, ſed meritis, quia Deus perſonarum non eſt acceptor, unde & Apoſtolus ait, quos præſcivit &c. Si verba iſta probes, proceſſiſti ulteriùs quàm initio profeſſus es, ibi in doctrinâ electionis progreſſus es quouſque nullus Lutheranorum, dum prædeſtinationem poſteriorem fide doceres, & quouſque ullus Arminianorum, dum perſeverantiam prædeſtinatione priorem faceres, vel quouſque ullus Papiſts, dum prædeſtinationem ab operibus ſuſpenderes: ſed hic longiùs ultra omnes curris dum electionem à meritis vis pendere. Omnes Papiſtæ volunt electionis executionem nimirum glorificationem dependere à meritis, ſed cum *Javellus* cum paucis Scholaſticorum ipſum æternum decretum electionis à meritis voluit ſuſpendere, etſi cum multis modificationibus uſque ad ſolam congruitatem, & conditionem ſine quâ non; *Molina* tuus ipſum rejicit ut perigloſè errantem in ipſâ fide, quanquam verba hic à te citata longè ultra *Javellum* loquantur expreſsè de meritis ſummæ condignitatis quæ ſcilicet locum habent in judice qui juſtitiam ſequitur non amorem,

morem, qui nullius accipit perſonam, qui nihil largitur precibus, ſed omnia meritis. Sententiam hanc *Ambroſio* aſcriptam non, opinor, defendes, neque ullâ neceſſitate premeris, ut ſub ejus nominis velo tam cruda concoquas; nihil quidem tale habet *Ambroſius*. Non ſum quidem tam vacuus charitate ut putem vel *Voſſium* vel *Spalatenſem* deditâ operâ *Ambroſii* textum voluiſſe corrumpere, ſed arbitror deceptos ab eleganti & pulcherrimâ, ſed corruptiſſimâ *Ambroſii* editione *Sixti* V. ſecundum indicem expurgatorium Romanum: certè meus *Ambroſius* à *Frobenio* editus ex *Eraſmi* collatione multorum manuſcriptorũ ex optimis. quæ potuit reperire, nullam habet ſyllabam iſtarum vocum, à quibus ſolis tuum argumentum deſumpſiſti; videlicet, non antè prædeſtinavit quàm præſcivit &c. Nullæ voces ejuſmodi illic reperiuntur, neque auctores tui *Ambroſium* faciunt effari verbis præcedentibus; non petitionibus deferre ſed meritis. Edit *Eraſmus* in terminis omninò contradicentibus, non petitionibus, non meritis; quòd lectio hæc auctoris menti quadret, & tua omninò diſconveniat, ſcopus loci, & verba tam antecedentia quàm conſequentia manifeſtant: nihil enim ibi de prædeſtinatione nec ullâ gratiâ inde fluente, poſteà verò cùm de gratiis à Deo in ſanctos collatis loquitur, omnes aſcribit ſoli beneplacito & uni amori, non verò ſanctorum meritis.

Tertius non eſt Hieronymi, ſed Pelagii.

Tertium ex Patribus *Hieronymum* nominas in illa verba ad Rom. 8. vocatus ſecundum propoſitum ſuum, ſecundum quod propoſitum (inquit) propoſuit ſolâ fide ſalvare quos præſciverat credituros. Etiam in illa verba ad Rom. 11. *Deus non reppulit populum quem præſcivit.* Illam plebem (inquit) non reppulit quam præſcivit eſſe credituram. *Reſp.* Rectè faceres ſi in quæſtionibus tanti momenti nulli mortalium in referendis aliorum teſtimoniis fideres, niſi tuis unius oculis. Nullum iſtorum verborum eſt *Hieronymi*, ſed omnia *Pelagii*, præter enim multos tam Proteſtantes quàm Pontificios hoc diſertè fatetur *Voſſius* hiſtoriæ Pelagianæ lib. 1. cap. 4. Theſi. 13. etſi hos locos in manus tuas poſuit quaſi genuinos *Hieronymi*. Utcunque perpendenda tibi eſt *Pelagii* mens in verbis à te citatis, ut videas quantum amici tui *Pelagium* abſurditate ſuperent. Vultis ſolam fidem prædeſtinationem antecedere, ſed *Arminius* cum fide jungit perſeverantiam, & *Spalatenſis* opera, imò merita.

Quarto Chryſoſtomi Voſſius ſatisfacit.

Propemodum oblitus ſum *Chryſoſtomi*, ex quo citas tria, primum ex homiliâ 51. in Geneſin. Hoc autem (inquit) non temerè factum, ſed ut prophetia compleretur quæ dicit, *Iacob* dilexi, *Eſau* autem odio habui: nam cùm Deus futurorum ſit præſcius, prædixit & illius virtutem & mentis hujus malitiam. R. Locum hunc ponit *Voſſius* in fronte ſuorum teſtimoniorum ex *Chryſoſtomo*: rectius tamen *Spalatenſis* & alii eum omnino omittunt; nam patet eo loci *Chryſoſtomum* agere de ſolâ tranſlatione primogenituræ ab *Eſauo* ad *Iacobum*: verba immediatè ſequentia hoc probant τὰ δὲ ἐπὶ τούτῳ τὰ τῶν πρωτοτοκίων. nihil autem ibi de æternâ electione. Secundò citas *Chryſoſtomi* homiliam 81. in Matthæi iſta verba *Venite benedicti patris mei*, nec dicit (inquit) accipite, ſed hæredate quaſi propria, quaſi paterna, quaſi veſtra quæ vobis à principio debebantur, nam antequam nati ſitis, quia ſciebam vos hujuſmodi futuros, hæc vobis à me præparata fuêre. *Reſp.* Chriſti verba quæ *Chryſoſtomus* exponit, loquuntur de ſolâ executione æterni decreti, ite, hæredate regnum, diſcedite in ignem &c. bona opera hîc expreſsè referuntur ad ſolam executionem, nullo modo ad ipſum decretum, dicitur enim hæredate, quia cùm eſurivi paviſtis me, non autem præparata ſunt vobis ante mundi initium quia eſurivi, paviſtis me, quemadmodum textus clarè, ita etiam *Chryſoſtomi* commentarius in verbis tuam citationem tam antecedentibus quàm conſequentibus referunt opera ad verba executionis in tempore non decreti ab æterno. Verum eſt in citatione tuâ videtur *Chryſoſtomus* opera illa etſi valde minuta referre ad ipſum æternum decretum quo regnum præparatum fuit ut antecedentem & meritoriam cauſam ipſius decreti: Licet difficilia & dura hæc verba ſint, auctores tamen tui latam mihi portam evadendi pandunt. *Molina* nullus ſcrupulus eſt deſerere hîc *Chryſoſtomum* ut *Auguſtinum* ſequatur, quaſi *Chryſoſtomo* in hoc adverſarium ut in prævenienti gratiâ, quam *Chryſoſtomum* negâſſe affirmat *Molina*, & in hoc clarè errâſſe. Sed ut ſua *Chryſoſtomo* ſervetur reverentia, eligam alteram *Voſſii* viam, quam teipſum approbare video: affirmat *Voſſius* multa *Chryſoſtomi* non eſſe in ſtricto rigore accipienda, ita enim accepta ſacræ Scripturæ, & ipſi auctori repugnarent, ſed benignâ & commodâ expoſitione mollienda. Diſtinctio *Voſſii* quam is à multis ante ſe Theologis mutuatur, ſicut tu ab ipſo, eſt duplex conſideratio ipſius decreti electionis: ut enim homines in ipſorum decretis etiam in mente ante executionem in opere aliquando utuntur ordine ſynthetico, aliquando analytico, aliquando in ſuâ intentione primò proponunt finem & poſt media, aliquando concipiunt executionem ordinatè per omnes ejus partes, perpendentes omnia media à primo ad ultimum, & poſt media ſupremum finem à mediis productum: ſic ut decreta humana varium habent in mentibus humanis exiſtendi modum, ita æterna Dei decreta à *Theologis* conſiderantur aliquando ordine analytico intentionis, aliquando ordine ſynthetico præconceptæ executionis. In ipſo decreto hoc modo concepto idem eſt ordo, qui in executione, ſic

ne, ſic ergo hîc, prout alibi ſemper Patres exponendi ſunt, cum loquuntur de fide, operibus, aut alio quocunque in homine antecedente, non tantùm aliquas executionis partes, ſed ipſum etiam decretum. Reſponſio hæc, ſpero, tibi ſatisfaciet, non tantùm quia eſt auctorum tuorum, & tua ipſius, ſed inprimis quòd doctrina *Chryſoſtomi* & hîc & alibi eam poſtulet: docet is clarè ſecundum *Voſſium* non tantùm prævenientem gratiam, ſed & decretum prædeſtinationis antecedens omnem gratiam in nobis, ſecundum quod inſcrutabile decretum omnia gratiæ media adminiſtrantur, & illo ipſo, quem citas, loco paulò poſt tua verba docet, nulla opera, etſi decies millies gratioſiſſima, eſſe poſſe cauſas meritorias cœli, quod infinitè ſuperat omnia noſtra opera, nedum minutula iſta à Chriſto nominata. Prætereà vult ibi pœnas damnatorum eſſe ſecundum juſtitiam & meritum, ſed gloriam electorum tantùm ſecundum gratiam: οὗτοι δικαίως κολάζονται, ἐκεῖνοι στεφανοῦνται κατὰ χάριν, κἂν γὰρ μύρια ὦσι πεποιηκότες. χάριτός ἐστιν ἡ φιλοτιμία, ὅτι ἀντὶ μικρῶν οὕτω καὶ εὐτελῶν οὐρανὸν τοσοῦτον καὶ βασιλείαν καὶ τηλικαύτην αὐτοῖς δοθῆναι τιμήν. hoc eſt. Illi juſtè puniuntur, & iſti coronantur ſecundum gratiam, etſi enim decem millia bonorum operum fecerint, acceptatio eſt à gratiâ propter ejuſmodi parva & levia tantum cœlum & regnum & tantam gloriam illis donari.

Tertium tuum ex *Chryſoſtomo* teſtimonium eſt ab ejus commentario in 9. ad Rom. in Dei cognitionem rem totam rejecit. Et paulò pòſt. Hoc enim præſcientiæ eſt ab eorum videlicet partu electionem facere, ut appareat, inquit, Dei electio ſecundum præſcientiam facta. Reſp. Verba priora nihil ſpectare ad æternam electionem ad ſalutem, ſed tantùm ad Dei in tempore electionem Gentilium potiùs, quàm Judæorum ad prædicationem Euangelii. Verba poſteriora refert diſertè *Chryſoſtomus* ad temporalem *Jacobi* electionem ad primogenituram & paternam benedictionem, nequaquam verò ad æternam electionem ad gloriam. Fateor *Chryſoſtomum* duriores multò habere locos, ſed cùm à te tuiſque auctoribus prætermittantur, non meum eſt hîc ad eos reſpondere.

Voſſii varius abuſus verborum Auguſtini. Ultimus quem citas Patrum eſt *Auguſtinus*. Primus ejus locus eſt ex libro 83. quæſtionum in verba *Iacob dilexi. Eſau autem odio habui.* Verùm hæc, inquit, voluntas injuſta eſſe non poteſt, venit enim ex occultiſſimis meritis. Reſp. Si tibi placeret pauxillum impendere temporis in ipſorum inſpectione fontium, clarè perſpiceres, quantum tibi ſæpe traductores ſecundi, tertii, aut quarti imponant. Loco citato nihil *Auguſtinus* cogitat de prædeſtinatione, ſed voluntas illa Dei quam humanis meritis poſteriorem facit, eſt voluntas juſtificandi, ut ſtatim ipſe exponit. Præcedit (inquit) aliquid in peccatoribus, quo quamvis nondum ſunt juſtificati, digni tamen efficiuntur juſtificatione, & præcedit in aliis peccatoribus quo digni ſint obtuſione: fusè hîc docet *Auguſtinus* Deum in actuali ſuâ collatione gratiæ hominibus nedum prædeſtinatione præveniri non poſſe ullis meritis, cùm meritum (inquit) peccando amiſerimus, & miſericordiâ Dei ſemotâ nihil aliud peccantibus niſi æterna damnatio debeatur. Vult Deum ex æternâ ſuâ miſericordiâ vocare, & efficaci vocatione voluntatem præparare, & fidem infundere quæ dolorem excitat, ob quem Deus movetur miſereri ad juſtificationem. Humanæ voluntatis merita, quæ Deum ad hanc miſericordiam movent ſunt actus reſipiſcentiæ poſteriores fide, gratiâ, & vocatione quantumvis præjudicii hic loquendi modus afferre poteſt noſtræ de juſtificatione doctrinæ, hoc loco conſiderari non poteſt abſque magnâ impertinentiâ. In præſentiâ ſatis eſt vindicare *Auguſtini* verba à *Voſſii* abuſu ad doctrinam electionis ex operibus, quod quidem factu facile eſt: nam præter jam dicta, fides, gratia, vocatio, reſipiſcentia, quas præcedere vult id quod hîc vocat juſtificationem, omnes poſteriores facit profundâ & ſecretâ ordinatione divinâ, quæ omne meritum antecedit. Et ne quis ipſius hîc mentem non ſatis caperet, locum retractationum primo cap. 26. magis elucidat quòd per miſericordiam humanâ voluntate poſteriorem nequaquam intelligat miſericordiam æternæ electionis, ſic inquiens, non miſeretur Deus niſi voluntas præceſſerit ad pacem, hoc dictum eſt poſt pœnitentiam, nam eſt miſericordia Dei etiam ipſam præveniens voluntatem, quæ ſi non eſſet, non præpararetur voluntas à Domino ad eam miſericordiam pertinet, & ipſa vocatio quæ fidem prævenit, de quâ paulò pòſt, dixi altæ & profundæ eſt ordinationis Domini, quò pertinet & illud, *Jacob dilexi, Eſau autem odio habui.*

Proximum tuum ab *Auguſtino* teſtimonium eſt ex lib. 1. ad *Simplicianum* quæſt. 2. Nemo (inquit) eligitur niſi jam diſtans ab eo qui rejicitur, unde quod dictum eſt, quia elegit nos Deus ante mundi conſtitutionem, non video quomodo ſit dictum, niſi præſcientiâ ſcilicet meritorum, id eſt, fidei & operum pietatis. R. Locum hunc multùm me confirmare in antiquo meo propoſito, nunquam fidere citationibus *Voſſii*, niſi ipſos auctores inſpexerim, toties eum malè citantem reperio: verba quibus hîc præcipuè nititur tuum argumentum *præſcientiâ meritorum*, non tantùm in *Auguſtino* non apparent, ſed totus ille liber à principio ad finem iis directè contradicit, inprimis verò locus à te citatus: ubi, ut oſtendat *Auguſt.* quomodo merita & opera ab electione & prædeſtinatione excludantur, non inquit ex operibus ſuis juſtificari quiſque meretur, quandoquidem benè operari

rari niſi juſtificatus non poteſt: hîc autem quod ait non ex operibus, ſed ex vocatione, non electione meritorum, quæ poſt juſtificationem gratiæ proveniunt, ſed liberalitate donorum Dei voluit intelligi, ne quis de operibus extollatur: gratiâ enim Dei ſalvi facti eſtis, & hoc non ex vobis, ſed Dei donum eſt, non ex operibus, ne quis glorietur. Quæ autem ex ipſo *Auguſtino* tu citas facilè explicantur illâ diſtinctione electionis quam *Auguſtinus* adhibet tract. 68. in Johan. ſcilicet electionis æternæ ante mundi conſtitutionem prædeſtinando, & electionis temporalis ante mundi deſtructionem vocando: ſecundum hanc diſtinctionem, verba [*nemo eligitur*] rectè accipiuntur de electione temporali, quæ non tantùm vocationem, ſed ipſam etiam juſtificationem ſequitur, ut videre eſt in verbis immediatè præcedentibus. Non tamen (inquit) electio præcedit juſtificationem, ſed electionem juſtificatio: nemo enim eligitur, niſi jam diſtans ab illo qui rejicitur. Dubium ſuboriri potuit quomodò temporalis hæc electio quæ juſtificationem ſequitur, & realem differentiam quam gratia juſtificans ponit inter electos & reprobos, qui hæc electio eſſe potuerit ante mundi conſtitutionem. Reſpondet Auguſt. fuiſſe præſcientiâ, prout alii temporales actus ſunt, in mente divinâ ante mundum: addere hîc præſcientiæ merita, quod tu poſt *Voſſium* facis, eſt cudere commentarium qui textum deſtruit.

Ultimò citas ex eodem *Auguſtini* loco. Non eſt electus Jacob ut fieret bonus, ſed bonus factus eligi potuit. Hoc, inquit *Voſſius*, nunquam retractavit *Auguſtinus*. Reſp. Nihil neceſſe fuit iſta verba retractari, ſi de temporali electione intelligantur, ita enim veriſſima ſunt, ſed nihil ad noſtram quæſtionem ſpectantia. Quod autem de temporali electione locus neceſſariò accipiendus ſit, verba præcedentia demonſtrant: nulla ergo, inquit, electio eſt, antequam eſſet quod eligeretur, non ergo electus eſt, ut fieret bonus, ſed bonus factus eligi potuit; loquitur hîc *Auguſtinus* apertè de hominibus jam exiſtentibus, neque tantùm exiſtentibus, ſed actu bonis: quod ſi de æterna electione verba velis intelligere, nihil erat quod in retractationibus iſta poneret, cùm ſententiam hanc loco ipſo præ manibus pluſquam centies rejiciat, ſæpiſſimè demonſtrans eſſe contra Apoſtolum *Jacobum*, æternam electionem facere vel ex meritis, vel conditione fidei aut operum, ſeu in tempore exiſtentium, ſeu ab æterno præſcitorum. Fateor locum eſſe perſpicuum, ubi docet *Auguſt.* electionem ex præviſa fide, ſed neque tu, neque *Voſſius* in illum incidiſtis, & ſi produxiſſetis, nihil feciſſet ad veſtram cauſam: nam in eo *Auguſtinus* fatetur ſe erraſſe, & apertè illa verba retractat lib. Retract. 2. cap. 23. Dixi (inquit) non elegit Deus opera cujuſquam in præſcientia quæ ipſe daturus eſt, ſed fidem elegit in præſcientia, ut, quem ſibi crediturum præſcivit, ipſum eligeret cui ſpiritum ſanctum daret, ut bona operando vitam æternam conſequeretur. Hæc ille damnat ut ſcripta quando juvenis, quando Preſbyter, nec adhuc accuratè ſatis naturam gratiæ & prædeſtinationis perpendiſſet. Nondum (inquit) diligentiùs quæſieram, nec adhuc inveneram qualis ſit electio gratiæ, quæ utique non eſt gratia, ſi eam merita ulla præcedant (utrum per fidem an opera hic perinde eſt) quòd verò eligamur ut ſimus boni & fideles, non verò quia fideles & boni fueramus, teſtatur non tantùm alibi ſæpiſſimè, ſed etiam hoc ipſo loco. Adhuc enim (inquit) quærendum erat, utrum iſta miſericordia ideò fiat in homine, quia fidelis eſt, an etiam facta fuerit ut fidelis eſſet? legimus enim dicente Apoſtolo; Miſericordiam conſequutus ſum ut fidelis eſſem, non quia fidelis eram: rectiſſimè igitur dixi non ex operibus ſed ex miſericordia Dei & vocamur ut credamus, & credentibus præſtatur, ut benè operentur.

Ita Patres tuos claudis: non eſt neceſſe plures citare in hanc rem; probas enim per celeberrimos teſtes hanc eſſe catholicam Patrum doctrinam. *Beza* in Epiſt. ad Rom. cap. 9. ℣. 39. Eſt etiam (inquit) hic locus diligenter obſervandus adverſus eos qui fidei vel operum præviſionem faciunt electionis cauſam, in quem errorem ſanè turpiſſimum *Origenes* veteres pleroſque tam Græcos quàm Latinos induxit, donec tandem Dominus *Auguſtinum* per Pelagianos ad hunc agnoſcendum & corrigendum errorem excitaret. *Calvinus* inſtit. lib. 3. cap. 33. ſic inquit. Interpoſito præſcientiæ velo electionem non tantùm obſcurant, ſed originem aliunde habere fingunt; neque verò vulgò hæc recepta opinio ſolius vulgi eſt, habuit enim ſeculis omnibus magnos auctores, quod ingenuè fateor, ne quis cauſæ noſtræ magnopere obfuturum confidat, ſi eorum nomina contrà opponantur. *Melancthon* in cap. 9. ad Rom. Scriptores (inquit) veteres omnes præter unum Auguſtinum ponunt aliquam cauſam electionis in nobis. Auctoritas ais horum antiquorum Patrum mentem tuam inclinârunt in hoc dogma. Reſp. Videtur nullâ te majori diligentiâ uſum in citatione horum recentium, quàm in dictorum antiquorum: nam omnes ſumis ex fide *Voſſii* unius, cum ipſe interim ſecurus ſis quid illi ſcribant. *Voſſius* eſt qui *Bezam* citat in ver. 39. cap. 9. ad Rom. cum tamen caput illud non habeat verſus ultra triginta tres, & *Calvinum* lib. 3. inſtitut. cap. 33. & tamen totus ille liber non habet plura capita quàm 25. Paulum diligentiæ tibi demonſtraſſet, non tantùm minutulos hoſce *Voſſii* errores in numeris ſed in ipsâ re multos majoris momenti; num quiſquam trium iſtorum Theologorum aſcribat Patribus electionem ex tua præſcientia, ſcilicet fidei, operum, perſeverantiæ, & merito-

Theologi reformati non deſerunt Patres in hac cauſa.

meritorum? an quiſquam nominatorum dogma hoc vult catholicam doctrinam ullorum Patrum? *Calvinus* paucos hos quos citat patres pro electione ex præſcientiâ rejicit. *Melancthon* librum *Calvini* de prædeſtinatione approbavit, *Beza* teipſo teſte, vocat hoc dogma errorem, eumque turpiſſimum, quicunque tandem Patrum illud teneant: verum non hi tres tantùm, ſed omnes tui amici aſſerunt errare quicunque docent ullum dari meritum, ullam cauſam, nllam conditionem ſine quâ non ex parte hominis æternæ electionis, non tantùm *Arminius* & *Molina* ſæpe, ſed ipſe *Spalatenſis* loco hoc à te citato hoc docent, quin & ultra te docebit *Voſſius*, quod ſummi noſtri Theologi, etſi viri cætera egregii, in Patribus tamen hoſpites fuerint. Ille te docebit quòd ſive *Calvinus*, ſive *Beza*, ſeu quis alius docere vult vel Græcos vel Latinos Patres, ſeu ante ſeu poſt *Auguſtinum* ſtare pro electione ex præſcientiâ, abſque multiplici diſtinctione illos Patrum mentem non capere, affirmat enim *Voſſius* Patres omnes docere profundum & ſecretum Dei decretum de hominum ſalute antecedens omnem adminiſtrationem mediorum gratiæ, nedum actus omnes gratiæ in homine quos illa adminiſtratio operata eſt Hiſtor. Pelag. pag. 548. & qui docent electionem ſecundum præſcientiam intelligendos tantùm de gratiæ incremento non de gratiâ primâ pag. 546. Et quod habent Patres de cauſâ electionis ex parte hominis intelligendum eſt de executione tantùm, ſeu in actu, ſeu in mente divinâ, non autem de ipſo decreto pag. 606. Profectò ut probes in tuâ mente fuiſſe Patres, aliis tibi teſtimoniis opus eſt, nam de magna quam *Spalatenſis* & *Voſſius* tibi ſnppeditant farragine, cùm ſi legiſti rotundum duodenarium de maximè, ut putabas, pungentibus, oſtendi ne unum quidem omnium tuam theſin ſtatuminare, mirabor ergo ſi iſti loci mentem tuam à communi Proteſtantium doctriuâ abduxerint. Certè priuſquam theſin tuam amplectamur ut divinam veritatem, neceſſaria erunt alia fundamenta quàm teſtimonia Patrum à recentioribus tantùm citata contra ipſorum auctorum mentem.

Rationes ſex à Spalatenſi mutuata à Semipelagianis rejiciebantur ab Hilario & Proſpero.

Alia quæ proponis ſententiæ tuæ fulcra ſunt ſex rationes cum hac præfatione, rationes hæ quas legi, contra diverſam ſententiam nondum ad meam mentem ſolutæ ſunt. Eas affero ex duabus epiſtolis, quarum alteram ſcripſit *Hilarius Arelatenſis*, alteram *Proſper* contra *Auguſtinum*. Reſp. *Spalatenſis* equidem qui omnes tuas ſex rationes affert, eodem ordine, iiſdem verbis, ſed paulò fuſius, profitetur *Auguſtinum* non ſufficienter ſolviſſe objectiones tuas, ſed quantâ injuriâ, videbimus mox in ſingulis. Si putas rationes illas tuas creditas fuiſſe ab auctoribus à te nominatis *Hilario* & *Proſpero*, & ab iis contra *Auguſtinum* allatas multùm falleris: duæ enim iſtæ epiſtolæ non ſunt ſcriptæ contra Auguſtinum, & rationes iſtæ tuæ non afferuntur ex mente vel *Proſperi* vel *Hilarii*, quaſi in ullo jotâ ab *Auguſtino* diſcreparent in doctrinâ ejus de electione, ſed nomine ſuorum vicinorum *Maſſilienſium Semipelagianorum* adductæ ſunt, quas ipſi omninò rejiciebant, & tantùm ex *Auguſtini* eminenti ſcientiâ poſtulârunt opem, quâ plenè ad iſta objecta reſpondere inſtruerentur. Sic ſe rem habere manifeſtum eſt, nam profitetur Proſper non tantùm offendi ſe contradictione *Maſſilienſium* (quorum, inquit, contradictione offendimur) & ſuum ab ipſis diſſenſum (poſſumus ad non credendum eſſe conſtantes) ſed etiam affirmat ipſorum doctrinam eſſe perverſiſſimam (qnod cùm perverſiſſimum eſſe inſtruente tuâ beatitudine noverimus) vulnus eſſe perventurum ad ſectionem ob perſeverantem tumorem, quòd in eâ periculum eſſet non tantùm pauxilli veneni (in iſtis Pelagianæ pravitatis reliquiis non mediocris virulentiæ fibra nutritur) ſed etiam integri Pelagianiſmi (ne tam claris viris ſpiritus Pelagianæ pravitatis illudat, notum eſt ita falſitatis iſtius habere verſutias, ut ſi iis liceret prætentæ correctionis imagine aliquod ſibi faventium radicis ſuæ germen excipere totam ſe poſſe in exiguâ ſui parte reparare.)

Eadem *Hilarii* mens eſt. Adverſarios quorum rationes miſit ad *Auguſtinum* ferre non potuit, ejus contra iſtas impatientia fuit notoria (non quòd de iis quæ nunc edidiſti ego dubitem, hac ſuſpicione in tantùm careo, ut potiùs infirmitatem meam, quâ tales parum patienter fero, notabilem putem) ei erant [indefatigabiliter contentioſa corda quorum pervicaciâ crucior.) Præter duos hos à te citatos, *Voſſius* tuus qui ubique quantum poteſt *Semipelagianorum* exceſſus mitigat, te docebit quantopere toti eccleſiæ catholicæ diſplicuerint rationes iſtæ quas hîc de *Spalatenſis* manu tibi libet accipere, utcunque earum nullam rejici volo ex ſolâ cujuſcunque auctoritate, ſi modo ulla veritatis ſcintilla in iis poteſt percipi.

Auguſtini reſponſio ad Spalatenſis rationem Pelagianam primam.

Rationum tuarum prima eſt. Si homo abſolutè prædeſtinatus ſit, vivat ut volet, & faciat quàm poteſt peſſima, non poteſt perire, & ſi abſolutè reprobetur, faciat quàm poteſt optima, non ſalvabitur. Reſp. *Auguſtinus* in ſuâ ad hanc objectionem reſponſione oſtendit illius auctores fuiſſe inimicos gratiæ Dei, qui hunc ſibi finem proponebant, prædeſtinationem deſtruere & immutabilitatem donorum Dei homini cuicunque in terris à mutabili hominis arbitrio ſuſpendere omnia divinæ gratiæ dona; & tamen licet omnia hæc abſurda ipſis concederentur, recideret hæc objectio quam contra ſe formârunt in ipſorum capita, tuebantur enim etſi nullam reverâ prædeſtinationem, infallibilem tamen præſcien-

tiam, in quâ affirmabant nullam eſſe poſſibilitatem erroris, ſed ſimplicem & abſolutam neceſſitatem veritatis. Hoc jacto fundamento, quod *Semipelagiani* ponebant, qnodque te credere arbitror, etſi Apologiſtæ remonſtrantes illud vel negent, vel ut incertam & problematicam veritatem proponant: boc, inquam, ſuppoſito, quos Deus præſcivit ſalvandos, etſi ſecundum liberi ſui arbitrii actus utlibet contingentes certiſſimè ſalvabuntur, & quos præſcivit damnandos certiſſimè damnabuntur: iſta evenient tantâ certitudine quanta invenitur in infallibili præſcientiâ omniſcientis Dei, quæ omnino eſt tanta quantam in divinâ prædeſtinatione reperire eſt, utraque cùm præſcientia tum prædeſtinatio certa eſt in ſupremo gradu. Ex hac hypotheſi tua in te recidit objectio, prout, ſecundum *Auguſtinum*, in primos auctores cadebat. Quomodò iſti pro ſe reſpondebant neſcio, ſed qui prædeſtinationem abſolutam tuentur facillimè nodum hunc ſolvunt, dum enim loquuntur de electione ad gloriam abſolutâ, non intelligunt ullum decretum ad gloriam tam abſolutum, ut excludat media gratiæ, ſed abſolutiſſimum ipſorum decretum ſalutis, ſemper includit viam gratiæ ad gloriam; fidem, reſipiſcentiam, perſeverantiam, quam Deus decrevit ſolam eſſe viam ad gloriam, itaque tuam propoſitionem negant, abſolutè prædeſtinatos neceſſariò ſalvandos, etſi faciant quod libet, nam quicunque facit quod libet, & ſecundum ſuam pravam voluntatem vivit peribit in æternum, gratia quidem Dei electos ſervat, ne unquam in hujuſmodi pravâ voluntate perſeverent: repugnantia eſt prædeſtinatum facere quod libet, aut vivere ſecundum pravam ſuam voluntatem, eſſentia enim & natura prædeſtinationis includit conformitatem voluntatis electi cum voluntate divinâ, includit converſionem & finalem perſeverantiam. Ex adverſo ſi faciat reprobus quod debet, non poterit damnari: ſed hoc nemo reprobus præſtat, nam omnes obſtinatè ſequuntur pravam ſuam voluntatem; adeoque ſuo meritò juſtiſſimè damnantur. Verum eſt, potuiſſe Dei gratiam omnes ſervaſſe à peccato & morte, ſed nullo rationis vinculo obligatur Deus ut peccatori & apoſtatæ largiatur eam gratiam quam ſemel habuit, ſed inhærentis ſuæ corruptionis vitio eâ ſpoliatus eſt. Utcunque, neque carentia gratiæ, neque Deus quòd gratiam non det reprobis ullo modo cauſæ ſunt vel peccatorum in terris, vel tormentorum in inferno: quicquid largitur Deus peccatoribus gratia eſt, & miſericordia; quod denegat, nulla eſt injuria ſed juſtum reproborum meritum.

Etiam ad ſecundam à fatali neceſſitate. Secunda tua ratio hæc eſt. Prædeſtinatio abſoluta homini imponit fatalem neceſſitatem, ita ut non ſit liber eligere bonum aut malum. Reſp. Primus bujuſce rationis auctor fuit *Pelagius*, ita enim *Auguſtinus* ad *Bonifacium* lib. 2. cap. 6. Itane verò, inquit, filii ſuperbiæ, inimici gratiæ Dei, quiſquis dicit gratiâ Dei omnia hominis bona merita præveniri, fatum vobis videtur aſſerere? A *Pelagio* eam *Maſſilienſes* mutuarunt, prima hæc fuit eorum contra *Proſperum* objectio, Fati nomine (inquit *Proſper*) doctrinam prædeſtinationis infamant. Si tibi placeret capita priora duodecim lib. 5. de Civit. Dei perlegere, videres quantâ cum injuriâ ethnica hæc fatalitas illi *Auguſtini* doctrinæ imputaretur.

Fatum, ſecundum veterum communem ſententiam, eſt efficax ſtellarum operatio in creaturas inferiores. Hoc, puto, non aſcribes tuis adverſariis. In alterâ ſignificatione quidam fatum accipiebant pro concatenatione cauſarum ſecundarum tam arcto nodo à parcis connexâ, ut ipſe Jupiter huic ordini ſubjiceretur, nec ullum hujuſce catenæ annulum valeret rumpere. *Euſebius* de præpar. Euangelii lib. 6. ubi de fato prolixè tractat, hanc probat fuiſſe mentem multorum veterum. Unum teſtimonium affert ex verſibus *Apollinis* excuſantis impotentiam ſuam quòd non valuerit ſuum ipſius templum à conflagratione conſervare, nam, inquit, ipſe Jupiter non poteſt unum coli Parcarum filum rumpere.

Τῶν γὰρ ἀεργίδων διὸς κατανεύσιος κάρηνον
Ὅτι καὶ δυνάμει μίτρε ἀπελάσαι ἀνάγκας.

Hoc genus fati nullus unquam *Auguſtino* tribuit, ſed tertia vocis ſignificatio fuit à *Chryſippo* & *Stoicis* ejus ſequacibus uſurpata de quâ fusè *Aulus Gellius*; Hujuſmodi, puto, fatum fuit quod olim ac hodie *Auguſtini* doctrinæ ab adverſariis inurebatur, ſed & hoc fatum ſemper rejecit *Auguſtinus*, inprimis ob duos errores quos id includebat & ipſe abominabatur, etſi utrumque ipſi imputarent adverſarii. Prior error, quòd omninò omnia, etiam mala & peccata directè ab hoc fato profluerent. Hæc fatalis eſt neceſſitas quam *Semipelagiani* in verbis epiſtolæ *Proſperi* quæ tu citas *Auguſtino* objiciebant; talis, inquiunt, prædeſtinatio fatalem inducit neceſſitatem, aut diverſarum naturarum Deum facit conditorem. Manichæiſmus hic ſæpe *Auguſtino* & ſequacibus objectus fuit ſed nunquam probatus, nunquam enim vel illo vel hi talem prædeſtinationem docuerunt, quæ ullâ conſequentiâ legitimâ Deum faciebat auctorem peccati aut creatorem mali in quibuſcunque creaturis malis. Ad hanc objectionem reſpondet *Auguſtinus* de civit. Dei lib. 5. cap. 9. Sicut omnium (inquit) naturarum creator, ita omnium poteſtatum dator non voluntatum, malæ quippe voluntates ab illo non ſunt, quia contra naturam ſunt, quæ ab illo eſt.

Alter primarius error ob quem rejecit *Auguſtinus* fatum Stoicum, erat quòd ab actibus humanis liberum tolleret arbitrium (etſi *Spalaten-*

latenſis tuus in hac ipſâ quam ab eo affers ratione errorem hunc vult ex *Auguſtini* ſententiâ fluere, ſed quàm verè hoc aſſerat, videbimus in ratione tuâ quartâ, ubi apertè id probandum ſuſcipis) intereà habeto breve *Auguſtini* reſponſum ad hanc calumniam, dum ex ore *Juliani* hæretici Pelagiani flueret ad *Bonifacium* lib. 2. cap. 5. Peccato *Adæ* liberum arbitrium de hominis naturâ periiſſe non dicimus, ſed ad peccandum valere in hominibus ſubditis Diabolo, ad benè autem pieque vivendum non valere, niſi ipſa voluntas hominis Dei gratiâ fuerit liberata. Fateor *Aquinatem*, & alios poſt *Boëthium*, cùm hos & alios Stoicæ doctrinæ errores exploſerunt, abſque ſcrupulo divinam providentiam fati nomine appellare: ſed nunquam *Auguſtinus* ad iſtius nominis utut purgati amorem potuit adduci. Cauſarum (inquit) ordinem fati nomine appellare nos abhorremus, præcipuè propter vocabulum quod non in reverâ conſuevit intelligi.

Etiam ad tertiam de morte Chriſti pro omnibus.

Tertia tua ratio. Sequeretur (inquis) ex abſolutâ prædeſtinatione Chriſtum non eſſe mortuum pro omnibus. Reſp. Ratio hæc tertia cum ſecundâ priori jungebatur à Pelagianis, ut videre eſt *Aug.* lib. 4. contra *Julianum* cap. 8. Sed ut mihi videtur, non ſpectat ad noſtram Theſin, uam dato Chriſtum pro omnibus tuo ſenſu mortuum, non tamen ſequitur omnes iſtos pro quibus Chriſtus mortuus eſt conſideratos fuiſſe ante prædeſtinationem, ut fideles & perſeverantes, nullam hîc video ſequelæ apparentiam. Fieri poteſt ut ſubtilioris alicujus argumenti vinculo pertrahere poſſis in quæſtionem præ manibus conſiderationem loci quem habet mors Chriſti in decreto prædeſtinationis, num concipienda ſit ut cauſa antecedens an ut ſubſequens effectum: ſed diſputatio hîc à te nominata, utrum Chriſtus mortuus ſit pro omnibus abſolutè an cum aliquâ reſtrictione, non poteſt ad theſin noſtram præſentem pertrahi, abſque cùm impertinentiâ, tum vi. Hoc profero non animo declinandi duram iſtam diſputationem; nam cum in hac & etiam ſequenti ratione declaraveris apertè tuam ſententiam cum *Spalatenſi* & *Arminianis* tam in ſecundo quàm tertio eorum articulo plenè convenire, iſta omnia, Deo dante, quàm voles fusè tecum perpendam, ſed non (puto) jam expedit ſecundum illum & tertium *Arminianorum* articulum cum primo nunc præ manibus commiſcere. In præſentiâ mihi ſatis placet communis *Auguſtini* reſponſio quam ille *Pelagianis* dat dum orgent univerſalitatem enunciationum, Chriſtus mortuus eſt pro omnibus, Deus vult omnes homines ſalvos fieri; univerſalia illa intelligenda cum reſtrictione; ſcilicet pro multis in omnium hominum genere, hic enim perſæpe eſt ipſius Scripturæ commentarios, omnes poſiti pro multis, quemadmodum intelligitur quod dictum eſt, per unius juſtificationem in omnes homines ad juſtificationem vitæ, ita dictum eſt ut intelligantur omnes prædeſtinati, quia omne genus hominum in iis eſt. Sic alibi exponit Joa. 12. 32. *Si exaltatus fuero à terrâ omnes traham ad meipſum*, & illud Lucæ 11. *Decimatis omne olus*, ubi non eſt intelligendum niſi omne olus quod habebant, neque enim omne olus quod erat in toto terrarum orbe decimabant. Sic dictum *omnibus per omnia placeo*, i.e. omni hominum generi quod Chriſti congregabat Eccleſia. Non eſt itaque dubitandum voluntati Dei, qui in cælo & in terrâ omnia quæcunque voluit, fecit; humanas voluntates non poſſe reſiſtere quò minùs faciat quod vult, quandoquidem de ipſis hominum voluntatibus quod vult, cùm vult facit. Ita objectioni hic tuæ reſpondet dum eam afferret Julianus; ſed dum monachi *Adrumetini* illum pergerent urgere, reſponſum ſuum amplificat de correptione & gratiâ cap. 14. Omnes (inquit) homines omne hominum genus intelligimus, per quaſcunque differentias diſtributum, reges privatos, nobiles ignobiles, ſublimes humiles, doctos indoctos, integri corporis debiles, ingenioſos tardi cordis fatuos, divites pauperes mediocres, mares fœminas, infantes pueros adoleſcentes juvenes, ſeniores ſenes, in omnibus linguis, in moribus omnibus, in artibus omnibus, in profeſſionibus omnibus, in voluntatum & conſcientiarum varietati innumerabili conſtitutos, & ſi quid aliud differentiarum eſt in hominibus, omnipotens velle inaniter non poteſt quodcunque voluerit. Omnes pro quibus Chriſtus mortuus eſt extendere ad ſingulos in humano genere, abſque exceptione ullius individui hominis (prout tu hîc facis) multum detrahit de virtute paſſionis Chriſti quæ eſt infiniti pretii, non tantùm iſtius fructum ſuſpendet ab humano voluntatis arbitrio, re totius mundi procul omni dubio incertiſſimâ, fragiliſſimâ, & maximè contingenti; ſed etiam nihil aliud pretii valoris, & efficaciæ in morte Chriſti ponit quàm quæ poteſt conſiſtere cum æternâ damnatione omnium & ſingulorum pro quibus mortuus eſt, & quos verè Chriſtus intendebat ſuâ morte à damnationis miſeriâ liberare. Prætereà per neceſſariam conſequentiam, ut tuus *Spalatenſis* fatetur, importat actualem communicationem gratiæ ad ſalutem ſufficientes, & quæ à parte Dei dantis non omninò differt à gratiâ ſalutiferâ & efficaci: imò à gratiâ efficaci nullo modo differt niſi hoc uno, quòd actus humani arbitrii iſti aſſentiatur & ſuo aſſenſu iſtam faciat efficacem, quæ ſi diſſenſus arbitrii ab eâ fuiſſet intra limites gratiæ ad ſalutem ſufficientis manſiſſet, ſed non ſalutiferæ ſolum ob iſtum diſſenſum: ratio (inquam) tua importat collationem hujuſmodi gratiæ non modò omnibus Judæis, Turcis, & Ethnicis, qui

poſt prædicationem Euangelii vixerunt, licet oullum ejus verbum audiêrint, ſed & omnibus omninò abſque exceptione bomioibus tam ſub lege & ante legem quàm ſub Euangelio. Verùm de omnibus iſtis ſuo loco.

Quarta Spalatenſis ratio ſecum trahit Pelagii meritum & liberum arbitrium.

Quarta tua ex *Spalatenſi* ratio eſt. Dicitur Crede & ſervaberis, unum horum exigitur, alterum offertur, prædeſtinatio hîc fluit à fide, & voluntas eſt humana quæ credit liberè; etſi mota à Dei gratiâ. *Reſp.* Ratio bæc prout hîc à te affertur, nullo alio vitio laborare videtur quàm impertinentiâ ad ſcopum, nam dato Deum requirere fidem in omnibus quibus promittit ſalutem, non inde ſequitur fidem antecedere prædeſtinationem, quia Dei decretum eſt, ut fides in nobis liberè exiſtat antequam ſalvemur. Sed dum amicorum tuorum hujuſce rationis commentarium video, & ſenſum quem præ ſe fert, prout affertur ſeu à *Spalatenſi*, ſeu à *Semipelagianis* apud *Hilarium* & *Auguſtinum*, videtur plena craſſarum abſurditatum, quas tu, ut puto, defendendas non ſuſcipies. *Auguſtinus* ad eam reſpondens de prædeſtinatione cap. 11. bunc illius ſenſum invenit; fides quæ à nobis exigitur, priuſquam ullâ gratiâ imbuimur, neceſſe eſt ut ſit opus liberi noſtri arbitrii, oequaquam vero gratiæ Dei. Hujuſcemodi rationis fronti oigram hanc notam *Auguſtinus* inurit, *Pelagianorum* error damnabilis. Quòd vir ſanctus hic longè abſit ab omni calumniâ videre eſt in ipſius *Hilarii* epiſtola, ubi *Semipelagianos* in boc tuo argumento adhuc abſurdiores facit, nam ab eo quod habes, unum horum exigitur alterum offertur, inferebant iſti fidem opus eſſe ſolius liberi arbitrii antecedens omnem gratiam & cauſam meritoriam omnis tam gratiæ quam gloriæ quæ ipſam conſequuntur. Imò vero *Spalatenſis* dum *Semipelagianorum* errores vult mitigare, ſtrictè tamen tuetur fidem hanc quæ à nobis exigitur eſſe primam noſtram converſionem & opus ſolius noſtri arbitrii, non autem donum gratiæ, nam ultimum quod Deo & gratiæ *Spalatenſis* attribuit in opere converſionis & fidei eſt tantum dare vires ad credendum & poſſe credere, hoc autem eſt commune donum omnibus tam credentibus quàm infidelibus, quòd verò ad ipſam converſionem ſpectat & fidem, vult eos actus eſſe ſolius humanæ voluntatis ab ipſa productos, vel non productos ſecundum ſuam naturalem, neceſſariam, & inamiſſibilem libertatem. Præterea vires illæ ad credendum & poſſe credere, quos ſolos agnoſcit actus gratiæ in productione fidei, nihil aliud ſunt quàm adjumenta quæ removent impedimenta voluntatem retardantia in uſu potentiæ quam habet in ſeipſâ, & à ſeipſâ ad credendum; docet enim voluntatem bumanam ante omnem gratiam vivam eſſe, & non mortuam in peccatis, ſed tantum vinctam & ægrotam, quam gratia ſuo adventu ſolvit à vinculis, & ſanat ab ægritudine: ſic reſtituta voluntas libertati & ſanitati exurgit, & ſola ſuis viribus actum credendi & converſionis perficit. Quouſque ſequaris ſenſum bunc tuæ rationis quem tuorum auctorum commentarius fert, neſcio; tantùm evidens eſt ipſos aſſerere tuam iſtam rationem continere errorem, quem ipſe *Pelagius* damnavit, & plures etiam alios. Quid eſt (inquit *Auguſtinus*) ingratius, quàm negare ipſam gratiam Dei dicendo eam ſecundum merita noſtra dari, quod in *Pelagianis* fides catholica exhorruit, quod ipſi *Pelagio* capitale crimen objecit, quod ipſe *Pelagius* non quidem amore veritatis Dei, ſed tamen ſuæ damnationis timore damnâvit.

Spalatenſis ratio quinta, ſexta, & ſeptima mutuantur ab Arminio.

Quinta tua ratio. Si prædeſtinatio eſſet abſoluta, ſequeretur reprobationem fieri ob originale peccatum ſolùm, qnia homo lapſus in originale peccatum eſt objectum prædeſtinationis, hoc autem eſt contra Scripturas, quæ neminem damnari volunt niſi ob actualia peccata. *Reſp.* hanc, & poſteriores tuas rationes *Spalatenſis* affert, non ex Proſperi & Hilarii epiſtolis, ſed ex ſcriptis *Arminianorum*: bujuſce tuæ rationis fundamentum eſt falſa hypotheſis, oimirum reprobationem & damnationem eſſe unum & eundem actum, ſaltem earundem cauſarum effecta. Debuit hoc *Spalatenſis* probâſſe, nam ſatis ſciebat omnes ſnos adverſarios affirmare reprobationem & damnationem noo tantùm eſſe diverſos actus, ſed etiam diverſa babere objecta, & inprimis à diverſis valdè cauſis fluere. Sed conſiderationes bæ oos avocarent ad aliud *Arminianiſmi* caput, quod huc non ſpectat.

Sexta tua ratio. Si reprobatio ſit ob prævifa peccata actualia, ut teſtatur Scriptura, quidni etiam fides & juſtitia prævifa ſint rationes prædeſtinationis. *Reſp.* Ratio hæc tribus nititur bypotheſibus, quas neceſſe eſt ſolidè probes, priuſquam illarum ullam conceſſero; Prima. Scripturas efficere actualia peccata cauſas reprobationis. Secunda. Juſtitiam & fidem tales eſſe cauſas ſalutis, quales impœnitentia & infidelitas ſunt cauſæ damnationis, verè meritorias, idque ex condigno. Tertia. Juſtitiam & fidem eandem habere cauſalitatem in ipſo decreto prædeſtinationis, quam habet peccatum in actu damnationis. Iſta non ſufficit à te & *Spalatenſi* affirmari, ſed firmis argumentis probanda ſunt, priuſquam illis fidem adhibuero.

Quàm bellè neceſſitas cum libertate arbitrii conſiſtit.

Ultima tua ratio. Qui ex neceſſitate peccat, non peccat, quia omne peccatum eſt voluntarium: jam autem ſi Deus actu ſuo præteritionis abſolutam peccandi neceſſitatem imponat Judæ, peccatum Judæ non erit peccatum, quia oeceſſitate ad illud adactus eſt abſque ullâ poſſibilitate ſeipſum ab illo peccato ſervandi. *Reſp.* Specioſum hoc & triumphale *Pelagianorum* argumentum olim, & *Arminianorum* hodie qui in caput de prædeſtinatio-

natione poterit trahi niſi per conſequentiam valdè longinquam, non video. Sed quod ad ipſum argumentum, nititur bypotheſibus, quas non facilè probaveris. Prima. Quod actus divinæ præteritionis qnemquam ad peccatum neceſſitet, ant quæcunque reprobis ineſt peccandi neceſſitas, eam à Deo fluere, vel ullo ejus actu, Deus gratiam denegans non magis eſt cauſa peccati, nedum neceſſitatis peccandi, quàm ſol cauſa eſt tenebrarum in aëre, aut frigoris in aqua, aut duritiei in glacie quæ ejus occaſum ſequuntur, & ab ejns ortu removentur. Altera tui argumenti bypotheſis eſt perpetua illa *Arminis* cantilena, quam à *Bellarmino* didicit, voluntarium non poſſe conſiſtere cum neceſſitate, etſi hoc nunquam fuerit auditum inter Chriſtianos, antequam ex ſchola Etbnicorum *Pelagius* illam maximam produxit. In utriſque tam *Pelagianis* qnàm *Paganis* errori huic *Augustinus* ſe oppoſuit; cùm diceret *Pelagius*, Voluntatis arbitrio privatur quicquid naturali neceſſitate conſtringitur; *Augustinus* reſpondet de nat. & grat. cap. 46. Perquam abſurdum eſt, inquit, non pertinere ad voluntatem noſtram, quòd beati eſſe volumus, quia id omnino nolle non poſſumus; neſcio quâ & bonâ conſtrictione naturæ; nec dicere andemus ideo Deum non voluntatem ſed neceſſitatem habere juſtitiæ, quia non poteſt velle peccare: negat hîc liberum arbitrium non poſſe conſiſtere cum naturali & abſolutâ neceſſitate, probatque duobus irrefragabilibus exemplis. Cumque *Stoici* eximere conarentur humanam voluntatem ab omni neceſſitate, ne neceſſitate deſinerent eſſe liberi, reſpondet, illa (inquit) non eſt formidanda neceſſitas ne nobis libertatem auferat voluntatis &c. De Civit. Dei lib. 5. cap. 11. eò magis ibi refutare ſatagit *Stoicorum* illorum errorem de inconſiſtentiâ libertatis & neceſſitatis, quòd apertè videret periculoſiſſimas inde conſequentias quas in maximis ingeniis produxiſſet. Certè hic error ipſum *Marcum Tullium* adduxit ad tacitam negationem Deitatis, & apertam negationem divinæ præſcientiæ; exiſtimabat enim ſi Deus haberet certam & infallibilem præſcientiam actunm hnmanæ volnntatis, inde ſequi quandam neceſſitatem in actibus voluntatis, qui hoc ſuppoſito non poſſunt non exiſtere, prout erant infallibiliter præſciti, potius enim quàm volnntatis libertas veniret in periculum neceſſitatis, quam infallibilis divina præſcientia evincebat, elegit divinam præſcientiam omninò negare. Sæpè miratus ſum, quæ potuerit eſſe fiduciæ maximæ cauſa, quam adverſarii in hoc argumento collocabant, cùm ipſi multoties apertè totam illius vim videantur enervare: concedunt enim ſæpe naturalem & abſolutam neceſſitatem bellè conſiſtere cum libertate voluntatis. Certè *Ariſtoteles* Eth. 3. fons eſt ipſorum doctrina de libertate & neceſſitate, illic autem oſtendit Philoſophus non tantùm ſpontaneum ſed etiam voluntarium ἑκούσιον, imo volitionem βούλησιν eſſe poſſe de fine ultimo, cujus appetitus & volitio eſt omnino naturalis & neceſſaria. Iſta adverſariis ſatis placent, docent enim volitionem finis ultimi ſemper eſſe neceſſariam, imò verò actus hic voluntatis eſt maximè voluntarius & ſummè proprius, quia verſatur circa objectum voluntatis maximè proprium & adæquatum, nempe ſummum bonum, itaque neceſſitatem habent concèdere non tantum concordiam neceſſitatis cum voluntario, ſed etiam quo magis eſt neceſſarius actus volnntatis, eò magis eſſe voluntarium, eò quod actus ſummè voluntarius ſit ſummè neceſſarius. Quin etiam in hac quæſtione relinquere voluntatem & confugere ad prælectionem coguntur. Concedunt nobis tantam in voluntate Dei, angelorum, & hominum neceſſitatem collocari poſſe quantam volumus, tantùm tenent προαίρεσιν liberam eſſe à neceſſitate: prælectio autem hæc, ſecundum eos, verſatur tantùm circa media, eaque ſola quæ nullum habent neceſſarium nexum cum fine. Semper exiſtimavi conceſſionem hanc Pontificiorum & Arminianorum fuiſſe proditionem totius cauſæ in noſtras manus; nam actus voluntatis de quibus controvertitur ſunt noſtra converſio ad Deum, noſtra fides in Deum, noſter amor Dei, & ejuſmodi, qnorum objectum non eſt alind quàm Deus ultimus finis, & ſummum bonum: ſi conceſſerint liberum arbitrium, & prælectionem nihil ſpectare motus voluntatis erga ultimum finem, in quibus voluntas fertur ſine prælectione naturaliter & neceſſariò, cur nobis lites movent de actibus prælectionis in noſtra converſione, fide, reſipiſcentia, & perſeverantia, ubi voluntas fertur in Deum ultimum finem, & ſummnm bonum? Præterea actus converſionis, fidei, amoris, & perſeverantiæ, de quibus inter partes quæritur, ſummam cum Deo ultimo fine, & maximè neceſſariam connexionem habent, ſunt unica & ſola via ad ipſum aſſequendum à Chriſto præſcripta: qui vult accedere ad Deum multâ conſultatione non indiget, num ad ipſum in viâ gratiarum velit accedere an non; ad hunc enim ſcopum non ſunt plures viæ quàm hæc una & ſola. Imò verò in ipſa eorum prælectione, quam maximè ſtudent eximere ab omni neceſſitate, tantam collocare videntur neceſſitatem quantam nos requirimus. Primò enim qnam vocant neceſſitatem ſpecificationis & contrarietatis largiuntur, affirmantes firmam, & immutabilem, & ſummè neceſſariam determinationem ad unam contrariarum ſpecierum, ſeu ſit virtus ſeu vitium, ſeu bonnm ſeu malum; rectè conſiſtere cum plena libertate prælectionis; ita voluntates Dei, angelorum, & ſanctorum hominum liberrimæ ſunt in prælectione boni, & tamen ſumma neceſſitate conſtrictæ ſunt, ne

poſſint

poſſint ad ullum malum ſe convertere: voluntates etiam Diaboli, & damnatorum multò lubentiſſimè & liberrimè præeligunt mala, nulla tamen ipſis relinquitur potentia velle aut præeligere quidquam quod eſt bonum. Hoc conceſſo ſponte ruit tuum argumentum à neceſſitate peccandi in reprobis, docemus quidem irregenitos non poſſe concipere cogitationem bonam, non poſſe producere bonum fructum, non poſſe eſſe bonos, ſed eſſe peccatores neceſſariò, & ipſis incumbere neceſſitatem ſpecificationis, ac ligatos eſſe ſuâ culpâ ad malum, donec ipſos Dei gratia liberaverit.

Quod ad neceſſitatem contradictionis & exercitii, parum ad nos ſpectat, da illis poteſtatem abſtinendi ab aliquibus peccatis, ſatis nobis eſt, ſi neceſſariò & tamen liberè ſint peccatores, nec poſſunt eſſe boni ante gratiam. Ipſe Ariſtoteles docet homines vitioſos, quorum præelectio liberrimè eos ducit ad malum, tantâ neceſſitate conſtringi, ut, cùm maximè velint, non poſſint mutare ſuos habitus vitioſos. Quod ad neceſſitatem contradictionis in actibus gratioſis, eam non premimus, niſi in uno ſolo actu primæ converſionis; in hoc autem oſtendimus præelectionem, ſecundum eos, nullum habere locum, eò quod converſio medium ſit neceſſarium ad obtinendum finem ultimum, & pro immediato ſuo objecto habeat Deum ſummum bonum.

Deinde mirum eſt ipſos affirmare omnem neceſſitatem contradictionis deſtruere liberam præelectionem, cùm ipſi concedant varia genera neceſſitatis etiam contradictionis conſiſtere cum libertate præelectionis. In actu individuo converſionis cum omni ipſorum libertate ponunt neceſſitatem divinæ præſcientiæ, neceſſitatem conſequentiæ, neceſſitatem in ſenſu compoſito, quod quamcunque libera ſit converſio, tamen Deum eum neceſſariò & infallibiliter præſciiſſe, reſpectu hujus præſcientiæ neceſſe fuit, ut exiſteret in tempore res præſcita, & impoſſibile fuit ut non exiſteret: imò verò hîc profitentur neceſſitatem conditionatam non tollere libertatem, neque nos abſolutam neceſſitatem, ut quam in converſione poſuimus, imò neque neceſſitatem naturalem, ſed ſolam moralem ex neceſſitate decreti divini, & executione illius per efficaciam ſpiritûs gratiæ nos convertentis à malo ad bonum. Mirum eſt ipſos negare obſtinatè efficaciam omnipotentis Dei gratiæ ſemel in totâ vitâ peragere in ſuis electis, quod concedunt fragilem & corruptam rationem in ſingulis hominibus quotidie centies præſtare, imò fortaſſe plus millies ſingulis horis; hi quibus ſolenne eſt clamitare voluntatem neceſſitari non poſſe vel ab ipſo Deo omnipotente, quòd ſit ultra naturam voluntatis operari neceſſariò, adeoque hanc contradictionem eſſe & infirmitatem, cujus Deus non eſt capax, disertè tamen affirmant præelectionem & liberum arbitrium in omni ſuo actu neceſſitari ab intellectu, eò quod ultimum judicium rationis practicum ex abſolutâ neceſſitate ſecum ſemper trahat voluntatis conſenſum, ita ut reſiſtere nequeat, ſed hanc lucem neceſſariò ſequatur. Hoc rete *Bellarminus* ſibi tetendit, & illi ſe illaqueavit, quî autem inde extricare ſe poſſit, ego quidem non video; ejus conatus ex eo elabendi, fortiùs mihi videtur ipſius vincula conſtringere. Ait ultimum judicium rationis practicum partem eſſe præelectionis, hoc autem eſt contra tam ſenſum quàm rationem, ut actus intellectûs ſit actus voluntatis, quæ diverſa eſt ab intellectu facultas. Et licet hujuſmodi facultatum confuſionem admitteremus, creſceret inde abſurditas: nam ſi voluntas in omnibus ſuis actibus neceſſitetur ſequi decretum intellectûs practicum, & verò decretum hoc intellectûs ſit actus ipſius liberi arbitrii, tum liberum arbitrium à ſeipſo & ſuâ naturâ in omnibus ſuis actibus neceſſariò determinabitur ad unum. Naturalem hancce neceſſitatem, & ſimplicem ac abſolutam determinationem in omnibus actibus præelectionis & liberi arbitrii ponere neceſſariò eſt abſurdum; vel certè, quam nos ponimus in actu voluntatis tantùm ſemel, neceſſitas hypothetica ab agente externo ſpiritû ſcilicet convertente, abſurda eſſe non poterit, ſed de omnibus iſtis fuſius; cùm deventum fuerit ad diſputationem de libero arbitrio.

Reſpondi jam, ut potui, ad omnia quæ attuliſti ex Scripturâ, Patribus, & ratione pro prædeſtinatione dependente à fide, pietate, perſeverantiâ, ut conditionibus antecedentibus, reſtat ut tu me etiam audias argumentantem pro oppoſitâ theſi ex iiſdem ſedibus argumentorum. Scripturæ locos adducam tantùm ſeptem. Primus ſit ex epiſtolâ ad Eph. 1. 4. *Sicut elegit nos in ipſo ante jacta mundi fundamenta, ut eſſemus ſancti & inculpati coram eo in charitate*; hinc ſic arguo. Nihil quod eſt effectum & fructus electionis, nihil ad quod eligimur concipiendum eſt ut electione prius: At fides, pietas, & perſeverantia, ſunt effecta, & fructus electionis ac gratiæ, ad quæ eligimur. Quod ad pietatem, ſanctitatem, & vitam inculpatam attinet, verba ſunt expreſſa: quòd etiam tam vera ſint, de fide & perſeverantiâ patebit, ſi vel ſenſum intueare, ad quem antecedentia & conſequentia ducunt, vel iſta legas quæ Patres in ſuis ad locum commentariis attulerunt.

Pro abſolutâ electione Scriptura prima ex epiſt. ad Epheſ. 1. v. 4.

Verba loquuntur de ſanctitate & inculpatâ vitâ, fides autem & perſeverantia partes ſunt earum qualitatum; ſunt enim gratiæ infuſæ & partes imaginis Dei, ſunt virtutes ſpirituales & fructus ſpiritûs ſanctificantis Gal. 5. 22. ipſorum contraria, infidelitas, hæreſis, apoſtaſia, ſpecies ſunt impietatis digniſſimæ vituperio.

Verſus

Verſus antecedens cum verbis noſtris ſic connectitur; laudetur Dominus ob omnes benedictiones ſpirituales, quibus nos benedixit in Chriſto, prout elegit nos in eo. Electio noſtra in Chriſto declaratur prior, & fundamentum, ac regula ſpecialium omnium benedictionum ob quas Deus eſt laudandus, quòd in hoc genere ſint fides & perſeverantia, nemo negabit. Verſus ſequens rem hanc magis illuſtrat, nimirum ſolam prædeſtinationis regulam eſſe Dei beneplacitum, & quòd illius fructus ſit adoptio illa poſterior, multò magis perſeverantia: hæc enim non tantùm naturâ, ſed tempore adoptionem ſequitur. Fides etiam non eſt adoptione prior: nam nemo concipi poteſt, ut verum ut ſidele membrum corporis Chriſti, niſi vel eodem, vel priori inſtanti naturæ concipiatur ut filius à Deo adoptatus.

Locum hunc *Chryſoſtomus* exponit de fide & perſeverantiâ, ἅγιος ἐστὶν ὁ τῆς πίστεως μετέχων καὶ ἄμωμος ἀνεπίληπτον βίον μετιών. Sanctus eſt & fidelis, inculpatus, qui irreprehenſibilem vitam tranſigit.

Ab hoc loco *Hieronymus* diſputat contra *Origenem*, ut ego contra te. Quod, inquit, adverſus eum facit qui antequam mundus fieret animas vult electas eſſe propter ſanctitatem, non enim eliguntur *Paulus*, & qui ei ſimiles ſunt, quia erant ſancti & immaculati, ſed eliguntur atque prædeſtinantur, ut in conſequenti vitâ per opera atque virtutes ſancti atque immaculati fiant.

Sæpè *Auguſtinus* locum hunc premit contra *Pelagium*, ejuſque ſobolem *Maſſilienſes* de prædeſtinatione cap. 18. Præſciebat ergo (ait *Pelagianus*) qui futuri eſſent ſancti & immaculati per liberum voluntatis arbitrium, & ideo eos ante mundi conſtitutionem elegit, quia tales futuros eſſe præſcivit, intueamur ergo, inquit, Apoſtoli verba, atque videamus, utrum propterea nos elegit ante mundi conſtitutionem, quia ſancti futuri eramus, an ut eſſemus. Benedictus (inquit) Deus &c. Non ergo quia futuri eramus, ſed ut eſſemus; nempe certum, nempe manifeſtum eſt, ideò quippe tales eramus futuri, quia elegit ipſe prædeſtinans, ut per gratiam ejus tales eſſemus; cernitis, proculdubio cernitis quantâ manifeſtatione Apoſtolici eloquii defendatur hæc gratia contra quam merita extolluntur humana tanquam homo aliquid det Deo ut retribuatur ei. Ibidem *Maſſilienſes* rectè convincuntur, concedebant hi rectè ab hoc loco refutatos *Pelagianos* qui ſanctitatem electione priorem faciebant, putabant tamen ipſi nihil obſtante hoc loco fidem, aut aliqua initia fidei rectè concipi poſſe priora electione. Ad eos ſic loquitur *Auguſtinus*. Audiant ergo, inquit, & ipſi in hoc teſtimonio prædeſtinati ſecundum propoſitum ejus qui univerſa operatur, ipſe ergo, ut incipiamus credere operatur, qui univerſa operatur: nec fides ipſa præcedit, non enim quia credimus, ſed ut credamus elegit nos. Ecce ut triumphet ex hoc loco de dono perſeverantiæ cap. 7. Contra iſtam, inquit, veritatis tam claram tubam, quis homo ſobriæ vigilantiſque fidei voces ullas admittat humanas? Nihilominùs collatores *Hagienſes* audent reſponſare, & Remonſtrantes Synodici cum reſponſione Hagienſium non eſſent contenti, alias ipſi afferunt. Poſteà *Corvinus* contra *Molinæum* nova inventa addit, & *Spalatenſis* diverſas ab omnibus reſponſiones confingit, quæ ex iſtis tibi approbatur, videbo in reſcripto tuo: mihi quidem, quæcunque hîc ab iis afferuntur, videntur eſſe clariſſimi textûs detorſiones, ſingulis diverſas inſiſtentibus vias, quaſi neque ſuis, neque ſociorum reſponſionibus fiderent.

Secundum meum teſtimonium eſt ex epiſtolâ ad Rom. 11. 5. *Reliquiæ ſecundum electionem gratiæ ſalvæ factæ ſunt, ſi autem gratiâ, jam non ex operibus, alioqui gratia jam non eſt gratia, ſed ſi ex operibus tum non ex gratiâ, alioqui opera non ſunt opera.* Loquitur hic Apoſtolus de iis Judæis, quos Deus præſcivit & prædeſtinavit, qui juſtitiam obtinuerunt, & ſalutem quam reliqui non ſunt aſſequuti; de iis nimirum quos Deus ſibi reſervavit, & cuſtodivit à cæcitate, duritie, & rejectione, quæ cæteris contingit. Omnes hæ miſericordiæ in ipſos collatæ aſcribuntur ipſorum electioni, & electionis ipſorum natura hîc deſcribitur, ut exemplar electionis omnium aliorum, omnis cauſa, ratio, conditio, ab ipſorum electione removetur, expreſsè autem omnia opera rejiciuntur, neque verò tantùm removentur opera ab electione, ſed gratia & opera declarantur incompatibilia, & inconſiſtentia in cauſâ electionis: aſcribere electionem gratiæ eſt eam denegare operibus, aſcribere eam operibus eſt eam denegare gratiæ. Operatio gratiæ tam eſt contraria operationi virtutum in nobis, ut una alteram deſtruat, quod à Deo per noſtra opera aſſequimur, obtinetur ex debito, quod verò per gratiam habemus ex mero & libero beneplacito conſequimur. Locus hic tam eſt evidens, ut adverſariorum plerique qui electioni conditionatæ & dependenti favent, ejus luce convicti ab eorum electione removeriut opera, & quamcunque tandem dependentiam à fide electioni dederunt, nullam tamen ab operibus dependentiam conceſſerunt. Hæc *Arminii* ad mortem profeſſio fuit: hæc ſequacium ejus fuit via tam *Hagæ* quam *Dordraci* ac poſteà, donec Apologiſtæ eam mutârunt; hæc Lutheranorum ad hunc diem mens eſt, utcunque nos ultra premimus locum hunc ab electione excludere non tantùm opera, ſed etiam fidem, ſaltem ut eſt opus. Hoc certè Lutherani affirmant, quod ut in juſtificatione fides non operatur ut virtus, ſed

Scripturâ ſecunda ex epiſtola ad Rom. 11. 5.

ut inſtrumentum applicans Chriſtum qui ſolus juſtificat, ita in electione nolunt fidem ſtare ut opus, ſed ſolùm ut inſtrumentum applicativum Chriſti, in quo eligimur. Verumenimverò noſter hic locus etiam huic inventioni contrarius eſt; nam electionem facit ex merâ gratiâ, & ex nihilo quod in nobis eſt, adeoque neque ex fide, ut ex variis Scripturis poſtea probabitur. Eorum de juſtificatione exceptio non eſt ad rem; nam juſtificatio & electio differunt in eo, quo ipſas conferunt ut conſentientes & unas: gratia enim & miſericordia ex quibus juſtificamur non ſunt gratiæ primæ, ſed poſteriores variis gratioſis actibus, qui eas præcedunt, neque potuerunt operari actualem remiſſionem peccatorum, priuſquam per fidem applicarentur, ſed gratia per quam eligimur eſt gratia prima, & fons ac origo omnis poſterioris gratiæ: impoſſibile eſt & contradictorium ut hæc ſimpliciter prima gratia nobis per ullam priorem gratiam applicaretur.

Profectò *Auguſt.* multoties per hunc locum excludit diſertè fidem ab electione de prædeſtinatione ſanctorum cap. 7. Gratia ergo conſequuta eſt, quod conſequuta eſt electio, non præceſſit eorum aliquid quod priores darent, & retribueretur illis, pro nihilo enim ſalvos fecit eos, ſed forſitan dicant ab operibus: fidem diſtinguit Apoſtolus, gratiam non ex operibus eſſe dicit, non verò dicit quod non ſit ex fide, ita verò eſt; ſed ipſam quoque fidem opus Dei dicit eſſe Jeſus, & hanc ut operemur jubet: dixerunt enim ad eum Judæi, quid faciemus ut operemur opera Dei? reſpondit, hoc eſt opus Dei ut credatis in illum quem miſit ipſe. Sic ergo diſtinguit Apoſtolus ab operibus fidem, quemadmodum in duobus regnis Hebræorum diſtinguitur *Judah* ab *Iſrael*, cum & ipſe *Judah* ſit *Iſrael*; Quin & profitetur hujuſce loci lucem ipſum à veteri ſuo errore retraxiſſe, quod electio eſſet ex fide, etſi non ex operibus. Ad hoc (inquit) perduxi ratiocinationem, ut dicerem, non ergo elegit Deus opera cujuſquam in præſcientiâ quæ ipſe daturus eſt, ſed fidem elegit in præſcientiâ, ut quem ſibi crediturum eſſe præſcivit, ipſum elegerit cui Sp. Sanctum daret, ut bona operando etiam æternam vitam conſequeretur: ſed nondum diligentiùs quæſiveram, nec adhuc inveneram qualis ſit electio gratiæ de quâ Apoſtolus. Hinc etiam probat electionem eſſe priorem vocatione & fide cap. 16. Nec poteſt eorum quiſquam dicere, credidi ut ſic vocarer: prævenit eum quippe miſericordia Dei, quâ ſic vocatus eſt ut crederet. Ab eodem loco argumentatur de dono perſeverantiæ cap. 16. Prævenit ergo, inquit, & fidem gratia, ſi autem gratia prævenit fidem, profectò prævenit omnem obedientiam, prævenit etiam charitatem, quâ unâ veraciter & ſuaviter Deo obeditur, & hæc omnia gratia in eo cui datur, & cujus hæc omnia, prævenit operatur. Et cap. 19. cum de eodem hoc loco diſſeruiſſet, omnia claudit hoc epiphonemate: Hoc ſcio, neminem contra iſtam prædeſtinationem, quam ſecundum ſcripturas ſanctas defendimus niſi errando diſputare poſſe.

Tertia ex epiſt. ad Rom. 8. v. 28.

Tertium meum teſtimonium eſt ex Epiſt. ad Romanos cap. 8. 28. Quos prædeſtinavit, eos etiam vocavit; hinc ſic argumentor. Cujus neceſſarium antecedens eſt electione poſterius, ipſum non poteſt concipi ut electione prius; ſed neceſſarium antecedens fidei, pietatis, & perſeverantiæ, eſt poſterius electione; hìc enim vocatio & juſtificatio diſertè ſequuntur electionem, ut antecedunt glorificationem; jam verò vocatio eſt neceſſarium antecedens fidei, nemo enim poteſt credere, niſi Deus luce verbi & potentiâ ſpiritûs eum vocet ad fidem, & nemo poteſt eſſe pius, nedum perſeverare in pietate niſi juſtificetur per fidem in Chriſtum. Sæpe *Auguſtinus* locum hunc adducit contra Pelagianos, unum tantùm ex eo teſtimonium afferam de prædeſtinatione cap. 17. Quos prædeſtinavit, ipſos & vocavit, nec alios; ſed quos ita vocavit, ipſos juſtificavit, nec alios; ſed quos prædeſtinavit, vocavit, juſtificavit ipſos & glorificavit illo utique fine, qui non habet finem, elegit ergo Deus fideles, ſed ut ſint, non quia jam erant.

Unicum, quod Remonſtrantes reſpondent cùm in Collatione Hagienſi, tum in Synodo, tum in poſterioribus ſcriptis eſt, quòd prædeſtinatio, juſtificatio, vocatio hoc loco nihil omninò ſpectent vel gratiam vel gloriam, ſed ſolam crucem. Replica. Inventum hoc eſt *Socini* tam contrarium ſcopo textûs ac toti Scripturæ, ut mireris ipſis placere potuiſſe: nihil eſt quòd illud refutem; nam tute in ratione tuâ primâ manifeſtè id rejicis, idque jure merito: nam non tantùm Patribus contradicit (certus ſum, *Chryſoſtomo*, *Ambroſio*, *Theodoreto*, *Auguſtino*, & ſi *Eraſmo* vis credere, *Origeni* ac *Theophilacto*) ſed etiam præcipuis ipſorum cauſæ amicis *Pelagio*, *Arminio*, *Molinæ*. *Pelagius* inter opera *Hieronymi* hunc habet in verba jam præ manibus commentarium, Ergo (inquit) vocantur per prædicationem ut credant, credentes juſtificantur per Baptiſmum, glorificantur in virtutibus gratiarum. *Molina* de libero arbitrio pag. 307. breviter, inquit, dicendum inprimis comprehendi eos juſtficationis effectus qui ad ordinem gratiæ attinent, atque etiam ipſam vitam æternam, ad quam cætera dona gratiæ tanquam ad finem ordinantur, hos verò omnes ut præcipuos comprehendit Paulus ad Rom. 8. ubi prædeſtinationis effectus explicat illis verbis, *quos prædeſtinavit, illos & vocavit.*

Arminius in diſp. privata 4. Theſi. 9. Hæc prædeſtinatio (inquit) eſt fundamentum Chriſtianæ ſalutis & certitudinis de ſalute & de eâ

agitur

agitur ad Rom. 8. 2. 30. Item ad Rom. 9. & ad Epb. 1.

Quarta ex epiſtolâ ad Rom. 9. 11. Quartus meus locus eſt ad Rom. 9. 11. *Cùm enim nondum nati eſſent, aut nondum aliquid boni egiſſent aut mali* (ut ſecundum electionem propoſitum Dei maneret non ex operibus, ſed vocante) dixit major ſerviet minori; hîc divinę electionis propoſitum ad ſolum eum refertur qui in tempore vocaturus fuit, & negatur de operibus ac de quocunque in perſonis electis: nam eſt actus Dei antecedens homines natos, & abſque reſpectu ad ea quæ poſt ipſorum nativitates in ipſis extitura erant. Multæ contra hunc locum multorum exceptiones, ex iis quæ tibi maximè placebit neſcio, mihi quidem iſtarum nulla unquam allubuit. Si negares Dei propoſitum hîc accipi de æternâ electione, tibi contradicentes haberes multos non tantùm antiquorum Patrum, ſed etiam eorum, qui locum hunc maximè depravant; intelligo *Pelagium*, & multos recentiorum quoque. De *Arminio* & *Molinâ* ſum certus. Ipſe textus per ſe ſatis clarus eſt: paulò enim pòſt propoſito huic electionis ſubjiciuntur dona tam gratiæ quàm gloriæ, quæ inde fluunt. Miſerebor cujus miſerebor, & miſericordiam præſtabo cui miſerebor, quorum autem miſertus erat ſecundum propoſitum electionis, vocantur vaſa miſericordiæ præparata ad gloriam.

Si eum *Spalatenſi* diceres; opera hîc intellgi tantùm ut exiſtentia, ſed non ut futura adeoque non ut præviſa, doceret te *Auguſtinus Pelagianum* hoc effugium non poſſe conſiſtere cum textu; nam omnino everteret Apoſtoli argumentum. Sic *Auguſtinus* contra duas epiſtolas *Pelagianorum* lib. 2. cap. 6. Veſtræ caliginis latebræ propter quod profecto deſipitis qui dicente veritate non ex operibus, ſed ex vocante, vos dicitis ex futuris operibus quæ Deus illum facturum eſſe præſciebat *Jacob* eſſe dilectum, atque ita contradicitis Apoſtolo dicenti non ex operibus, quaſi non poſſet dicere non ex præſentibus operibus, ſed ex futuris. Exceptio hæc à Patribus toties eſt conculcata & protrita, ut eam *Semipelagiani* rejecerint, & ad illud commentum confugerint, quod ab ipſis *Arminius* mutuavit, concedentes electionem nullo modo eſſe ex operibus, aſſerentes tamen eſſe ex fide, quaſi, qui vocaret hic intelligendus eſſet de eo, qui per fidem obedit Deo vocanti. Etiam hoc effugium rectè tollit *Auguſt.* ubi ſuprà. Nunquid (inquit) dixit non ex operibus ſed ex credente, prorſus etiam hoc abſtulit homini, ut totum daret Deo, dixit ergo, ſed ex vocante non quacunque vocatione, ſed quâ vocatione fit credens.

Quinta ex Actor. 13. v. 48. Quintus noſter locus eſt Act. 13. 48. *Crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam*; fides hîc ſequitur divinam ordinationem ad vitam æternam. Affirmant quidem *Arminiani* ordinationem hanc ad vitam æternam non eſſe prædeſtinationem, ſed tantum internam animi diſpoſitionem, quâ quidam, etiam Ethnici ante, & abſque omni fide diſponebantur & apti fiebant ad participandam vitam æternam: hunc commentarium, autumo, non amplectêris; *Socini* enim eſt inventum & trahit ſecum craſſiſſimum *Pelagianiſmum*, quòd Ethnici ante omnem fidem, quæ prima eſt gratia inhærens, babeant in ſe diſpoſitionem quæ ipſos aptos reddit cælo, & procurat fidem. *Lutherani*, *Papiſtæ*, & ipſe *Spalatenſis* commentum hoc rejiciunt, ac concedunt per ordinationem ad vitam æternam nihil aliud hîc intelligi quàm prædeſtinationem: certè abſque magnâ detorſione ac vi pbraſis aliter intelligi non poteſt.

Locum hunc *Spalatenſis* alio commento conatur eludere, quaſi prædeſtinatio & fides hîc ſint ſimul tantùm, ut loquitur, conjunctivè non cauſativè: profectò eſſe ſimul conjunctivè, nihil aliud eſt, quam eſſe ſimul, quòd autem ordinatio & prædeſtinatio ad vitam æternam hic præponatur fidei ut cauſa, ſaltem ut ratio exiſtentiæ fidei, in verbis eſt clarum, & ab omnibus Arminianis conceditur, etiam & Papiſtis, inprimis *Suareſio* & *Molina*.

Auguſtinus vult prædeſtinationem hic intelligi non tantùm junctam fidei, ſed fide priorem: imò locum hunc ponit pro fundamento contra *Pelagium*, unde probat Deum poſt prædeſtinationem ad vitam potenter in cordibus prædeſtinatorum operari veram fidem. Audiant, inquit, ſpiritum meum dabo in vobis & faciam, ut in juſtificationibus meis ambuletis: audiant; quotquot erant ordinati ad vitam æternam crediderunt, audiant hæc & alia, quibus oſtenditur: Deum ad regnum etiam cœlorum & vitam æternam parare & convertere bominum voluntates.

Sextus meus locus eſt Jo. 6. 39. *Omne quod dat mihi pater veniet ad me.* & 44. *Nemo poteſt venire ad me, niſi pater qui miſit me, traxerit eum, & ego illum reſuſcitabo ultimo die.* *Sexta ex Ioan. 6. v. 39.* Hic actus poſteriores electione antecedunt fidem: nimirum Dei donatio Chriſti hominibus, Dei tractus bominis ad Chriſtum antecedunt hominis adventum ad Chriſtum. Quòd per adventum ad Chriſtum hic ſignificetur fides, patet ex ver 35. Qui venit ad me non eſuriet, qui credit in me non ſitiet. Sic Chryſoſtomus locum exponit. εἰς ἐξαίρετον δῶρον μέρος τῶν πιστευόντων εἰς αὐτὸν, ὁ δὲ αἰνίττεται, τοῦτό ἐστιν, ὅτι οὐ τὸ τυχὸν πρᾶγμα ἡ πίστις, ἀλλὰ τ' ἄνωθεν δεῖται ῥοπῆς, Quod Chriſtus indigitat eſt ſingulare privilegium & donum credentium in ipſum, oſtendens, dari oportere à Patre priuſquam credant, quod hoc loco indigitat Chriſtus eſt, fidem non eſſe rem vulgarem, ſed quòd oporteat à ſpirituali influxu generari.

Idem eſt *Auguſtini* commentarius. Non (inquit) ad Chriſtum ambulando currimus, ſed credendo, nec motu corporis ſed voluntate

cordis accedimus. De hoc *Molina* & *Arminiani* non dubitant.

Quod ad alios actus Dei, donationem & tractum, quod poſteriores ſint, imò effectus prædeſtinationis, ſic probo. Actus ſummæ & efficaciſſimæ gratiæ ſunt poſteriores electione & ejus effecta, vel nulli actus gratiæ ſunt electionis effecta, quod eſt abſurdum à nemine defenſum: atqui donatio & tractus Dei ſunt actus ſummæ & efficaciſſimæ gratiæ; ſunt enim tales actus, ut ab ipſis infallibiliter fluat non tantum fides & obedientia (qui dati ſunt veniunt, qui trahuntur, currunt poſt Chriſtum in viis mandatorum ejus) ſed etiam ipſa ſalus, reſuſcitabo illos ultimo die, & habebunt vitam æternam, & ut *Spalatenſis* explicat, donati ſunt Chriſto, ut ſint cohæredes. *Auguſtinus* de prædeſtin. cap. 8. Omne quod dat mihi pater ad me veniet. Quid eſt, ad me veniet, niſi credet in me? quod ut fiat pater dat. Item paulò poſt: Nemo poteſt venire ad me, niſi pater qui miſit me, traxerit eum. Et, Omnis qui audivit à patre & didicit, venit ad me. Hæc gratia quæ occultè humanis cordibus divinâ largitate tribuitur, à nullo duro corde reſpuitur, ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitùs auferatur, quando pater intus auditur, & docet ut veniatur ad filium, aufert cor lapideum, & dat cor carneum, ſicut Prophetâ prædicante promiſit, ſic quippe facit filios promiſſionis & vaſa miſericordiæ. Similiter cap. 9. de correptione & gratiâ. Hi Chriſto intelliguntur dari, qui ordinati ſunt in vitam æternam, ipſi ſunt illi prædeſtinati, & vocati ſecundum propoſitum, quorum nullus perit, quoniam ideò Chriſto datus eſt, ut non pereat & habeat vitam æternam.

Septima ex 1. Cor. 4. v. 7. Ultimus quem adducam locus eſt 1. Cor. 4. 7. *Quis te diſcernit? quid habes quod non accepiſti, ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Quæ quiſquam ſupra ſocium habet dona, ſive fidem, ſive charitatem ſive linguas, ſive miracula, omnia veniunt de Dei dono: unum hoc eſt quod facit electum differre à reprobo, fidelem ab infideli, electum donorum pauciorum ab electo donorum plurium, diſcretio Dei, ejuſque diſtinctio hominis ab homine antecedit ipſorum dona, non eorum dona divinam diſcretionem.

Multoties *Auguſtin.* locum hunc affert contra *Pelagium* & ſocios ac ſequaces epiſtolâ ad Valent. Quis te diſcernit, inquit, ideò dicit, quia de maſſâ illâ perditionis quæ facta eſt ex Adam, non diſcernit hominem ut eum faciat vas in honorem, non in contumeliam niſi Deus; ſed quia homo carnalis & carnaliter inflatus cùm audiſſet quis te diſcernit, poſſit reſpondere vel ore vel cogitatione, diſcernit me fides mea, oratio mea, diſcernit me juſtitia mea. Apoſtolus occurrit cogitationibus talibus, & dixit: Quid enim habes, quod non accepiſti? Etiam lib. de prædeſtin. cap. 5. Poſſit quippe dicere homo inflatus adverſus alterum, diſcernit me fides mea, juſtitia mea, vel ſi quid aliud: talibus cogitationibus occurrit bonus Doctor, quid, inquit, habes quod non accepiſti, à quo niſi ab illo qui te diſcernit ab alio, cui non donavit quod donavit tibi.

Pro rationibus affero ſequentes. Prima. Electionis decretum eſt unum ſaltem univocum, & uniforme in omnibus objectis quantum ad cauſas & conditiones, ſi appareat in uno aliquo objecto fidem, charitatem, perſeverantiam non antecedere decretum, ſequetur in nullo objecto iſtas conditiones antecedere decretum: jam verò patet in multis objectis iſtas conditiones decretum non antecedere, videlicet in nullo infante qui ſalvatur ante annos diſcretionis, antequam fidei, pietatis, & perſeverantiæ capaces ſunt, imo neque in Chriſti electione, ut eſſet caput eorum qui in ipſo ſunt electi. In ejus electione ad officium mediatorium, ad aſſumptionem perſonalis unionis cum divinâ naturâ. Chriſti pietas, & perſeverantia, omniſque in eo gratia fluxit ab hac unione perſonali, & à miraculoſo hoc ſtatu ad quem ab æterno eſt prædeſtinatus, atqui ad hunc ſtatum non eſt electus ex prævisione ullius aut omnium iſtorum actuum quos in terrâ præſciebatur in tempore facturus. *Pro prædeſtinatione abſoluta ratio prima.*

Reſponſiones *Pelagianorum* ad hoc argumentum ab *Auguſtino* ita ſunt dedolatæ, ut ſperem nolle te eas reſumere defendendas.

Ratio ſecunda. Vera electio in multis ſcripturis efficitur fundamentum multorum beneficiorum, & fons multarum conſolationum mortalibus in terrâ viventibus: illa verò electio quæ poſterior eſt fide & perſeverantiâ nullius beneficii fundamentum, nullius conſolationis fons ulli mortali in terris eſſe poteſt; nam poſterior eſt omnibus momentis vitæ, adeoque bonis omnibus & conſolationibus, quarum in hac vita ſumus capaces: perſeverantia enim quæ prior eſt electione & omnibus quæ ab electione fluunt, poſterior eſt ſaltem, nullo modo prior extremo noſtro ſpiritu & morte. *Secunda.*

Tertia ratio. Si electio eſt poſterior fide & perſeverantiâ, tum nulla datur certitudo in homine quovis cujuſquam perſeverantiæ & ſalutis; quamdiu enim quiſquam vivit, omnis certitudo tam ſubjecti quam objecti eſt impoſſibilis: fundamentum enim certitudinis eſt decretum electionis, quo Deus ſtatuit infallibiliter per efficacem gratiam electos vocare, ipſiſque perſeverantiam & ſalutem dare; decreto hoc ſublato ruat neceſſe eſt omnis ei ſuperſtructa certitudo. Socii tui omnes majorem hanc concedunt, jam autem certitudo perſeverantiæ & ſalutis multorum in hac vita eſt infallibilis, ut ex multis Scripturis patet; tam ſcilicet neceſſaria quam ipſa veritas & bonitas Dei, quàm Dei potentia qui in ſe ſuſcepit *Tertia.*

præ-

præſtare iſta promiſſa Mat. 24. 24. Impoſſibile eſt electos ſeducere. Rom. 8. 30. Quos juſtificavit, eos glorificavit Jo. 10. 30. Nemo oves meas poteſt rapere de manu patris mei. 1. Jo. 2. 19. Si fuiſſent ex nobis permanſiſſent utique nobiſcum Jer. 32. 40. Timorem meum dabo in corda eorum ut non recedant à me. 1. Pet. 1. 5. Virtute Dei cuſtodimini per fidem in ſalutem. Rom. 8. 35. Quis ergo nos ſeparabit à charitate Chriſti? Certus ſum enim, quia neque mors. &c. Rom. 8. 17. Ipſe ſpiritus teſtimonium reddit noſtro ſpiritui, quòd ſumus filii Dei, ſi autem filii & hæredes, hæredes Dei ac cohæredes Chriſti.

Quarta. Quarta ratio. Si noſtra fides & pietas prior ſit electione Dei, tum noſtra electio Dei prior erit Dei electione noſtri, nos primi eum amabimus, & ille nos ſecundus amabit ad ſalutem; nos primò præparamus noſmet & aptamus ad ſalutem per multas inhærentes in nobis virtutes, priuſquam Deus vult eos ſalvari: atqui aſſumptio eſt contra Scripturam. Non me vos elegiſtis, ſed ego elegi vos Jo. 15. 16. Amamus Deum, quia is prior nos amavit, 1. Jo. 4. 19. Ille vult nos ſalvari & dat media ſalutis, & per ea in nobis potenter operatur, antequam quicquam iſtorum in mentem noſtram venit.

Quinta. Quinta ratio. Si electio ſit poſterior fide, tum fides & aliæ ſpirituales virtutes non ſunt dona Dei fluentia ab electione, ſed ſunt opera communis providentiæ, per quæ dat Deus omnibus & ſingulis hominibus gratiam ſufficientem ut credant, perſeverent, & ſalventur: ſed nulli dat Deus ipſa dona fidei, perſeverantiæ, vel cujuſcunque operis gratioſi; iſta producuntur per merum liberum arbitrium, quod poteſt liberè abjicere quicquid operatur communis providentia, cùm autem utitur ultimâ illâ potentiâ, quâ Dei ſpiritus in ullo homine operatur, ſcilicet poſſe credere, poſſe perſeverare, poſſe velle, poſſe diligere, quæ Dei ſpiritus operatur, aut operari paratus eſt in hominibus etiam quibuſcunque, prout ſe ſuis conatibus aptos aut ineptos ad ſuſcipiendam ulteriorem gratiam efficiunt, quum, inquam, voluntas hoc poſſe redigit in eſſe, ipſe actus fidei, perſeverantiæ, & charitatis aſcribendus eſt ſoli voluntati, ut cauſæ immediatè efficienti. Collatio hæc in omnibus ſuis partibus eſt *Spalatenſis* ipſo eo loco, quem ex eo adducis: aſſumptionem tamen ſi eam vis defendere, facilè convincam falſitatis, nimirum fidem, & perſeverantiam non eſſe opera ſpecialis gratiæ, ſed communis providentiæ, quod hæc providentia omnibus abſque exceptione hominibus dat potentiam ſufficientem ad fidem, perſeverantiam, & ſalutem: quòd nemo à Deo accipiat ulteriorem gratiam quàm potentiam ad credendum, quòd actus fidei & perſeverantiæ ſint liberi arbitrii, non verò ſpiritûs Dei, niſi in quantum largitur hoc poſſe credere, quod eſt donum commune tam fidelibus quàm infidelibus, quòd liberum arbitrium potentiam habeat ſuperandi ac fruſtrandi ſummos gratiæ ſalutiferæ actus, quòd media ſufficientis gratiæ ſuppeditentur ſecundum hominum opera. Hæc & multa hujus generis alia quæ *Spalatenſis* ex tua theſi deducit, mihi quidem ſunt ipſiſſimi *Pelagianiſmi* ſat crudæ partes.

Sexta ratio. Si electio poſterior ſit prævi- *Sexta.* ſione fidei, operum, & perſeverantiæ, tum divina præſcientia intuetur noſtra opera, fidem, & perſeverantiam, antequam ejus voluntas decreverit eorum exiſtentiam: Atqui impoſſibile eſt, ut divina præſcientia viſionis intueatur quicquam ut futurum & exiſtens quovis tempore, quod non prius actu voluntatis decrevit exiſtere; nam Dei præſcientia non eſt cauſa exiſtentiæ aut futuritionis rei cujuſcunque, ſed omnia intuetur ut à ſuis cauſis producta: neque ullum opus bonum poteſt præſciri niſi præconcipiatur ut productum à ſuis cauſis ante præviſionem: nihil autem exiſtere poteſt per productionem ullius cauſæ, niſi Dei voluntas priùs decreverit ejus exiſtentiam; adeò ut neceſſe ſit Deum prius decernere productionem fidei & perſeverantiæ, quàm vel videat vel prævideat earum in nobis exiſtentiam.

Septima. Id in Dei decretis concipiendum *Septima.* eſt, ut prius quod habet rationem finis, & id poſterius quod rationem medii: Atqui hominum ſalus ſecundum Scripturas concipitur ut finis, fides autem, opera, & perſeverantia ut media quibus iſtum finem aſſequimur. Eph. 2. 8. Salvamur per fidem, Act. 11. 19. Deus dedit gentibus reſipiſcentiam ad vitam, 2. Theſſ. 2. 13. Elegit nos Deus ad ſalutem in ſanctificatione ſpiritûs & fide veritatis. In numero mearum rationum non excedam tuum ſeptenarium.

Quòd ad Patres, ſi eos, ut ſæpè profiteris, verè reverearis, invenies pro independenti prędeſtinatione, ut vocas, ſtare omnes qui vel in occidente vel in oriente ſcripſerunt duodecim proximis ante nos ſeculis. Poſt velitationem aliquam à quibuſdam *Semipelagianis* in *Galliâ* prope *Maſſiliam* doctrina Auguſtini in hoc capite noſtro, ita ab Epiſcopo Romano & Conſtantinopolitano fuit approbata, & dogmata *Caſſiani Fauſti*, & aliorum ità rejecta, ut abſque omni ferè contradictione noſtra theſis ubique recepta ſit, donec anno milleſimo ſexcenteſimo ex occaſione clauſulæ, quàm Jeſuita *Molina* ex ſuo ſolo cerebro, ut profitetur, ſe addidiſſe *Auguſtini* abſolutæ prædeſtinationi, quam millies ſe affirmat firmiſſimè credere, *Leonardus Leſſius*, & alii pauci obſcuri Jeſuitæ prædeſtinationem dependentem à præviſione fidei & operum cœperunt defendere; ab eo tantùm tempore doctrina tua de electione dependente audiri cœpit. Quod tanta ſit tuæ Theſi contradictio in prioribus ſe-

Omnes orthodoxi Patres poſt Pelagium ſtabant pro electione independente.

 culis

culis quantam aſſero, ut plenè videas, adito tantum tui ipſius auctores, *Spalatenſem*, *Molinam*, & *Voſſium*; cum *Spalatenſis* opponit ſibi ex *Bellarmino* omnes patres poſt *Pelagium*, nimirum *Auguſtinum*, *Proſperum*, *Hilarium*, *Fulgentium*, *Maxentium*, *Gregorium*, *Anſelmum*, *Bedam*, *Primaſium*, *Sedulium*, *Bernardum*, & alios, ex vaſtâ ſuâ lectione non valet adducere ullos præter *Bedam* (cujus tamen verba citantur ab eo prorſus fruſtra) & *Fauſtum Regienſem*, quem negare non poteſt, *Semipelagianum* fuiſſe damnatum à Patribus tam orientalis quàm occidentalis eccleſiæ lib. 7. cap. 11. num. 153.

Molina cùm conceſſit eum *Auguſtino* ſtare magiſtrum ſententiarum, *Thomam*, *Scotum*, *Durandum*, *Gregorium*, *Ariminenſem*, *Marſilium*, *Priedonem*, *Cajetanum*, *Scotum*, pluresque alios pag. 325. Laborans invenire ſibi conſentientes in novâ ſuâ additione quâ reconciliare vult *Auguſtinum* & ſequaces cum Patribus, ante *Pelagium* nullum nominare poteſt præter ipſum hunc *Fauſtum Semipelagianum* pag. 388.

Voſſius etiam, cum omni diligentiâ uſus eſſet, ut inveniret unum celebrem auctorem vel in oriente vel in occidente per annos mille ducentos, pro tuâ ſententiâ nihil aliud dicit quam proculdubio fuiſſe aliquos Catholicos in eâ mente, ſed qui tandem illi fuerint, neminem poteſt nominare, nullam probabilitatem affert pro ſuâ hac aſſertione, tantùm leves habet conjecturas, quòd inter *Maſſilienſes* aliqui fuerint Catholici orthodoxi. Quàm verò hoc falſum ſit poſteà videbimus. Quod ad quæſtiones inter eccleſiam Rhemenſem & Lugdunenſem in cauſâ *Godeſcalci* demonſtrat *Voſſius*, nihil eas ſpectâſſe litem noſtram de electione, etſi circa electionis conſequentias totæ verſarentur.

Patres etiam ante Pelagium non contradicebant.

Si de Patribus ante *Pelagium* quadringentis poſt Chriſtum annis inquiras; quàm iniquum ſit ex ipſorum ſcriptis lites noſtras dirimere, bellè docet *Auguſtinus*: nam ſicut ante *Arium*, cum Chriſti divinitas nondum vocata fuit in quæſtionem, Theologi eam tractabant & de eâ ſcribebant tam ſecurè ut *Arius* & ſequaces ſæpè & multùm jactarent, poſſe ſe plura teſtimonia pro ſuo errore quàm *Athanaſium* pro orthodoxâ veritate afferre: Ita *Pelagius* in quæſtionibus de gratiâ, prædeſtinatione, meritis, & libero arbitrio, quæ notæ non fuerunt priuſquam ipſe eas infeliciter moviſſet, eâ fuit impudentiâ, ut omnes priores patres pro ſe ſtare affirmaret. Audi ipſum *Auguſt.* de prædeſt. cap. 19. Quid opus eſt ut eorum ſcrutemur opuſcula, qui priuſquam hæreſis illa oriretur, non habuerunt neceſſitatem in hac difficili ad ſolvendum quæſtione verſari, quod proculdubio facerent, ſi reſpondere talibus cogerentur, unde factum ut de gratiâ Dei breviter quibuſdam ſcriptorum ſuorum locis & tranſeunter attingerent, immorarentur verò in iis quæ adverſus alios eccleſiæ inimicos diſputabant. Et de perſeverantiâ cap. 20. Hæc eſt prædeſtinatio quàm poſteà diligentiùs & operoſiùs cùm jam contra *Pelagianos* diſputaremus, defendere neceſſitas compulit, didicimus ſingulas quaſque hæreſes intuliſſe eccleſiæ proprias quæſtiones, contra quas diligentiùs defenderetur ſcriptura divina, quàm ſi nulla neceſſitas cogeret: & quàmvis Patres quatuor priorum ſeculorum expreſſè quæſtiones illas non tractârint, tamen obiter ea docuerunt, quæ ipſos demonſtrant, non magis cum *Pelagio* quàm cum *Ario* ſenſiſſe; ita *Auguſtinus* de hac re inquit, quam nunc adverſus novos hæreticos non commemorare tantum, ſed omninò tueri & defenſare compellimur: nunquam tacuit eccleſia in precibus ſuis, etſi aliquando in ſermonibus exercendam non putaret, ac per hoc prædeſtinationis hujus fidem quæ contra novos hæreticos novâ ſolicitudine nunc defenditur, nunquam eccleſia Chriſti non habuit. Hoc ille probat non multis teſtimoniis; nam diſputatio ex teſtimoniis neque ipſi, neque ulli Patrum placebat, omnes ipſorum probationes ſunt ex Scripturâ, niſi quando vanitas ſuperborum hæreticorum eos ad citationem aliorum Scriptorum adigebat: utcunque doctrinam ſuam probat *Auguſtinus* ex quibuſdam celeberrimorum ante ſe Patrum. Hoc (inquit) ſcio, neminem contra iſtam prædeſtinationem quam ſecundum ſacram Scripturam defendimus, niſi errando diſputare potuiſſe. Puto tamen iis, qui de hac re ſententias tractatorum requirunt ſanctos & in fide & doctrinâ Chriſtianâ laudabiliter defamatos viros *Cyprianum* & *Ambroſium*, quorum tam clara teſtimonia poſuimus, debere ſufficere: ſed his duobus, qui ſufficere debuerunt, ſanctum *Gregorium Nazianzenum* addamus tertium. Fateor *Spalatenſem* imputare *Auguſtino* mendacium, quaſi de iſtis Patribus mentitus eſſet, & ab eorum verbis falſas concluſiones deduxiſſet, quod tu cum *Spalatenſi* vis te jungere in accuſando *Auguſtino* quaſi ignoraret rectas deducere conſequentias aut quaſi ipſi deeſſet ſinceritas, dum priorum Patrum ora torquere vult ad teſtandum pro ſe, cum ipſorum nota mens contra ipſum faceret, vix credo, utcunque præter iſtos tres accuratus ſcrutator multo plures poſſet adducere, ex paucâ meâ valde lectione adducam quatuor aut quinque alios.

Sententia Hieronymi.

Primus ſit *Hieronymus*, qui ad *Auguſtinum* ſcribit, poſtquam doctrinam ſuam contra *Pelagianos* plenè evulgâſſet, quod revereretur ejus judicium & dogmata ejus tueri paratus eſſet, ut ſua, & ab eo poſtulat, ut ſecum vellet pergere *Pelagianos* oppugnare, qui ſimulabant multos emendâſſe ſe errores, eo tantùm fine, ut muneribus ſuis in eccléſiâ fruerentur, unde ejiciendi erant & excommunicandi, niſi

di, niſi errores revocaſſent epiſt. 84. Mihi (inquit) decretum eſt te amare, te ſuſpicere, colere, mirari, tuaque dicta quaſi mea defendere: demus operam ut pernicioſiſſima hæreſis de eccleſiis auferatur, quæ ſemper ſimulat de multis erroribus pœnitentiam, ut docendi in Eccleſiis habeat poteſtatem, ne ſi apertâ ſe luce prodiderit, foràs expulſa moriatur. In primis *Hieronymi* mentem vide de noſtrâ lite in ejus commentario ad cap. 1. epiſt. ad Eph. Non ait *Paulus*, inquit, ante conſtitutionem mundi, cùm eſſemus ſancti & immaculati, ſed elegit nos ut eſſemus ſancti & immaculati, hoc eſt, qui ſancti & immaculati anteà non fuimus, ut poſtea eſſemus: non enim eliguntur *Paulus* & qui ei ſimiles ſunt, quia erant ſancti, ſed eliguntur & prædeſtinantur ut in conſequenti vitâ per opera & virtutes ſancti fiant.

Athanaſii. Secundus eſt *Athanaſius* ſæpe ab *Alvareſio* & aliis citatus in epiſt. ad Eph. cap. 2. 10. Ipſius factura ſumus creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis quæ præordinavit Deus ut in iis ambulemus. Sciens hæc bona præparavit Deus, quæ differri non poterunt, nec prætermitti quin peragantur tanquam divinitùs ſint prædefinita, idque per occultam erga nos providentiam. Ecce divinam prædeſtinationem & præfinitionem antecedentem & cauſantem noſtra bona opera, imò ea producentem cum tam infallibili neceſſitate, ut ea nos non poſſimus omittere. Excipit contra hoc teſtimonium *Voſſius* 1. Malè transferri Latina de Græco textu. Reſp. Non exprimit *Voſſius* quicquam in quo Latinum interpretem taxet. 2. Negat *Voſſius* ſcriptum hoc eſſe *Athanaſii*. Reſp. Negari non poteſt in multis bonis editionibus ſtare inter opera *Athanaſii*. Prætereà ipſe vult verba eſſe *Theophilacti*, qui non levis eſt in eccleſiâ auctoritatis.

Theodoreti. Tertius eſt *Theodoretus* in cap. 1. epiſt. ad Eph. Sic legit exemplar meum Latinum *Florentiæ* editum anno 1512. Ante (inquit) conſtitutionem mundi quæ ad nos pertinebant præſcivit, & præfinivit: docet autem quâ de cauſâ elegerit, ut eſſemus ſancti & immaculati, præſcivit & prædilexit & noſtram dilectionem præconſtituit, ut nos filiorum adoptionis donum perciperemus. *Theodoretus* hîc facit prædeſtinationem non tantùm antecedere ſed cauſare noſtram ſanctificationem, vocationem, & adoptionem.

Areopagitæ & Damaſceni. Pro quarto & quinto cito *Dionyſium Areopagitam* & *Damaſcenum* junctim: ſecundus enim citat priorem in lib. 2. de imaginibus. Sunt (inquit *Damaſcenus*) in Deo imagines & exemplaria rerum, quæ ab ipſo futuræ ſunt; nempe conſilium ejus æternum, quod ſe ſemper habet eodem modo: immutabilis enim eſt Deus. Has imagines & exempla præfinitiones appellat ſanctus ille *Dionyſius*; omnia enim ab illo præfinita, & ſine ullâ commutatione futura in ejus conſilio non aliter omnia bona, omnia Dei opera, inprimis fides, pietas, & perſeverantia, prædeſtinata ſunt immutabiliter in conſilio Dei; à Deo fluunt, idque immutabili præfinitione ſecundum hos auctores.

Si placet litem his terminis concipere quibus ſæpe *Auguſt.* quæſtionem expreſſit, & in quos *Spalatenſis* controverſiam verè recidere concedit, nimirum, utrum gratia Dei ita præveniat operationem humanæ voluntatis, & ſic in voluntate tam ante quam poſt regenerationem operetur, ut gratioſi voluntatis actus, fides ſcil. ſpes, charitas, & alii aſcribendi ſint gratiæ ſoli, ut ſoli efficienti principali, in hac affirmativâ invenies cum *Auguſtino* ſe jungere omnes ſaltem maximo numero Græcos patres. *Voſſius* ſuppeditat copiam teſtimoniorum ex *Juſtino*, *Baſilio*, *Macario*, *Ephremo*, & aliis aſcribentibus omnia gratiæ, imò ex ipſo *Chryſoſtomo*, qui in hoc capite videtur lubricior, & à *Pelagianis* in ſuas partes maximè ſolet attrahi, ſed virum ſanctum à calumniis *Juliani* ſatis vindicat ipſe *Auguſtinus*. Quicquid Græci patres loquuntur de electione dependente. *Voſſius*, te ipſo approbante, exponit de electione ſecundum ordinem executionis abſque ullo præjudicio alterius ipſorum ſententiæ de excelſo & imperſcrutabili Dei decreto circa adminiſtrationem mediorum gratiæ ſecundum æternum ſuum propoſitum.

Reſpondi jam ad omnia, quæ pro tuâ ſententiâ adduxiſti, illique oppoſui ſcripturas, rationes & auctoritates, reſtat, ut epilogum tuum examinem, quo tribus paragraphis perpendis naturam utriuſque aſſertionis. *Voſſius nimus indulgens amicus Sampologianus.* Primò, affirmas *Auguſtini* ſententiam novam, & non neceſſariam. Secundò. Quòd utraque ſententia *Auguſtini* & adverſariorum ſint reconciliabiles. Tertiò. quòd utraque ſit tolerabilis, & neutra materiam ullam juſtam præbeat ſchiſmati. In primo ſic loqueris. Doctrina de abſolutâ prædeſtinatione à probis Theologis æſtimata eſt nova, non neceſſaria, incerta, falſa. *Hilarius* in epiſtola citatâ, ad ſummum fatigatis omnibus ad id proſecutio eorum, vel potiùs querela convertitur, conſentientibus etiam his qui hanc definitionem improbare non audent: quid opus fuit hujuſmodi diſputationis incerto tot minùs intelligentium corda turbare, neque enim minùs utiliter ſine hac definitione ajunt tot annos à tot tractatoribus, tot præcedentibus libris & tuis & aliorum, cùm contra alios tum contra Pelagianos catholicam fidem fuiſſe defenſam; hæc ergo, in quis, ſententia non eſt neceſſaria, & hoc *Proſperum* confirmare verbis ſequentibus, eò poſtremò pervicacia tota deſcendit, ut fidem noſtram ædificationi audientium contrariam eſſe definiant, ac ſic, etiamſi vera ſit, premendam. Item. Plerique non putant Chriſtianam fidem hac diſſenſione violari. Item multi ſervorum Chriſti, qui in *Maſſilienſi* urbe conſiſtunt,

con-

contrarium putant Patrum opinioni, & eccleſiaſtico ſenſui, quicquid de vocatione electorum ſecundum Dei propoſitum diſputâſti. Item. Obſtinationem ſuam vetuſtate defendunt, ut quæ de epiſtolâ Pauli ad Rom. ſcribentis ad manifeſtationem divinæ gratiæ prævenientis electorum merita proferuntur à nullo unquam eccleſiaſticorum ita eſſe intellecta, ut nunc ſentiuntur, affirment. Omnes (inquis) ii qui ita ſenſerunt viri erant probi & docti: non vides ergo cur hodie viris piis & doctis idem ſentire non liceat abſque hæreſeos notâ.

Reſp. Totum hoc deſcripſiſti verbatim ex *Voſſii* hiſtoriâ Pelagianâ lib. 6. theſ. 14. Si tibi libuiſſet adiviſſe fontes, vidiſſes in quàm multis *Voſſius* te fefelliſſet. Primò, bonos illos & doctos viros, quorum ſententiam refers, inveniſſes nequaquam *Hilarium* vel *Proſperum*, ſed tales, quibus uterque hic ſe acriter oppoſuit. Deinde quod omnes iſti *Maſſilienſes* qui in illis epiſtolis introducuntur loqoentes verè fuerint *Semipelagiani*, nulli autem orthodoxi Theologi; dum autem *Voſſius* ad contrariam fidem te vult ducere, loquitur abſque omni teſte, omni ratione. Tertiò. Primarius *Semipelagianorum* error, ut vult *Voſſius*, eſt negatio prævenientis gratiæ, quòd ullus *Maſſilienſium* contradixerit *Auguſtinianæ* definitioni prædeſtinationis, & tamen admiſerit ejus definitionem prævenientis gratiæ, nulla eſt in illis literis aut alio quopiam ſcriptore ſyllaba, quæ probabilitatis umbram præbeat: tantùm in tuo primo teſtimonio affirmat *Voſſius Hilarium* ponere inter *Maſſilienſes* aliquot, qui non audebant hanc definitionem improbare; duo hic concludit, alterum valdè incertum, alterum quod ad rem ejus ſolùm faciebat, valdè falſum. Prius, quod iſti qui improbare oon audebant *Auguſtini* definitionem eam approbaverint, & amplexi ſint: certè licet ipſis deeſſet animus, ut publicè auderent contra eam definitionem diſceptare, apparet tamen neque animo neque verbis eam definitionem ipſos approbâſſe. Poſterius, quòd definitio hæc nullo modo ſit *Auguſtini* concluſio de abſolutâ prædeſtinatione, ſed tantùm ejus determinatio de gratiâ præveniente, quaſi *Maſſilienſes* in uno ceſſiſſent ratioonibus *Auguſtini*, & in altero tantùm ſe ipſi oppoſuiſſent, merum hoc eſt *Voſſii* commentum: nullum enim valet producere diebus *Hilarii* & *Proſperi*, qui non conſentiebat *Auguſtino* in materiâ prædeſtinationis, quin ab eo etiam diſſentiret in capite de præveniente gratiâ, præterquam quòd omnia præcedentia in epiſtolâ *Hilarii* expreſsè velint definitionem illam primò & primariò ſpectare prævenientem gratiam. Quin etiam duæ tuæ citationes proximæ efficiunt perſpicuum bonos illos & doctos viros fuiſſe craſſiſſimos *Semipelagianos*, qui tuebantur merita humana prævenire omnem gratiam divinam.

Quartò falleris in ſenſu & ſcopo molliorum iſtarum de *Semipelagianis* cenſurarum: nihil illi probant de bonitate vel cauſæ, vel perſonarum illorum virorum, ſed tantùm quod aliqua ſpes eſſet ipſorum converſionis: rejecerant enim multa *Pelagianorum* principia & in iis quæ retinebant non videbantur obſtinati, tenebant præcipuos in eccleſiâ locos, multum habebant doctrinæ & pietatis ſpeciem, nec dum ſciri potuit utrum vellent cedere rationi, an in hæreſi obſtinatè perſeverare, ita pro eo tempore benè fuit de iis ſperandum. Sic ſemet ipſum *Proſper* exponit in ſuâ contra *Caſſianum* concluſione, quorum tamen, ait, dum adhuc non ſunt à fraternâ ſocietate diviſi, toleranda eſt magis intentio, quàm deſperanda correctio, donec Dominus per eccleſiæ principes & legitimos judiciorum ſuorum miniſtros, hæc quæ per paucorum ſuperbiam ſunt turbata, componat, nobis erit ſtudium quietâ, modeſtâque patientiâ odiis dilectionem reddere: & tamen oihil obſtante hac charitate, erga iſtos viros non diſſimulat *Hilarius* in ipſâ illâ amicâ epiſtolâ veram ſuam mentem; nam de iis loquitur ut adverſariis veritatis, turbatoribus eccleſiæ, reprehenſoribus iſtorum, quæ non intelligerent, & tam indefatigabiliter contentioſis ſpiritibus, ut nulla ſupereſſet ſpes, antequam auctoritas eos compuliſſet per rationes & argumenta illis perſuadendi veritatem.

Proſper etiam cùm maximè ſobriè loqueretur, dogmata eorum, de quibus *Voſſius* tam molliter & amicè, vocavit pernicioſa, perverſiſſima, infecta tenebris, corruptione, & non pauco veneno: ipſos appellavit ſuperbos, ob quos metuebat, ne *Pelagianus Dæmon* eos ſeduceret. Ita de ipſis ſentiebat *Proſper*, cùm optimè, ſed paulò pòſt cùm penitiùs introſpiciens eorum mores & praxin alloquens *Caſſianum* eorum celeberrimum tam eruditionis, quàm virtutis famâ, audacter affirmat ipſos tantùm pietatis ſpeciem, nequaquam verò pietatis ſenſum habuiſſe; quod eſſent falſi calumniatores, & deceptores hypocritæ, tecti lupi ſub nomine ovium, imò verè viperæ: tales erant quos tibi *Voſſius* perſuaſit fuiſſe bonos & doctos Catholicos.

Omnes reconciliatores Auguſtini cum Semipelagianis infelices.

In penultimâ tuâ ſectione ais; opiniones hæ duæ etſi diverſæ, non ſunt tamen contradictoriæ: hæc enim Catholicorum eſt ſententia; Deus prævidens certos homioes creatos in talibus circumſtantiis congruis futuræ ipſorum vocationi, hos ad ſalutem deſtinavit propter fidem & opera. Auguſtinianorum autem hæc eſt ſenteotia: Deus decrevit homines aliquot collocare in tali ordine circumſtantiarum, in quo certò crederent, perſeverarent & ſalvarentur. Decretum prædeſtinationis conſideratum, ut actus divini intellectûs eſt hypotheticum, ſed idem conſideratum, ut actus divinæ voluntatis decernentis hominem ponere

& ſtabi-

& ſtabilire in tali ordine circumſtantiarum quem prævidit ducturum hominem ad ſalutem, decretum ita conſideratum eſt ſimplex & abſolutum decretum; hoc ſi conſideretur in ordine intentionis ad gloriam ut finem, dici poteſt peremptorium, abſolutum & ſimplex; ſed ſi conſideretur in ordine diſpoſitionis aut executionis in mente divinâ præconceptæ, neceſſariò eſt hypotheticum & conditionale. *Reſp.* Totum hoc habes ex *Voſſii* proximâ Theſi, ubi nos & *Arminianos* conatur reconciliare, doctrinam noſtram faciens tantùm additamentum ad eorum ſententiam quæ abſque contradictione bellè conſiſtunt. Labores ad tollendas controverſias & diſſidentes partes reconciliandas ſemper mihi perplacuerunt, Beati pacifici quia filii Dei vocabuntur; ſed qui hactenus ex Proteſtantibus moliti ſunt noſtram cum Pontificiis & *Arminianis* reconciliationem, ipſorum labores tam fuerunt infructuoſi, & tam infelices, tum ipſis tum Eccleſiæ, ut ipſorum conatus valdè mihi ſemper diſplicuerint, utpote à quibus nullus alius fructus expectari potuit quam læſio divinæ veritatis, diminutio zeli erga eam, novi ſchiſmatis generatio, tertiæ factionis productio, quæ nova dogmata, nova principia commiſcitur ab utraque priori parte meritò rejecta; In controverſiis hiſce præ manibus de gratiâ & prædeſtinatione conatus arbitrorum & mediatorum à quoquam ſolido Theologo nunquam fuit approbatus. Primus qui in hoc genere laboravit, fuit *Caſſianus Semi-Pelagianus*, hic voluit utramque partem errare in quantum condemnarent aut contradicerent alteri, ſed unam veritatem colligebat ex utrâque ſententiâ quæ bellè ſatis cum utrâque conſiſteret, ſi, inquit, utrumque ſequamur, nos nulli errori acquieſcemus. Sed quid *Proſper* ad hunc arbitrum replicabat? Tu, inquit, ſubdis nos duobus, & geminas ſicut intelligis pravitates, dividendo damnas, miſcendo juſtificas, fallit te prorſus opinio tua, de duobus malis unum fieri bonum non poteſt, unam virtutem duo vitia non gignunt, unum verum duo falſa non faciunt, quæ enim paria ſunt meritò non minuuntur coëundo, ſed creſcunt; hæc ſi poſſunt intra unam Eccleſiam prædicari, ut neutra opinio alteri cedat, ſed invicem ſibi utrinque ſuccumbat, poteſt fieri ut recipiamus quod *Pelagiani* tenent, & *Pelagiani* recipiant quod nos tenemus; ſed hoc modo non tam illi Catholici, quàm nos, quod abſit, erimus *Pelagiani*, contrariorum enim permixtio, meliorum defectio eſt, quia cum virtus vitium recipit, non à vitio ſed à virtute diſceditur: nullo igitur modo Chriſtiana corda ſuſcipiunt quod perſuadere conatus es.

Via Caſſiani.

Via Ariba. Nuper in Eccleſiâ Romanâ *Ariba* Hiſpanus Epiſcopus *Minorita* Monachus, ex revelatione & monitu, ut aſſeverabat, virginis *Mariæ*, reconciliare Jeſuitas cum Dominicanis diſſidentes inter ſe in omnibus hiſce quæſtionibus profitebatur, magna myſteria quæ homini cælitus revelabantur ad extinguendum quod tum flammare incipiebat incendium, nihil aliud erant quàm commentum *Caſſiani*, nimirum utramque partem docere verum, ſed in hoc utramque errare quod noluit adverſariorum ſententiam cum ſuâ jungere ad componendam & complendam unam integram veritatem, licet ſingulæ ſententiæ ſolæ ſibi contradicerent & eſſent veri errores. Vir hic poſtquam diu & fusè auditus eſt ſuam mentem exponere, in congregatione doctiſſimorum Romæ Cardinalium quam *Clemens Octavus* convocavit, & per totum quinquennium quotidie fecit convenire ad iſtas controverſias ſopiendas, tandem dimiſſus eſt ut inſaniens ſenecio; nam invenerunt iſti Cardinales non obſtante ſpiſſo *Ariba* ſcripto in contrarium ſententias partium verè contradictorias & irreconciliabiles, ita ut altera neceſſariò condemnanda eſſet erroris.

Tertius qui hæc premit veſtigia eſt *Gerardus Voſſius* in hac quam tu exſcripſiſti Theſi; quæ meo quidem judicio tam longè abeſt à ſoliditate & vero, quam ulla alia in totâ iſtâ hiſtoriâ. Intendit utriuſque partis ſententiam in uno ſyllogiſmo proponere, ſed partium placita recitat nequaquam ſecundum ipſarum mentem; ſcopus ejus eſt tertiam ex duabus elicere quæ vitat omnia incommoda quæ utramque priorem gravabant, ſed tantopere hic *Voſſius* fallitur, ut in ſuam tertiam attrahat omnia illa abſurda quæ à partibus utrinque ſuis adverſariis ſolent objici cum magno incremento. *Via Voſſii.*

Syllogiſmi major eſt hypothetica ejus electio, quæ etſi non ſit plena *Arminianorum* ſententia, tamen tantum ex eâ habet, quod neceſſariò ſecum trahit omnia incommoda, quæ nos ex omnibus eorum quinque Articulis deducimus. Minor, quæ ipſi eſt electio abſoluta, etſi noſtram ſententiam non rectè proponat, habet tamen tantum ex noſtrâ ſententiâ quod Arminianis latam pandit portam producendi omnes objectiones quas afferre ſolent in unâ aut omnibus ſuis nobiſcum controverſiis.

Concluſio & ſyllogiſmi forma quæ ſunt ipſius Voſſii, præter omnia ſuprà dicta, multa alia nova abſurda producunt, oppoſita non tantùm utrique parti diſſidentium, ſed ipſius *Voſſii* in eodem loco doctrinæ. Iſta omnia oſtendere me poſſe confido, ſi proximo congreſſu laborem iſtum à me requiras, impræſentiarum tantùm conſiderabo quæ tibi viſum eſt excerpere ex *Voſſii* Theſi dictâ ejuſque commentario.

Vocas dogma Arminianum ſententiam Catholicam, noſtram verò ſententiam *Auguſtini*; quantum hæc diſcriminatio rationi contraria ſit hactenus dictum. *Oppoſitis via reconciliandi omnium peſſima.*

Te Senten-

Sententiam utramqne proponis, & è multis *Voſſii* modis reconciliandi duos eligis: in tuorum ſententiâ proponendâ multum varias à tuis auctoribus: præſcientia quam nominas eſt abſoluta non hypothetica, eam vocas Dei præſcientiam hominis creati (dicere voluiſti, arbitror, conſtituti) in talibus circumſtantiis quæ vocationi ejus ſunt congruæ, ſed *Voſſius* ita concipit, ſi homines conſtiiuti ſint in talibus circumſtantiis, tunc prævidebo &c. hæc ejus præſcientia eſt ſcientia media poſſibilium conditionatorum, ſed tua eſt præſcientia viſionis futurorum abſolutorum.

Deinde, in Catholicorum tuorum ſententiâ nullum decretum das Deo de donatione ullius gratiæ; dicis Deum præſcire hominem conſtitutum in circumſtantiis ſuæ vocationi congruis, & decretum Dei refers ad ſolam ſalutem propter fidem, ſed nullum de ipſâ fide decretum nominas: in hoc videris conſona ſociis loqui, nam licet aliquando Remonſtrantes loquantur de electione ad gratiam, tamen ubi hanc phraſin explicent non invenio, ut arbitror, electionem hanc ad gratiam nullum faciunt decretum, ſed tantùm partem communis Dei providentiæ quâ adminiſtrat media gratiæ omnibus hominibus ſufficienter, efficienter verò & efficaciter nullis: ſed decretum ad candem fidem, charitatem, aut illam gratiam, ipſos arbitror nullum docere.

Tertiò videris locare fidem & opera poſt decretum ſalutis, & huic decreto præponis tantùm poſitionem hominum in circumſtantiis congruis vocationi; ſi verò in hujus ſententiæ explicatione vis fidem & opera antecedere ipſum decretum, qui ſcopus fuit univerſæ tuæ diſputationis, tum opera hæc & fides non tantùm antecedent decretum, ſed etiam cauſas ob quas, ut loqneris, decretum factum fuit. Magna Catholicorum tuorum pars, certè *Molina* & *Spalatenſis* multis verbis negabunt hanc ſuam eſſe mentem. Ita incommodè tuam, tnorumque ſententiam propoſuiſti, ſed noſtram adhuc incommodiùs, nam nos facis in noſtro decreto electionis ſalutem ponere loco ultimo, & tamen in decreto primum locum ſaluti nos adſcribimus. Deinde nos facis aſſerere omnem actum Dei in iſto decreto eſſe tantùm de ponendis hominibus in circumſtantiis congruis quibus aſſentiuntur, credunt, & ſalvantur, itaque nullum facis decretum de eorum fide, perſeverantiâ, aut ſalute, ſed tantùm de locatione in talibus circumſtantiis, quibus cum ex ſuo libero arbitrio aſſenſi fuerint, ſequuntur fides, perſeverantia, & ſalus. *Voſſii* hæc eſt manifeſta corruptio ſententiæ eorum qui electionem independentem defendunt, certè eorum nemo præcipuum divini decreti actum vel efficacem operationẽ gratiæ ponit in collocatione hominum in talibus circumſtantiis quibus credent: putidus eſt hic error, quem omnes deteſtantur. Ponunt illi efficaciam gratiæ neque in circumſtantiis congruis, neque in aſſenſu voluntatis vocationi in iſtis circumſtantiis, ſed in operatione Spiritûs S. ſuperantis improbam voluntatem, & eam à diſſenſu abſtrahentis inſuperabiliter in medio quarumvis circumſtantiarum utlibet incongruarum vocationi. Prætereà primum decreti objectum faciunt donum ſalutis, & ſecundum donum fidei ac perſeverantiæ, locationem autem hominum in ullis circumſtantiis nolunt ullam decreti partem niſi per longinquas ſatis conſequentias.

Sed dato, rectè te propoſuiſſe ſententias partium, & quòd iſtæ paratæ eſſent tuas illas propoſitiones pro vero ſuo ſenſu agnoſcere, tamen in tuis verbis tam palpabiles ſunt contradictiones, ut non poſſint reconciliari. Nam ſecunda tua propoſitio facit Deum decernere bomines locare in talibus circumſtantiis in quibus certiſſimè credent & ſalvabuntur. Prima verò propoſitio omne tale decretum repudiat. Deinde prima vult decretum de ſalute pendêre à fide & operibus, ut veris cauſis antecedentibus ipſum decretum: ſecunda autem errorem bunc rejicit, ut purum putum *Pelagianiſmum*.

Primus quem proponis modus iſta reconciliandi in multis eſt vitioſus. Loco fundamenti primò affirmas, quòd, ſicut divina præſcientia actus eſt divini intellectûs, ita decretum ſit actus voluntatis. Huic aſſertioni contradicunt penè omnes tui Catholici, qui ipſum decretum volunt actum ſolius intellectûs. Sed hoc omiſſo, quî conſiſtit ſecum ſecundum tuum fundamentum? Decretum prædeſtinationis vis bypotheticum, cùm conſideratur nt actus divini intellectûs, ſed abſolutum cùm conſideratur ut actus divinæ voluntatis. An non jamjam affirmâſti omne decretum eſſe actum voluntatis, ita ut conſiderare decretum ut actum ſolius intellectûs ſit id conſiderare ut nullum decretum, cum decretum eſſe, & non eſſe actnm voluntatis, tibi ſint repugnantia. Et certè in primâ tuâ propoſitione videris facere nullum decretum, ſed tantùm actum divini intellectûs præſcientem homines in tali ſtatu conſiſtentes in quo ſalvabuntur, ſed abſque omni decreto. Prætereà vis prædeſtinationem, cum refertur ad actum divinæ voluntatis, eſſe abſolutam. Num actus divinæ voluntatis formalis ratio eſt cur prædeſtinatio ſit abſoluta? (bæc quidem tna videtur eſſe mens) tum ſequetur prædeſtinationem hanc, quandocunque conſideratur ut decretum, quod tibi ſemper eſt actus divinæ voluntatis, neceſſariò ſemper eſſe abſolutam; nam decretum eſt genus electionis quod ab eâ non poteſt abſtrahi, qnum pars ſit eſſentiæ inſeparabilis, bomo non animal, eſt homo non homo, Prædeſtinatio non-decretum, vel non actus voluntatis, eſt prædeſtinatio non

præde-

prædeſtinatio: ita ſecundum hanc tuam hypotheſin, prædeſtinatio ſemper erit abſoluta, nunquam hypothetica; ſemper erit actus voluntatis, nunquam intellectûs. Si verò velis rationem, cur prædeſtinatio ſit abſoluta ponere non ſimpliciter in actu divinæ voluntatis, ſed voluntatis Dei hominem conſtituendi in tali ordine circumſtantiarum, qnem prævidit ducturum eos ad ſalutem: Cur autem hujuſmodi voluntatis vocas abſolutum & negas hypotheticum? Annon pendet à multis ſuppoſitionibus? Supponit primò, homines conſtitutos in illis circumſtantiis, deinde homines credentes & perſeverantes, cum in illis circumſtantiis locantur. Tertiò, poſt fidem & perſeverantiam ſupponis ſalutem. Quartò, ſupponis divinam omnium iſtorum præſcientiam. Decretum tot conditiones ſupponens valdè eſt hypotheticum.

Sed his etiam omiſſis quomodò reconcilias diſſendentes partes? An in utrâque ſententiâ unum tantùm eſt decretum diverſimodè conſideratum, ſcilicet ut actus divini intellectûs, & ut actus divinæ voluntatis? Certè etiam ſic non erit decretum unum, niſi in vocibus generalibus & æquivocis, quæ non faciunt ullam realem identitatem. Primam ſententiam facere actum ſolius intellectûs abſque omni decreto, eſſet ſociorum tuorum mentem efficere abſurdiorem quàm reverà eſt: ſecundum ponere in actu ſolius voluntatis, eſſet à ſententiâ adverſariorum tuorum abſtrahere eſſentialem differentiam, quâ ipſi ſe à *Pelagianis* diſcriminant. Ut cum *Pelagio* jungerent manus, velles ipſos omnes ſuas contrarias diſputationes abolere: profectò hæc eſt compendioſiſſima, & optima reconciliandi via, perſuadere ſcilicet alteri partium, ut cedat lite & contradictionibus ſuis ſilentium imponat: ubi contentionis cauſa evanuit, ibi pax ſit neceſſe eſt. Verumenimverò non hîc tam faciles invenies *Pelagis* adverſarios, ut in ejus gratiam vel negare, vel diſſimulare velint, divinum decretum ſnis electis dandi fidem & perſeverantiam, tam efficaci & omnipotenti operatione ſpiritûs quæ ſemper ſuperavit, & ſemper ſuperabit omnem reſiſtentiam, quam bumana voluntas ei unquam oppoſuit, aut unquam opponet.

Diſtinctio tua altera mihi placet, & vellem ei firmiter adhæreres. Nihil quidem facit ad *Voſſii* tuumque propoſitum reconciliandi duas illas ſententias, ſed non eſt inepta ad eum finem ob quem *Alvares* & *Bellarminus Voſſii* auctores eam adducunt. Si illi vis adhærere, ſolvet omnes locos Patrum, qui contra *Auguſtinum* adduci ſolent. Cùm in decreto electionis ponitur fides & perſeverantia ante ſalutem, diſtinctio hæc oſtendet electionem tum non ſumi propriè prout decreta accipi ſolent, & hoc decretum in ſcripturis ſumitur pro Dei propoſito & intentione ſuæ gloriæ in ſalute electorum obtinendâ per gratiam, quæ operatur fidem & perſeverantiam, ſed impropriè, prout ſignificat temporalem executionem iſtius decreti, vel æternam diſpoſitionem iſtius executionis in mente Dei, ubi idem ordo concipitur, qui poſteà ſervatur in temporali executione, dato Dei gloriæ & ſaluti hominum ultimo loco; fidei verò, reſipiſcentiæ, & omnibus aliis actibus gratiæ loco priori, eodem prorſus ordine, qui in eorum productione in hac vitâ obſervatur ſine ullâ variatione. Conſideratio hæc multum facit ad lenienda & excuſanda (ut *Voſſius* loquitur) horridiora dicta Patrum, ſed omnino nihil ad reconciliandas controverſias: non enim contendunt noſtri de improprio & ambiguo vocis *electionis* uſu in aliquibus ſcriptis Patrum contra proprium & uſitatum ejus ſenſum in ſacrâ Scripturâ: neque negant ordinem dictum ſeu in temporali executione decreti, ſeu in æternâ diſpoſitione illius executionis in Dei præſcientiâ. Iſta non ſunt controverſa, ſed lis omnis eſt de propriis actibus divini decreti, num in ipſius intentione ſua gloria & noſtra ſalus ſint prima; gratia autem, fideſque noſtra, & perſeverantia ſint poſteriora. Imò verò ordinem hanc divinæ intentionis nos non tam controvertimus, quàm actus ipſos divini decreti; nam non tantùm nobis negant adverſarii ordinem hunc intentionis diſtinctum ab ordine executionis, quem tu cum *Voſſio* concedere videris; ſed etiam negant ullum eſſe divinum decretum de dandâ fide vel perſeverantiâ homini cuicunque, ſolùm autem aſſerunt adminiſtrationem communis providentiæ, quâ prædicatur verbum, & perſuaſiones proponuntur voluntati, de quibus hæc ſemper ſtatuit pro libitu, & ſæpe rejicit media potentiſſima, & quæ Deus intendit, ut eſſent efficaciſſima ad producendam fidem & ſalutem, nullumque peragi decretum electionis, priuſquam prævideatur voluntas aſſenſiſſe, & in aſſenſu conſtanter perſeverâſſe. De iſtis contendunt abſque ullâ concordiæ ſpe, antequam alteram contradictionis partem pars altera relinquat.

Arminiani & Lutherani & Spalatenſis volunt, diſſidium de electione juſtam eſſe cauſam ſeparationis.

Paragrapho tuo ultimo redis ad *Spalatenſem*, & cum eo concludis quæſtionem hanc magis eſſe ſpeculativam, metaphyſicam & Scholaſticam, quàm realem, moralem & practicam, nullamque materiam ſchiſmatis aut ſeparationis rem ipſam ſecum ferre: nam non obſtantibus hiſce diſſidiis Chriſtianos ſervare poſſe ac debere unitatem ſpiritûs in vinculo pacis. *Reſp.* Si aliter ſcripſiſſes, nequaquam tibi conſtitiſſes, neque tuis prioribus principiis conſentanea loquutus fuiſſes; nam hactenus profeſſus es cum boc Auctore, res majoris momenti nullam præbere canſam ſeparationi. Hoc ſtatuiſti de omnibus controverſiis, quæ Proteſtantibus cum Pontificiis intercedunt abſque ullâ exceptione, imò charitatem iſtam *Spalatenſis* extendiſti longè ultra ipſius mentem, cum Remonſtrantibus Apo-

 logi-

logiſtis ponia inter quæſtionea, quæ nullum debent facere ſchiſma. Omnia placita *Vorſtii*, omnia *Socini*, *Arii*, *Neſtorii*, *Eutychis*; omnia iſta dogmata, quæ vulgò tam à Proteſtantibus quàm Pontificiis cenſentur damnabiles hæreſes, vis eſſe tam innoxias opiniones, ut bellè conſiſtant cum fide, pietate & ſalute eorum, qui iſtas amplectuntur, neque iſtas vis rumpere debere pacem & unitatem cum diſſentiente quoquam. Num tua hæc dictata ſint ſecundum veritatem, non eſt hîc diſputandi locus: tantùm in præſentiâ meminiſſe te velim, longè aliam fere omnium tuorum amicorum mentem eſſe de quæſtionibus nobis jam præ manibus. Lutherani à multis annis noſtram de prædeſtinatione doctrinam, primariam ſuæ à nobis ſeparationis cauſam fecêre, imò majorem cauſam, quàm noſtra de ſacramentis dogmata. Pronunciârunt Remonſtrantes quæſtionem de prædeſtinatione tam eſſe realem, moralem & practicam, noſtramque in eâ doctrinam tam eſſe fidei & bonis moribus contrariam, ut, quamvis cum *Socinianis Antitrinitariis* ſe univerint, nobiſcum tamen, & cum ſequacibus diabolicæ iſtius *Synodi Dordracenæ* cum bonâ conſcientiâ jungere ſe non poſſint. Ipſe tuus *Spalatenſis* citò diſceſſit ab illo ſuo dogmate, quod hîc tuæ aſſertionis eſt fundamentum: ejus enim palinodia in conſilio reditûs edita, puto, fuit ante ſeptimum de Republicâ librum, unde tua hîc hauris: in eâ autem ſuâ palinodiâ noſtram de prædeſtinatione doctrinam condemnat, ut evidentem hæreſin, omneſque pronunciat hæreticos, qui communionem colunt cum illo, qui noſtram doctrinam tuentur.

Arminianorum & Ieſuitarum profeſſio ſubmiſſionis eccleſiæ eſt ſubdola.

Præthereà, ais, paratum te tuum judicium ſuſpendere de utrâque quæſtionis parte, imò eâ, quæ tibi ipſi probabiliſſima videtur, ſi eccleſiæ & ſcholæ magnæ *Britanniæ* contra tuum judicium determinarent. Reſp. Si hoc præſtiteris promiſſum, longè antecedea amicos in obedientiâ eccleſiæ. *Arminiani* quamdiu ſpem habebant *Generales Ordines* ad ſuam ſententiam adducere, nihil aliud in ore & ſcriptis ferebant, quam abſolutam obedientiam magiſtratui, ſed ut hæc ſpea decollavit, & ſtatus civilis ac eccleſiaſticus in celebri illâ *Synodo Dordracenâ* eorum ſententiam condemnâſſet, quæ ipſorum magiſtratui obedientia fuerit, novit orbis. Jeſuitæ ſummam ſuam hodie crepant erga eccleſiam, imò quælibet Papæ decreta reverentiam, nihilominùs tamen firmum ipſorum propoſitum adhærendi tuæ de prædeſtinatione ſententiæ, non obſtante quovis decreto eccleſiæ aut Papæ in oppoſitum, in hunc diem Papam deterruit, ne ſententiam ullam in iſtâ cauſâ ferre auderet, licet importunitate maximâ ſæpè premeretur à multis, ut ſuam mentem eloqui dignaretur.

Eccleſiæ Romanæ declaratio pro veritate doctrinæ *Auguſtini* in omnibus noſtris quæſtionibus, ſolicitante *Proſpero*, tam clara olim & notoria emanavit, quàm quiſquam poſſet deſiderare. Tale etiam fuit judicium eccleſiæ *Hollandicæ* in publicâ ſuâ confeſſione: ſed adverſariis nihil eſt liquidum, lux clariſſima eſt obſcura. Judicium eccleſiarum *Britannicarum* in hac cauſâ mihi videtur liquidiſſimum. Confeſſio Anglicana art. 17. profitetur talem electionem, cujus objectum eſt non homo credens & perſeverans, ſed homo jacens ſub maledictione & miſeriâ peccati: hujuſmodi electionem, cujus fructus eſt vocatio ſecundum propoſitum, & obedientia huic vocationi, vel fides, juſtificatio, adoptio, ambulatio in pietate & bonis operibus, denique talem electionem, de quâ homines in hac vitâ tam ſunt certi, ut inde fluat dulcis & ineffabilis conſolatio. Confeſſio *Scoticana* ejuſmodi electionem docet art. 8. cujus cauſa eſt ſola Dei gratia & miſericordia, cujus effectum eſt donatio Chriſti nobis in mediatorem & caput, ac donatio fidei, ut credamus in ipſum ut noſtrum ſalvatorem; quæ fidès eſt Dei donum electis proprium, diſſimile creationi, & aliis donis communis providentiæ, quæ etiam reprobis ſunt communia. Articulo quoque 11. docemur, quòd omnia bona opera & fides proveniant à ſpiritu dato electis, & quòd iſtorum liberum arbitrium non ſit cauſa. Niſi iſtæ ſatis claræ ſint declarationes de electione ad ſalutem non ex fide & operibus, ſed ex gratiâ ſolâ ad fidem & opera, mea quidem eſt ſententia, licet articuli *Lambethani*, aut articuli *Hibernici*, vel *Knoxii* theſes de prædeſtinatione, vel etiam ipſi canonea *Dordraceni* ſtatuerentur in Concilio *Britannico*: nihilominus adverſarios objicere ſemper velle obſcuritatem, ambiguitatem, præjudicia & alia, quæ ipſos permitterent ſuo frui ſenſu, nihil obſtantibus contrariis Synodi cujuſcunque decretis.

Anglicana & Scoticana confeſſionis in hoc articulo claritas.

Nunquam voluit Auguſtinus Semipelagianos tolerari.

Tu ſic pergis. In hoc, inquis, ut in aliis problematicis, debere eſſe mutuam tolerantiam. Hoc *Auguſtini* deſiderium fuit, ut, ſiquis non intelligeret obſcuram ſuam de abſoluta prædeſtinatione ſententiam, frui permitteretur ſuo judicio in pace, de gratiâ & libero arbit. cap. 1. Nunciatum eſt mihi de vobis, fratres, ab aliquibus, qui in veſtrâ congregatione ſunt, & ad nos inde venerunt, per quos & iſta direximus, quòd de hac re diſſenſiones in vobis ſint: itaque, dilectiſſimi, ne vos perturbet quæſtionis hujus obſcuritas, moneo vos primùm, ut de iis, quæ intelligitis, agatis Deo gratias: quicquid eſt autem quo pervenire non poteſt mentis veſtræ intentio, pacem inter vos & charitatem ſervantes, à Domino, ut intelligatis, orate &c. Cum, inquis, debet turbari pax eccleſiæ, cùm utraque ſententia ſit tolerabilis, & acutiſſimus hic Theologus fateatur doctrinam ſuam de abſolutâ prædeſtinatione eſſe obſcuriſſimam, & diver-

ſam

ſam doctrinam multò faciliorem & planiorem? Reſp. Miſeret ita te à *Spalatenſi* deceptum, eo quòd neglexeris citationes ejus in fontibus inſpicere. En duplicem hic ejus fallaciam. Primò, vult te credere obſcuram, de quâ ibi loquitur *Auguſtinus*, quæſtionem eſſe de prædeſtinatione; nihil minùs eſt verum; nam eo loci nulla eſt de prædeſtinatione ſyllaba, imò in toto illo libro parum admodum de hac materiâ videre eſt. Obſcura, de quâ ibi loquitur, quæſtio eſt de concordiâ gratiæ cum libero arbitrio, quomodò non obſtantibus omnibus Sp. Sancti operationibus in animâ voluntas tamen libera maneat, tam in actibus bonis quàm malis. Si libri titulus non perſuadeat, qui eſt de gratiâ & libero arbitrio, non autem de prædeſtinatione & gratiâ, ipſius *Auguſtini* commentarius omne dubium removebit. In epiſtolis ſuis iſti libro ſubjectis, quem ad *Valentinum* Monachorum illorum Abbatem ſcribit, exponit quænam fuerit difficilis illa quæſtio, de quâ loquebatur. Forte (inquit ipſe) non intelligitur, quando difficillimam & paucis intelligibilem quæſtionem enodare conatur, ipſa eſt quæſtio de gratia, quæ fecit, ut homines non intelligentes putarent Apoſtolum Paulum dicere, *faciamus mala, ut eveniant bona*. Et iterum. De quâ difficillima quæſtione, hoc eſt, de voluntate & gratiâ &c. Et licet quæſtionem de prædeſtinatione vocâſſet difficillimam, nihil in eo fuiſſet incommodi, cùm in eâ quæſtione Apoſtolus exclamaverit *ô profunda!* Facilitas, quam in tuâ de prædeſtinatione ſententiâ profiteris, eam reddit ſuſpectam, quod non ſit Apoſtoli prædeſtinatio, quam is tam profundam invenit: utcunque nihil eo loci de prædeſtinatione: & *Spalatenſis*, qui tibi perſuaſit contrarium, agit impoſtorem.

Verum ſecunda ejus fallacia multò eſt pejor priori, dum *Auguſtinus* de illis Monachis loquens, qui omnia non intelligebant, quæ ipſe de gratiâ & libero arbitrio ſcripſerat, eos orat, ut, quæ intellexerunt, firmiter tenerent, & quæ nondum intelligebant, peterent à Deo lucem ad iſta etiam intelligenda, interea dum quædam ſuarum rationum non caperent, & pro luce in illis Deum precarentur; optabat à cæteris, qui omnia intelligebant, ne alios rejicerent, ſed amorem & pacem cum iis colerent, non obſtante eorum ruditate, per quam initio non caperent omnia, quæ acutiores ſtatim acceperant; ex hoc diſcurſu concludere te docet *Spalatenſis*, quòd *Auguſtinus* iſtis concederet plenam libertatem contradicere ſuæ theſi, & hanc contradictionem perpetuò defendere, imò & hominibus quibuſcunque concedat ſuam in his quæſtionibus ſententiam oppugnare, idque in perpetuum, & qui hoc facerent velit tolerari, & cum iis charitatem & pacem coli. Hujuſmodi concluſiones procul erant ab *Auguſtini* mente: is enim omneſque ejus ſeculo ac ſemper poſteà Orthodoxi omnem *Pelagianorum* tolerationem denegabant; eos enim ab eccleſiâ excommunicandos, & imperio Romano ejiciendos docebant. Quòd hæc *Auguſtini* mens & illius ſeculi praxis fuerit, ſi dubites, multis teſtimoniis probare poſſum. Jam autem qui in quæſtione illâ, quam vocat difficilem, *Auguſtino* ſe opponebant, quòd non alii fuerint quàm *Pelagiani*, clarum eſt; nam præterquam quòd tum temporis nomen *Maſſilienſium* & *Semipelagianorum* nondum fuerit auditum, obſcura, quam ibi diſcutit, quæſtio eſt, num actus liberi arbitrii mereantur gratiam: affirmativa eſt præcipuus *Pelagii* error, cùm maximè deviaret à vero, & qui pro parte ibi affirmante ſtabant, vocat expreſsè homines vaniſſimos & perverſiſſimos, non defenſores, ſed inflatores & præcipitatores liberi arbitrii: quod longè aberat à bonis illis Monachis, qui nihil contra *Auguſtinum* affirmabant, qui de ejus ſententiâ & concluſione nihil dubitabant, tantùm partem aliquam ejus argumentorum non percipiebant, quæ ut perciperent orabant Deum, & ab eo hanc gratiam mox ſunt conſequuti: omnes enim, ut ipſis proximâ epiſtolâ *Auguſtinus* congratulatur, viſo ſequenti ejus libro, plenè ſibi ſatisfactum profeſſi ſunt.

Quòd ad *Auguſtinum*, & cæteros ſui ſeculi Patres, ſi eorum mentem ſcire deſideras de errore in capite prædeſtinationis, perpende tres hoſce locos: primum ad Quodvultdeum hæreſi 88. Dei (inquit) gratiæ, quâ prædeſtinati ſumus in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum, & quâ eruimur de poteſtate tenebrarum & transferimur in regnum ejus, propter quod ait, *Nemo venit ad me niſi fuerit datum ei à Patre meo*, in tantum inimici ſunt, ut ſine hac poſſe credant &c. Primum & primarium *Pelagii* errorem hîc facit ejus inimicitiam gratiæ prædeſtinationis, & ejus negationem primæ & maximæ Dei erga nos miſericordiæ in noſtrâ electione à quâ pendent & fluunt omnes poſteriores gratiæ adoptionis, vocationis, fidei, juſtificationis, ſanctificationis & perſeverantiæ.

Non eſt firmum *Voſſii* argumentum, eo quòd *Auguſt.* in primis ſuis cum *Pelagianis* diſputationibus eos præcipuè oppugnaret in erroribus de Originali peccato & Libero arbitrio, quæſtio verò de prædeſtinatione tunc eſſet adventitia, non verò primarius controverſiæ ſtatus, quòd hinc ſequatur, quæſtionem de prædeſtinatione eodem loco ſemper habendam eſſe, non eſt ſolidum: nam multoties iſtæ quæſtiones, quæ litis initio ſunt tantùm accidentariæ, & obiter incidunt, poſteà evadunt controverſiæ principales, aut inter maximè præcipuas. Noſti, quæ hodie cum Pontificiis diſputamus de Scripturis & Eccleſiâ, quantacunque volumina de hiſce jam ſcripta ſint, tamen initio tantùm per accidens, obiter *Fallacia etiam Voſſii.*

ter & ex occaſione aliarum litium in quæſtionem vocata ſunt. Certè *Auguſtinus* tandem errorem *Pelagii* de prædeſtinatione primarium totius ejus hæreſeos fundamentum conſtituit, & tamen in capite de prædeſtinatione nunquam proceſſit *Pelagius* ultra tuam tuorumque auctorum ſententiam. Poſterioribus quidem libris docebat electionem tantùm ex fide, ut anteà diximus ex ejus commentario in epiſtolam ad Romanos: quod ſi probari poteſt docuiſſe eum electionem ex operibus & meritis, quod tui auctores fecerunt, tum neque ille, neque quiſquam alius mortalium pejora unquam in hoc articulo docuit ſecundum omnium doctorum ſententiam.

Alterum *Auguſtini* locum vide in epiſtolâ ad *Sixtum*, cùm à variis Synodis *Pelagius* damnatus fuiſſet, Romæ tamen multos habebat ſequaces: hi trium erant generum; primi eo flagrabant erga *Pelagii* dogmata zelo, ut ea publicè defenderent; alii cautiores in publico ſilebant, ſed privatim, quantum poterant, ejus cauſam promovebant; alii denique metu cenſurarum eccleſiæ tam publicè quam privatim ſilebant, non tamen animitùs ejus hæretica dogmata rejiciebant. Primos *Auguſtinus* exiſtimabat meritò damnatos, & incitabat ad omnem contra eos ſeveritatem; ſecundos volebat inquiri & compeſci; tertios exiſtimabat verſari in periculo damnationis, adeoque inſtruendos accuratè, ne erroribus iſtis, quos tu tam leviter æſtimas, in æternum perirent. Sunt (inquit) quidam juſtiſſimè damnati, qui has impietates adhuc liberiùs defendendas putant: ſunt qui occultiùs penetrant domos, &c, quod in aperto clamare metuunt, in ſecreto ſeminare non quieſcunt: ſunt qui omnino ſiluerunt, ut magno timore compreſſi, quod corde retinent, ore profiteri non audeant; proinde alii ſeveriùs coërcendi, alii vigilantiùs inveſtigandi, alii tractandi quidem leniùs, ſed non ſegniter ſunt docendi, ut, ſi non timent, ne perdant; non tamen negligantur, ne pereant.

Proſper & Fulgentius contra tolerantiam Semipelagianorum.

Proſperi vix alia eſt etiam de *Semipelagianis* ſententia ab ipſorum de prædeſtinatione errorem, etſi *Voſſius* iſtos velit nunquam habitos pro hæreticis, imò in doctrinâ ipſorum de prædeſtinatione nunquam reputatos heterodoxos. Vide *Proſperum* adverſus *Caſſianum Semipelagianorum* optimum in omni virtute, in primis in retractatione exceſſuum à ſociis in gratiâ præveniente: nihilominus ob errores, quos ipſe tenebat cum appellat tam proſâ quam verſu, viperam in damnationis periculo, quòd auſus fuiſſet taxare doctrinam reverendi ſenis *Auguſtini*, qui baſiliſcorum *Pelagianorum* capita conculcaverat. Ita *Caſſianum* monet:

In quoſcunque ſinus ſpirarum torqueat orbes,
Et fallax multâ contegat arte caput:
Currentem attritos ſuper aſpidas & baſiliſcos,
Declinare ſenem vipera non poterit.

Etiam ſic.

Dumque doces quantum valeat mens libera, monſtras,
Velle tuum tibimet ſufficere, ut pereas.

De periculo errorum ejus ſic pergit. Huic (inquit) ſententiæ poteſt præbere conſenſum, qui ſe à Chriſto non vult eſſe ſalvatum, in primis in quæſtione noſtrâ, cujus (inquit) prædeſtinationis quiſquis eſt impugnator apertiſſimus eſt *Pelagianæ* elationis adjutor. Et paulò ſuprà. Verè (inquit) qui iſta ſentiunt, fidem non acceperunt, aut quam acceperant, perdiderunt, ſequendo vaniſſimam *Pelagianorum* ſuperbiam.

Miror *Voſſium* audere adducere Proſperum, ut eximantur *Semipelagiani* ex catalogo hæreticorum; nam eum legere eſt ſuadentem Epiſcopo Romano, ut curaret iſtos iiſdem excommunicationis & exilii legibus ſubjacere, quibus *Pelagiani* premebantur, certificans, ſi tolerarentur & permitterentur in pace ullam vel minimam hæreſeos *Pelagianæ* partem, nedum ejuſdem dimidium retinere, renovaturos ipſos totum iſtius lernæ chaos. Notum eſt (inquit) ita ſe falſitatis iſtius habere verſutias, ut ſi iis liceat prætextæ correctionis imagine aliquod ſibi faventium radicis ſuæ germen excipere, totam ſe poſſe in exiguâ ſui parte reparare: ubi enim non aliud habet ſumma quam portio, non eſt devotionis dediſſe prope totum, ſed fraudis retinuiſſe vel minimum, quod ne hypocritarum obtineatur inſidiis, confidimus, quòd, ſicut illi lupos abegêre manifeſtos, ita hic depellat occultos. Et idem *Proſper* ad *Ruffinum*. Prædeſtinationem nemo Catholicus negat, eam prædeſtinationem intelligebat, quam ipſe poſt *Auguſtinum* docebat: aliàs prædeſtinationem ad gloriam ex operibus nullus hæreticus unquam vocavit in dubium. Denique ſic loquitur *Proſper*, prædeſtinationem tam impium eſt negare, quàm ipſi gratiæ contraire.

Iſta non fuerunt in *Auguſtino* & *Proſpero* ſingularia. Fulgentius eâdem vadit viâ. Cujus (inquit) prædeſtinationis veritatem ſiquis detrectat, cordis credulitate recipere vel oris confeſſione proferre, ſi ante ultimum diem vitæ præſentis, impietatis contumaciam, quâ Deo vivo & vero rebellis exiſtit, non abjecerit, manifeſtum eſt, eum non pertinere ad eorum numerum, quos Deus in Chriſto ante mundi conſtitutionem gratis elegit, & prædeſtinavit ad regnum.

Idem *Fulgentius*, vel, ut vult *Spalatenſis*, *Auguſtinus* de fide ad *Petrum* cap. 39. ponit doctrinam prædeſtinationis, prout ipſe eam expoſuerat, inter dogmata fidei. Firmiſſimè (inquit) crede & nullatenus dubita prædeſtinationem, quæ eſt præparatio &c. Auctor Hypognoſtici lib. 6. cap. ult. Prædeſtinationem (inquit) negare, quam apud Deum eſſe breviter probavimus, immanis blaſphemia eſt.

Nequa-

Nequaquam ergo quæſtio de prædeſtinatione à Patribus eo loco eſt habita, quo tibi *Voſſius* & *Spalatenſis* vellent perſuadere.

Arminiani ſunt immemores gratiæ Dei.

In clauſulâ aſſeris utramque partem concordem in articulo principali, quòd per Dei gratiam ad gloriam & felicitatem adducimur, abſque cujus gratiâ non poſſumus ſalvari, quòd ex nobis ipſis quatenus ex nobis ipſis nequimus cogitare bonum cogitatum, quòd cùm fecerimus omnia quæ facere poſſumus, inutiles ſervi ſumus. Primarius hic eſt in hac quæſtione articulus in publicis concionibus & privatis colloquiis tractandus, ſed aliæ miſeræ diſputationes ſunt vanæ, excitatæ à Diabolo ad turbandam Eccleſiæ pacem. *Reſp.* Fateor utramque partem in materiâ gratiæ concordem, ſed non aliter quàm *Auguſtinus* & *Pelagius* in eâdem materiâ gratiæ concordabant, nimirum in verbis generalibus, & ambiguis; ſed cùm ventum eſſet ad verborum ſenſum, procul abfuit omnis concordia. Niſi jam præcedente labore fatigarer, oſtenderem quouſque tui amici cum *Pelagio* tam in verbis quam ſenſu inimicos ſe gratiæ Dei oſtenderent, ſed iſto labore in præſentiâ ſuperſedebo: tantum nunc affirmo epiſtolam hanc tuam demonſtrare ipſos omnino denegare eam gratiam quam ipſorum adverſarii arbitrantur primam & primariam, & aliarum omnium fontem & fundamentum, nimirum Dei æternam electionem ad fidem & perſeverantiam: quinetiam tute attuliſti argumenta & teſtimonia ad probandam non tantùm noſtram ſalutem, ſed etiam Dei circa ipſam decretum eſſe ex operibus, quod, ſi Paulo credis, eſt negare iſta eſſe ex gratiâ, & facere ut gratia non ſit gratia. Teſtimonia etiam attuliſti ut probares nos mereri non tantùm gloriam, ſed etiam electionem ad gloriam, utcunque nos inutiles ſervos appelles.

Qui ſunt auctores ſchiſmatum.

Confiteor Satanam diſputationes haſce ſemper in Eccleſiam ſubintroduxiſſe, ut omnes alios errores & ſchiſmata, ſed quos hîc affirmabimus Satanæ inſtrumentà? Eccleſia vivebat in pace, & haſce quæſtiones ignorabat donec *Pelagius* ſuum in agro Domini lolium ſeminâſſet. Num *Auguſtinus* homo erat contentioſus & inſtrumentum Satanæ ob ſuam in hoc lolio eradicando diligentiam? in *Hollandiâ* nulla erat de hac re controverſia, donec *Arminius Lugduni* à *Leſſio Lovanii*, & aliis Jeſuitis ſua dogmata mutuâſſet, & antequam *Montacutius* de heterodoxis ſuis ſcriptis appellâſſet Cæſarem, in Angliâ nullus in hac controverſiâ motus fuit: & adhuc in Eccleſiâ noſtrâ *Scoticanâ* de hiſce litibus pax eſt, niſi in quantum nuper unus aut alter ſummâ temeritate ſuum diſſenſum à receptâ doctrinâ prædicârunt, quæ à temporibus reformationis nunquam inter nos in quæſtionem vocata eſt.

Habes jam mentem meam tibi communicatam tantâ pace, modeſtiâ, ac lenitate quàm poteras optâſſe, eâ utere, prout Dominus diriget. Vale: Deus utrique adſit propitius, & utrumque præparet, ut appareamus ante tribunal ejus, qui ab utroque tam doctrinæ quàm factorum rationem exiget.

INDEX

INDEX
QUÆSTIONUM ILLUSTRIUM, QUÆ LIBRO I. TRACTANTUR.

Pag.

QVo anni tempore mundus ſit creatus? 5
An Moſis *anni noſtris fuerint pares?* 6
An Patres in Chronologia antiqua ſequendi? 6
Vbi fusè agitur de Verſione 70 *Interpretum.* 7
Quamdiu Noah *remanſerit in arca?* 13
An jus primogenituræ ſemper fuerit obſervatum? 15
Num Cainan *junior ſit ſuppoſititius?* 20. 26
An poſt Diluvium, Græcorum Patrum calculus ſit ſequendus? Et Hebraici Codices ad 70 *tranſlationem corrigendi?* 20
De anno nativitatis Abrahami. 30
An Iſraëlitæ *peregrinati ſint in AEgypto annis* 430? 34
Quomodo deſcenderint in AEgyptum ex Jacobi *familia* 70 *&* 75? 39
Quomodo in exitu ex AEgypto multiplicati ſint Iſraelitæ ad ſexies centena millia, idque 215 *annis?* 40
Quomodo concilietur Actor. 13. 20. *cum* 1 *Reg.* 6. 1? 46
Quomodo colligatur ſumma Epochæ ab Exodo Iſraelitarum ex AEgypto, ad templum Solomonis? 46
Ejuſque Vindicatio. 47
Quo referendi ſint anni ſervitutum in libro Iudicum? 52
Quomodo ætates Rachab, Boaz, Obed *&* Jeſſe, *exhaurire potuerint annos* 480? 52
Quomodo ab Exodo ad Jephtham *anni trecenti?* 53
An Phineas *vixerit annos trecentos?* 54
Ad quam captivitatem duraverit Danitarum *Idololatria?* 54
Ad quæ tempora ſit Ruth *referenda?* 54
Quot annos habeant libri Joſuæ *&* Judicum? 54
Ad quæ tempora ſit referendum bellum Trojanum? 54
Quomodo concilietur Iudicum 13. *cum* 15. *&* 16? 54

Pag.

An Samuel *ex poſteris* Coræ? 55
De annis regni Saul. 55
Quomodo David *fuerit filius* Jeſſæ *ſeptimus & octavus?* 56
Quomodo David Sauli *& notus & ignotus?* 56
Quomodo Iſhboſeth *regnaverit annis & duobus, & ſeptem?* 56
Quis fuerit annus quadrageſimus conſpirationis Abſolomi? 57
Quomodo David *emerit* Sionem 50 *ſiclis argenti, & tamen alibi ſexcentis ſiclis auri?* 57
Quam incredibilis auri argentique ſumma in templi ſtructura ſit inſumpta? 57
Quot annis ſteterit primum templum: & quomodo hujus Epochæ ſumma probetur? 75
Quomodo Solomon *& puer & pater?* 75
Quomodo Baaſcha *& tertio & quinto* Aſæ *regnare cœperit?* 76
An Aſæ *mater fuerit* Abſolomi *filia?* 76
An Baaſcha *decem annis poſt mortem ſuam invaſerit* Aſam? 76
Quomodo Omri *regnaverit annis octo, & duodecim?* 77
Quomodo Joramus *regnaverit annis quatuor, & etiam octo; & quomodo regnare inceperit anno patris* 17. *& etiam* 22. *& poſt patris mortem?* 77
Quando ſcripta fuerit Eliæ *ad* Joramum *epiſtola?* 78
Quomodo Achazias *regnare cœperit anno ætatis ſuæ* 22. *&* 42? 78
Vtrum Joas *à* Solomone *an* Nathane *deſcenderit?* 79
Quando Joas *cœperit regnare?* 79
An Jeroboam *ſecundus regnaverit ſimul cum patre annis undecim?* 79
An in Samaria *fuerint interregna?* 80
Quomodo componendi ſint anni Regum Judæ *cum annis Regum* Iſraëlis? 80
An Jotham *regnaverit quatuor annis poſt ſuam mortem?* 81
Quomodo Hoſeas *regnare cœperit anno* Achazi 4. *&* 12? 81
Quomodo Achaz *regnaverit annis* 17. *& tamen ſolis* 15? 81

An

pag.
An Achaz *genuerit* Hezechiam *anno ætatis ſuæ undecimo?* 82
Quamdiu duraverit regnum decem tribuum? 82
Quamdiu duraverit decem tribuum captivitas? 82
Quomodo unius anni proventus tribus annis ſuffecerit? 83
Quid de regreſſu ſolis diebus Hezechiæ *ſtatuendum?* 83
Quomodo Eſaias 7. 8. *annos ad ruinam* Samariæ *fecerit* 65. *qui fuerint tantum* 22? 86
Quomodo captivitas Cyri *eſſe potuerit perpetua, & tamen* 70. *annorum & unius tantum regis?* 86
Quamdiu duraverit miniſterium Eſaiæ? 87
Quomodo Jechonias *exorſus ſit regnum & anno ætatis* 8. & 18? 87
Quomodo Jechonias *& filius & nepos* Joſiæ: *Et quomodo habuerit & plures fratres & unum?* 88
Quomodo Jechonias *ſine liberis, & tamen octo liberorum pater?* 89
Quomodo Joathaz *primus filiorum Ioſiæ, & tamen junior* Joakimo: *& quomodo* Joathaz, Johanan, & Shallum *idem homo, & tamen geminus* Shallum? 90
Quomodo captivitas Babylonica *inceperit &* 1. & 8. & 19. Nebuchadnezaris? 90
An plures fuerint captivitates Babylonicæ? 91
Qui factum, ut exciſis Hieroſolymis, *tam pauci* Babylonem *abducti ſint, ſcilicet, vix* 4000? 91
Num anni 70. *captivitatis incipiant annis* 19. *ante excidium templi?* 91
An Zedekias *bis iverit* Babylonem? 91
An idem annus fuerit & quintus, & triceſimus Captivitatis? 91
Qui ſint termini annorum Ezechielis 390. & 40? 92
Quis annus 23. *qui in* 4. Joakimi *incidit?* 92
An verum ſit, quod revelatio de inducendo iugo data Jeremiæ, Joakimi *primo, ſed executio non niſi poſt annos undecim,* Zedechiæ 4. *facta?* 92
Quomodo initium regni Zedechiæ *ſit annus quartus?* 93

pag.
Quomodo Hieroſolymorum *excidium non niſi poſt* 17. *menſes* Babylone *auditum ſit?* 93
Quomodo Nebuchadnezar *viderit ſtatuam anno* 2. *& etiam* 4? 94
Num unus tantum Nebuchadnezar *filius* Nabopolaſſeris, *non verò* Nabocaſſaris? 94
Qui ſint termini prophetiæ Eſaiæ? 95
Quæ tempora Jeremiæ, Ezechielis & Danielis? 95
Num Hiſtoria Suſannæ *ex ſacra Chronologia refutetur?* 96
Num Hiſtoriam Beli & Draconis *Chronologia refutet?* 96
An Tobiæ *liber Apocryphus ex Chronologia poſſit convinci?* 97
An Judithæ *hiſtoria per Chronologiam refutetur?* 97
Quæ tempora Hoſeæ, Joëlis, Amoſi & Obadiæ? 97
Quid de temporibus Jonæ, Nahumi *& exciſione* Ninives *ſit ſtatuendum?* 98
Quomodo Michæ, Habakuki & Zephaniæ *tempora ſint diſtribuenda?* 98
Quot annos contineat Epocha ab everſione prioris templi ad mortem Alexandri, *& unde conſtet eorum numerus?* 143
Quod ſit principium 70. *annorum captivitatis?* 144
Quis ſit verus finis eorundem annorum? 148
Vtrum Baltaſar, *an* Darius Medus *ultimus fuerit rex* Chaldæorum? 149
Quis fuerit Ahaſuerus Eſtheræ *maritus, & ad quæ tempora* Eſtheræ *hiſtoria ſit referenda?* 154
De jejunio Eſtheræ & Iudæorum, *quale fuerit?* 156
Quis Aſſuerus & Artaxerxes, *qui templi ædificationem impleverunt?* 157
Quis Darius *ille, cujus anno ſecundo templum reædificari, & ſexto perfici dicitur?* 159
Quis ſit Artaxerxes, *à quo* Eſdras & Nehemias Hieroſolymam *miſſi ſunt?* 161
An 70. *hebdomadæ* Danielis *tempus aliquod certum & definitum, an verò incertum & indefinitum deſignent?* 162
Quis ſit earundem finis, an ultra paſſionem

Vn

pag.
nem Chriſti *ad* Hieroſolymorum *excidium extendantur?* 173
Vnde incipiant, & ubi deſinant, & quare à reliquis hebdomadis dividantur? 175
Qui ſint termini hebdomadarum ſexaginta duarum? 177
An 70. Danielis *hebdomadæ abundè convincant* Judæorum *pertinaciam, & clariſſimè demonſtrent jamdudum in mundum* Meſſiam *veniſſe?* 182
Quid de temporibus Haggæi, Zachariæ, *&* Malachiæ *ſtatuendum?* 187
An 70. *anni Zachar.* 1. 12. *iidem ſint cum* 70. Jeremiæ? 189
Quid ſtatuendum de quatuor menſium jejuniis, Zach. cap. 7. *v.* 3. *& cap.* 8. *v.* 19. 191
Quomodo concilietur fundatio templi Darii *ſecundo anno, Hag.* 2. 19. *cum* Eſdræ 3. 11. 12. *ubi fundari dicitur* Cyri *ſecundo?* 193
Quo anno mortuus ſit Alexander? 194
An litera hodierna Hebraica à Patribus & Patriarchis ſint uſurpata, an ab Eſdra *inventa?* 196
De temporibus tibiarum & pedum ſtatuæ Nebuchadnezaris, *num quintæ Monarchiæ fautoribus faveant?* 231
Num per regnum quartum intelligatur Regnum Romanum, *an verò ſucceſſorum* Alexandri Magni? 233
De tempore, temporibus, & dimidio temporis. 243
Quid de diebus bis mille trecentis Daniel. 8. 14. *ſentiendum?* 253
Qui ſint termini dierum 1290. *&* 1335. *de quibus* Daniel. 12. 11. 12? 256
De quibus temporibus loquatur Daniel. 11. 36. *An Chiliaſtis faveat?* 264
Quibus temporibus aſſignanda ſint quæ de Gog & Magog *habet* Ezechiel, *capitibus* 38. *&* 39? 270
Ad quæ tempora templi fabrica & partitio terræ, aliaque Ezechielis 40. *& ſequentibus, referenda ſint?* 276
Ad quæ tempora excidium Ninives *&* Babylonis *referatur?* 283

INDEX

QUÆSTIONUM ILLUSTRIUM,

QUÆ LIBRO II. FUSIUS TRACTANTUR.

pag.
QVis ſit annus natalis Salvatoris, *ab orbe condito?* 29
An æra vulgaris à nato Chriſto *ſit admittenda?* 36
De menſe & die natalitio Chriſti. 43
Quando Jacobi *prophetia de receſſu ſceptri à* Judâ, *& adventu* Shilo *impleta ſit?* 47
Cur in genealogia Chriſti, *Matth.* 1. 8. *inter* Joram *&* Oziam *tres reges* Ahazias, Joash, *&* Amazias *omittantur?* 51
De tribus Matthæi *teſſeradecadibus.* 54
Quomodo ab Euangeliſtis Zorobabel *conſtituatur filius* Salathielis? 55
Quomodo à Matthæo Zorobabelis *filius ſtatuatur* Abiud, *à* Luca *verò* Rheſa, *& ab authore Paralipomenon* Meſullam? 57
An unus Salathiel, *unuſque* Zorobabel, *an duo conſtituendi?* 57
Quomodo Joſephus *duos habuerit patres*, Jacobum *ſecundùm* Matthæum, *&* Eli *ſecundùm* Lucam? 59
Cur ad Joſephum *potius quam ad* Mariam Chriſti *ſtemma referatur?* 64
De tempore quo Magi Chriſtum *infantem adorarunt.* 68
Quomodo Iohan. 2. 20. *templum ædificatum dicatur annis* 46? 71

Quid

Pag.

Quid ſit σάββατον δευτερόπρωτον, Luc. 6. v. 1? 74

An & quare Chriſtus *ultimum ſuum Paſcha una nocte maturius celebraverit quam cæteri Iudæi?* 79

De hora paſſionis Chriſti. 86

De numero Paſchatum à baptiſmo Chriſti *ad mortem ejus.* 90

Ad quæ tempora verſus 16. Actor. 7. referatur? 95

An hæreticorum αὐτοκατακρίτοις nihil aliud ſit, quam craſſa hypocriſis ſimulantium errores contra animorum ſuorum rectè ſentientium expreſſa dictamina? 99

An quicquid in Deo eſt, ſit Deus? 106

De prædeſtinatione, contra Spalatenſem, *& ſequaces.* 121

FINIS.

A01 146 9000

G.44.

XXXVI
E 2

Digitized by Google